RICHTERUS REDIVIVUS,

five

GEORGII RICHTERI JC.

Ejusque Familiarium,

EPISTOLÆ SELECTIORES

AD

Viros Nobilissimos Clarissimosq;

datæ ac redditæ.

nunc denuò de novo recusæ, plurimisq;

in locis auctæ.

Opus, quæsitis ac responsis Theologicis, Juridicis, Politicis, Medicis, Philosophicis, Historicis, Geographicis, Philologicis, Criticis, refertissimum.

Cum indicibus auctorum, rerum, verborum copiosissimis.

NORIMBERGÆ,

Sumptibus BALTHASARIS JOACHIMI & MARTINI ENDTERORUM.

Anno MDC LXXXVI.

GEORGI RICHTERI, JC.

VITA.

PROOEMIUM.

MAgni semper interfuisse, ac etiamnum interesse ad decus & laudem tum Literarum, tum ipsorummet Literatorum, Memoriam Clarorum Virorum conservari, ut ostendantur posteritati, constans semper inter æquos Virtutis & Honorum arbitros fuit sententia. Quod probè intelligens eximium illud eruditæ Bataviæ ornamentum, JANUS DOUSA, in Epistola quadam ad PAULUM SCOVARTIUM BUSANVALIUM, Christianissimi Francorum Regis apud Illustres Provinciarum Confœderatarum Belgii Ordines Legatum, vel in primis seculi pudorem periclitari existimavit, si illi, qui multis vigiliis non tam sibi quàm Patriæ prospexerunt, eoq; de Repub. potissimùm bene meriti essent, eorum incuriâ vel ignaviâ quasi intercidant, quibus ipsi in vivis singularis industriæ exempla fuerunt.

Et quidem, utut hæc præsens Ætas nostra suspicienda sit ob fœcunditatem, quæ tam multos hodiè Excellentes Viros, & verâ ingenii sui gloriâ splendidissimos protulit, tamen vel ob solam incuriam Virtutum deflenda videtur, quâ multi hodiè diu ignorarentur, & ingrato penitùs silentio obruerentur, nisi eos nonnunquam ab indebita oblivione vindicaret felix & religiosa quorundam industria. Ne longè abeamus, decennium ferè nunc est, quòd non sine publico luctu vivere desiit GEORGIUS RICHTERUS, JCtus, Inclytæ hujus Reipub. Noribergensis, & aliorum Imperii per Germaniam Ordinum Consiliarius dexterrimus, Universitatisq; Altorphinæ Pro-Cancellarius quondam laudatissimus; cujus Viri præclara in Patriam merita ne Famæ diutiùs subtraherentur, non

non pauci hactenus fuerunt, qui VITAM ejusdem, quam DEO pro captu imbecillitatis humanæ acceptam, Patriæ frugiferam, sibi denique ac suis vixit honorificam, Posteritati publicè commendandam seriò suaserunt, consilio certè non minùs benevolo & æquo, quàm pro temporis ratione tuto; quippe quòd laudes Hominum mortem inchoare, quia cum corpore moritur Invidia, quæ cum corpore, velut certa & indiscreta Honorum pedisequa, vivit, ipsa loquatur Experientia. Quò respiciens acuti ingenii magniq; judicii Vir, FRANCISCUS PETRARCHA, THOMÆ MESSANENSI, *Amico familiari, author fuit, ne Famam ante Mortem appeteret, quum à Morte demum hominis vivere incipiat humanus favor, & vitæ finis principium sit gloriæ, quæ si antè cœperit, pro re quadam singulari & intempestiva habendam. Quâ sententiâ ut eò meliùs animum Amici imbueret, cujus Famæ simul consulere studuit,* Redde Tu, mihi, *inquit,* PYTHAGORAM, reddam Tibi illius ingenii contemptores. Redeat in Græciam PLATO, renascatur HOMERUS, reviviscat ARISTOTELES, revertatur in Italiam VARRO, resurgat LIVIUS, reflorescat CICERO; non modò segnes laudatores invenient, sed mordaces etiam & lividos detractores, quod quisque suis temporibus expertus est.

Ut itaq; in eo, quod Viris Claris, & qui in spem Reipubl. curarumq; ingentium sepositi fuerunt, debetur, pergamus, & id agamus, quod instituimus, spes nos habet, amice Lector, gratam Tibi acceptamq; futuram commemorationem eorum, quæ de RICHTERI *Patriâ, Parentibus, Educatione, Vita, Moribus, Morte, partim ipsi nos præsentes cognovimus, partim exploravimus, & certo veroq; judicio comperimus. In primis verò hîc præfari liceat, quæ* JOACHIMUS CAMERARIUS, *non incelebre inter Literatos Nomen, accuratæ suæ ac diligenti Narrationi de* PHIL. MELANCHTHONIS *Vita cautelæ loco præmisit, eâdem, quâ ille, spe freti, si quædam Narrationi huic aspergentur cùm negotiorum, tum personarum mentiones huc pertinentes, vel non abhorrentes certè ab instituto, neq; hoc reprehensum, sed potiùs sententiâ bonorum & non inhumanorum omnium iri probatum.*

Natus

Natus est GEORGIUS RICHTERUS *Anno reparatæ per* CHRISTUM *salutis M D XCII. d. IV. Maji, quæ dies Patriam eum habere voluit Civitatum Imperialium Metropolin*, NORIBERGAM. *De hujus Civitatis Amplitudine, Statu Reipubl. Aristocratico, quo inter omnes Germaniæ Civitates cum paucis propè hæc sola Optimatum Imperio regitur, quum reliquæ ferè populari sive Democratico regantur atq; administrentur Consilio, & in primis de Senatorum Nobilissimorum insigni Prudentia, quâ Rempubl. hactenus gubernârunt & gubernant etiamnum, aliquid impræsentiarum commemorare tantò erit difficiliùs, quantò copiosiùs non minùs quàm elegantiùs hac de re edita reperiuntur in* MELCHIORIS GOLDASTI *doctissima Præfatione ad opera Viri & genere & doctrinâ Illustris*, BILIBALDI PIRCKHEIMERI, *Consiliarii quondam* DD. MAXIMILIANI *&* CAROLI V. IMPP. *Equitis Aurati, Senatoris & Patricii* NORIMBERGENSIS. *Quibus si adjungis* CONRADI RITTERSHUSII, JCti, *seculi sui* PAPINIANI, *eruditissimum Commentarium de Ejusdem* PIRCKHEIMERI *Vita, unà cum* FRANCISCI IRENICI *Germaniæ Exegeseos lib. 3. cap. 105. De Nobilitate Præstantia ac Politia Noribergensium; ut &* SCIPIONIS GENTILIS, JC*ti Celeberrimi, Laudationem Funebrem in obitum Summi Viri*, Dn. HIERONYMI PAUMGARTNERI, *modò laudatæ Reipubl. Noribergensis Duum-Viri primarii, & Præturæ Imperialis Administratoris; & denique intimiori eruditione refertissimam Orationem Nobilissimi Viri*, CONRADI HESSE, *quam Anno* cIↄ Iↄc LIII. *Altorphi Utriusq; Juris Doctor creatus habuit, meritò suo statim publico donatam illicò reperies, post Famam publicam, quâ Orbis applausum Respubl. hæc pace belloq; meruit, plura impræsentiarum dicere velle, nihil aliud esse, quàm Soli meridiano radios superaddere.*

Patrem habuit Virum Honestum & Integerrimum CONRADUM RICHTERUM, *Civem Noribergensem, qui florentissimo tunc temporis opificio, quo pannis Anglicanis poliendis præ cæteris operam dedit, victum sibi suisq; necessarium quæsivit.*

Matrem Constantiam, CONSTANTINI BONNECROY,

Civis Anverpienſis Filiam, cujus infantiam Parentum præſidiis præmaturè orbatam, inſuper & Hiſpanicâ Inquiſitione divexatam, ut & reliquam ætatem Noribergæ velut in portu exactam voluit Divina PROVIDENTIA; *Cui multùm ſe debere præcipuè in paullò adultiori ætate ſæpè profeſſus eſt, quod licèt exilem & ignobilem, honeſtum tamen ortum Parentum & Avorum ſuorum memorare liceret; non neſcius optimo Iure, & inprimis* Sapientum Calculo *inſuper haberi, qui fortunæ beneficio divites, animum habent omnium bonarum rerum inopem, & qui Natalium ſtemmatis ſeſe venditant, quum alioqui nihil habeant Nobilitatis, præter Imagines. Hujus veritatis intuitu bina illa Orbis Europæi Sydera,* THOMAS MORUS *&* ERASMUS ROTERODAMUS, *olim ſibi invicem non ſemel gratulati ſunt, quorum ille ſatiùs eſſe duxit, poſteris ſuis Pietatis Amorem, quàm inſignium Honorem relinquere; hic verò Magnificentius eſſe Nobilitatem promeruiſſe, quàm à Majoribus accepiſſe intrepidè aſſeverârit; quippe quòd nunquam deſit illi ſanguinis prærogativa, cui in ſuo ſibi pectore calet & ad laudem fertur.*

Eminuit autem ſtatim in RICHTERO *noſtro adhuc Puero ſeptem annorum mira ingenii præſtantia, quòd & celeriter perciperet atq; comprehenderet, & quæcunq; tradebantur, fideliter meminiſſet. Quo ipſo anno, nimirum 1599. Præceptoris dexterrimi & fideliſſimi,* VITI BURGERI *informationi publicæ quotidianæ, Parentum & Amicorum ſuaſu commendatus, brevi tantos ſtudiorum progreſſus fecit, ut decimo ætatis anno, in Examine publico conſueto, præſentibus Nobiliſſimis Reipubl. Noribergenſis Senatoribus & Scholarchis,* DN. ANTONIO GEUDERO *&* DN. GEORGIO VOLCKAMERO, *de Utilitate & Neceſſitate Grammatices cum laude peroraverit. Quam ob rem, præcipuè ob mores ſimul optimos & ſuaviſſimos, certatim amabatur, & in multorum oculis & complexu tenebatur. Quinquennio inſuper inter amuſſitatæ Indolis dotes & Præceptorum domeſticorum curas feliciter exacto, ad ſtudia Academica adſpirare cœpit. Tantum nimirum poteſt mens ſub fauſtis enutrita penetralibus: eoq; Parentum Diſciplina ac Severitas pertinet, ut verecundiâ quâdam & ſanctitate temperata li-*

berorum

berorum natura, ingenti ardore, modò non immaturo, statim præclaræ cujusdam artis altiorumq; Disciplinarum famam quærat. Id quod apprimè etiam cessit RICHTERO, *quippe qui, Disciplinâ domesticâ rectitudine innatæ Indolis cum fructu superatâ, bonam mentem inter studiorum elementa perdere noluit, sed in spem altiorum præclarâ animi divinatione totus ingressus est, alienissimus simul ab Icaris illis Academicis, quorum rudes animos & imparatos sæpè mirum in modum vexat, tandemq; perdit spei impatientia ac cæca festinatio, quasi laudi ipsis & non vituperio sit, Ætatis & annorum legitima spatia virium fiduciâ antevertere. Et sanè perquam difficile est hac Ætatis simul & ingenii luxuriantis intemperie in medio se continere, hoc est, neque eorum premere vestigia, quos ad veterum imitationem se componere degeneris animi humilitas & virium desperatio non sinit; neque eos sequi, qui Pueri & Adolescentes in Juvenum, Juvenes in Virorum studia cogitationes suas propellunt, &, ut* CUNÆUS, *JCtus & Orator longè celeberrimus, alicubi verbo rem complectitur,* præcipitant curas.

Tametsi igitur RICHTERUS *noster Anno* CIↃ IↃC VII. *mense Januarii, anno ætatis decimo quinto, Illustrem illam Sapientiæ arcem* ALTORPHIUM *Noricorum adiisset, à Lectionibus publicis tamen tantisper abstinuit, donec Classium ibidem Magistri (quos Academia illa tunc temporis magno discentium fructu habuit) inprimis* MAURITIUS & WALDUNGUS, *studia Adolescentis studiorum amore flagrantissimi ad majorem maturitatem proveherent. Quod & ipsum Numinis Divini faventiâ perquam feliciter cessit. Quippe qui brevi tempore, & non integro biennio pòst, cum laude accessit ad Lectiones publicas, tempusq; non pœnitendum Philosophiæ Aristotelicæ impendit, simulq; inter maxima beneficia DEI Opt. Max. quæ in se contulit, lætâ gratulatione habuit, quod tanti Nominis Professores eo ipso tempore, nimirum in Oratoria Facultate* MICHAEL VIRDUNGUS, *in Logicis & Politicis* MICHAEL PICCARTUS, *in Ethicis* GEORGIUS QUECCIUS, *in Physicis & Metaphysicis* ERNESTUS SONERUS, *ipsi contigissent, quorum curâ etiam tantum profecit, ut primum Philosophiæ gradum, Baccalaurei nimirum,*

merito

merito suo publicè adeptus sit. Ad quem honoris gradum studiosi nostri hodiè ne semel quidem respiciunt, nisi cùm fortè aliud agere non possunt, aut cùm, ut ille ait, aliquis pluvius intervenerit dies: multisq́; hac tempestate in tanto omnis Doctrinæ apparatu evenit, quod iis, qui dubiis epulis intersunt stomacho fastidioso.

Quantos verò Noster, post collatos Baccalaurei honores, in Philosophia porrò fecerit profectus, non tantùm variæ Disputationes ejusdem Philosophicæ publicè cum admiratione habitæ, sed & tredecim Volumina Manuscripta Philosophica, in præcipuos Libros ARISTOTELIS, *quæ suâ manu, ac privatâ diligentiâ, summoq́; studio collecta reliquit, abundè testantur.*

Hac necessariâ Philosophiæ purioris supellectile instructus, Anno cIↃ IↃ CXI. *ætatis decimo nono, ad Jurisprudentiæ studium, gradu haut desultorio, animum eò feliciùs applicuit, quò Excellentiores Juris privati Doctores & Professores, incredibili sua cum voluptate in eodem Athenæo Altorphino adire licuit; siquidem publicè docentes sedulò audivit, præsertim in Institutionibus Justinianeis* D. ANDREAM DINNERUM; *in Pandectis* D. CONRADUM RITTERSHUSIUM, *in Codice* D. SCIPIONEM GENTILEM, &c. *Trigam certè JCtorum Celeberrimorum, & qui si Scævolæ, Ulpiani & Papiniani temporibus vixissent, vel tantis Viris paria facere, eorundemq́; gloriam adæquare facilè potuissent. Medicis olim ad Commendationem Artis suffecisse publicè creditum est, si dicerent, se Alexandriæ vixisse. Longè certè meliori titulo ac jure potiori tunc temporis variarum Nationum diversarumq́; facultatum studiosis de Celebri isthoc Sacrario Altorphino judicare, idq́; pronunciare licuisset, in quo non Medicina duntaxat, sed omnes omninò Disciplinæ summâ fide, summâq́; dexteritate colebantur. Hinc nemo Studiosorum itineris pretium se tulisse existimabat, nisi hinc, ex hac Sapientiæ Sede Exemplum petiisset melioris cujusdam cultiorisq́; doctrinæ.*

Etsi igitur non nesciebat RICHTERUS *noster, in causarum controversiis judicandis, variisq́; casibus decidendis, quem finem præ ceteris sibi propositum habent Legum Studiosi, vim Orationis, nihil admodum*

modum vel parùm valere, quemadmodum in Medicina Celsus elegantiis & Sententiarum Luminibus morbos non curari censebat, ac proinde in Jure, quod JUSTINIANUS *Medicinæ simile facit, decidendis Litibus, inutilem esse dicendi apparatum; Oratoriam tamen Facultatem, ejusq́ nutricem* PHILOLOGIAM, *cum* BUDÆO *velut alteram conjugem suam impensè adamabat, fructus ac dotes hujus studii eximias, licèt Fori litigiis inconvenientes, Reipubl. tamen in posterum, cui studia sua potissimùm adolescens jam dicaverat, vel in primis conducibiles atque decoras fore sibi persuadens. Intelligebat quidem pro mira ingenii sagacitate, Philologum, quicquid est omninò liberalium artium, haurire debere, Grammaticos, Poëtas, Oratores, Historicos, Philosophos quà Græcos, quà Latinos evolvere, neque in his tantùm, sed & in Medicorum Aphorismis, JCtorum Rubricis, & Adytis Theologiæ, non ut transfugam, sed ut exploratorem deprehendi: Interim tamen tempus per omnia Grammaticorum, Poëtarum, Oratorum, &c. pulpita trahere, nunquam animo sedit, neque permittebat hoc principale ejus studium tunc temporis* JURISPRUDENTIA, *nec Præceptorum dexterrimorum excoctum consilium. Itaque alterum tantùm oculum Literis humanioribus se debere existimavit, alterum Jurisprudentiæ, & huic sæpè utrumq́. In quibusdam Literis consilium secutus est, quo Architecto suo præivit Vitruvius:* Non equidem debet, *inquit ille*, nec potest Architectus esse Grammaticus, ut Aristarchus, sed volo eum non esse ἀγράμματον; nec Musicus, ut Aristoxenus, sed volo eum non esse ἄμουσον; nec Pictor, ut Apelles, sed volo eum esse γραφίδος non imperitum; nec Medicus, ut HIPPOCRATES, sed non ἀνιατρολόγητος; nec in cæteris Disciplinis singulariter excellens, nec verò parùm peritus.

Linguæ Græcæ præ cæteris assiduam operam navavit, inq́ ea tantos fecit progressus, ut Orationem Græcam scribere, &, si opus fuisset, non ineleganter Græcè loqui potuerit, quam ob rem suprà laudato ANDREÆ DINNERO, *JCto, qui Linguam hanc cum admiratione calluit, longè fuit charissimus. Ex eo siquidem sæpè audiverat,*

ac suopte etiam ingenio perspectum habebat, neminem quà veterum, quà recentiorum, ad solidæ Doctrinæ famam pervenisse, nisi Græcarum Literarum auxilio. Sive enim Eloquentiam spectes, fatendum erit, CICERONEM *& alios venustatem, gravitatem & acrimoniam, etiam cùm Romanè scriberent, inde petiisse. Quos imitati Poëtæ, ita, ut* VIRGILIUS *ex* HOMERO, THEOCRITO, HESIODO; HORATIUS *ex* ALCÆO, PINDARO, *&c. multa ad verbum transtulerint, quod inter eruditos notissimum est, & justo libro demonstrat* F. URSINUS. *Sive etiam controversias circa explicationes locutionum, rituum, &c. spectes, & versiones Interpretum, & emendationes malè habitorum; profectò altero pede ambulabis, nisi Græca didiceris, imò, sine lingua hujus adminiculo & ornamento, eris alienæ ignorantiæ, fatuitatis, stuporis ac delirii mancipium. Ita judicabat* RICHTERUS *noster, ita cum eo omnis Literatorum cohors.*

Anno cIↃ IↃ CXII. *Athenæo Altorphino Pestis incumbere cœpit; neque tum Literatorum Ordini pepercit, sed XXX. Septemb. ejusdem anni prematurâ non quoad annos, sed Literarum merita morte eripuit summum & incomparabilem Philosophum* D. ERNESTUM SONERUM, *quod ipsi Universitati, ad cujus decus pertinere publicè existimabatur, si tam grande Nomen inter Philosophos Altorphinos fulgeret, magnæ fuit dividiæ. Intelligens itaque* RICHTERUS *noster, quàm luculenta & gloriosa reputetur Professorii Ordinis vita, quum occupata sit in iis studiis artibusq́, quibus sine ambitione, sine præsentationibus summa Nominis claritudo paratur, quæ memoriam magnorum hominum in Secula transmittit, & posteritati eos, quæ semper ipsos intuetur, repræsentat; Parentationem, ut vocant, sive Orationem funebrem in obitum tanti Viri, utpote Hospitis sui quondam ac Præceptoris fidelissimi dexterrimiq́, Anno* cIↃ IↃ CXIII. *a. d. 18. Maji publicè habuit, & quidem non sine speciali consensu Amplissimorum Academiæ Curatorum, qui tantò magis tum temporis requirebatur, quò acerbiùs linguæ Tribunitiæ, quibus non raró indignè innocentissimi quique flagellantur, in Existimationem piè Defuncti sævire cœpissent. Parenta-*

rentationi huic unà cum Civibus Academicis aliisq; Hospitibus, qui Noribergâ advenerant, interfuerunt Amplissimæ Dignitatis Senatoriæ Viri Prudentissimi, CHRISTOPHORUS *&* JOHAN. SIGISMUNDUS FÜRERI *ab Haimendorff, fratres germani, cujus Illustris familiæ gloriâ ac meritis Nobilis Reipubl. Noribergensis Senatus ultra Seculi memoriam resplenduit, gaudetq;, DEI beneficio, etiamnum, qui faxit, ut perpetuò.*

Septennio, & quod ad mensium octo spatium excedit, AltorphI inter studia Philosophica, Historico-Philologica & Juridica feliciter & egregio suo cum fructu exacto, quemadmodum jam pueritiam Doctrinis liberalioribus imbuisset, ita adolescentiam in literata Peregrinatione apud Exteros consumere animo sedit, compertum siquidem ex concordi & consentiente multorum opinione, veluti Naturæ quadam voce habebat, extremæ infelicitatis esse, gloriam studiorum, multâ assiduitate longisq; vigiliis partam, oscitantiâ quadam & ignobili rerum præclarissimarum fastidio intra parietes perdere.

Antequam verò Altorphio discessit, publicum Testimonium à suprà laudato SCIPIONE GENTILI, *JCto, nomine Facultatis Juridicæ, de vita, moribus & studiis elegantissimum obtinuit, quod ita se habebat:*

DECANUS

& cæteri Doctores Facultatis Juridicæ in Academia Noribergensi, quæ est AltorphI,

Lecturis S.

SI quantum in bello Virtus præstat, tantum innocentia, modestia atque artes bonæ in pace atque otio valerent, nulli bono modestoq; metuendi essent calumniæ aut invidiæ ictus. Sed accidit longè aliter, quàm oportebat. Quò quisque probior est, vitamq; ad certam rationis normam exactius componit, eò pluribus insidiis expositus est, pluribusq;

busq; ac vehementioribus circumflatur invidiæ ventis. Neque simpliciter verum est, quod Poëta ait: *innocentiam murum aheneum esse.* Bonorum potiùs atque excellentium virtute hominum benevolentia ex judicio testimoniisq; septa est cujusq; vita ac ratio. Quam ob rem prudenter à majoribus institutum fuit, ut in Academiis qui modestam vitam egerit, industriamq; suam ac diligentiam in perdiscendo, aliis, præsertim Præceptoribus suis approbaverit, is earum rerum attestationem publicam laudationemque consequatur. Talis est hic Ornatissimus Juvenis GEORGIUS RICHTERUS, Norimbergensis, Philosophiæ ac Juris Studiosus, de quo verissimè affirmare possumus, eum singulari nobiscum modestiâ per annos septem vixisse, eamq; in studiis diligentiam perpetuò adhibuisse, ut non solùm optimæ indolis præstantisq; ingenii certa nobis argumenta dederit, sed etiam condiscipulis suis præire exemplo honestissimo potuerit, pulcherrimaq; & generi humano utili æmulatione ad Virtutem atq; ad decus inflammare. Studia primùm Philosophiæ sequutus est, tantosq; in ea profectus brevi fecit, ut ipsis etiam Præceptoribus suis, Viris Clarissimis & acutissimis, admiratione fuerit; inde ad Juris Civilis disciplinam se cùm contulisset, non minori cum laude diligentiæ atque acuminis in ea versatus est, palamq; omnibus declaravit, nihil esse, quod industria cupiditasq; discendi, cum bonitate judicii naturæq; excellentia conjuncta, consequi & efficere non possit. His causis impulsi, libenter meritoq; fecimus, ut ei hoc verissimum Testimonium impertiremur: eoq; omnes, ad quos venturus aliquando est, cum debito cuique honore rogamus, ut hunc discipulum nostrum omnibus rebus, quibus poterant, omniq; favore ornandum sibi atque adjuvandum putent, paria à nobis officia, sicubi usus poscet, expectaturi & relaturi. Ut autem hæc testificatio nostra majoris ponderis sit, eam Facultatis nostræ sigillo muniendam confirmandamq; curavimus. Actum Altorphii XXV. Augusti, Anno 1614.

Quod

Quod ipsum Testimonium verbotenus huc transferre placuit, partim quòd non secundùm morem & stylum consuetum, partim quòd à tanto Viro elaboratum, qui, ob singularem eruditionem Jurisq; Civilis cognitionem, Academiæ, quam docendo ac de Jure respondendo diu exornaverat, Nominis perennitatem cum Fama immortali velut ex asse reliquit. Abiturientis animum MICHAEL PICCARTUS, *quo Præceptore in Logicis & Metaphysicis aliquandiu usus est, ad Virtutis exempla firmiter retinenda & custodienda sedulò confirmavit, ne forsan offenderetur, si Virtuti pariter ac bonis Literis pro seculi perversitate debita sua præmia subtrahi animadverteret. Proinde elegans illud Horatianum*

— — — meà deinceps
Virtute involvam, piamq;
Pauperiem sine dote quæram;

sequenti Carmine Elegiaco paullò liberiùs expressit:

Nullus honos Musis, nec sunt sua præmia doctis,
Regnaq; jam repetit pristina barbaries.
Utq; odio Virtus hodiè spectatior Orbi,
Sic fraudi est doctos inter habere locum.
O seclum! O mores! Et quis Cato vellicet aurem.
Aut quod Sal tandem defricet hanc scabiem.
Sed nec proficimus querulis his vocibus hilum,
Narrantur surdis auribus ista diu.
Ergò igitur mens ægra tuos tibi quære recessus,
Et medio in mundo mundum etiam usque fuge.
Virtuti te involve tuæ, gratisq; libellis,
Pauperiem quæras & sine dote piam.
Corporis exsuvias donec te ponere mandet,
Et vitæ & mortis quem penes arbitrium est.
Tunc tibi erit meliùs, tunc justâ exacta libellâ
Et pleno modio præmia vera fluent.

Caterùm, quum iis, qui AltorphI inter Alumnos Noricos vixerunt, (quorum duodecim quotannis sumptibus Reipubl. Noribergensis ad sublevandas Studiorum impensas aluntur, interq; eos RICHTERUS *quoque locum habuit) sine speciali consensu Amplissimorum Academiæ*

Curatorum peregrinari non liceat, itaque veniam pro innata Modestia sua sequenti libello supplici petiit:

Cùm duæ sint hominis partes, altera terrenâ mole gravis & iners, altera cœlestis originis memoriam motus perennitate servans, quarum hanc animum, istam corpus dicimus: tantò quisq; supra alios mortales evasisse semper est habitus, quantò liberior à tarditate corporis exiret, similitudinemq; cœli gentilis, unde animos nostros Philosophi delibatos esse ajunt, celeritate & perennitate motus affectaret. Quo factum est, ut maximi quiq; Viri, quorum nomen posterorum admiratio consecravit, peregrinationibus delectati fuerint: nec est, ut annalium memoriam fatigem, & ab antiquitate nebulas colligam ad cogendam eorum nubem, qui vel Sapientiæ vel Prudentiæ Civilis causâ remotissimas terras emensi sunt, cùm vos ipsi, *Viri Mecœnates, Patres Ampliss. Nobiliss. Prudentiss.* instar omnium esse possitis, qui cùm florentissimam Rempubl. à majoribus Vobis tanquam Lampada in manus traditam non tantùm conservandam, sed & illustrandam accepissetis, longissimis susceptis peregrinationibus variarum gentium ritus & mores, instar Ulyssis illius Homerici, ad Spartam Vestram exornandam contulistis.

Ita nimirum Principum exemplis subditorum studia ad imitationem excitari solent, nec nullam esse caussam facilè suspicor, quæ tot Excellentissimos Viros ad institutum ejusmodi permoverit; proinde & aliorum præviâ virtute & privato naturæ instinctu exstimulatus, nimium quantum animum meum peregrinationis amore accendi, & si me quoque possim tollere humo, ad perfectionem aliquam eo ipso motu eniti me posse ac debere animadverti. Cùm igitur octo ferè annos in Academia Vestra, quod summum ac Divinum Vestrum in me est beneficium, Philosophiæ ac Jurisprudentiæ, Vestrâ voluntate Vestrisq; sumptibus liberalissimis operam dederim: Cœperunt me magni quidam Viri, quorum auctoritatem nequaquam spernere debeo, adhortari,

tari, ut mutatis castris, tali præsertim occasione, quæ modò præter spem est oblata, alibi paulisper eandem militiam sectarer, & ita variis expeditionibus edoctus, sub Reipubl. Vestræ signa, cui Sacramentum dixi, tantò fortior redirem. Neque enim ipsas Amplitudines Vestras latet, Studioso, Juris præsertim, instar impigri mercatoris, cujus merces una regio non includit, varias Academias, tanquam panegyricas nundinas, adeundas esse, unde thesauros quosq; rarissimos ad Rempubl. suam comportet. Quamobrem Vos, *Viri Ampliss. Nobiliss. Prudentiss.* quia sine Vestro consensu nec debeo quicquam, nec possum aggredi, ac ne cupio quidem, supplex oro atque obtestor, ut proficiscendi veniam pro consueta erga omnes humanitate ac benevolentia Vestra, concedere velitis, meq; clientem Vestrum, quem paterno sinu fovendum semel benignissimè suscepistis, porrò benignitatis Vestræ calore non destituere, spemq; segetis herbescentis ad maturitatem provehere dignemini. Spondeo ego & promitto, me omni animi contentione operam daturum, ut nunquam Vos illorum, quæ in me contulistis, beneficiorum pœnitere possit: Vos absens in oculis semper feram, quid à me fieri velitis, assiduâ cogitatione ruminabor, & quo jure ac vinculo Vobis obstrictus tenear, nunquam non publicè profitebor. Valete, *Mecœnates* omni observantiâ & obsequio honorandi, mihiq; & in primis toti Reipubl. diu felices vivite!

Quâ licentiâ ex voto suo à prædictis Academiæ Curatoribus impetratâ, Anno clɔ Iɔ CXIV. *XXVI. Septembr. invocato prius Numinis Divini auxilio, pro felicissimis itineris auspiciis, progressu & fine, Norribergâ discessit, celebrem illam Academiam Juliam, quæ est Helmstadi, aditurus; quam propitiis Vialibus XI. Octobr. ejusd. anni primùm vidit, & ob Coronam Studiosorum Doctissimorum, quos inter* CALIXTUS, HORNEIUS *&* NIHUSIUS *in primis eminebant, impensè amavit; præcipuè quòd cum hisce convictoribus apud* CORNELIUM MARTINI *commorari, & inter doctas, jucundas & utiles conversationes*

pran-

prandia & cœnulas peragere licuerit. Quò sapius & jucundiùs postmodum felicissimi hujus convictus memoriam repetiit, nunquam minùs otiosum se fuisse existimans, quàm si contingeret, cum tam eruditis commensalibus otia tam officiosa, tam jucunda dividere. Utar ego hîc liberâ, sed verâ voce, doctas ejusmodi & frequentes juvenum collocutiones plus emolumenti ad Virtutem Literarumq; studia conferre, quàm serias & viriles curas eorum, qui domi semper latitant, omniumq; salubrium conversationum pertæsi, se & studia sua velut in perpetui Legem silentii indurare solent.

Post integrum propè annum Helmstadi consumptum, Anno cIↃ IↃ CXV. *Lugdunum Batavorum sese contulit, tum ob communem famam, quâ illustre illud Musarum Domicilium reliquis Hollandiæ Academiis antecellere credebatur, tum ob exoptatam opportunitatem, quâ, cum Jurisprudentia, studium in primis Politicum & Historicum ope & subsidiis Bibliothecæ publicæ ibidem, sub manuductione* DAN. HEINSII, *continuare perquam feliciter contigit. In primis verò admirari simul ac venerari satis non potuit celebritatem Professorum, qui tum temporis Academiam hanc Leydensem ad invidiam usque illustrârunt; prædicti nimirum* HEINSII, CUNÆI, BERTII, MEURSII, SCHWANENBURGII, EPISCOPII, SCRIVERII, VOSSII, *aliorumq;, qui liberiori accessu ob dotes ingenii & doctrinæ* RICHTERUM *dignati sunt, quæ occasio ipsius animum discendi ardore flagrantissimum ita commovit, ut integrum biennium augusto huic Literarum Sacrario destinaverit. Quàm diligenter verò, imò avarè felicitate isthac usus fuerit, vel exinde apparet, quòd ibidem non tantùm integrum Corpus Juris Civilis, sed & Opera* CICERONIS *ab initio ad calcem usque legendo absolverit; non dicam jam de variis Disputationibus tam privatis, quàm publicis, quibus summâ assiduitate Studium in primis Juris mirificè excoluit. E multis vel sola Disputatio Juridica ad difficillimam* l.57.Heredes mei. ff. ad SC. Trebellian. *sub Præsidio* D. CORNELII à SCHWANENBURG, *Codicis Professoris Primarii, 2. Julii Anno 1616. publicè habita, testis sit, quamcùm, ad stuporem & admirationem omnium Auditorum, solidè & ex fundamen-*

damento defendiſſet, multorum ſtatim encomia inſignesq́; commendationes promeruit, quarum ſingularem illam P. BERTII *literis ad Ampliſſimum Reipubl. Noribergenſis Senatum perſcriptam, quibus ſimul* GERMANIAM *ſuam obtulit, & de Succeſſore in locum* SCIPIONIS GENTILIS *Altorphium evocando rogatus ſententiam ſuam tulit, in forma hic adjicere viſum eſt; ita autem ille:*

Nobiles, Ampliſſimi, Magnifici Domini.

EX quo mihi Germaniam pleramq;, & in ea laudatiſſimam Rempubl. Veſtram videre Divinitus obtigit, cepit me generoſus quidam impetus, Regionem Ampliſſimam Nobiliſſimamq; deſcribendi. Et effeci id tandem non ſine ingenti labore & ſumptu; editis nuper rerum Germanicarum Commentariis, in quibus ſi non ex dignitate Inclytæ Nationis, ſaltem pro modulo ingenii mei ſumma attigi præcipuarum rerum faſtigia; nam omnia dixiſſe me non profiteor. Ejus autem laboris noſtri monumentum ſi offerri N. & A. Veſtræ à me nunc dicam, non expreſſero id, quod res eſt. Verè enim & ex animo ſentio, deberi hoc Vobis, qui me ante hos annos XXIV. Urbe Veſtrâ & Academiâ peregrinum comiter excepiſtis. Quæ me res impulit, ut cùm aliàs ſemper Civibus Veſtris apud nos degentibus fores meas officiaq; omnia patere voluerim, tum etiam nunc GEORGIUM RICHTERUM, Deus bone, quem Juvenem! quantâ eruditione & modeſtiâ! aliosq; Veſtræ Reipubl. Cives, qui adhuc in Urbe noſtra & Schola vivunt, pro meis facultatibus comiter producam, & ad ea ſtudia excitem, quibus aliquando Patriæ ſuæ inſervire poſſint. Rogo eâ, quâ par eſt, obſervantiâ animiq; demiſſione, ut munuſculum hocce meum, & officium in Cives Veſtros æqui boniq; facere dignemini. Et quia exceſſu Cl. Viri, D. SCIPIONIS GENTILIS, Amici, dum vixit, noſtri, vá-

cua facta eſt Altorphl Cathedra JCti, ignoſcite mihi, ſi, in hac Virorum Eruditorum penuria, de RICHTERO Veſtro in ejus locum aliquando ſurrogando, conſilium Vobis ſuggerere audeam. Ego & SCIPIONEM & RITTERSHUSIUM penitùs novi; ſed, ſi me non fallunt auguria, ſunt in RICHTERO Virtutes, quibus & hunc & illum cum tempore æquare, imò verò etiam ſuperare poſſit. Veſter eſt, cur alibi quæratis operoſè, quod expoſitum habetis domi. A Græcis & Latinis Literis inſigniter inſtructus eſt. Philoſophiam exactè didicit, ſine qua Juris omnis Scientia exſucca eſt atque exſanguis. Memoriam habet Divinam & dicendi expeditam facundiam. His ille præſidiis inſtructus ſe ad Jurisprudentiæ ſtudium contulit, in eaq; ita profecit, ut nuper cum ſtupore Academiæ noſtræ de Jure exactè reſponderit, nullâ adjutus Præſidis operâ. Non erit mihi, ſpero, pudori, ſi hunc talem Nob. & Ampl. Veſtræ commendem, præſertim cùm ipſe, in ſpem Patriæ educatus, eò ſemper ſua contulerit ſtudia, ne falleret expectationem Veſtram. Multum ego mihi conſecutus videbor, ſi Commentarios meos & Juvenem iſtum ad magna natum, & mediocria tantùm, quâ eſt modeſtiâ, ſpirantem, Veſtræ Nob. atque Magnif. probavero. Nobiles, Ampliſſimi, Magnifici Domini, CHRISTUS JESUS, æterna Patris Sapientia, Vos Vobis & Reipubl. diu incolumes conſervet! Dat. Lugd. Batav. IV. Id. Sept. Anno cIↃ IↃcXVI.

P. BERTIUS.

Non pigebit porrò huc transſcribere Carmen doctiſſimum, quod idem BERTIUS *Lugduni Batavorum, in honorem* RICHTERI, *& teſtandi in illum affectus teſſeram eſſe voluit, hiſce formalibus:*

RICHTERE, cujus artibus Deæ novem
Tinxêre pectus, labra Phœbus polluit,
Frontemq; Dia Palladis ſtruxit manus;
Cur me tuorum, quos legis, ſodalium

Nobili

Nobili ac venusto postulas jungi choro
Rudem, inficetum, Gratiarum nescium?
An ratio suasit, istud ut committeres?
Haud Hercle suasit. Illa connectit pares.
Ratio Minervæ sociam non jungit suem,
Phœbovè Marsyam, aut Deum infimum JOVI.
Quid ergò me inter Olores Anserem jubes
Consistere? Cæcus imperavit hoc Tibi
Amoris ignis. Amor aut invenit pares;
Aut, si impares deprendit, mox pares facit.
Hic magna parvis æquat, ima maximis,
Utrisq; media, cuncta nectens invicem.
Amor potenti vel potentior DEO est,
Amor Minervæ noctuam jungi jubet,
Veneremq; Adonidi, atque mortales JOVI:
Amoris hujus istud inventum fuit,
Quòd BERTIUM inter Amicos adcenses tuos.
Cur ergò Te, RICHTERE, consequerer gemens?
Faciam, quod optas, ultro & ne pugnem Tibi.
Parebo Amori, ratio dum me submovet,
Jungarq;, Te jubente, GENTILI meo.

Cui non minus elegans adjunxit ipsis Calend. Julii Anno clɔ Iɔc XVI.
PETRUS SCRIVERIUS *hunc in modum:*

SCipio, Virdungus, Piccartus, claraq; Vatum
Nomina, quos albo fert liber iste sinu.
Sideraq; Astreæ, Sophiæq; perennia templa,
Norica quæ prohibent nocte Lycea tegi.
Et candor, RICHTERE, tuus laudataq; Virtus
Præstringunt oculos impediuntque meos.
Quare Tiresiam, aut forsan si Phineas optes
Oedipodasve; istis me citò junge choris.
Fas mihi sit claris nebulam interspergere stellis,
Et liceat doctos inter habere locum.
Quod mihi ne fraudi sit, Musas deprecor omnes,
Barbariæ tantum nec licuisse velim.

Ingenio cedam, non concessurus amori.
Qui volet ingenio cedere, rarus erit.
Glorior hîc meritò: nulliq; hac laude secundus,
Qui velit & possit semper amare suos.

Statum Reipubl. Batavicæ tum ex doctis Virorum magnorum scriptis, potissimùm DOUSÆ, HUGONIS GROTII, BAUDII, *aliorumq; tum in primis ex crebris & utilissimis colloquiis cum* CORNELIO VANDERMYLEN, *Scholarcha Academiæ Leydensis, cum* JANO RUTGERSIO, *Regis Sueciæ Consiliario, suprà dicto* HUGONE GROTIO, *tum temporis Syndico Civitatis Roterdamensis, &* LYCLAMA *à Nicholt, cui locus erat inter Ordines Generales Confœderati Belgii, incredibili sua cum voluptate hausit, quem colloquendi accessum cum tantis Viris in primis* HEINSIUS *&* BERTIUS *conciliaverant; quorum ille prolixam non minùs quàm eruditam Epistolam ad* RICHTERUM *scripsit de servitute naturali, quam JCti negant, Aristotelici contrà affirmant, quosdam nimirum servos esse naturâ, & quidem necessariò. Occasionem huic rei dederat Corollarium I. suprà dictæ Disputationis Juridicæ publicè Lugd. Batavor. habitæ, quo* RICHTERUS *utrumq; verum esse statuit. Edita reperitur hæc Epistola in Rutgersii Variis Lectionibus, ut & in* HEINSII *Orationibus, & novissimè denuò inserta ejusdem variis Epistolis ad* RICHTERUM *scriptis, quas cum aliis hic ipse Tomus Epistolarum continet.*

Biennio, quod, ut suprà innui, florentissimo Athenæo huic Lugdunensi, non sine spe præclarissimi fructus, destinaverat, jam præterlapso; & quidem eventu exoptatissimo, discessum inde meditari, iterq; per Brabantiam, Flandriam, Angliam, in Galliam adornare cœpit. Verùm, quum sine publico Testimonio illum discedere Proceres Academici nefas judicâssent, tantò faciliùs petenti annuerunt; quos inter DAN. HEINSIUS *Testimonium proprio Marte & manu, quod rarum erat, conscripsit, ita se habens:*

RE-

RECTOR ET SENATUS
Academiæ Lugdunenſis apud Batavos Lectoribus
S. D.

CUm ea ſit Virtutis ratio, ut eam nemo, quamvis animo ſublimi & excelſo, ita gratis amet, ut non ejus cauſâ ſe probari Viris magnis ſollicitè appetat, cujus rei illuſtria in omni antiqua memoria habemus exempla, minimè mirandum eſt, ſi qui tales noſtrâ quoque tempeſtate ſunt, qui præmium in omni vita ſibi ac præclaris ſuis actionibus propoſitum deberi exiſtiment. Quare cùm hoc idem Juvenis eximius ac rari exempli GEORGIUS RICHTERUS à nobis petiiſſet, qui quanquam intelligeret Virtutem ſibi eſſe finem Sapientiæ pariter & votum, eamq; ſolam per ſe ad felicitatem ſufficere, voluit tamen, aliorum cauſâ, judicium ſuis de Virtutibus extare noſtrum. Id nos & lubenti animo & ex officio fecimus. Teſtamur itaque eundem, cujus jam meminimus, præclarum Virum, ita toto tempore, quo hîc verſatus eſt, vixiſſe, ut cum Regina rerum, Jurisprudentia, artes omnes conjungeret ac diſciplinas, utque corruptos ſeculi aſpernaretur mores, quo plerique meliores artes, eaque ſtudia, quæ meritò humanitatis nomine cenſentur, rejiciunt ac negligunt: linguas nihil ad Sapientiam & Eruditionem conferre arbitrantur: antiquitates & hiſtoriam, Civilis prudentiæ magiſtram, inſuper habent, ſtudium Philoſophiæ, ſine quo in cæteris fruſtrà deſudatur, ne attingunt quidem: quæ ille ita excoluit, ut hujus ſive judicii ſive induſtriæ fructum nuper retulerit maximum: cùm luculentas non ex Jure modò, ſed ex omnibus ferè diſciplinis, ſumma cum omnium admiratione, Theſes defendit. Quibus omnibus hoc conſecutus eſt, ut maximam de ſe in hac Academia expectationem concitârit, neque quiſquam

quam dubitet, quin eximium Patriæ suæ ornamentum aliquando sit futurus & exemplum omnibus, quantum conjuncta cum excellenti ingenio possit industria. Lugd. Batavor. 28. August. Anno 1616.

(L. S.) DAN. HEINSIUS.

Antequam verò Lugduno Batavorum discessit, commendatitias ab HEINSIO *ad* ANDREAM, *Episcopum Eliensem, qui Londini tum agebat; & ad* JACOBUM AUGUSTUM THUANUM, LUTETIAM *Parisiorum; à* PETRO BERTIO *verò ad* JOHAN. BAPTISTAM GRYMAIUM, *Bruxellis in Brabantia commorantem, nec non ad Nob. Dn. ab* ASPEREN *Ordinum Hollandiæ ad Galliarum Regem Legatum, impetravit, sæpe mirum in modum prædicans, Literas hasce magno adjumento, in primis verò familiaris accessus ac licentiæ delicias sibi fuisse.*

Itaque 1. Junii Anno cIↄ Iↄ *CXVII. Lugduno Batavorum valedixit, iterq; in Brabantiam & Flandriam instituit. Brabantiam videndi desiderium præ cæteris concitavit Lovanium, non solùm propter mirandam tot Scholarum & Collegiorum, quæ ibidem egregiè constructa reperiuntur, frequentiam, sed quòd magnum illum* ERYCIUM PUTEANUM, JUSTI LIPSII *Successorem, publicè docentem audire sæpe optaverat. Cujus voti sui etiam compos factus, eloquentissimum Virum summa cum voluptate & admiratione in celebri Auditorio Lovaniensi trium Linguarum audivit, cùm publicè eo ipso tempore ex Flori Historiis explicâsset secundam seditionem Reipubl. Romanæ, quam excitavit libido* APPII CLAUDII *erga filiam* VIRGINII. *Post finitam Lectionem publicam* PUTEANUS, *pro summo affectu & humanitate in omnes Literatos, præcipuè Germanos,* RICHTERUM *familiari colloquio dignatus est. Inter varios discursus sermo incidebat de libello quodam, cui titulus, Corona Regia contra Regem Angliæ, cujus Au-*

ctor

ctor PUTEANUS *dicebatur. Cujus rei verò famam ille enixè declinans, velut Apologiæ loco scriptum quoddam exhibuit, cui nomen, Perjurium* RUFFI *&* GIBBOSI *præfatus: quo delatorum suorum virulentiæ ac sinisteritati satis fuisse consultum & obviatum existimabat.*

In Flandria, quam post Brabantiam adiit, potissimùm admiratus est Urbem primariam, nulliq; in tota Europa secundam, GANDAVUM, *cujus ambitum intra muros 45640. pedibus Romanis sive septem milliaribus Italicis consistere, ex* BERTIO *Lugduni Batavorum didicerat, locum hunc visu tantò digniorem arbitratus, quòd* CAROLUM V. *Imperatorem Orbi dedisset, simulq; non paucos Viros Literatos & hos inter* JODOCUM BADIUM, LEVINUM TORRENTIUM, BALDUINUM RONSSÆUM, UTENHOVIUM *&* DAN. HEINSIUM, *cujus memoriam tum ob recentia adhuc favoris beneficia tum aliàs semper magno honore habuit, insigni seculi felicitate protulisset.*

Flandriâ discessurus consilium primò cæpit in Galliam se conferre relictâ Angliâ; partim quòd statum illius Regni ex libris æquè addiscere posset, prout specimina non pœnitenda ex THOMA SCHMIDIO, CAMDENO, *Rege Platonico,* METTERANO, EUPHORMIONE *aliisq; hauserat; partim quòd Lingua Anglicæ non idem, qui linguæ Gallicæ in Republ. usus; partim etiam, quòd varia tum prodiissent omina, quæ Regno huic diuturnam serenitatem, & in primis à motibus intestinis omnimodam securitatem, vix ac ne vix quidem promittere videbantur, cùm eo tempore longè alia apparebat facies ab illa pristina, quâ sub* HENRICO VIII. *tanquam cœlitus emisso Principe, sic omni genere virtutum effloruisse Britannia credebatur, ut videri posset renata, sic moribus incorrupta, ut ab hac vel ipsa* MASSILIA, *optimarum olim disciplinarum studiis florentissima legibusq; sanctissimis optimè constituta, civilis disciplinæ exemplum petiisset; sic pietate pollens, ut vel ipsi* ROMÆ *esse potuisset magistra pietatis.* * *Cæterùm, quum Angliam quoque Viris in omni doctrinæ genere abundantem*

* Vide Erasm. Roterodam. lib. 6. Epist. fol. 356. Epist. XII per tot.

tem adiisset RICHTERUS, *ita, ut huic etiam* ITALIA *invidere posset, nisi studiorum æmulatio nesciret invidiam; præterea etiam Lugduni Batavorum ex doctissimis* P BERTII *conversationibus memoriæ adhuc superesset, in Anglia Philosophos quosdam nihil non conari adversùs* PLATONEM *&* ARISTOTELEM: *nihil non in Mathematicis adversùs* EUCLIDEM; *Cœlum nimirum stare, terram raptari in Orbem Solem ipsum non inhærere suo Orbi, sed vagari, aut instar globi per vastum illud inane discurrere, & id genus alia; mutavit illicò consilium, & Comites itineris sequutus, qui vel solâ commemoratione Urbium per universam Angliam præcipuarum, quas inter floruerunt Londinum, Eboracum, Cantuaria, Bristolia, Glocestria, Cantabrigia, Oxonia, &c. salivam eidem moventes, facili negotio in suam pertraxerunt sententiam, ut unà cum iisdem Londinum se conferret, quam Urbem velut totius Angliæ Epitomen sæpè deinceps admiratus est. Et quamvis multa ibidem digna visu, de quibus Itinerariorum Scriptores aliiq; jam indigitârunt, avaro oculo perlustrâsset, non tanti tamen æstimavit, quàm quòd Londini cum* MARCO ANTONIO de DOMINIS, *Episcopo Spalatensi, Viro Doctissimo, quem Religioni Pontificiæ renunciantem ex Italia sedem ibidem fixisse acceperat, colloqui licuit. Jucundè non minùs quàm honorificè ab eodem exceptus, multa pariter non pœnitenda per discursum audivit, in primis de Hierarchia, quæ tunc sub manibus erat; nec non statu Hollandiiæ, quem cognoscere enixè desiderabat, tandem etiam de Theologorum Batavorum controversiis. Multi de admissione, quâ* RICHTERUM *præ cæteris dignatus est, ideo mirati sunt, quòd Vir ille semper fuerit paucorum hominum, tantoq; difficilioris accessus. Cum Rege Angliæ tunc simul in Scotia commoratus Episcopus Eliensis, spem illam, quam commendatitiæ ad eundem à* DAN. HEINSIO *impetratæ primùm fecerant, exclusit. Jacturam itaque hanc supplevit deinde celebritas & fama Universitatis Oxoniensis, quam videre cum Nobilissimis Juvenibus & Patriciis Noribergensibus,* DN. ALBERRTO POEMERO & DN. JODOCO CHRISTOPHORO KRESSIO *à Kressenstein, tantò feliciùs contigit, quantò jucundius erat* RICHTERO, *amici-*

amicitiæ jura, antehac Lugduni Batavorum cum Nobilissimis hisce commensalibus feliciter contracta, in Angliæ Academia non minùs celebri redintegrare, qui uti haud indecorum arbitrabantur in Exteris Academiis innotuisse RICHTERO, *ita postmodum magno eundem affectu prosecuti sunt in Amplissimi Senatus Reipubl. Norimbergensis Ordinem adsciti Viri Nobilitatis Doctrinæ & Summarum Dignitatum Ornamentis splendidissimi, deq; Patria in primis præclarissimè meriti: sæpe affirmantes; cùm de laude aliqua, Studioso Adolescenti docto & industrio congrua, cogitarent, os* RICHTERI *ante oculos sibi versari solitum.*

Post Oxoniam placuit porrò etiam videre alteram Angliæ Academiam, Cantabrigiam; diversatus ibidem aliquantisper Candidatum Theologiæ pro Gradu, sed non sine Præside disputantem audivit de Prædestinatione, simulq; morem disputandi diligenter notavit, quo primò omnium conclusionem conceptis verbis pronunciant: Ergò falleris, &c. deinde demum propositiones probare incipiunt, qui mos etiam in aliis Angliæ locis servatur.

Ineunte æstate Anni cIↃ IↃ CXVII. *non multo labore à Parentibus obtinuit, ut liceret sibi invisere Galliam.* Appulsus *itaque felici sidere in Comitatum Bononiensem XI. Julii ejusdem anni Rothomagum venit, locumq; illum non tantùm situ peramœnum, utraq; parte clausum Sequanâ; sed & Archiepiscopatu & Parlamento celebrem, adde & mercatu satis divitem, magnâ jucunditate perlustravit. Cæterùm, quum jam fama Lutetiæ Parisiorum, quâ omnium penè totius Europæ Urbium & maxima, & cultissima & populosissima jure suo audiit, videndi desiderium magis magisq; accendisset, post aliquot dies Rothomago discessit, & ♃. ejusdem mensis Julii modò dictam Lutetiam attigit, sæpe postea, cùm potissimam Galliæ partem magnâ curâ & studio indefesso peragrâsset, confessus, Lutetiam hanc verè totius Galliæ compendium esse, sicut Europam Orbis. Et cùm plerìq;, qui locum illum petunt, ad arma, aliaq; studia & exercitia soleant divertere,* RICHTERUS *perrexit requirere res memorabiles, & in primis magnos & eruditos Viros, quibus Gallia semper abundat.* FRANCISCI BALDUINI, *Jurisperiti celeberrimi, monumentum in æde Maturini vidit, simulq; errare eos deprehendit,*

qui illud apud Augustinianos inter ROBERTI GAGUINI *&* JOHANNIS *à Sacrobusto monumenta quærunt. Inter Convictores Parisienses Virum Doctissimum habuit*, JOHANNEM BAPTISTAM GROSILLEM, *Professione Theologum, cum quo singulis ferè diebus de controversiis nonnullis Religionis disputans, alter alteri hanc simul legem dixit, ut, si ex Novo Testamento sententia aliqua probanda veniret, Græcus semper textus peteretur. Commendatitias ad* THUANUM *quas Lugduni Batavorum ab* HEINSIO *impetraverat, mors inopina antevertit; extinctum enim est Galliæ Lumen hoc incomparabile, cum* RICHTERUS *adhuc in Anglia ageret. Literas nihilominus liberorum defuncti* TUTORI, PETRO PUTEANO, *reddidit, qui author fuit, ut non solùm ædes, sed in primis Bibliothecam* THUANI *instructissimam & per totam Galliam celebrem videre licuerit. Vidit itaque aliquoties, & quidem oculo minimè transeunte, sed maximopere intento, non parùm insuper delectatus tum raritate Authorum, in primis Manuscriptorum, tum quòd in tres classes locis separatis tota Bibliotheca ordine congruo ac decenti distincta conspiciebatur, quarum prima libros Juridicos cum Manuscriptis; altera Philosophicos & Historicos; tertia Theologicos, eosq; inter varios libros Manuscriptos continebat, interspersis ubiq; nonnullis magnorum Virorum Iconibus, Scaligerorum nimirum*, MURETI, CASAUBONI, CUJACII, FABRORUM, BRISSONII, BUDÆI, ALCIATI, SAVONAROLÆ, PETRARCHÆ, CASSANDRI, LIPSII; *nonnullorum etiam Imperatorum ac Regum. Hujus felicitatis authori ut multùm se debere ingenuè confessus est* RICHTERUS, *ita non semel incusavit inexsuperabilem illam Fatorum vim, quæ, rerum tot præclarissimarum cursum invidiosè dicam ac præmaturè abrumpendo, Virum hunc ad summa natum, & bono in primis publico quotidie magis magisq; invigilantem, infelici hac in parte* GALLIÆ *superesse diutiùs haud sinebant. Sed hæc est mortalium, imò cogitationum nostrarum periodus. Res sæpe magnas parvo tempore molimur, & ingentes animos in angusto pectore versamus; dumq; jam ferrum nostrum calere existimamus, ecce præter expectationem adest decretoria illa hora,*

quæ,

quæ, multis præclaris cœptis, auctoritate voluntatis Divinæ imponit finem. *Melioris successus erant literæ* P. BERTII *ad suprà nominatum Dn. ab* ASPEREN, *Ordinum Generalium ad Regem Galliæ Legatum.* *Quoties enim ille per Audientiarium, carrucarum satis magno numero & comitatu, ad Colloquium cum Rege sive ad Audientiam, ut vocant, admissus est, toties* RICHTERO *eâdem carrucâ copiam fecit videndi Aulam Regiam ejusq; Proceres; cum quo tunc temporis simul erat* GUILIELMUS GROTIUS, HUGONIS GROTII *frater, qui, cum* RICHTERO *eâ occasione per aliquot menses familiariùs vivere, honori sibi duxit.*

In ipso Galliarum Rege LUDOVICO XIII. *internas animi verè Regii dotes longè majores deprehendit quàm externum cultum & habitum; qui, licèt facundiâ Regiâ quidem Majestati haud inconvenienti usq; adeò non inclaruerit, nomen tamen Regis* CHRISTIANISSIMI *à majoribus acceptum ita omnibus numeris implevit, ut, quantis votorum omnimodæ felicitatis cumulis omnes boni vivum prosequerentur, tantâ veneratione memoria ejusdem etiamnum, non solùm propter eximiam prudentiam tam Civilem quàm militarem, sed & potissimùm ob Regiæ lenitudinis laudem, publicè colatur, verissimum sæpe expertus aureum illud* AMMIANI MARCELLINI *effatum:* Afflicti solatia status semper esse lenitudinem Principum.

In Collegiis, quibus abundat Lutetia, Viros præ cæteris doctos convenire inter potissima vota erat. Proinde gratissimum accidit, quòd primò omnium, in Collegio Sorbonistarum, Monachum eruditum pro Gradu Baccalaurei in Theologia disputantem audire licuit, quem disputandi morem à SLEIDANO *Lib. 3. Histor. fol. 60. descriptum antea cognoverat.*

In Collegio Lysiæ Professorem Artium Humaniorum Virum Doctissimum, JOHAN. BRISSÆUM, *qui nuper è Gasconia Lutetiam se contulerat, memoriter perorantem, summa cum admiratione, audivit de miraculis Seculi XVII*[mi]*; quod 1. in Religione, 2. in Rebuspubl. 3 in Eruditione, 4. in rebus mirandis, typographia potissimùm & navigatione, prioribus Seculis partim comparavit, partim prætulit. Qui*

ut eloquentiâ (quâ non rarò Viros Principes ex Aula Regia in attentionem Lectionum publicarum provocavit) vix quempiam habebat parem: ita æmulum suum passus est JOHAN. VALENTEM, *Præceptorem primæ Classis in Collegio, quod vocant, Boncour. Hic, quia famam* BRISSÆI *multorumq; discentium concursum frequentem ferre non poterat, ideo in discursus & judicia planè perversa, cæco æmulandi studio vel potiùs ardore prolapsus, se, iratum dicebat, intra triduum Oratorem effecturum, ut* CICERO *JCtum. Si quosdam Jurisperitorum titulo gaudere cognovit, eos vocavit Jurisperditos, & qui* CICERONI *præ ceteris operam dederunt, Ciceroniasinos. Multos se frustrà exercere in definitione Juris Naturalis, quod Natura omnia animalia docuit: posse equum creari Doctorem, quemadmodum* CALIGULA *equum creavit Consulem: Compendia Historicorum, velut* TROGI *ex* JUSTINO, FLORI *ex* LIVIO, XIPHILINI *ex* DIONE, *&c. studiosæ juventuti plus detrimenti quàm veri commodi proferre, constans ejus erat opinio, quam tamen minimè recti ac sinceri judicii tenor, sed edax illa & inimica semper alienis processibus expressit invidia. Ceterùm quantò quis invidentior, tantò plerunq; maledicentior, eo ipso verò tantò etiam stultior est, cùm,* ERASMI ROTERODAMI *judicio, nullum gravius supplicii genus excogitari possit invidentiâ, utpote quæ ipsa sui carnifex est, &, ut Poëta dixit, supplicium suum. Hinc veteres Epigrammatici invidentissimo cuiq; extremum malorum, ipsam nimirum invidiam, paucis hisce imprecati sunt:*

Omnibus invideas, invide, nemo tibi.

Non procul Parisiis, cùm porrò notatu digna observare jam desiderâsset RICHTERUS, *ad pontem illum celebrem Charentonium appulit, ubi Echo reperitur, qui non solùm decies & ter vocem editam refert, sed & dictionem quadrisyllabam ter quaterq; distinctè ingeminat. Verùm vix tantopere raritatem hanc æstimavit, quàm quòd eâ ipsâ occasione, inter Reformatos Viros Doctissimos, N.* DURANDUM, *&* PETRUM MOLINÆUM *concionantes audire, paucisq; diebus pòst, cum* FRONTONE DUCÆO, *Viro,* CASAUBONI *judicio, eruditissimo, colloqui licuit; cujus ad eundem, in Tomo Epistolarum à*

GRO-

GRONOVIO *edito, Epistola extat satis prolixa CLXX. Cujus Anno* cIↃ IↃ *CXI. Londini seorsim editæ copiam habuerat* RICHTERUS.

Non destitit porrò bonas horas succidere in adeundis & perlustrandis Bibliothecis aliis, quas inter post Regiam, quæ multis Manuscriptis singularibus celebris est, animum in primis delectârunt Bibliotheca ad S. VICTOREM, *& quæ in Cœnobio Benedictin. conspicitur, in qua librum vidit notis refertum non literis, sed quarum singulæ notæ verbum denotârunt, cujusmodi modum scribendi* CICERO *olim operâ* TIRONIS, *liberti sui, usurpâsse dicitur.*

Lutetiâ Parisiorum XIX. Novembris Anno cIↃ IↃ *CXVII. cum comitibus suis, fratribus germanis Landschadiis, discessit, & Aureliam adiit, quæ præ cæteris Galliæ Academiis animum ipsius adeò affecit, ut linguam Gallicam unà cum Statu Regni, cujus studiosissimus fuit, ibidem addiscere secum constituerit. Cujus fiduciæ suæ postea egregios fecit progressus ex Manuscripto doctissimo, ab Amico quodam impetrato, cujus familiaritatem & favorem singularem colloquiis quotidianis sibi conciliaverat. Quinquennium eo ipso tempore erat, quòd* JOHANNES HORDAL, *Serenissimi Lotharingiæ Ducis Consiliarius & in Academia* Ponti Mussana *Professor Publicus, Historiam suam edidit de prodigiosæ & Mavortiæ illius Virginis, quam vulgò Puellam Aurelianensem dicebant, rebus contra Anglos inclytè gestis publicè edidit, quæ ipsa Historia, contra* LIPSIUM *argumentis non spernendis egregiè defensa, ansam* RICHTERO *suggessit, ut de ea postmodum in Disputatione sua inaugurali,* BASILEÆ *pro Gradu habita, πάρεργον publicum proposuerit.*

Inter Viros Eruditos, quos Aurelia tunc habuit, in primis admiratus est Theologum disertissimum Patrem HARDY, *quem tempore passionis aliquoties, ipso verò die* SALVATORI *nostro Opt. Maximo exequiali, integrum trihorium cum omnium admiratione concionantem audivit. Quæ insignis perorandi dexteritas animum* RICHTERI *Virorum Literatorum consortio flagrantissimum impensiùs subinde exstimula-*

mulavit, ut colloquium quò frequentius & familiarius, eò jucundius cum tanto Viro ambire non desierit.

Cujus tandem Voti compos factus, sermones de rebus potissimùm Theologicis cum ipso miscuit.

Postquam octo menses Academiæ huic Aurelianensi indulsit, Lugdunum petiit, ibiq; JODOCUM SINCERUM, *Virum Doctissimum, qui illo ipso tempore Galliæ Itinerarium perfecerat, compellavit, placuit verò paullò antè Biturigibus aliquandiu subsistere, quia, ut ex* SINCERO *cognoverat, genius illius loci traxit nonnihil à popularibus nostris, qui in hac Academia ab aliquot Seculis sub privilegiis liliatis magno sæpenumero vivere consuêrunt, ut minùs quàm alibi offendantur incolæ, si quis fortè magis & Patriæ suæ quàm hujus loci vivat institutis. Lugduni perquam jucundum accidit, quòd celebri tum temporis* Jesuitæ Patri Cotton *innotuit, cujus humanitate fretus Bibliothecam & Collegium Jesuitarum, simulq; hortum amœnissimum ejusdem Jesuitæ sæpe perlustravit, varios cum ipso sermones miscens de* PLOTIO, M. TULL. CICERONIS, *Præceptore, quem Lugduno oriundum primùm Romæ Rhetoricam Latinè docuisse recensebat, verissimum simul compertus, quod de Nobilissima hac Urbe* SCALIGER *scripsit.*

- - - antiquo novus orbis in orbe
Lugdunumq; vetus orbis, in orbe novo.
Quod nolis, alibi quæras: hîc quære, quod optas.
Aut hîc aut nusquam vincere vota potes.

Cùm hîc inter gratissima temporis spiramenta nonnihil interquiescere accidit, consilium tandem cœpit, peregrinationem in Gallia ulteriùs protendere, sed animo revertendi Lugdunum. Itaq; perrexit Valentiam, *quem locum* SINCERUS *eidem à Sedis Episcopalis, Curiæ & Academiæ celebritate non minùs quàm* JULII PACII, *JCti celeberrimi, famâ, qui sub id tempus publicè ibidem docuit, summopere commendaverat. Et quemadmodum nec* SINCERUM *consilii hujus; ita* RICHTERUM *nunquam postea pœnituit obsequii, quippe qui, magno & egregio suo cum fructu, feriis canicularibus* PACIUM Authenticas Codicis Justinian. privatim explicantem *audivit.*

Non

Non multis hic subjicio, ut interim cum JCto hoc, quoties occasio tulit, privatim porrò egerit de Pragmaticis lucro inhiantibus, & ad Studium Juris sine cognitione Philosophiæ Artiumq; Humaniorum accedentibus, item de vocatione sua in Hollandiam, & nonnunquam de Senectute, quâ Vir ille ad admirationem multorum usq; semper firmâ ac validâ, summosq; simul labores & vigilias ferre consuetâ utebatur.

Causa tandem tam vegetæ Senectutis, ipso fatente JULIO PACIO, *reperiebatur in saluberrimis non minùs quàm prudentissimis rationibus, quas olim suprà laudatus* CONRADUS RITTERSHUSIUS *ad* PHILIPPUM CAMERARIUM, *Reipubl. Norib. Consiliarium dexterrimum, elegantissimis hisce Phaleucis perscripsit:*

Mitem quid faciat, rogas, Senectam,
Morbos quid faciatq; rariores,
Constantem faciatq; Sanitatem?
Dicam, quàm potero, brevi Phaleuco.
Si transacta Juventa temperanter,
Plerunq; est etiam Senecta firma,
Et vires retinetq; Sanitatem,
Aut ævi minuit sibi ipsa damna,
Atque incommoda leniora reddit.
Mitem quid faciat, rogas, Senectam?
Si quis mente revolvat anteactæ
Vitæ curriculum bene atque honestè,
Præsumat quoque spe futurâ deinceps
Semper cum superis agenda Vitæ,
Nullo gaudia terminanda fine.
Hæc sunt, quæ & faciunt Tibi Senectam
Juxtà cum tolerabilem Juventa.

Varia insuper Galliæ loca pro ratione temporis ac sumptuum perlustrans, Monspelium *primò, deindè* Marsiliam *adiit, inde Aquas Sextias, ut &* Vallem Clausam, *vulgò* Vaucluse, *quem locum in Gallia* FR. PETRARCHÆ *Meditationes Philosophicæ, quibus ibidem vacare solitus, celebrem reddiderunt, & tandem* Avenionem *se contulit, ut*

lit, ut eò promptior esset occasio redeundi Lugdunum, *quò mox feliciter cum duobus Belgis, qui familiaritatem tam docti & facundi comitis diu exoptârunt, reversus est. In itinere isthoc inopinatò quidem, sed exoptatò incidit in Virum eximiæ eruditionis & dignitatis,* ANTONIUM THOZO *Consiliarium Regium & Senatorem* Aquisextiensem, *qui non tantùm variis honorum ac prolixissimi favoris officiis* RICHTERUM *sibi devincire studuit, sed simul mentione* ANTONII GOVEANI *&* ANTONII FABRI, *quos inter præclara Jurisprudentiæ Lumina & Ornamenta ætas illa meritò habuit, nostra verò & secutura non minori laude venerabuntur, causa fuit, ut* RICHTERUS Sabaudiam *videndi, inprimis verò Celeberrimum illum modo nominatum* ANTON. FABRUM *salutandi, firmiter animum induxerit, compertum quippe habebat, Juris-Consultum hunc multa doctrina & potissimùm sinceræ Jurisprudentiæ splendore multis Antiquis nihilo esse inferiorem.* Camberinum *itaque, metropolin Sabaudiæ, omnibus itineris ac viarum difficultatibus & periculis, quæ peregrinantibus ibidem se offerunt, posthabitis, lætis faustisq; omnibus adiit, & Præsidem illum Parlamenti omnibus Exteris humanissimum tantò majori voluptate compellavit, quò intimiorem cognitionem ex scriptis JCti hujus eruditissimis tum Lugduni Batavorum, tum in nonnullis Galliæ Academiis sibi comparaverat.*

Animum RICHTERI *jam vellicabant Parentis & Amicorum vota, ut peregrinatione, cui quadriennium magna sua cum laude & fructu impenderat, propemodum defunctus, exsurgentem Virtutis omnibus, qui Virtutem amant, imitandæ indolem dotesq; ingenii amplissimas, cum studiis feliciter non minùs cœptis quàm continuatis, Patriæ tandem ostenderet & comprobaret. Quod ipsum tantò consultiùs sibi existimavit, quò laudabiliùs scopum peregrinationis veræ ac fructuosæ tum assecutus erat, quem non tantùm in nobilioribus Regnis, Provinciis, Ducatibus & Rebuspublicis perlustrandis, sed vel inprimis in solida rerum & status publici cognitione haurienda situm esse noverat, compertum simul habens; quòd si paullò diutiùs & ultra debitum Peregrinationis modum trahatur studiosi hominis vita velut desultoria, vaga & incerta, perquam*

quam facilè fieri posse, ut tandem inter vana oblectamenta bonam mentem eripiat: t mores peregrini, qui iis potissimùm, quibus peregrinationes temerè magis quàm maturo suscipiuntur consilio, operosam potiùs voluptatem quàm insignem adferunt fructum; & si omnia ad lubitum vel satietatem usque feceris, illò denique redeundum erit, ubi Animi tranquillitatem fortunarumq; sedem quærere & invenire commodum sit. Ante oculos præterea erat gravissimum MICHAELIS VIRDUNGI *judicium, quod de multorum peregrinantium abusu & errore sæpe cum jactura & pœnitentia errato Epistolæ Dedicatoriæ in* Taciti Agricolam *Anno* cIɔ Iɔc *XVII. publicè inseruit, addito, quòd in eandem opinionem olim* J. LIPSIUS *in Præfatione libelli de Amphitheatris eruditè ac prudenter scripsit, quem locum hìc verbotenus transcribere eò minùs necessarium, quò frequentiùs in plurium manibus ac Bibliothecis reperire est scriptum isthoc, ut sunt omnia* VIRDUNGICA, *politissimum juxtà ac doctissimum, ad cujus Lectionem nunquam sine singulari jucunditate & admiratione licet recurrere. Quocirca quum, præter jam dicta argumenta non exigui ponderis ac momenti, illud insuper persuasum haberet, unicuiq; homini ad certum genus publicæ Vitæ, seu pro nascendi conditione, seu ex electione propria destinato, in id præcipuè incumbendum, quod institutum postulat, quumq; jam unà cum studiis liberalioribus Jurisprudentiam, utpote Reginam rerum, ita excoluisset, ut ex ipsis fontibus Juris potiùs, quàm ex Doctorum sive Interpretum rivulis, Legum nitorem conspicuum fieri animadverteret, quam laudem Illustri quondam Viro,* NICOLAO CLAUDIO, FABRICIO de Peiresc, *Senatori Aquisextiensi, non Galliæ tantùm, sed totius Reipubl. Literariæ Ornamento sine pari, ex merito tribuit Vir celeberrimus,* PETRUS GASSENDUS *in ejus Vita. Iter tandem ex Sabaudia* Genevam, *inde* Basileam *instituit, & quidem eum potissimùm in finem, ut supremum ibidem in Utroq; Jure Gradum adipisceretur, quo etiam, ex merito suo, d. 26. Novemb. Anno* cIɔ Iɔc *XVIII. publicè insignitus est, unà cum quatuor Competitoribus, qui primum ipsi locum, cùm sors priùs quartum contulisset, ultrò cesserunt, ob merita nimirum, quæ tam in examine & tentamine consueto, quàm Disputatione pro Gradu sine Præside habita præsti-*

tit sufficientissimè, imò ultra spem & expectationem eorum, penes quos honores ejusmodi supremos conferre fuit arbitrium. Tanta fuit in Competitoribus istis integerrimis meritorum conscientia, ut eum iniquo, prout ingenuè confitebantur, cæcutientis sortis judicio præferre non dubitaverint. Disputationem, quam pro Gradu Doctorali habuit, elegantissimam de Quæstionibus difficilioribus, ad Veterem Judiciorum formam & hodiernam pertinentibus, continet Tomus IV. Disputationum Basiliensium cum aliis nonnullis publicè editus; quam subsecuta deinceps est Oratio ab ipso habita in Actu Promotionis, de causis calamitatum, quibus Europa hoc Seculo premitur, digna, quæ cum aliis ejusdem Exercitiis Academicis doctissimis lucem adspiciat, & Censuræ eruditorum publicæ commendetur.

Peractis itaque non sine laude & elogio publico insigni, quæ peragenda Actus ille promotionis in Doctorem Juris solennis requirebat, Basileâ *discessit, &, jam reditum in Patriam meditans, non destitit prius adire* Spiram Nemetum, *quam ob Sanctissimum illud & Augustissimum Cameræ Imperialis Tribunal, quod ibidem etiamnum nunquam intermoriturâ incorruptissimi Nominis famâ floret, (floreat,* O DEUS, *porrò inconcussum quam diutissimè!) præ cæteris Civitatibus Imperialibus videre, simulq́, quæ ad processum Juris cognoscendum faciunt, curiosiùs explorare impensè desideravit. Hinc pergens* Heidelbergam, *in notitiam ibidem venit Summorum Virorum,* DIONYSII GOTHOFREDI *&* JANI GRUTERI, *quorum illum Juris Civilis, hunc Antiquitatis Consultissimum, utrumq́, non tantùm in vita, sed & post funera meritissimæ famæ superstitem præsens quamvis nonnunquam incuriosa suorum suspexit Ætas, & suspiciet Literatorum fortè intelligentior dicam an observantior secutura Posteritas.*

Posthæc promeritorum honorum, civilium morum, omnigenæ denique eruditionis accessione auctus, ornatus, commendatus RICHTERUS, Heidelbergæ *atque insuper institutæ peregrinationi valedicens,* Noribergam, *Patriam suam suavissimam, educatricem exoptatissimam, XVI. Decembr. Anno cIↃ IↃc XVIII. Numinis Divini benignâ providentiâ feliciter repetiit, interq́, Parentis & Amicorum exultantium congratulationes, DEO ter Opt. Maximo gratias ante omnia pro tutela*

tutelæ singulari persolvit devotissimas, vias suas eidem deinceps etiam atq; etiam commendans.

Inter curas verò tum potissimas erat Theoriæ Praxin Juris, & in primis cognitionem Juris Patrii sive Statutarii Norici feliciter conjungere, quæ conjunctio tantò magis judicanda necessaria, quantò minùs sine usu & exercitatione, quæ secundùm CICERONEM *omnium Magistrorum præcepta superat, ad veram cognitionem pervenire licet. Nec quisquam enim, inquit eximii Nominis JCtus,* JOHANN. CASSELIUS *in πλυτ⸗ὁομένῳ, Causæ Patronus factus est, ex commentariis, vel in possessione casuum, quos in Jure notavit,* τὸ ὅλον ϗ τὸ πᾶν *eruditionis suæ unquam posuit. Ut gladiator in arena, sic ex re præsenti sæpe capiendum consilium, quid sit judicandum in causa Titii vel alterius, quæ neq; scribi, neq; dici, neq; pingi, neq; fingi potest. Accessit autem ad Praxin Juris Civilis* RICHTERUS *eò instructior, eò aptior, eò felicior, quò diligentiùs antehac, dum adhuc in celebrioribus Galliæ, Angliæ, Belgii & Germaniæ Academiis versabatur, prima tractavit, hoc est, ea, à quibus ad secunda ac deinceps ad altiora ascenditur, sicut fabricanti scalam & fundamenti ratio ante omnia habenda est, & primus, quanquam imus, gradus formandus quàm validè fieri potest. Sed quàm (proh dolor!) à moribus hisce, & à ratione isthac perveniendi ad altiora hodiè recessimus! Quàm vota sua miseri nonnulli Parentes præcipitant! quàm Pueros vix dentientes protrudunt ad sublimem & arcanam Juris scientiam! quoniam nimirum omnibus Artibus antistat spes lucri: & formosior est numus auri, quàm quicquid Græci Latiniq; delirantes scripserunt. Hoc verò quàm minimè ferendum sit, sapiens olim quàm fidelissimè monuit vetustas, cui ut multa alia, ita hoc in primis inter recondita sapientiæ instituta planè Divinum erat, ne quis à gregibus vel armentis veniret ad interpretandum, sed studiorum gradus fierent, neq; severiora induebantur pueris adhuc nascentibus, vel matrum judiciis evehebantur dominastri ad facultates, sed severâ primùm lege proficiebant in convenientibus ætati suæ; neq; ad turpissima animalia coronas titulosq; corrupta gratia deferebat, sed* SOLA VIRTUS GLORIAM PARABAT, *prout hæc pluribus eleganter persecutus est in doctissimis Animadversionibus*

nibus ad ENCHIRIDIUM POMPONII *JCti, ejusq; Interpretes de Origine Juris, cap. 6. §. 5.* CHRIST. ADAMUS RUPERTUS, *Professor quondam Historiarum in Athenæo Altorphino non quidem multorum annorum, sed multæ eruditionis rariorisq; ingenii, cujus spes nondum totas, famamq; sub auras venturam, intercepit Fati præmaturi iniqua & festinata dispensatio.*

Sed redimus ad praxin Juris, cujus initium RICHTERO *Noribergæ capiendum erat à munere Advocati, ad quod nemo nisi prævia peculiari licentiâ Amplissimi Senatus ibidem admittitur. Cujus magnificanda Authoritas, quia ex speciali Decreto hîc intercessit, tantò securius ille varios ac difficiles obtrectationum, invidiæ & malevolentiæ scopulos, quibus vita hoc genus præ cæteris, malo propè fatali, obnoxium est, prætaernavigavit; quanquam, ut verum fatear, non leves aut spernendæ sese obtulerunt rationes, quæ nullo negotio institutum poterant evertere, vel saltem nonnihil suffulminare. Modò enim animo obversabatur illud* Taciti: *Nihil publicæ mercis tam venale esse, quàm Advocatorum perfidiam; modò argumenta illa ruminabatur, quibus* PLINIUS* POMPEIO FALCONI *suo causis agendis abstinendum persuasit: partim etiam ante oculos erant Ecclesiasticæ Historiæ Authores, qui* JOHANNEM CHRYSOSTOMUM *Eloquentiæ natum, & dicendis caussis aptissimum extitisse, ac primam hanc ei mentem fuisse narrant, ut se foro dederet, & Advocati munus profiteretur. Sed cùm ei difficile videretur, probitatem simul, & forenses ac Civiles Actiones præstare, statuit tandem Sacrarum literarum studia excolere, & Ecclesiasticæ Vitæ sanctitatem sequi, prout refert* ANNÆUS ROBERTUS *lib. 2. Rer. Judicatar. cap. XIX. fol. 531. Jamq; aures animumq; vellicabant* M. TULLIUS & AMMIANUS MARCELLINUS, *qui hoc Vitæ genere facilè ad illam antium sævitatem deflecti posse existimabant, quâ pauci nefas esse credunt Religionem decipere Judicantis. Quorum ille intelligere non poterat, cur pœnâ dignus esse debeat, qui pecuniâ judicem corruperit, & qui eloquentiâ laudem etiam ferat; cùm tamen nihil tam incorruptum esse debeat in Republica, quàm suffragium, quàm sententia, ita ut plus mali facere videri possit,*

* lib. 1. Epist. 23.

possit, qui oratione, quàm qui pretio judicem corrumpit: quòd pecuniâ corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest. Denique non latebant RICHTERUM *perversa & malè sana judicia quorundam, qui neque* JUSTINIANO *ob compositos Juris, quo utimur, libros, neque* LOTHRIO *Imp. ob reductos eosdem in lucem usumque Hominum, multam deberi gratiam arbitrantur.*

Verùm hisce & aliis rationibus, quæ ad Rabulas forenses potiùs quàm ad veros JCtos Causarumque Patronos spectant, nihil ille commotus, neque ob pravos hosce seculi mores & deplorandum Jurisprudentiæ abusum, vadimonium tam præcipitanter deserendum statuit, quin potiùs uti finem studii Juris, quàm diu ei vacare contigit, non quæstum vel ambitionem, sed DEUM *ipsum sive Sapientiam & Justitiam congruentem cum mente Divina constituit: Ita intelligere, probare ac defendere unicè studuit, quæ in Judiciis forensibus, in Contractibus, & aliis quibuscunque rerum privatarum vel publicarum Litibus justa, vera & recta fuerunt, & quemadmodum Divus* CYPRIANUS *de veris Philosophis judicavit, ita ille de JCtis, qui non verbis, sed factis tales sunt, qui non vestitu Sapientiam, sed veritate præ se ferunt, qui virtutum magis conscientiam quàm jactantiam noverunt.*

Eo ipso ita 7. anno, nimirùm cIↃ IↃc XIX. *quo licentiam Advocandi ab Amplissimo Senatu Norico impetravit 30. Martii, matrimonium iniit cum Vidua honestissima, Morumque & Virtutum splendore commendatissima,* MATTHIÆ SCHYRERI, *qui Anno* cIↃ IↃc XVIII. *eandem cum sex liberis, ita ferente Voluntate Divinâ, reliquerat. Pro sustinendis, quæ Marito non tam ex Legum quàm ipsius Naturæ dispositione incumbunt, Matrimonii oneribus, spem ac fiduciam defixam habuit in solius Numinis Divini providentiam, quæ in re familiari, quàm tenuis & angusta ea etiam sit, utramque facit paginam, non, ut plerisque hodiè solenne est, innumerum Clientum: hoc enim more, morum omnium maximè molesto, teste* COMICO, *in Menæchm. vivebatur jam olim, & vivitur etiamnum, Clientes sibi omnes volunt esse multos, boni an mali sint, id haut quæritant: res quæritur magis, quam Clientum fides. Refert ex* DIONYSIO HALICARNASSEO *&* CORASIO BARTHO-

THOLOMÆUS AGRICOLA *in Tract. de offic. boni Advocati, Clientes quasi Colentes appellatos: & Patronos Causarum dictos quasi Patres; Additq; ex* BALDUINO: *Jus & Leges Clientelarum fuisse, ut Patroni suis Clientibus non secùs atq; Parentes filiis consulerent, in Judiciis adessent, & deniq; prospicerent; Clientes verò Patronos suos, ut filiifamilias Parentes colerent. &c. Utrumq; in foro maximè, causisq; atque controversiis forensibus suo exemplo conspicuum reddidit* RICHTERUS, *qui incorruptâ fide, industriâ ac insigni dexteritate multorum Clientum, quibus non rarò Parentis loco fuit, oculos, spem ac fiduciam in se convertit, ut fructum inde uberrimum ad conscientiam suam referre licuerit. Adversarios si quos habuit mordaces ac rixosos; hoc enim genus hominum tali functione effugere non datur, vicit eos modestiâ, sicq; nunquam opus habuit* Satyri cerâ, *quâ, ut est apud* ARISTOTELEM, *amici illius, cùm litem habuerunt, aures illi obturare solebant, ne cùm ab adversariis convitiis afficeretur, propter iram causæ cognitio turbaretur.* * *Tantum verò abest, ut Controversiis Practicis sive Forensibus unicè ac sine intermissione insudaverit, ut potiùs bonam Horarum partem studii Politici & Historici amœnitates sibi vindicaverint. Perquam sanè prudenter. Qui enim morbo hoc insanabiliter laborant, vel potiùs insaniunt, ut se quibuslibet de causis forensibus valdè discrucient, vigilando, peregrinando, sursum ac deorsum cursitando, quasi nihil utile aut bonum agere queant, nisi inanes qualiscunq; victoriæ spes & gloriolas aucupando perveniant ad ipsa cubilia causarum, per fora omnia volitando, subsidendo divites domos, &, ut Spartani canes, vestigia sagaciùs colligendo; in hos (ni fallor) maximè quadrat illud, quod dixit* DEMOCRITUS: *Si Corpus animum in Jus vocaret, non futurum, ut ille malæ tractationis crimen effugeret. Longè alia, imò longè melior mens* RICHTERO, *qui tempora sua cum otio liberaliori ita dividere scivit, ut inter meditationes forenses alterum oculum ad studia jucundiora reflectere non desierit. Si quis laborum ejusmodi succisivorum documenta desiderat, inspiciat tractatum elegantissimum* ANTONII FABRI, *de variis Nummariorum Debitorum solutionibus, quem Anno* CIↃ IↃC XXII. *ex veteri Editione quasi restitutum, Indice &* summa-

* Erasm. Roterodam. Tom. 4. fol. 62. sub med.

summariis auctum, cum docta præfatione Norībergæ, sumptibus Typographi SIMONIS HALBMAYERI *de novo edidit. Addam ego, sed pace Nobilissimæ Familiæ Füreriana*, Itinerarium Ægypti, Arabiæ, Palæstinæ, Syriæ, aliarumq; Regionum Orientalium, DN. CHRISTOPHORI FÜRERI ab Haimendorff, Equitis Aurati, Reipubl. Noribergensis quondam Duumviri Primarii, & Franconici Ordinis Consiliarii bellici, quod RICHTERUS Anno cIↃ IↃC XIX. jussu & authoritate prædictæ familiæ ex lingua vernacula in Latinam transtulit, *non sine commendationis publicæ gloria, quæ Authori inprimis ex peregrinationibus tantis tamq; laudabiliter susceptis meritò surrexit, & per ora non tantùm Virorum, sed ipsius Famæ sine fine ac termino nova subinde peregrinabitur simili certè, vel citra invidiam, majori elogio, quo olim* JULIUS CÆSAR SCALIGER BELLONII *Itinerarium carmine ad* PETRUM NATALEM *scripto hunc in modum prædicavit:*

IGitur quum dissipârit Natura omnia
Longè lateq;, & multis dissecat modis:
Est multâ dignus commendatione, qui
Diu multo labore perfunctus modum
Nostræ expectationi statuit, ac spei,
Confertis commentariis, puro stylo,
Compendiosâ mole, sincerâ fide,
Velut fecit BELLONIUS: qui dum suæ
Vitæ, suisq; commodis tua commoda
Meaq; anteponit, Genium defraudans suum,
Haud parcens sumptui, haud metuens periculi,
Everrit maria, effodit radices Syras,
Arabiæ monstra pinxit, & rerum novas
Effigies nobis, veteres quæ fuerant, facit.
Dignus, cui magnam debeamus gratiam.
Ut ille dignus, tanta qui Nobis dedit:
Ita dignus es Natalis: cui bonâ fide
Tantundem debeatur apponi: mihi
Qui percupienti, nec reperienti uspiam
Fecisti, ut nunc potirer. Quare quicquid est,

Quod

Quod ex præsenti Lectione redierit
Tum commoditatis, tum voluptatis, Tibi
Acceptum refero: sed ita, uti palàm profitear.
Tuo beneficio ac liberalitate me
Adjutum atque auctum, nec minùs memorem tui
In hoc theatro rerum Naturæ fore. &c.

Cùm itaque per quadriennium, quo vice Advocati & simul Consiliarii extraordinarii functus RICHTERUS. *Ingenii sui præstantiam, Doctrinæ varietatem, Juris peritiam, Eloquentiæ donum, Morum gravitatem, & in primis Pietatis amorem, Inclyto Reipubl. Noribergensis Senatui egregiè commendâsset, dignus tandem habitus, qui ab eodem Anno* cIↃ IↃcXXIII. *in numerum Consiliariorum Ordinariorum, & simul Assessorum Dicasterii superioris cooptaretur, quorum officium est, statum cujusq́, causæ, quæ ad Judicium illud defertur, cum omnibus circumstantiis diligenter ponderare, & ex fontibus Juris, quod rectum & æquum, in medium adferre, eâdem ex Actis Judicialibus referendi & correferendi methodo, quæ hodièq; in Camera Imperiali servatur. Poterat certè non immeritò ad ejusmodi honorum primum ingressum exhorrescere* RICHTERUS, *&, quasi Dæmonio Socratico revocante, retrò pedem referre, partim cùm ad spinosissimi hujus officii difficultates, laboresq́, concatenatos, partim ad Antecessorum, qui ante ipsum Illustri huic Reipubl. à Consiliis fuerunt, famam, ipsis etiam Iconibus & Cineribus eorundem hucusq; servatam, oculos animumq́, convertit: Ejusmodi enim veteranorum, quos inter præcipuè* GUGELII, HERELII, HELDII, SCHEURELII, CAMERARII, REMI, ÖLHAFII *eminebant, gloriam qui intuebatur, quibus non Jurisprudentiæ tantùm, sed ipsi etiam Musarum fontes simul patebant, facilè animadvertere poterat, quàm iis, quibus in primo Reipubl. aditu penè etiam rivuli sunt occlusi, invidiâ comparationis sit erubescendum. Nonnè igitur artus suos artesq́, meliùs librare debuisset* RICHTERUS, *in tantam Reipubl. descendens palæstram, in qua non rarò Existimationis damno desudascitur? Verùm revocare pedem fas non fuit ampliùs, neque etiam integrum jacta erat alea, & jacta non cæco quodam impetu, sed addente animum in primis*

mis

mis Amplissimo Reipubl. Senatu, cujus Authoritas summa, & in eligendis Consiliariis Judicium planè amussitatum, uti præmium laborum & industriæ uniuscujusq; est amplissimum, ita contra quæcunq; obstacula præsidium simul præbet certissimum. Nonnunquam enim in successoribus locum habet illud Poëtæ:

- - - Primo avulso non deficit alter
Aureus, & simili florescit virga metallo:

Et ut in magnis sæpe etiam voluisse sat est, ita sedula imitatio eorum, quos Vitæ ac Doctrinæ consummatione statim exprimere non licet, pro generoso laudeq; digno conatu habetur. Non pœnitebit hic imitari DIONYSIUM HALICARNASSEUM, *qui, ut refert Doctissimus* RUTGERSIUS *in Variis Lectionibus, in Arte Rhetorica cap.* περὶ λόγων ἐξετάσεως *cùm docere vellet, quâ potissimùm ratione in legendis Veterum scriptis consequi possimus, ut illis in dicendo quàm simillimi evadamus, eleganti similitudine usus est*, Faciendum, *inquit*, nobis id, quod rustico cuidam contigisse ferunt. Is, cùm vultu admodum turpi ac deformi esset, vereri cœpit, ne & liberos sui similes, hoc est, turpes ac deformes procrearet, quæ formido, *inquit*, eum pulchros ac formosos procreandi artem docuit. Effictis enim simulacris quibusdam venustis ac decoris, ut ea perpetuò intueretur, mulierem assuefecit, ac deinde cum illa congressus, ut liberos ea speciosos pareret, imaginationis vis effecit. Similiter, *inquit*, in oratione facienda, cujus similitudo tum demum paritur, si quis illud imitari studuerit, quod in unoquoq; præstantissimum esse videatur.

Spem itaq; tam præclarè de se conceptam minimè falli, neq; facem ab Antecessoribus suis in officio accensam extingui passus RICHTERUS, *post triennium, quod in prædicto Dicasterio Noribergensi velut optimus Consultor, non ad privatum odium aut gratiam, sed ad Justitiam Causæ publicamq; Utilitatem Consilia sua attemperans peregit, Anno cIɔ Iɔc XXVI. ab Amplissimo Senatu inde avocatus, gravioribus magisq; arduis Reipubl. Negotiis admoveri cœpit. Habet Respubl. hæc inter multa præclara & hoc, ut, si quid gravioris momenti incidat, ad Senatum, à Senatu*

ad JCtos, quorum non semper certus est numerus, referatur. Non ignotum est judicium FRANCISCI ALCIATI, *in Epistola nuncupatoria ad* ANTONIUM PERRENOTUM GRANVELLIUM, *quâ Consiliariorum multitudini prudenter pepercisse ait* CAROLUM V. *Imperatorem, quòd hujus* GRANVELLII PARENTEM, NICOLAUM PERRENOTUM GRANVELLIUM, *solum rebus omnibus Pace & Bello consultandis pertractandisq; præposuit. Multitudinem enim Consiliariorum sæpenumero negotia perdere aut præcipitare, quòd, quò plures sunt homines, eò faciliùs inter se dissentiant. Cæterùm ab hac opinione, quotquot etiam alii eidem suffragari velint, tantò magis dissentire fas est, partim quòd hic ipse* ALCIATUS, *initio prædictæ Nuncupatoriæ sibi planè contrarius, ingenuè confitetur, nihil æquè Principibus vel cuicunq; Regali fastigio convenire, quàm viros prudentiâ, probitate, justitiâ insignes sibi asciscere, quos semper arduis de rebus oportunè consulere, cum quibus Imperii arcana tutò communicare, quorum maturo judicio, labore assiduo, diligenti operâ tantam Regnorum molem rectè disponere, feliciter regere & gubernare queant; partim quòd omnium temporum Historia, & magnorũ Principum res gestæ testatum faciant, longè tutiora & prudentiora fuisse ea Consilia, quæ à pluribus tractata, quàm quæ unius mente agitata fuere, prout exemplis luculentissimis latiùs demonstrat* JOHANNES ZANGERUS JCtus, *Præfat. in Tractatum utilissimum de Exceptionibus.*

Sed ne fortè hæc quis ad solos Imperatores, Reges ac Principes referat, in primis de Republ. hac Noribergensi gravissimè differentem audiat supra laudatum JCtum, SCIPIONEM GENTILEM, *in Laudatione funebri* HIERONYMI BAUMGARTNERI, *ubi hoc ipsum vel magnificentissimum in ea laudat & mirificè extollit, quòd plurimos præstantissimosq; Juris-Consultos à Consiliis habeat, quorum operâ non solùm in rebus privatorum controversiisq; civilibus, sed in maximis etiam Reipublicæ negotiis utatur.*

Publicis, ut paulo antè innui, multisq; negotiis gravissimis jam destinatus RICHTERUS, *Numinis Divini auxilio ardenter implorato, eò deinceps, quoad vixit, curas suas convertit, imò brevi etiam effecit,*

effecit, ut non magis sibi Patria quàm ipse Patriæ ornamento foret, multis bonis usui, Reipubl. in primis saluti. Quàm dextrè hæc singula non solùm domi Consiliis saluberrimis, sed & multifariis Reipublicæ nomine susceptis Legationibus præstiterit, Inclytum prædictæ Reipubl. Senatum, quin & ipsam Patriam suam, NORIBERGAM, *testes habet, fidem ipsam exsuperantes, omniq; penitùs exceptione majores; Siq; impræsentiarum Legationes omnes ac singulas partim ad multos gravissimos Imperii Conventus, partim ad Augustissimum Imperatorem* FERDINANDUM II. *gloriosissimæ memoriæ, partim ad Reges, Electores, cæterosq; Imperii Principes ac Status memorare vellem, metuendum esset, ne recensio isthæc ostentationi quàm cohonestandæ memoriæ defuncti, qui inanes omnes jactationum ampullas earumq; causas procul semper habuit, propior accederet. Cæterùm unius saltem Legationis hic meminisse sufficiat, quam præsente Nobilissimo* DN. SIGISMUNDO GABR. HOLTZSHUHERO, *Reipubl. Norib. Septemviro Prudentissimo, Anno* cIɔ Iɔc XXXVI. *mense Octobris, unà cum Civitatis Francofurtensis & Ulmensis Legatis, pro earundem, ut & reliquarum sessionis ordine posteriorum Civitatum ex tribus Circulis, Franconico, Suevico & Rhenensi superiori, communi causâ, ad* S. CÆS. MAJESTATIS *& Eminentissimi Collegii Electoralis Conventum Ratisbonam subiit, ubi Directorium ad Civitatem Noribergensem delatum, communi nomine tantâ dexteritate in se suscepit, tantaq; coram Imperatoria Majestate facundiâ verba fecit, ut post Audientiam per Ministros inquirere cœperit Imperator de* RICHTERI *Nomine, de ejusdem Patria & Parentibus. Indicina hæc erat, prout eventus docuit, summæ gratiæ, quam Suada perorantis apud Imperatorem conciliaverat, qui eam testatam porrò aliis documentis, Comitis nimirum Palatini, vel Consiliarii dignitate ac titulis fecisset, sed nihil tale ambiit modestia ejus, cui summi honoris loco jam fuerat, placuisse supremo in terris Moderatori. Tantum scilicet potest vera Animi Virtus, suaq; ipsa ex stirpe nata atque efflorescens, non aliunde & adventitiis ex rebus adsimulata, & collecta Dignitas, ut verissimè judicavit suprà laudatum illud generis*

Humani Oraculum, quem nihil fugit eorum, aut quæ fuerunt, aut quæ sciri poterant, SCIPIO GENTILIS.

Porrò, si quid à gravioribus Reipubl. negotiis, quod tamen rarò contigit, temporis superfuit, id libentissimè seduloq; impendit curis & studiis amœnioribus, in primis in commodum Academiæ Altorphinæ, quam, quia ibidem prima studiorum alimenta, velut lac ex almæ Parentis uberibus, hauserat, semper amore sincero & constanti prosecutus est. Annus erat cIↃ IↃc XXXI. quo à Magnifico Reipubl. Senatu modò dictæ Academiæ Pro-Cancellarius nominatus, mirâ alacritate summaq; cum voluptate munus illud per vicennium obiit, variis iisq; doctissimis Orationibus, in Renunciatione Doctorum Juris, Medicinæ vel Philosophiæ publicè habitis, quarum adhuc in vivis tres Decades publici Juris fecit. *non tam proprio motu, quàm suasu & impulsu eorum, qui nonnullas ex iis describendas sibi petierunt. His accesserunt duæ postremæ,* trigesima *nimirum* prima & secunda, *quarum illa* de Arcanis Aulæ Justinianeæ, *hæc* de Raritate Poëtarum, ejusq; causa, *Anno cIↃ IↃc LI. Altorphi habita, quas Epistolis ejusdem selectioribus præmittere, simulq; hac vice publico donare placuit.*

Incredibile dictu est, quàm recreârit RICHTERUM, *densissimorum negotiorum mole sæpe fatigatum, liberalior quandoq; & velut intercalaris in Viretum Academicum secessio. Sed inevitabilis illa rerum humanarum vicissitudo, omnis propè felicitatis pedissequa, quæ nostræ dulcedini acorem & amaritiem suam plerunq; affricat, etiam* RICHTERO *nostro felicitatem illam non sinebat totam. Eodem enim anno, quo Universitatis Altorphinæ Procancellarius eligitur, obruit illum inopinantem, inveteratum illud multisq; hodie in primis fatale, & ipsâ appellatione, multis quidem in risum, iis verò, quos tangit, in horrorem desinens malum, Podagra, quam paucis deinde annis post, ne quid ægritudini per se satis calamitosæ deesset, secutus est dirus ille, &, experientiâ teste, multò immitior tot eruditarum Animarum Carnifex Calculus, qui duo ac propè individui comites, valetudinem* RICHTERI *magis magisq; reddebant vacillantem. Ita nimirum Homines sumus, quos, cùm in consummationem Dignitatis per mille indignitates ascen-*

ascendimus, misera illico subit cogitatio, nos laborâsse in titulum sepulchri. Ut eos nunc taceam, quorum, ut ait Romanus sapiens, ultima senectus, dum in novas spes ut juventa disponitur, inter conatus magnos, sæpe deficit invalida. O felices nos, si, quid in tanta rerum humanarum inconstantia optare, imò, quid sequi debeamus, in promptu sit. Cumq; in ipsa etiam expectatione & in votis quædam vis sit, mortales immortalitati in his terris quasi præludere discamus, hoc est, omnino & dicere & facere, quæ digna DEO, *digna Cælo sunt. Hanc viam, imò hanc vitam uti à teneris jam incundam sibi proposuit* RICHTERUS, *ita eandem, potissimùm ingravescentibus, ut fit, quotidie morbis, secutus est. Quoties per curas Reipubl. quotidianas licuit, ad Sacrorum Bibliorum non modò, (quæ decies, & ultrà, ab initio ad calcem usq; legendo absolvit) sed & variorum Theologiæ Doctorum ac Patrum in primis Lectionem crebriorem divertit. Cui bono sacras ejusmodi meditationes impenderit, loquuntur hodieq; partim ejusdem* DIGESTA PIETATIS, *sive de Cultu Orationis Collectanea Theorico-Practica Anno* CIↃ IↃC XXXVI. *Noribergæ edita; partim nonnulla opuscula magni illius* DANIELIS SENNERTI, *& incomparabilis* ERASMI ROTERODAMI, *quorum hujus de Præparatione ad Mortem & de Misericordia Divina: Illius verò de bene vivendi beateq; moriendi Ratione, è lingua Latina, in usum eorum, qui linguam hanc non callent, in Germanicam puriorem transtulit, typisq; imprimi curavit. Sunt heredibus ejusdem ad manus adhuc multa è scriptis Theologicis* ERASMI *hujus* ROTERODAMI *Germanicè translata, sed quæ lucem forte tum adspicient, cùm meliùs convenerit Mercurio cum bona Minerva, quod non sperandum, nisi cùm ad meliorem mentem redierint illi, qui Lucro & Literis simul operam dare æquè difficile putant ac sorbere & flare.*

Post Lectionem SS. Bibliorum & Patrum, impensè amavit, & admiratus est, Scripta B. LUTHERI, PHILIPPI MELANCHTHONIS, *modo nominati* ERASMI ROTERODAMI, & HUGONIS GROTII, *quòd in iis non solùm ubiq; veræ Pietatis Praxisq; Theologicæ vestigia, sed & animum & Consilia in causis Religionis moderata, frugifera & pacifica, hoc est, ad concordiam Ecclesiasticam*

eam in primis salutaria & verè necessaria deprehendere licuit. Cum CASSANDRO *enim, Viro moderatissimo, intrepidè statuit, Moderationem & Æquitatem multò plus ad Ecclesiæ pacificationem conducere, quàm nonnullorum rigorem atq; severitatem, qui odium potiùs partium quàm Concordiæ studium præ se ferunt. Elegantissimè hac de re disserit de la Noüe in Præfat. Discurs. Politicorum:* Il faut, *inquit*, esperer, que cest exemple enresveillera plusieurs autres, lesquels voyans, Combien une voix moderée par raison est agreable, aux pris des crieries & invectiues pleines d'aigreur (lesquelles comme clochettes de Corybantes, ne servent qu'à troubler les sens des plus rassis) ils s'efforceront d'engrauer plustost en leurs escrits ce que Dieu leur aura donné pour l'Instruction de la posterite, que la vehemence des desordonnees affections dont nostre aage ne reçoit que trop de blasme & de dommage, &c. *Et quæ ibidem plura sequuntur. Inter præclara ejusmodi piæ moderationis exempla, modò laudato* CASSANDRO *Artic. VII. de Ecclesia, & Artic. II. de Peccato Originis, in primis commendantur* CYPRIANUS & JOHANNES HOFFMEISTERUS, *quòd ille, in tanto circa locum illum sententiarum dissidio, Pacis & Unitatis Vinculum constantissimè retinuerit, causamq; suam non cum acerba insectatione aliter sentientium, sed summâ animi modestiâ defenderit; cùm tamen tot per Africam & Orientem Episcopos idem secum sentientes & facientes habuit; hic verò in excutiendis & explicandis Articulis Augustanæ Confessionis, præter eximiam eruditionem, summum quoq; Candorem & Moderationem adhibuerit. Sed quantum, (heu!) quantum recessit à moribus & exemplis hisce præsens hæc Ætas nostra, dissidiis & contentionibus Christiano homine indignis feracissima; quam si intuebitur futura aliquando Posteritas, felicem se agnoscet, quòd in eam non inciderit, cujus sic illam, tanquam ea vixerit, pudebit. Nos certè, frustrà nostris freti consiliis, malorum ac dissidiorum ejusmodi finem nobis haut pollicebimur, nisi in placato* DEO JEHOVA *nostro, qui, si pejora prioribus adjicere tandem desierimus, precibus nostris unanimi Concordiæ studio subnixis exorabilis, litoris hujus* Sarpedonii *fluctus solus mitigare potest.*

Ad

Ad suprà nominatos Theologiæ Doctores, LUTHERUM, MELANCHTHONEM, ERASMUM, *aliosq; ut redeamus, non opus est multis hic asserere, quot & quanta singuli scripserint volumina, quæ si dicam obiter nonnunquam consulta aut pro re nata evoluta tantùm à* RICHTERO, *injuriam facerem stupendæ ac propè incredibili hujus Viri industriæ, qui singula hæc volumina unà cum* HUGONIS GROTII *scriptis Theologicis, quæ tam in vetus quàm novum Testamentum extant doctissima, ne pagellâ quidem exceptâ, legendo absolvit, quod ex ipsis Exemplaribus, quæ notas marginales propriâ manu scriptas singulis propè foliis continent, doceri posset. Rarum certè in JCto, rarius in Viro Politico, quotidianis Reipubl. negotiis circumvallato, rarissimum in eo, qui cum morbis sæpe conflictatur, & nihilominus sibi, tantoq; oneri & tantæ lectioni superest. Nimirum hoc solenne est eximiis ingeniis, quæ perpetuum laboribus indicere bellum, & sibimetipsis quietem invidere solent, nec unquam torpenti otio cum dehonestamento succumbere. Accedit, quòd nunquam graves ipsi, sive noctu sive die id esset, interrumpentium amicorum acciderint molestiæ; quin uti patientissimus erat laborum, ita in hoc eò magis gaudere sibi visus est, quòd nonnunquam etiam invidi ejus ope & operâ promptissimâ maximè fuerint delectati. De* ISAACO CASAUBONO, *incomparabili omnigenæ Eruditionis Heroë, memorant, & admirantur hodieq; omnes, qui vel legunt, vel audiunt, illum valetudinarium, inter lentos morborum ignes, suspiria, stillicidia, aliaq; mortis satellitia, solo animi ardore & constantiâ incredibili fretum, plura elaborâsse, quàm alium, qui flore ætatis & valetudinis fastigio excelluit. Quin & longo deniq; cum laboribus & morbis conflictu fractum non animo, sed membris, non mentis acie, sed organis, ad ultimum usq; spiritum in demandato munere summa cum laude perstitisse.*

Idem certè, absit invidia verbo, de RICHTERO *lubentissimè profitebitur, qui in annos illos potissimùm inquiret, quos in declinantis valetudinis statu propè viginti vixit, si vivere est, tanto temporis spatio, in sinu quasi gestare apertæ mortis instrumenta*

Ergò, inquies, nullâ omnino recreationis aut licitæ voluptatis intercæ-

tercapedine, continuas hasce laborum, dolorum curarumq́, miserias, quibus confragosum hoc iter emensus est, sedare contigit? Quantò felicior eorum conditio, qui sub densa latitantes umbra, tenerrimisq́, cogitationibus, quas tranquillitatem vocant, animi marcentis oblectantes torporem, corpora ignaviâ pallentia, ut est apud SENECAM, *cibis ac potionibus intra hortorum latebras saginare consueverunt? Sed quid? Incusabimusne hic miseram* RICHTERI *plusquam nimiâ, imò penè inhumanâ diligentiâ adeoq́, propriâ culpâ sibi accersitam sortem? an Fati iniquitatem reprehendemus? Vereor certè, ne hoc non liceat; alterum verò in nostrum recidat dedecus! Quanquam, ut verum fateamur, illum adhuc nobis haberemus superstitem, si parciùs usus fuisset laboribus, & parciùs etiam aquis acidulis; sedentaria enim vita aquis istis valdè inimica, & nimia, quam dixi, diligentia valetudinem pessundederunt, morbosq́, accelerârunt, quibus tandem extinctus est. Septennium verò ex omni vita ejus memorare licet, quòd inter summas amœnitates & lubentias ante obitum transegit, cùm Anno cIↃ IↃc XLIV. filium unicum,* JOHANNEM GEORGIUM, *salvum non modò ex itinere reducem, sed & eodem anno Utriusq́, Juris Doctorem, Maritum & denique, biennio pòst, Reipubl. Patriæ Consiliarium, adeoq́, pari secum in Honoris ac Dignitatis gradu constitutum vidit, eiq́, ad annum usque cIↃ IↃc LI. cum quinque nepotibus summâ voti in pectore piè custoditi felicitate superfuit. Hunc uti semper, ut apud gravissimum Poëtam gravissimè filium,* Parens Ascanium, *monuit, ut* virtutem ex se, verumq; laborem puer disceret, fortunam ex aliis, *quo versu nullum dulciorem toto illo poëmate* QUINTILIANUS *asserere non dubitavit: Ita Reipublicæ vitæq́, hominum communi vel quàm maximè prodesse, si inde à succrescente ætate, veluti ad morum cynosuram, virtutum omnium, famæ honorumq́, exempla petantur, cum solertissimis Moralis Philosophiæ Doctoribus rectè semper censuit. Accessit lætitiarum, quas nemo nisi Parens intelligit, cumulo, quòd in quem se totum transtulerat Pietas, in ejus cura & amore conquiescere potuisset ætas Parentis ingravescens, quæ dulce solatium sibi spondere solet in liberis bene natis, bene educatis. Verùm, in tam brevi felicitatis momento, spes inchoare ulteriores non permittebat*

mittebat

mittebat RICHTERO *quasi supra caput adstans, decretoria Fati necessitas. Idcirco voluntati Divinæ sine murmuratione obtemperandum duxit, præcipuè cùm jam mali asthmatici aliorumq́ symptomatum festinata vehementia nil nisi mortis imminentis indicia repræsentaret. Sæpe in memoriam sibi revocavit illud* SENECÆ: Nunquam magnis ingeniis caram esse in corpore moram, ægrè potiùs has angustias ferre & velut ex alto assueta despicere humana. *Quid? quòd sapientis potiùs sit toto animo in mortem prominere, hoc velle, hoc meditari, hac semper ferri cupidine, ad cœlestia & sublimiora ut tendat. Hisce & aliis meditationibus animum piè præparando eos, quos superstites lege nascendi optavit, & quos præcedere inter justissima semper vota habuit, sic amore se debere agnovit, tanquam nihil sibi de eorum perpetuitate, imò nihil de felicitatis illius, quâ nati sui unici natos vidit, diuturnitate promissum fuerit.*

Magnam & diu discendam rem olim sapientissimi Philosophi existimârunt, cùm adventat hora illa inevitabilis, æquo animo obire. Tantum certè abest, ut noster mortem quantumvis sibi jam proximam pro iniqua aut terribili unquam habuerit, ut potiùs paucis, antequam eam oppeteret, horis vocem Christianæ constantiæ ac fiduciæ plenissimam omnibus adstantibus notatu dignam visam ediderit, nimirum tanto se gaudio beatum vitæ suæ finem anhelare & expectare, quanto præstolari solent pueri anniversaria illa ac Natalitia dona, quibus religiosâ quadam simplicitate venerari ac recolere solent memoriam recèns nati SERVATORIS nostri. *Sæpe in vita optavit, ut in ipso mortis articulo, & ante ultimum vitæ spiritum, præsentiâ Viri summi, plurimùm Reverendi & Theologiæ Consultissimi* DN. JOHANN. MICHAELIS DILHERRI, *Concionatoris in hac Urbe primarii, & Gymnasii ibidem Directoris prudentissimi vigilantissimiq́, frui liceret, partim ob sinceræ & exploratæ amicitiæ fidem, partim ob præclara in rem Ecclesiasticam merita, tum verò & vel in primis ob rara & eximia dona, quibus Vir ille in erigendis ex verbo Divino morituris & jamjam agonizantibus cum admiratione excellit. Quid fit? Sanè peropportunè, & quasi singulari DEI Opt. Maximi jussu & providentiâ accidit, ut* DIL-

 HER-

HERRUS, *qui* RICHTERUM *nihil de morte ejus vel præsumens inter cæteros amicos invisere destinârat, eo ipso tempore domum ægrotantis intraverit, quo voti ille sui ex asse particeps fieri poterat. Lecto itaq; appropinquantem cognoscit, & prædicti voti sui memor amicè excipit, salvere & assidere jubet, variosq; cum ipso tum de statu vitæ æternæ, tum de iis, qui, verbis* JOHANNIS *in Apocalypsi, vicerint, albisq; vestientur vestimentis, non ex merito, sed imputatione ac vi gratuitæ promissionis Divinæ, sermones miscet; tandem edoctus per multas ac varias tribulationes ingredi nos oportere Regnum Cælorum, annuit consolanti, & lumen, quod jam aderat, accendi petit, ut* DILHERRI *faciem meliùs cognoscere possit. Ille hoc sermone indicium deficientium, imò penè fractorum oculorum capiens, precationibus sacris & in primis Oratione Dominicâ ac repetitione & uberiori Symboli Apostolici explanatione instat, maximeq; hæc verba:* Et vitam æternam Amen; *attentissimo* CHRISTI *athletæ inculcat, quæ inter solatia efficacissima* RICHTERUS *nulla vel minimi doloris aut cruciatus signa edens, sed dextram suam* DILHERRI *dextrâ oculos postea placidissimè obdormiscentis claudente complicans, die 9. Decembr. circa sextam vespertinam Anno* cIↃ IↃc LI. *nec dum completo anno ætatis sexagesimo, animam, nemine adstantium propè advertente, in manus* REDEMPTORIS *sui, piè, beatè ac feliciter exhalavit, atq; ita vitæ pro Reipubl. salute per triginta annos laudabiliter peractæ memoriam, summo illo, & ultra, quod nullum est,* QUI BENE VIVIT, BENE MORITUR, *fastigio, felicissimè coronavit, dignus omnium bonorum, hoc est, eorum applausu, qui virtutum & in Patriam meritorum rationem etiam post funera habendam non solùm fatentur, sed & reipsa præstant. Multis, quod verum scio, Reipubl. Noribergensis Civibus* RICHTERUS *noster flebilis occidit, nulli verò flebilior, quàm relicto filio & filiæ unicis, ut &, quos inter charitates suas præcipuas semper habuit, nepotibus, qui eodem luctu & eâdem voce Parentis & Avi piè defuncti manibus parentare gestiunt, quâ* JULIUS CÆSAR SCALIGER *quondam filio* Audecto Cæsari *parentavit:* Profectò lachrymæ tollantur, gemitus, lamentationes, sive hoc temporis Imperio, sive alterius fortunæ jussu; lugendi tamen nobis erit perpetua caussa atq; sempiterna.

GEORGI RICHTERI, JC.

ORATIO XXXI.

DE ARCANIS AULAE JUSTINIANEÆ.

Habita d. XI. Martii cIↄ Iↄc LI. cùm duo Doctores Juris renunciarentur.

I. N. D. N. J. C.

AUditores omnium Ordinum ſplendidiſſimi, Domini & Amici honoratiſſimi acceptiſſimiq́;

Memoratu dignum eſt, quod Plinius junior, Latinæ eloquentiæ princeps, à Cicerone ſecundus, ad Sextilium Lateranum ſcripſit, cùm aliquando liber recitaretur de ſceleribus cujusdam, & pars in alium diem reſervaretur, obſecrâſſe amicos, ne recitarentur reliqua. Nimirum, erubeſcebant audire, quæ nullus pudor perpetrare prohibuerat. Horum ſiniſtram perverſitatem rectè convincit atque eludit ſcriptio Hiſtoriarum accuratior; cujus ſtudii, eodem teſte, tanta eſt poteſtas, tanta majeſtas, tantumq́; numen; ut etiam ad arcana usq; penetrare, & quæ clàm fiunt, palàm proferre cum tempore queat. Eſt enim, quod cordatè cenſuit Tacitus, *præcipuum annalium munus, ne Virtutes ſileantur, utq́; pravis dictis factisq́; ex poſteritate & infamia metus ſit.* Atenim etſi arcana Reipublicæ, quæ ſaluti publicæ adminiculantur, temerè vulganda

lib. 9. Epiſt. 27.

3. annal. 65.

non

non ſunt: Dominationis tamen flagitia, quibus fundamenta Reipublicæ, virtutis ſimulatione, labefactantur, Hiſtoriarum Scriptores incorrupti in tantum celare non debent, ut niſi liberæ iſto Veritatis ſtudio & amore antecellant, adulatoris, non Hiſtorici nomen, publico rectè judicantium conſenſu, mereantur. Equidem non accepti ſunt Principibus, qui occulta aulæ perſcrutantur, ut proferant in publicum; quemadmodum ventorum hi ſunt moleſtiſſimi, qui nobis revellunt Pallia, quod Ariſton apud Plutarchum ait. Quia verò interest Reipublicæ, ut moderatores ejus nigram iſtam & condenſantem ſe nubem vitiorum fugiant, Hiſtoricorum fide faciendum eſt omnino, ut ſentiant illi, tonare ac fulgurare, ſimul atq; eruperit, quod latere cupiebant: Præſertim, ubi nullam emendationis ſpem relinquunt. Atque hac virtute liberæ veritatis ſplendeſcit, ſi quisquam alius Hiſtoricorum inter Græcos, Procopius Cæſarienſis, vir illuſtris, ſcriptor ſeverâ gravitate inclytus; qui, cùm libris octo, ſummâ fide juxta atq; accuratâ diligentiâ, omnia commemorâſſet, quæ Juſtiniani Imperatoris tempore geſta ſunt; tandem librum quoq; nonum, hoc eſt, hiſtoriam arcanam, de Juſtiniano Imperatore, ejusq; uxore Theodora, *de curioſit.*

magnâ libertate scripsit, & quicquid uterq; conjunx publicæ rei damno & in subditorum perniciem peccârunt, accuratiore stylo notavit: Cùm priùs ad summum Romani Senatus locum, id est, Urbanam præfecturam, evectus esset. Quia verò hanc dignitatem, immò nec vitam sibi salvam fore videbat, nisi librum istum arcanum, soli posteritati destinatum, post mortem usq; suam suppressum ivisset, periculum non necessarium sedulò & cum ratione vitavit. Ita enim ipse: *Hujusce*, inquit, *consilii, eam habeo caussam, quòd illa scribere, quâ maximâ ratione oportuisset, nequaquam expedire tum mihi videbatur, cùm etiamnum superstites forent, qui ea perpetrâssent. Certè latere ipse diutiùs non potuissem, neque supplicio crudelissimo non interire, isthæc si palàm & in lucem venissent.* Verùm, ut optimus Autor, quàm diu vixit, librum reconditum feliciter occultavit; ita etiam, multis seculis pòst, pauci fuere, qui de Justiniano Imperatore, ejusq; dominatione flagitiosa, historiam veram cognoverunt. Adeò quidem, ut octo libri priores Historici illustris, aliquoties in publicum prodierint, arcana verò illa historia, quam libro nono descripsit, post tot secula, ante annos demum viginti octo, ab eruditissimo viro, Nicolao Alemanno, è Biblio-

pag. 1. & 9.

(anno clɔ Iɔc XXIII.)

Bibliotheca Vaticana, cum privilegiis ſacræ Cæſareæ Majeſtatis, Regisq; Chriſtianiſſimi, Lugduni primùm in lucem prolata, Latinè reddita, notisq; illuſtrata fuerit. Ubi etiam Procopii fidem, ne quis eam, ob execranda domus Juſtinianeæ flagitia, quæ narravit, ſuſpectam habeat, egregiè vindicavit. Inter alia, hoc argumento, quòd Autorem hunc inſignem ipſe Juſtinianus, in Africana & Italica expeditiône, nunquam à Beliſarii, ſummi exercituum ducis, latere divelli paſſus eſt; cujus fide atq;conſilio,non minùs quàm armis ac virtute Beliſarii, Romanos fines prolatari atq; ſtabiliri ſentiebat. Ex illa hiſtoria arcana prolixiore, non adeò multis cognita, pauca nunc, non tam meis quàm Hiſtorici verbis, proferre conſtitui; non ut famæ Imperatoris, alioquin tantopere laudati, intempeſtivè derogetur; ſed ut poſteri meliora docti ſibi caveant, ne ita ad flagitia proclives, cum æterna ignominia & jactura, ſe aliosq; peſſundent. Quem ſcopum, omnium præclariſſimum, etiam Hiſtoricus excellens præfixum ſibi habuit, hanc inſignem rationem reddens: *Quotus enim quisq;*, pag. 2. inquit, *hominum, qui deinde vixerunt, perditam Semiramidis vitam, vel Sardanapali, vel Neronis dementiam execraretur, niſi hæc hiſtoriis commendata fu-*

ta fuissent. Æquè autem execrandam fuisse Justiniani dominationem, omnium primò hinc videre est, quòd Theodoram, mulierem scenicam, Acacii cujusdam, bestiis ad amphitheatrales venationes præfecti, quem Ursarium vocârunt, filiam, ridicularum quarundam fabularum actricem, uxorem sibi ascivit. Scenæ autem adsuetam qui audit, quicquid flagitii, quicquid obscœnitatis de ea dicetur, facilè credet, nihilq; nimium putabit. Meretrix enim fuit & prostibulum omnium famosissimum Theodora, cuicunq; obvio copiam pulchritudinis suæ faciens toto corpore; eamq; artem ubiq; exercens, quam ne nominet quidem, Deum habere qui sibi propitium velit. Eam publicè occurrentem, quàm diu scenica fuit, omnes sanioris vitæ homines, vitabundi, ut avem infaustam, fugiebant, ne vestium contactu, tantum scelus in se derivatum putaretur. Cùm verò tantâ formæ venustate præstaret, ut eam nullum artificium humanum vel sermone declarare vel picturâ exprimere potuerit, amore ejus ita exarsit Justinianus, ut hac vitæ sociâ perdendis populis usus sit, non modò Bizantii, ubi tunc sedes Imperii erat, sed ubiq; locorum Romanæ Reipublicæ. Hac verò turpitudinis notâ ille non contentus, quia priscâ lege cautum

Procop. pag. 40. & seqq.

Aleman. in not. pag. 46.

Procop. pag. 45. 47. 49. 60. 68. & 104.

tum

tum erat, ne viris Senatoriis uxorem ducere meretricem, aut mulierem ſcenicam liceret; Juſtinum avunculum, ſenectute confectum, cum quo Romanorum Cæſar conſalutabatur, prodigioſâ Pietatis ſimulatione adegit, ut legem antiquam novâ conſtitutione everteret, aditu reliquis ad meretricia connubia patefacto: quam conſtitutionem piacularem, ſub Juſtiniani nomine, ut & alias plures in favorem Theodoræ latas, hodieq; in Codice noſtro, non ſine dedecore habemus; de quo plures JCti conqueruntur magni nominis, quicquid alii, vel ignorantiâ, vel obſtinatione, contrà diſputare præſumant. Quin & in verba uxoris, non minùs ac in ſua, jurare Magiſtratus coëgit Juſtinianus poſt Juſtinum ſolus Imperio potitus: cujus perverſæ dominationis inſana veſtigia etiam in Novellis extant. Quod tamen eò minùs mirandum, cùm cæteroquin nullum tam inauditum, tam execrandum piaculum fingi animo poſſit, quin graviora molita ſit impudentiſſima fœmina, & mariti conſenſu, quem faſcinaverat, reipsâ perpetrârit, in Rempublicam, in Senatum, in Magiſtratus, in plebem, immò in DEUM ipſum; cujus opprobrio, poſt alias impietates, Eutychianorum quoq; hæreſin amplexa eſt. Cum hac enim conjuge, quam ille venerabilem reverendiſſimamq; appellare non erubuit, à commi-

Aleman. in not. pag. 37. ſeqq.

l. 23. C. de Nupt.

Novell. 8. tit. 3.

 niſcen-

niſcendis occaſionibus perpetrandi flagitia plurima maximaq; nunquam deſiſtebat. Nam ut erat maxima utriusq; ſimilitudo cupiditatum, ſic etiam morum & improbitatis; licèt palàm diſcordiam ſimularent, ut ſubjectos impellerent in exitium. Cùm enim in re gerenda nihil non in communi actitarent, diu multumq; omnibus opinionem fecerant, quaſi in diverſas irent ſententias & contraria ſtudia: erant enim, inquit noſter, ambo mendaciorum artifices ingenioſiſſimi; usq; dum deprehenſum eſt demum, eos ex induſtria hanc ſpeciem ſimulationis induiſſe; ne ſubditi, communicatis conſiliis, ſeditionem agitarent, quandiu de illis opinio eſſet in ambiguo; quâ quidem arte tyrannidem ſibi firmiùs aſſeruerunt. Miſcebat porrò Juſtinianus, ad clavum Reipublicæ ſolus defuncto Juſtino ſedens, extemplo omnia, & quæ priſcis legibus prohibita erant, introducebat; contrà, quæ conſuetudine obtinuerant, hæc interdicebat; quaſi Imperatorium paludamentum induiſſet, ut aliam rebus faciem induceret. Verſabantur ſub ejus & uxoris iugo intolerabili omnes cives ſubditiq;, nobiles & plebeii, publicè privatimq;, in ſqualore, vacua iucunditatis vita, quaſi cælitus ingruente malo: ſub lare quisq; ſuo, in foro, in templis, nil niſi ærumnas, calamitates, vel portentoſos recentis fortunæ

tunæ casus commemorabant: quæ omnia multis exemplis fusiùs describit Procopius, citra horrorem sanè neque legenda neque audienda. Ut verò nos carptim pergamus, sit ita, & demus hoc Jureconsultis nonnullis, qui juris à Justiniano compilati studio nimis perciti, antiqua literarum monumenta minùs pertractârunt, temperâsse eum Imperium Romanum legibus, studiumq; Juris promotum ivisse haud parùm; certo tamen certius est, quòd, præter illas constitutiones, quas in gratiam Theodoræ, fœminæ perditissimæ latas novimus, Triboniani quoq;, compilatoris atq; adulatoris athei, detestanda avaritia, scientiam Juris artemq; æqui & boni sinceram plurimùm vitiavit; quodq; eo autore leges figere & refigere Justinianus veritus non est; dummodò turpi lucro essent, & pecunias luculentiores vel conferrent vel promitterent. *Procop. pag. 61.* Ita nihil certum & fixum erat, inquit Historicus, sub hoc Imperatore, sed Jus volubile atque erroneum; & æquitatis lances eò propendebant, quò auri graviore pondere deprimerentur. *pag. 64.* Quo minus verò isthoc, quod de Triboniano refert Procopius, in dubium quis vocare queat, ex Cuspiniano quoque, altero seculi superioris Suetonio, fidem faciam, qui, Procopii libros omnibus historiarum studiosis etiam atq; etiam commen-

 dans,

dans, hoc ipsum, quod de Triboniano diximus, ex Suida confirmat, his verbis: *erat Tribonianus adulator, fraudulentissimus simul & avarissimus, omnis religionis, præsertim Christianæ, contemptor; avaritiæ usq; eò deditus, ut jus & fas venale haberet. Nam singulis diebus & leges ferebat, & latas revocabat, uti indigentium usus, à quibus pecuniam acceperat, postulare videbatur; tantâ inconstantiâ levitateq; leges tot contrarias ponens, quas posteri, licèt anxiè inter se digladientur, nunquam tamen concordare possunt.* Ubi & hoc nescire se scribit, majoremne laudem, an detrectationem commeruerit Tribonianus. Nam *quot egregia*, inquit, *Pauli, Modestini, Scævolæ, aliorumq; infinitorum docta volumina interiisse credis? qui profectò singularum rerum materiam ad amussim interpretati sunt, adeò, ut neq; Bartoli, neq; Baldi, neq; Porci, neq; Saliceti commentationibus opus fuisset*, & quæ sequuntur. Sed ut ad Justinianum redeamus, mancipaverat se ille non tantùm omni vitiorum generi, sed & de CHRISTO, Servatore nostro, perversam sententiam tuebatur, carnem eius assumtam incorruptibilem, passionis mortisq; expertem, tanta pervicaciâ asserens, ut omnes Principes idem sentire voluerit. Ad hæc, pietatis speciem ita simulare noverat, ut scelera sua pallio devotionis contegere, & quæ hominibus rapuerat

Cuspin. in vit. Justiniani pag. 141.

Procop. pag. 60. & ibi Aleman. in not. Cuspin. in vit. Justiniani pag. 142.

Procop. pag. 60.

puerat

pucrat truculentiùs, DEO vel ſacerdotibus dicare non dubitârit. Nulla, ſub hoc Romanorum Principe, firma de DEO ſententia, nulla fides, nulla pactio vel res conſtans. Præterea peccavit Juſtinianus, teſtante eadem Procopii hiſtoriâ, non modò, quòd afflictorum querelas minimè admitteret, ſed etiam, quòd, in ore atq; oculis omnium, ſua ſtudia factioſæ juventuti, & quidem volenti animo, profiteretur; id omni ſtudio, nullâ dignitate agens, ut publicum ærarium exhauriret. Nam Hunnos, qui ſæpius adventabant, præter impenſas, magnis etiam largitionibus auxit. Unde Romanorum provinciæ frequentibus Barbarorum expoſitæ ſunt incurſionibus, qui ad Romanas opes, quas ſemel delibâſſent, ſæpius redibant, ab iisq; divelli ſe non patiebantur; quibus ille totum denique Imperium tributarium fecit. Creditum fuit, tunc temporis Romanorum ſupra ducentena millia, ſingulis irruptionibus, quà fuſa, quà in ſervitutem abacta, & in iſtis provinciis penè Scythicas ſolitudines viſas: In aliis verò regionibus, quas eodem modo devaſtavit, à ſtirpe periiſſe hominum ducenties decies centena millia; exceptis iis, qui in Africa perierunt. Veri inſuper adeò erat diſſimulator Juſtinianus, ut fraudum tegendarum, & obſcurè ferendæ indignationis, verſuteq; agendi, & occultandæ

pag. 36. ſeq. 46. 49. 53. 59. ſeqq. 97. 102. 114. 123.

H 3 animi

animi ſententiæ eſſet abſolutiſſimus artifex, inconſtans amicis, inimicis inexorabilis. Aurum ardentiſſimè ſitiebat & ſanguinem: Unde tot innocentium cædes & confiſcationes bonorum; quibus ita inhiare conſueverat, ut neq; illi neq; aliis eſſent pecuniæ; quas non avaritiâ ſolùm, ſed etiam poſſeſſorum invidiâ appetens, Romanorum ditione divitiis exhauſtâ, egeſtatis omnibus autor fuit. Veſanis multorum cædibus pollutus, pluribus jam aliis parabat inſidias, contentionum rerumq; novarum ſtudioſiſſimus. Ad ſcelera perfacilè, ad optima nullis ſuaſionibus commoveri poterat. Acer in comminiſcendis perpetrandisq; facinoribus, honeſti verò vel nomen illi inſuave. Cùm Romani, cum exteris gentibus pacem haberent tranquillam, hic ſanguinario furore, ſtandi loco impatiens, Barbarorum populationi fines Imperii expoſuit, bellum ex bello trahens, ita ut Reſpublica ſub eo eſſet quaſi laſcivientium puerorum regina. His addebat exactiones annuas, nullo humanitatis modo imperatas; cujus vigiliæ, labores, conatus in eo vertebantur omnes, ut atrocior indies fieret ſubditorum calamitas. Mercedem quoq; cujusq; dignitatis miniſteriorum vel ipſe vel præfecti intercipiebant. Quin & Profeſſorum liberalium diſciplinarum cóſtituta in urbibus ſalaria adeò ſubtrahebat, ut quædam

Cuſp. in vit. Juſtiniani pag. 142.

dam inſcitia & ruſticitas urbes invaderet. Si quis autem ejus implorare clementiam ſupplex niteretur, miſereq; afflictis patrocinari, animo turbabatur ille, irâq; tumeſcebat in caput civium. Aſſentatoribus cum primis patefaciebat aures, qui facilè fore dicebant, ut ſublimis aliquando raptus aëra penetraret. Quodam tempore Tribonianus illi aſſidens, vereri ſe vehementer affirmabat, ne, ob ſingularem Pietatem, in cœlum improvisò ſurriperetur: Quam laudem, vel potiùs cavillum, apud animum ille ſuum conſtanter habebat. Cæterùm, quòd non homo, ſed ſub humana ſpecie, furia viſus ſit Juſtinianus, documento quoq; eſſe ſcribit Procopius, ingentia, quibus affecit homines, mala, quorum atrocitatem autoris immanitas palàm fecerat. Breviter, tot Juſtiniani flagitia fuiſſe affirmat ſcriptor integritate eximius, teſtisq; oculatus, ut ad ea numeranda nullum tempus ſatisfuturum ſit: Quæ, quia ille integro libro comemorare non potuit, multò minùs oratiunculâ nos aſſequemur: Cujus Imperatoris ingenio declarando, vel unicum Theodoræ, ſcenicæ meretricis, conjugium ſatis eſſe poſſit. *Nam qui malè factis admittere dedecus non veretur, neq; gravatè fert aliorum ob id execrationem, hic demum nullam interclusam ſibi viam putat ad ſcelera; quin vultum induens audacem, facilè jam*

in te-

in teterrima quæq; ruit flagitia; quo Historici effato nihil verius, nihil præclarius dici potest. De morte igitur Justiniani, quam sine dubio scire desideratis, Procopius verò, quia post absolutam historiam arcanam, vivente adhuc Justiniano, decessit, memorare non potuit, ex Evagrio audite, qui ita scripsit: *Justinianus cùm omnia omnino turba ac tumultu complevisset, mercedemq; his rebus debitam, in extremo vitæ suæ tempore, reportâsset, ad supplicia, justo DEI judicio, apud inferos luenda profectus est.* Ante verò, quàm finem dicendi faciam, de uxore ejus, Theodora, ex plurimis, hæc pauca, sed horribilia superioribus attexenda, ex eadem historia arcana percipite. Commaculata illa erat non tantùm libidinibus nefandis, sed etiam execrandis veneficiis atq; parricidiis, infantium ultrò abortibus egestorum; cujus furibundâ crudelitate nec templorum asyla, nec legum Imperium, nec universæ urbis imploratio, nec quicquam rerum omnium eripere poterat, quem ipsa perditum iret. Hac imperitante, cæterarum quoq; mulierum mores adeò erant corrupti, ut adulteria non tantùm planè multa essent; sed etiam mariti accusantes vapularent, in carcere squalentes; & calamistratas adulteras, liberè à corruptoribus constuprari inspectantes, nonnunquam dignitates, mercedem sceleris, conseque-

Aleman. in not. pag. 116.

Procop. pag. 46. 73. 77. 99.

ſequerentur. Erant Imperatrici huic reconditæ, abſtruſæ, nullisq́; finitimæ habitationibus cuſtodiæ, usq; adeò tetræ, ut inde nullum diei vel noctis indicium diſcernere potuiſſes. Habebat præterea in regia carcerem ſubterraneum, ad quem ibatur per longos anfractus, Tartaro, inquit Hiſtoria arcana, ſimilem diceres, in quo vinciebantur, qui illi offenſioni fuiſſent; quos inter ne viris quidem Conſularibus parcebat: Immò ne propriæ quidem ſoboli; quod exemplum inauditum ita habet: Cùm ea adhuc in ſcena verſaretur, & ex amico gravida facta ſerò id ſenſiſſet, omnia fruſtrà tentans, ut partum (ſicut illi mos erat) immaturum enectumq́; abigeret, parere tandem coacta eſt. Ut verò amico ſuboluit, indignari eam, quòd fœta, interim meretricio corporis quæſtu prohiberetur, proli à matre timens, quam marem ſuſcepit, & Johannem vocavit, in Arabiam ſecum abduxit. Ibi moriturus, filio jam adulto, de matre, imperium moderante, rem totam aperit. Ille juſtis paterno funeri perſolutis, certo pòſt tempore Bizantium venit, & famulis, qui aditum ad Auguſtam matrem darent, rem narrat. Hi rati, nihil inhumani matrem molituram, adeſſe Johannem filium nunciant. Illa in conſpectum ingredi filium jubet; ſed coràm exceptum, ex domeſticis cuidam, talium negocio-

Procop. pag. 13. ſeqq. 17. 70.

I rum

rum præfecto, in manus ita tradit, ut miserum filium nemo postea, etiam matre extinctâ, ampliùs viderit. Sed ne justo Vos diutiùs teneam, Auditores, plura de Imperatricis libidine, impietate, avaritia, crudelitate, rapinis, homicidiis, tyrannide, aliisq; flagitiis, quot & quanta audita non sunt ex omni superiorum ætatum memoria, nunc non addo, sed de vitæ ejus clausula, quam haud dubiè, ut antea Justiniani, audire quoq; cupitis, hoc tantum, ex Victore Tunensi, illorum temporum æquali, adjicio, qui ita scriptum reliquit: *Theodora Augusta, Calchedonensis Synodi inimica, canceris plagâ toto corpore perfusa, vitam prodigiosè finivit.* Ex his veluti vestigiis uberrimæ historiæ arcanæ succinctè collectis, manifestum, puto, cuiq; erit, verissimum esse, quod Historicus non semel ingenuè fassus est, regnantibus Justiniano & Theodorâ, universum Imperium Romanum convulsum fuisse suis sedibus, aliasq; gentes, in Africa præsertim & Italia, unum in exitium deturbatas; partim levitate Tyranni, qua nihil firmum erat; partim difficili uxoris scenicæ proterviâ, quæ peragendis rebus honestis nunquam non officiebat. Cui miseriæ illud accedebat æquè miserum, quòd Senatus, ut inane quoddam simulacrum, in servilem adulationem degeneraverat, & licèt omnes tantam Reipublicæ labem

Aleman. in not. pag. 12.

Procop. fol. 29. seqq. 46. 65. 68. &c.

labem inferri viderent, nullus tamen rem detestabilem prohibere audebat; ita quidem, ut neque sententiæ dicendæ, neque tuendi honesti arbitrium ampliùs illis esset; qui Theodoram quasi Deam venerantes, cujus spectatores pridem fuerant in theatro, ejus se tanquam mancipia supinis manibus, per dedecus profitebantur. Hæc verò omnia tandem prudentissimus scriptor, non casu, sed divinâ providentiâ contigisse censet; eò quòd iratum mortalibus Numen, Romanumq; exosum Imperium, perniciosis furiis potestatem tantorum malorum fecisset: In quo judicio, pietati Christianæ congruo, monitos nos acquiescere, & non temnere DEUM, fas est. *Procop. pag. 21. 84.*

Nunc ad alteram officii mei partem progredior; & quandoquidem par istud Candidatorum Juris eximium, DN. HENRICUS WESTORP & DN. THEOPHILUS SCHREIBER, Mindani, ob virtutem & eruditionem, quà privatim quà publicè probatam, digni deprehensi sunt, qui summis Doctorum honoribus condecorentur; de qua felicitate illis publicè gratulamur; Tibi, Excellentissime & Consultissime DN. D. WILHELME LUDWEL, Professor Jurium primarie, Illustrissimi Principis Palatini, inclytæq; Reipublicæ nostræ

Consiliarie, Decane & Brabeuta spectatissime, Compater & Affinis pl. honorande, officii ratione, quo Amplissimi Senatus jussu & autoritate Nobilissimorum DNN. Scholarcharum fungor, facultatem, quam petis, lubens meritoq; tribuo, utq; dictos istos Candidatos Præstantissimos, utriusq; Juris Doctores consuetâ solennitate renuncies, omniaq; privilegia in Augustissimi Imperatoris, Domini nostri clementissimi, Diplomate uberiùs comprehensa, interposito per Notarium Universitatis jurejurando, illis impertias, concedo; cui laborum Academicorum brabeo aura Divinæ clementiæ adspiret benignissimè.

DIXI.

GEOR-

GEORGI RICHTERI, JC.

ORATIO XXXII.

DE POËTARUM RARITATE, ejusq; CAUSSA.

Habita in panegyri Petro-Paulina XXIX. Junii cIↃ IↃcLI. cùm HIERONYMUS von Cöllen/Doctor Utriusq; Juris, & quinq; Magistri Philosophiæ, & tres Poëtæ Laureati renunciarentur.

I. N. D. N. J. C.

SErenisſimi Principis ac Domini, Domini AUGUSTI, Ducis Brunſvicenſium ac Lunaburgenſium, Conſiliarie & Legate Excellentisſime, Vir Nobilisſime, Amplisſime, Conſultisſime, Polycarpe Heyland, Hoſpes honoratisſime acceptisſimeq́, Vosq́ cæteri Auditores & Hoſpites omnium Ordinum ſplendidisſimi.

Annus hodie eſt vigeſimus, cùm, Ampliſſimi Senatus Reipublicæ Noribergenſis juſſu, ad hoc officium Academicum, Procancellarii quod vocant, primùm in lucem publicam hoc loco ſum protractus, quicquid etiam ad mei excuſationem, tunc temporis, aliorum Collegarum meorum exemplo, allegaveram timidiùs. Sed qui me huic muneri præfectum voluit pro voluntate ſua incomprehenſibili, DEUS Opt. Max. rerum humanarum arbiter ſupremus, ſolus ſapiens, ſolus potens, ſolus bonus, is vires quoq; conceſſit immerenti, ut quod debui voluiq;, in bonum Univerſitatis præ-

præſtare eò usque potuerim, ſi non ad cujuscunq; applauſum, certè bonâ fide ſtudioq; boni publici, & non citra bonorum atque eruditorum approbationem, ſive Rempublicam ſpectem, ſive Academiam, filiam ejus perdilectam. Pro quo beneficio ſingulari & Divino, ut Numinis benignitati gratiam, ex intimo pectore, devotâ humilitate debeo, habeo, ago: Ita etiam opem iſtam cæleſtem, porrò ad finem usque, quàm diu DEI providentiæ viſum fuerit, à Divina clementia, ſupplici mente etiam atque etiam expeto. Ut verò DEI bonitatem hodie gratus agnoſco prædicoq;, ita mirari mihi contigit non ſemel, quei factum hactenus, quòd, cùm tempore illo viginti annorum muneris mei Academici, quadraginta ſex Doctores Juris, duodecim Doctores Medicinæ, ſexaginta ſeptem Magiſtri Philoſophiæ, publicè renunciati ſint, omnes poſtea vel Conſiliarii, vel Medici ordinarii, vel Profeſſores, vel Paſtores Eccleſiarum, vel Scholarum Moderatores, per Germaniam ſparſi (de qua felicitatis parte rariore, Academiæ noſtræ Altorfinæ multi magniq; Viri cum primis gratulantur) tamen ne unus quidem Poëta laureatus viſus ſit, vel laurum Poëticam apud nos promeruerit. Tantum abeſt, ut Poëtæ, ſalſugine vulgatiores apud nos dici

dici queant; quod ſalſè quidam, de dignitatum titulis, jocando, an ſeriò? pronunciavit. In hujus defectus cauſſam hodie, ubi poſt Jurisprudentiæ Candidatum iſtum eximium, quem heic cernitis, etiam Philoſophiæ Candidatos quinque, & tres Poëſeos, in publicum productos ſuo loco mox conſpicietis, ita inquirere conſtitui, ut ex ejus raritatis cauſſa, præſtantia ſimul Poëſeos eluceſcat, & unà Jurisprudentiæ noſtræ, ut & Philoſophiæ, honor atque dignitas, quam à Poëtis & accipiunt, & eis viciſſim concedunt, quibus hodierna ſolennitas noſtra conjunctim aſſurgit, magis magisq; extollatur. Ubi nemo mirabitur, ſi Poëſin vel ſæpius vel abundantiùs, vel avidiùs prædicari hodie audiverit, raritatis nimirum impulſu; quem ſtimulum amoris eſſe omnes intelligimus. Mihi certè nemo indignabitur, nec invidebit, puto, quòd, gravioribus ſtudiis nunc omiſſis, ad Muſarum amænitates parumper diverto, animiq; mitigationem quovis ſupercilio potiorem habeo; præſertim, cùm ex Poëtices contemplatione ſuaviore, aliarum quoq; artium & ſcientiarum, easq; inter Jurisprudentiæ & Philoſophiæ ſplendor illuſtrior reddatur, oculisq; conſpiciatur amabilioribus. Atenim ita eſt, Auditores, ut verſus habent trochaici:

Conſu-

Consules fiunt quotannis, & novi Proconsules:
Solus aut Rex, aut Poëta, non quotannis nascitur.
Ex quo Tullius, Oratorum rex sine pari, verum esse ait, ex omnibus, iis, qui in artium studiis liberalissimis doctrinisq; sunt versati, minimam copiam Poëtarum egregiorum extitisse. Erronum verò & vulgarium, ne dicam malorum, genus tam est frequens, quàm sunt densæ muscæ, cùm caletur maximè. Ego verò, etsi Poëta nunquam fui, 1. de Orator. 201.

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti somniâsse Parnasso
Memini; utpote, ad quam divinitatem non nisi paucis, quos æquus amavit Jupiter, adspirare datum est: Verè tamen & animitus cum Tullio affirmo, me Poëtarum ingenia semper dilexisse: Unde etiam cum eodem versus Orationi libenter admisceo, Poëtisq; studiosè utor. Poëtas verò, cum viris eruditè doctis, appello illos, qui quasi Divino quodam spiritu afflati, non quomodocunq; claudere versum pedibus, sed cogitationum sublimitati rationem, quæ sermoni dignitatem, gravitatem, jucunditatem, & quasi Divinitatem quandam sive ἐνθουσιασμὸν adjungit, concinnè aptare nôrunt; quos Ennius, approbante Cicerone, sanctos dixit; cùm quasi Deorum aliquo dono commen- Orat. pro Sext. 45. 2. Tuscul. 257.

 dati

dati nobis esse videantur; id quod Poëta ipse ita expressit:

Horat. I. Serm. 4. fol. 215.

- - - neq; enim concludere versum
Dixeris esse satis; neq; si quis scribat, uti nos,
Sermoni propriora, putes hunc esse Poëtam:
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atq; os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.

lib. 10. Epist. 32.

Hinc Plinius secundus Poëticum ingenium dixit lætissimum altissimumq;, hoc est, eruditissimo Catanæo interprete, divinum. *Tanti* enim *Poësis est,* inquit Marsilius Ficinus, *ut absq; summo Dei favore comparari nequeat.* De quo Plato Jovem suum, sive libellum de furore Poëtico scripsit; quem ita definit, quòd sit occupatio quædam à Musis, quæ, sortita levem & insuperabilem animam, exsuscitat eam atq; exagitat per cantilenas aliamq; Poësin, ad genus hominum instruendum. Deinde cumprimis Palingenii illud, Poëtæ castissimi, mirâ facundiâ nil nisi rosas & lilia loquentis, urgeo, qui ita canit:

in Phædro fol. 443.

Aries 15. in fin. seq.

Quin ego devoveo versus, pariterq; Poëtas,
Cùm video pueros, obscœna docente magistro
Carmina, priores fieri, primumq; pudorem
Linquere paulatim, & sceleratos discere mores,
Unde magis possit nativa augerier illis
Nequitia, & citiùs sub tartara delabantur.

Hos

Hos enim meritò cum Platone è Republica submovemus; illos, inquam, qui Diis ac Deorum filiis adulteria, puerorum amores, furta, mendacia, impotentes iras, dissidia, aliaq; vitia attribuunt; quæ nemo bonus Reipublicæ gubernator ferret in suis civibus; ut nec vice versâ sanctos illos & Divinos, qui, cygnorum instar, candidi sunt, Phœboq; sacri & canori, nemo nisi demens & tyrannus ejiceret. Hanc & non aliam mentem fuisse Platonis, ingenio & doctrinâ principis, cùm Poëtas in Republ. non ferendos censuit, ex eo patet, quòd non tantùm Homeri laudes in cœlum extollit, divinissimum sapientissimumq; Poëtam eum appellat, & in rebus gravissimis testem crebriùs producit; sed etiam, in libro de immortalitate animarum, Pindarum laudat eximiè, cui alii Spiritum quendam cœlestem tribuunt: Quin & in genere Poëtas vel patres sapientiæ, vel Deorum filios, vel eorũ interpretes, indigitat Plato divinus, Poësin verò τὸ ὅλον vocat; non aliam ob caussam, quàm quòd reliquæ disciplinæ liberales ad eam se habeant, ut singula ad omnia & partes ad totum. Id quod manifestum Vobis erit, Auditores, ubi per exempla ibimus, sed paucis. Et quidem de Philosophia primùm, magistra scientiarum nobilissima, res clarior

Vid. Plat. dial. 3. & 10. de Repub. & dial. 2. de legib.

Alcibiad. 2. fol. 134.

rior eſt, quàm ut multis probare neceſſe ſit; cùm vel ſolus Ariſtoteles, à Platone ſecundus, in nonnullis etiam primus, libro ſuo, quem de re Poëtica ſcripſit, illud ipſum ſatis evincat: Ubi ut Philoſophis & Poëtis diſcere æquè jucundiſſimum ait, ita Poëſin rem magis Philoſophicam quàm Hiſtoricam aſſerit, quia magis circa univerſalia verſetur, hiſtoria circa ſingularia. Platonici verò Poëſin & Philoſophiam ita diſtinguunt, quòd illa ſit antiquior, hæc recentior; illa numeroſior, hæc planior. Ut nihil dicam de Philoſophis, qui Philoſophiam verſibus tradiderunt; qualis fuit Lucretius in Phyſicis: De quo illud tacendum non eſt, quod de Empedocle, Philoſopho & Poëta, eximiè cecinit:

cap. 4. fol. 792. B. & cap. 9. fol. 798. A.

Lucret. lib. 1. pag. 24.

Nihil hoc habuiſſe viro præclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum carumq; videtur,
Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt præclara reperta,
Ut vix humanâ videatur ſtirpe creatus.

Ut nihil dicam quoq; vel de Theognidis Ethica, quam verſibus comprehendit inter Græcos; vel inter Latinos de Palingenio, quo judice,

Aries fol. 12.

Non melior, non virginibus magis apta Camœnis
Materies, quàm quæ tractat de moribus, ulla eſt:

Id quod ille cum majeſtate præſtitit. Atque hæc cauſſa

caussa est, quòd homines, à vera Philosophia alieni vitiisq; dediti, Poëtas, satyrarum libertate mortalium flagitia notantes, tantopere aversantur. Nam, quod rectè testatur Flaccus,

Omnes hi metuunt versus, oderunt Poëtas, Horat. 1. Serm. 4.

Fœnum habet in cornu, longè fuge. 213.

Unde Platonis illa admonitio in Minoë: *Si sapitis,* fol. 114. *diligenter cavere debetis, ne Poëticum hominem infensum aliquem habeatis. Poëtæ quippe vim maximam in utramq; partem, & ad laudandum & ad vituperandum, habent.* Ob quam caussam Alciatus Poëtas cum Regibus & Imperatoribus triumphali lauro coronari ait, quòd tantâ libertate in scribendo utantur, quantâ Reges in regnando. Exemplum habemus nobile in Pindaro, qui primam suam Pythiorum Hieroni, Siculorum Regni, ita inscripsit, ut eum ad virtutem quavis tubâ vehementiùs impelleret. Idem illud, quod de Philosophia innui, de historiæ studio multis adstruere velle, quid aliud, quæso, esset, quàm stellarum numerum inire? Inter Græcos vel solus Homerus, inter Latinos Virgilius, ambo Historici Poëtæ summi, ambo perfecti, ambo divini, fidem faciunt, de quorum excellentia alius Poëtarum:

Nectit odoratas & Smyrna & Mantua laurus:

Ne Lucanum, Statium, Claudianum, Silium Italicum, alios ſexcentos, in conſortium adſciſcamus. De Medicina porrò ſi quæris, veneranda antiquitas, hoc eſt, judex incorruptus, abundè reſpondebit, & utriusq;, Poëſeos ac Medicinæ, unum inventorem, unum anteſignanum, Apollinem monſtrabit; quem Melampus, Aratus, Alcæus, Demetrius, Petronius, Æmilius, Auſonius, pluresq; alii ſecuti, utramq; Apollinis artem, Medicinam & Poëſin, ita tractârunt, ut eis etiam templa erecta & feſta ſolennia ſtatuta legamus. Jurisprudentia verò noſtra, regina rerum, quanti Poëſin faciat, ex eo videre eſt, quòd non tantùm magni JCti, Muſas colendo, carmina fuderunt ipſi; id quod Modeſtinum in ipſa curia, pro roſtris, feciſſe ſcribunt; ſed etiam, quòd, in decidendis cauſſis controverſis, Poëtarum autoritate uſi ſunt frequentiùs: Ut Paulus Homeri, in controverſia iſta nobili Sabini & Caſſii, Nervæ & Proculi, cùm de contractu emptionis & permutationis quæſtio eſſet: Quam ſententiam ſequutus eſt Imperator Juſtinianus, aliiq; divini Principes anteriores, eodem teſte. Sic Marcianus quæſtionem de loco religioſo cenotaphii, Virgilii autoritate deciſam, dedit. Sic cùm in Lege Cornelia de Sicariis, de tali appellatione dispu-

l. 1. §. 1. ff. de cõtrah. empt.

§. Itẽ pretium, 3. Inſt. de empt. & vend.

l. in tantũ 6. in fin. ff. de diviſ. rer.

puta-

putaretur, Imperator noster Græca epigrammata Xenophontis (ut ibi legendum rectè monet Antonius Augustinus) produxit, & ex iis litem finivit. Quid? annon Ulpianus noster, regulas Juris scribendo, versus scripsit? quod, cùm etiam illis, qui Jurisprudentiæ operam non dederunt, notum sit, pluribus ostendere nihil attinet.

§. ità lex Cornel. 6. Inst. de publ. jud. lib. 4. emendat. cap. 5. l. 9. ff. de R. J.

Sisto igitur heic, cùm ad JCtos nostros venit Oratio, gradum aliquandiu, & illa, quæ de Poësi, tanquam τῷ ὅλῳ, dicenda supersunt, ad actum mox sequentem, Magistrorum & Poëtarum, differo; illud actui huic Juridico non parùm honorificum censens, quòd non tantùm Philosophi, Historici & Medici, sed etiam JCti Poësin amant, colunt, sequuntur, & ex ea artem suam nobilissimam corroborare atq; illustriorem reddere laudi sibi ducunt; quin & in auxilium juxta atq; ornamentum eam sibi assumere nihil dubitant.

Tibi igitur, Excellentiss. & Consultiss. DN. D. WILHELME LUDWEL, Decane & Brabeuta Spectatissime, Codicis & Feudorum Professor Primarie, Illustrissimi Principis Palatini Reiquepublicæ Noribergensis Consiliarie meritissime, Amice & Affinis pl. honorande, ratione officii potestatem facio, ut, Nobilissimorum Dominorum Scholarcha-

larcharum assensu, Candidatum hunc Præstantissimum & Eruditissimum, DN. HIERONYMUM von Cöllen / Noribergensem, Reipubl. Patriæ Advocatum, qui se dignum tantis honoribus probavit, mediante jurisjurandi formulâ consuetâ, ad verba Notarii Academici jam præstandâ, Utriusq; Juris Doctorem publicâ solennitate renuncies, ipsiq; omnia privilegia Cæsarea, quibus Doctores, per Imperium Romanum publicè recepti, felices gaudent, modo, quo fieri potest ac debet, optimo, concedas, DEI faventiam implorans, nostra ut successu vota secundet!

Sequitur altera pars Orationis, in promotione Magistrorum & Poëtarum recitata.

NUnc quasi de novis est mittenda carceribus Oratio, & quæ de Poëtarum raritate & præstantia, tanquam τῷ ὅλῳ, paulò antè cœpi dicere, pertexenda; sed strictiùs, & non, ut spatium panditur laxum. Ad Theologiam igitur, dominam scientiarum, venio, ubi totos libros sacrosanctæ Scripturæ carmine scriptos constat; quales sunt Psalmorum, Hiobi, Esaiæ, Threnorum

norum Jeremiæ, Cantici Canticorum, aliorumq;, virorum juxta ac fœminarum ſanctiſſimarum hymni, Spiritus Sancti afflatu pronunciati. Uſu enim apud Hebræos receptum erat, ut ad movendos affectus, aut lætos aut lugubres, carminibus uterentur creberrimè. Immò, quòd Poëtarum excellentiam cum primis ſplendeſcere facit, & admirationem omnem ſuperat, ipſe Paulus Tarſenſis, Divinâ & humanâ eruditione Apoſtolorum ſummus, cùm rem omnium maximam, veritatem unius DEI, & unitatem veri DEI, eruditiſſimis Athenienſibus probare vellet, in idololatriam eorum excandeſcens vehementiùs, Arati, Poëtæ Cilicis, verſum illis inculcavit, cujus paraphraſin Latinam Feſtus Avienus ita expreſſit:

Hug. Grot. Act. 17. 28. fol. 100.

Flos & flamma animæ, qui diſcurrente meatu
Mentis primigenæ penetralia dia reſolvens
Implevit largo venas operatus amore:

Quæ eadem ſententia quoque eſt apud Callimachum, Homerum, Heſiodum. Eodem modo cùm Corinthiis ſuis teſtatum iret Evangelii Præco divinus periculoſa maximè eſſe colloquia eorum, qui ſpem tollunt vitæ alterius, ſenarium adhibuit ex Thaide Menandri; quem Tertullianus, Trimetro liberiore, ita tranſtulit:

1. Cor. 15. v. 33. & ibi Grot. 444.

Eraſm. Eccl. tom. 5. fol. 888.

L *Bonos*

Bonos corrumpunt mores congressus mali.

Philip. 3. v. 19. Beust. 1. Post. 641. in fest. convers. Paul.

Sic Philippenses de hostibus crucis CHRISTI fugiendis providè monens, Euripidis versum illis accommodat, qui, dum carnis voluptatibus indulgent, ventrem pro DEO suo habent, & tamen Christiani audiri volunt. Sic Cretensium vitia,

ad Tit. 1. v. 12. & ibi Grot. 767.

multis scriptoribus passim notata, Tito suo, Episcopo eorum indicaturus, ut vitarent seriò, Epimenidis versum allegavit; & quidem non simpliciter, sed Prophetam eum appellans, qui tamen Poëta erat Ethnicus: Quem Plato, Dio Prusiensis, Diodorus Siculus, Strabo, Plutarchus, Maximus Tyrius aliiq; Theologum vaticinantem dixerunt. Ecquid nos igitur Poëtis honorem deferre dubitabimus, quos Apostolus sanctissimus, profanos licèt, tamen Prophetarum nomine dignatus est.

1. Tim. 2. v. 12.

Sic, cùm Timotheo suo mandaret, ne mulieres publicè docere permitteret, ad Philemonis versus Græcos respexisse videtur viris doctis: Quemad-

1. Tim. 5. v. 23.

modum etiam ad alios ejusdem versus cùm eum modico vino uti jubet. Philemonem enim Comicum Græcum, Pauli familiarem, cui Onesimum tanto affectu commendavit & restituit, versus ejusmodi scripsisse, Scipio noster Gentilis, nunquam sine honore nominandus, in eruditissimo commen-

mentario Epistolæ ad Philemonem observavit. *cap. 6.*
Quanta Spiritus Divini efficacia πανοπλίαν illam spiritualem, idem Apostolorum Smaragdus, Ephesiis suis, & post eos, nobis omnibus, scriptam reliquerit, nemo Christianorum est, qui ignoret. *Ephes. 6. v. 13. seqq.* Sed hoc forsan multi, quod in ejus descriptione elegantissima, autor Divinus ad armaturam illam respexit Paridis & Menelai, apud Homerum, ubi ocreas, thoracem, gladium, scutum, galeam, bellatoribus suis Poëta profanus induit; *lib. 3. Iliad. 326.* quem Apostolus imitatus, iisdem armis Christianum, cum Dæmonibus sub cœlo pugnantem, armaturâ Spiritus omnium fortissimè præmunivit. Sed quid tam operosè Pauli epistolas, omnigenæ eruditionis splendore illustres, excutimus, cùm & in Propheticis & in Paulinis scriptis, flores ejusmodi Poëtici, non salubres minùs quàm suavissimi, mirâ sapientiâ sparsi reperiantur? quos Augustinus, magnum Ecclesiæ Decus, in his libris, quos de doctrina Christiana inscripsit, diligentiùs conquirere volupe habuit. *Erasm. rat. veræ Theol. tom. 5. fol. 69.* Quid? quòd ipse filius DEI, Servator noster, omnia penè parabolis convestivit; quod Poëtis peculiare esse, nemo nescit, nemo non amat. Est enim, quod Plato ait, universa Poësis ipsâ naturâ ænigmatum plena, quam non quivis dignoscit. *Plat. Alcibid. 2. fol. 139.*

 scit.

ſcit. Non mirandum igitur, quod Gregorius Nazianzenus, Damaſus, Prudentius, Paulinus, Juvencus, aliique Viri immortalitate digni, CHRISTI myſteria Poëticis carminibus tractârunt, ſed imitandum hoc potiùs cunctis, qui pietatem & religionem Chriſtianam diligentiùs colunt. Poſſem de Chryſoſtomo, aureæ, hoc eſt, omnium dulciſſimæ eloquentiæ principe, narrare, ut Ariſtophanem, Poëtam tanto meliorem, quanto à Poetarum ineptiis magis alienum, pulvillo ſuppoſitum habuerit. Poſſem de Hieronymo, ſanctiſſimo juxta ac erudítiſſimo Eccleſiæ Doctore, allegare, qui ejusdem Poëtæ carmina melliflua puerorum manibus tradidit. Poſſem de Auguſtino jam ſuprà laudato dicere, ut Virgilii Poëmata non ſine admiratione receperit. Sed nolo abuti attentione Veſtrâ: neque tempus protrahendo Candidatorum noſtrorum expectationem morabor diutiùs; cùm vel ex hactenus dictis manifeſtum cunctis eſſe queat, cur tam rari ſint Poëtæ, Viri nempe divinitus afflati; verèq; & præclarè dixiſſe Platonem, Poëſin *τὸ ὅλον* eſſe, eamq; ad omnes diſciplinas liberales ſeſe extendere, & in iis haud tralatitiè verſari; neque ullam vel artem, vel ſcientiam dari, quæ non ex Poëſi vel inſignem utilitatem, vel eximium

mium ornamentum capiat. Atq; hanc caussam esse arbitramur, quòd etiam summi Imperatores ipsi manibus suis Poetas, h. e. omnium scientiarum peritos, homines rarissimos, laureâ coronâ exornârunt: Quam felicitatem summam, in Germania omnium primò, Cunrado Celtæ, à Friderico III. laudatissimæ memoriæ Imperatore, ante duo secula contigisse novimus, anno à nato CHRISTO, supra millesimum quadringentesimum octogesimo septimo, d. XVIII. Aprilis; & quidem in arce Norimbergensi; quam honoris prærogativam Patria nostra, multis Cæsarum privilegiis inclytissima, literarum amore non ultimam ducit: Laurea verò ejus hodieq; Viennæ, ubi Celtes docuit, asservari dicitur: De quo honore ipse de se scribit:

Melch. Adam. in vit. German. Philos. fol. 30. Et Pirckheim. Ep. fol. 116. Et Myl. Hort. Philos. verb. Laurus fol. 280.

Primus ego titulum gessi, nomenq; Poëtæ,
Cæsareis manibus laurea nexa mihi.

Quin & Colophonis loco, hoc peculiare addimus, quòd, cùm in aliis scientiis, non nisi bona & eximia placeant atq; grata sint, in Poësi etiam versus quales quales in pretio habentur: quemadmodum de Alexandro Magno Historiæ referunt, cum à Cherylo, Poeta non admodum sanè bono, singulos versiculos tolerabiles, singulis Philippicis ex pa-

Erasm. lib. 29. Epist. 27.

cto redemisse. Ita nimirum artis excellentia etiam artificem non excellentem charum reddit acceptumq;. Quanti verò Poësin veram, hoc est, Divinam idem Monarcha mundi æstimârit, duo hæc ipsius facta egregiè docent: Alterum, quòd, cùm tot regna eorumq; divitias expugnâsset, nihil preciosius Homero, quo Præceptor Aristoteles eum donaverat, habere se professus est: Alterum, quòd, cùm Thebarum urbem funditus deleri mandâsset, unicam Pindari domum relinquere jussit, tanti Poëtæ famâ ad hoc iracundiæ temperamentum permotus. Sed vela contraho, & cum Palingenio,
Arius 16. Poëta sæpiùs, sed nunquam satis laudato:

Vos moneo, quorum est fidei commissa juventus,
Et quorum est teneras puerorum fingere mentes,
Ceu molles digito ceras: Hæc scripta perosi
Deteriora, aliis incumbite, & illa docete,
Arida quæ non sint, & non indigna referri.

Nunc ad Te me converto, Decane & Promotor Spectatissime, Clarissime & Eruditissime DN. M. TYDÆE, Poëta Laureate dignissime, Eloquentiæ & Poëseos Professor publice, Amice honorande, Tibiq; in præsentia Nobilissimorum Dominorum Scholarcharum, quâ favorem & consensum suum attestantur, duplicem facultatem, quam petiisti,

officii

officii ratione lubens meritoq; concedo ; primùm, ut quinque iſtos Candidatos Ornatiſsimos & Doctiſsimos, JOHANNEM MARTINUM BRENDELIUM, Noribergenſem, JACOBUM SCHWENTERUM, Altorphinum, ANTONIUM REISERUM, Auguſtâ Vindelicum, GOTTHILPHUM TREWERUM, Beſecoviâ-Luſatum, CHRISTIANUM SCHRÖTELIUM, Norimbergenſem, poſt jusjurandum ſolenne, quod per Notarium nunc præſtabunt, Philoſophiæ Magiſtros: Deinde tres ex illis Muſarum aſſeclas in Helicone peculiariter excultos, nempe, JOHANNEM MARTINUM BRENDELIUM, Norimbergenſem, GOTTHILPHUM TREWERUM, Beſecoviâ-Luſatum, JACOBUM SCHWENTERUM, Altdorphinum, Poëtas Laureatos crees atque renuncies, illisq; Immunitates & prærogativas Magiſtrorum & Poëtarum legitimè renunciatorum, in Auguſtisſimi Imperatoris noſtri Diplomate uberiùs comprehenſas, largâ manu publicè impertias; eò feliciùs, quò rariùs.

DIXI.

GEOR-

GEORGIUS RICHTER, JC.

Nobilisſimis & ad omnem gloriæ & Virtutis laudem excitatisſimis Juvenibus,

DN. LEONHARTO GRUNDHERRN, DN. ALBERTO POEMERO, & DN. GEORGIO SCHEURL,

Patriciis Noricis, Dominis & Amicis ſuis plurimùm honorandis, S. & optatum itineris ſucceſſum à DEO precatur ex animo.

IUvenes Nobiliſſimi, iter Vos in exteras regiones inſtituere audio: Mente, ſi ſapientes audimus, non niſi optimæ cuiq; indoli agnatâ, & quæ ſupra humanam ſortem nos extollit. Ut enim Divina, quod Panegyriſtes ad Theodoſium Imperatorem dixit, motu gaudent perpetuo, & jugi agitatione ſe vegetat æternitas: Ita altiores illæ mortalium animæ, quas de meliori ſuto cœleſtis ille Spiritus efformavit, non domi reſidere volunt, aut ſuæ tantùm adhærere terræ, ſed motu gaudent, & cœlum, hoc eſt, originem ſuam unicè imitari ſtudent. Hoc inſtitutum Veſtrum præclarum, ut cum omnibus cordatè judicantibus, ſumma laude dignum eſſe cenſeo: Ita felix fauſtumq; ad eum quem debet finem, eruditionis & prudentiæ, Veſtro cum honore & utilitate patriæ, evenire, ex animo voveo. Et quandoquidem illis, quibus vos curæ eſtis, ita viſum eſt, ut quia ego non ita pridem eadem, quæ Vos nunc cogitatis, loca vidi atque trivi, de iis, quæ homini peregrino vel cavenda vel notanda arbitrarer, Vos quaſi præmonerem, non debui petitioni deeſſe illorum, quibus poſt DEUM me meaq; omnia debeo, quorumq; nutus pro imperio mihi eſſe, debet. Præſertim verò quia, ut eſt apud Julium, hoc natura adfert, ut eis favere debeamus, qui eadem pericula ingrediuntur, quibus nos perfuncti ſumus. Hoc autem dum facio, actum

actum agere nolo, hoc est, ea quæ jam pridem alii eruditione & prudentia longè Clarissimi Viri, in commodum studiosorum peregrinantium edidêre, huc exscribere. Esset enim hoc nihil aliud, quàm cramben bis coctam apponere, quod hominis insulsi est, vel quod Viri boni non est, aliorum laudes sibi rapere. Quin potius quoad hoc, ad ipsos auctores Vos remitto; inter quos, si quid mei est Judicii, Magnus ille Lipsius meritò excellit, in aureâ illa epistola, quam ad Philippum Lanoyum inimitabili stylo exaravit. Ex ea enim non tantum omnium optimè cognoscetis, ad quem scopum peregrinatio vestra collimare debeat; ad prudentiam nimirum, scientiam & mores, & quæ media ad finem istum ducant: Sed etiam alia præcepta notatu dignissima. Inter quæ illud non postremum est, quod peregrinantes frontem apertam, linguam parcam, & mentem clausam habere monet. Hæc, inquam, & similia hîc repetere nolo. Ut nec illud, quod tamen scire, peregrinantis vel maximè interest, qui singularum gentium sint quasi genii naturales, qui eas in hos vel illos mores adigant, quidq; in his vel bonum & amplectendum, vel malum & vitandum. De quibus omnibus Euphormio ille, in parte 4. Satyrici sui, cui titulus est; Icon animorum, ad Regem Galliarum elegantissimè juxta atque prudentissimè scripsit: Quem Libellum cum epistolâ illa Lipsii, Vos in itinere circumferre atque lectitare velim. Illud autem faciam, ut, quia nunc è Germaniâ, rectà in Bataviam sive Germaniam inferiorem, quam alii Belgium vocant, abire, & primùm in ejus Provincia nobilissima, Hollandia, aliquandiu morari constituistis, quid Vobis peregrinis primùm in itinere, deindè in loco ipso vel faciendum vel observandum putem, sciatis. Ubi primùm de gente ipsa Batavorum sive Hollandorum, ad quam itis, illud Vos nescire nolo, quod Erasmus, Vir divinus, verissimè scripsit, si mores spectemus, qui in vita hominis utramq; paginam faciunt, aliam gentem non esse, quæ vel ad humanitatem vel ad benignitatem sit propensior, cuiq; minus adsit vel feritatis vel truculentiæ, & quæ ingenium habeat adeò simplex, & ab insidiis omniq; fuco alienum. Item, quod vix in ulla Orbis parte Doctorum Virorum numerus sit frequentior, quàm in illo terræ angulo. Quibus laudibus etiam illa addi potest, quæ peregrinanti cum primis grata est, quod in vasorum nitore, mensarum lautitia, mantilium atque Lectorum candore, munditiâ denique rerum omnium, gens ista omnes alias nationes vel ad invidiam superet. Quarum laudum ideò memini, quia nonnulli, livore dicam an ignorantiâ? vel quasvis alias regiones, quam Hollandiam, Studiosis Germanis commendant: De qua tamen Chrysostomus quidam Neapolitanus scriptum reliquit, se ex eo, quòd Hollandiæ oram perlustrârit, multò sapientiorem multarumq; rerum peritiorem factum esse. Verùm, non est res aut ita obscura, ut testimonium, aut ita dubia, ut laudatio-

nem desideret; quam ita, uti dixi, se habere, Vos ipsi, Amici honoratissimi, cum illuc, propitio DEO, veneritis, experiemini. In ipso autem itinere, quod cum mercatoribus Hollandis, via consuetâ, Francofurto primùm Coloniam Agrippinam, deinde Ambstelrodamum usque facturi estis, aliud non est, de quo moneri debeatis, nisi ut ad mercatorum comitatum non nimiùm Vos adjungatis, quippe qui illa, quæ hîc vel ibi visenda occurrunt, plerunq; insuper habent, & hoc tantum agunt, ut, quæstui servientes, quamprimum domum ad suos redeant. Quin potiùs, ubi Coloniam perlustraveritis, ad Urbes vicinas excurrite, (si modò nunc per militem vagantem licet) ut sunt Duysseldorp, Vesel, Rees, Emerick, fortalitium Schenckianum, Clivia, Juliacum &c. Ubi postea inviam Ambstelrodamum versùs redibitis.

Per Hollandiam verò iter facientes, essedarios, sive veredarios istos observabitis, qui currulem vectationem ex una Urbe in aliam, certo precio, quod Magistratus constituit, exercent; quod hominum genus subdolum est & fraudulentum, in advenas præsertim, quos, moris & rituum ignaros, in petendo precio circumvenire solet, quos tamen facilè eludere poteritis, si vel hospitem vel comites Vestros in consilium adhibueritis, &, non nisi pacto ab indigenis prius facto, cum illis contraxeritis. Deinde & illam conditionem semper addetis, ut Vos in Urbem ipsam ad hospitium usque deferant: Secùs enim ante portam Urbis descendendum Vobis erit, & bajulus aliquis novo precio conducendus, qui sarcinulas Vestras in Urbem transportet, aut diversorium monstret: Id quod non tantùm in adeunda jam Hollandia, sed etiam pòst, cùm inde per Brabantiam & Flandriam, vel in Angliam, vel in Galliam transmigrabitis, notandum Vobis erit. Porrò ubi Ambstelrodami unum atque alterum diem ab itinere respiraveritis (sæpius enim postea Leydâ illuc redeundum Vobis erit) non mari, sed terrâ Leydam contendetis; Ubi Harlemum Urbem, quæ interjacet, perlustrabitis. Tandem verò, ubi in ipsam Academiam Leydensem, emporium literarum nobilissimum, perventum fuerit, primùm in hospitio eligendo, ad quod minister Academiæ sive pedellus, pro more solito, officia sua citra moram Vobis offeret, non nimiùm, festinare Vos velim, sed priùs diligenter explorare, qui & quot ibi sint Commensales, quò Vos ille ducere cogitat; ut nimirum exploratis priùs uno atque altero, illud postea eligatis, ubi Germani sunt pauciores: Quò sic à consuetis commensationibus tutiores sitis. Et suaderem ego, ut de Neræi ædibus inquiratis, qui natione Gallus, Illustrissimo Principi Mauritio, tempore belli, à concionibus est. Is enim Vobis non tantùm in perdiscenda linguâ Gallica, sed etiam in narrandis rebus novis & Politicis, quarum gnarissimus est, gratus utilisq; erit; cum quo, meo tempore, egregii aliquot Juvenes, bene & cum fructu vixere.

Fuit

Fuit & alius tunc temporis Vir in primis honestus & probus, Johann. Conradus Argi[illegible], Civis Argentinensis, in cujus ædibus Norimbergenses ut plurimum habitârunt, quem & ego per biennium hospitem habui, optimum sanè atque acceptissimum. Sed qui paucis diebus antè, quàm discessi, diem suum obiit, relictâ unicâ filiâ, quinquagenariâ, quæ num hodieq; convictores habeat, ignoro. De eo tamen, ut & aliis, Burckhardus Löffelholz noster, qui in eadem Academia moratur, certiores Vos faciet, vel etiam pedellus Academicus: Cum quo tamen, antequam in hospitium certum consentiatis, prius per unum atq; alterum diem in diversorio, ut dixi, Vos manere velim, quò sic meliùs omnia cognoscere possitis. Ubi verò jam hospitium pro voto nacti eritis, Viris doctis familiares Vos fieri curæ Vestra erit. Et quia hodie inter Professores Juris familiam ducit Cornelius Swanenburg, inter Historicos verò & Politicos Daniel Heinsius, (cui adjunctas hasce Commendatitias cum officiosa salute reddetis) & Petrus Cunæus, Viri fama, virtute & doctrinâ Clarissimi, cum illis conversari, & ab ore eorum pendere, magnam Vobis utilitatem juxta atq; jucunditatem afferet. Et affirmo Vobis, incerti eritis, majoremne in eis eruditionem an humanitatem admirari debeatis? Neq; enim hîc morem illum, certè stultissimum, aliorum conterraneorum nostrorum imitabimini, qui in exteris locis Viros doctos audire, & familiariùs cum illis conversari, vel turpè putant, vel etiam nescio quo rustico pudore erubescunt; cujus tamen verecundiæ suæ non laudandæ, imò vituperandæ omnino, hunc fructum tandem ferunt, quod domum redeuntes, de moribus, statutis & aliis, quæ apud exteros peculiaria sunt, certius quid referre non possunt; id quod de Vobis, Juvenes florentissimi, nequaquam præsumitur. Præter illorum verò, quos dixi, conversationem familiarem, domi quoq; Magistros mutos, hoc est, libros adhibere, operæ pretium erit. Et quia nunc in eo potissimùm laborandum est, ut cujuslibet regionis, in qua vivitis, naturam, mores, historias, statum Reipubl. &c. addiscatis, auctor Vobis sum, ut ad generalem cognitionem omnium regionum, sive Germaniæ, sive Angliæ, sive Galliæ, sive Italiæ &c. Tabulas Geographicas Petri Bertii, Ambstelrodami impressas, adhibeatis, quem librum Vobis in omni itinere ad manus esse velim. In Hollandia verò, ad specialem singularum Urbium cognitionem, Guicciardini descriptionem legetis, diversis linguis una cum Urbium picturis editam. Ad statum Acad. proderit descriptio Academiæ Leydensis, quæ diversis vicibus, cum Iconibus Scholarcharum & Professorum, prodiit. Ad historiam verò totius Bataviæ, hodiernæ præsertim (de antiqua enim, si lubet, Corn. Tacitum lib. 2. Annal. Item lib. 4. histor. & lib. de morib. Germ. ut & c. Cæsarem lib. 1. & 2. de bell. Gall. consulere potestis) facient Antiquitates inferioris Germaniæ, à Petro Scriverio

editæ: Libri item Emanuelis Meterani, & Historia de vita & rebus gestis Principis Mauritii, vulgò Lorbeerkrantz. De bello inter Hispanum & Belgas eleganter & succinctè scripsit Joh. Meursius, in libro, cui titulus est: Joh. Meursii rerum Belgicarum lib. IV. De induciis verò Belgicis omnium optimè Dominicus Baudius. Quod verò ad statum Reip. attinet, nemo meliùs Vos docebit quàm Hugo Grotius in libello, cui tit. est: De antiquitate Reip. Batavicæ: Quos duos postremos, Grotium, inquam, & Baudiū, ob singularem eruditionem & prudentiam Civilem eximiam, diligentiùs Vos lectitare suadeo. Sunt præterea & alii libri variæ conditionis in Acad. ista impressi, illis, qui ad Remp. nati sunt, apprimè utiles, ut Petri Cunæi de Repub. Hebræorum, Centuriæ duæ illustrium Epistolarum superiori seculo à Belgis & ad Belgas scriptarum; Erasmi vita & Epistolæ selectiores a Scriverio editæ: In quibus multa præclara ad Wilibaldum Pirckheimerum, Senatorem olim Reip. nostræ prudentissimum: Item Cluveri Germania: De quo auctore, ut & de Scriverio ἐν παρόδῳ sciatis, eos quidem in numero Professorum non esse, sed alias functiones Literarias scribendo obire, in quorum familiaritatem, præter supra dictos, ob exquisitam eruditionem & virtutem præclaram, insinuare Vos facilè poterjtis. In perlustranda autem Hollandia, ad Hagam Comitis, quæ Cordis instar est, aliquoties divertetis, ubi Ordines fœderati, cum Marte suo Mauritio, sedem atq; curiam habent. Vivit in ea Philibertus quidam du Bois, Pragensis, aliquot Germaniæ Principum Agens, ut vocant; cujus ope aditus ad rariora Vobis patefiet. Inter Urbes verò cæteras, Enchusam non præteribitis, quæ in Hollandia Boreali sita est, in qua admiranda illa Paludani visuntur, ad quem Mercatoris Lamberti von Twcenhuysen/ qui ei amicus est, commendatio multum proderit. Verum de his aliisq; rarioribus Guicciardinus Vos monebit. Atq; hæc de itinere Vesto in Bataviam. Eundem verò morem in Anglia quoq; servabitis, ubi si Oxonii morari animus est. Clariss. Heinsius, aut etiam Cluverus, qui uxorem habet Anglam, amico cuidam Vos commendabit, ad quod iter præter tabulas Bertii, quas supra laudavi, cum fructu adhibebitis primum Hentzneri Itinerarium, deinde Cambdeni (qui hodie Vir summus est in Anglia, & una cum eo Episcopus Eliensis Heinsio familiarissimus, & M. Antonius de Dominis, Episcop. olim Spalatensis, qui Viri summi omnino salutandi Vobis erunt) Britanniam, in epitomen contractam: Item Thomæ Smidii, qui Elisabethæ Reginæ à Consiliis fuit, libellum de Republica Anglorum, & Thomæ Wacke, Oratoris Oxoniensis, Regem Platonicum; qui tamen auctores, ubi illuc perveneritis, comparandi demum erunt.

In Galliam verò aliquando abeuntes, omnium optimè Vos informabit Jodoci Sinceri (aliàs Justi Zinzerlinus) Itinerarium Galliæ, de cujus Regionis historia,

ſtoria, ſtatu Reipubl. & aliis alio tempore plura, ſi Vobis ita videbitur, lubentisſimè communicabo.

Hæc interim, & ſi quæ ſunt alia, quæ uſus docebit, ſi in Batavia non negligetis, & in reliquis quoque regionibus continuabitis, absque dubio ſpem Patriæ de Vobis conceptam adimplebitis. Sic igitur ite pede fauſto,

Quò Vos parentum vota, quò
virtus favens, Geniiq; flagrans
ardor, & ſpes vivida vocant:

Sicq; iter Veſtrum, cum ardenti in primis invocatione Numinis Divini, DEI ter Opt. Max. inſtituite:

- - Ut mens Cœleſtis abundet
Dotibus, & tacito illapſu ſapientia creſcat.
Hic ſcopus, hunc Vobis, Juvenes proponite finem,
Quos inflammat honor:

Neq; de ſucceſſu dubitate; quem ut JEHOVA clementiſſimus gratiâ ac benignitate ſuâ ſecundet, qui Jacobo Patriarchæ inter exteros peregrinanti benedixit, iterum, precor atq; voveo. Valete & feliciter redite. Dabam Norinbergæ ad d. XXIV. Martii, A. C. cIↃ IↃc XX.

Veſter
Georg. Richter, D.

Reverendo Clariſſimoq; Viro,
GEORGIO KÖNIG, SS. Theologiæ Doctori eximio, & Inclytæ Univerſitatis Altorphinæ Profeſſori primario, Amico ſuo pl. honorando,

GEORGIUS RICHTER, JC.

S. D

Reverende & Clariſſime Vir,

INter tot tantasq; ſeculi calamitates, quibus Germania, Patria dulciſſima, proh dolor! afflicta, ſive viciſſitudinem rerum fatalem, ſive pœnas cœlitus immiſſas, hoc tempore luget, haud poſtremam putare fas eſt, quòd, poſt alia damna publica, etiam Academiarum easq; inter Altorphinæ noſtræ facies, diuturnis Bellonæ furoribus, ſqualidior apparet, in cujus mali medelam omnes bonos incumbere decet. Quantum enim interſit Reipublicæ, docentium & diſcentium

cœtus non dissipari, Virtutum præmia merentibus tribui, & semper medios inter bellorum motus esse, qui pacis studia honestasq; disciplinas assiduè tractent, & ab interitu vindicare annitantur, παχύδερμος sit oportet, & Elephanti contectus corio, qui non agnoscat. Quin & meliore hominis parte destitutus, qui mala illa, quæ literarum vel neglectum, vel statum infeliciorem comitantur, ægerrimè non ferat. Nos certè hac illarum sorte deplorandâ maximopere movemur, qui non nescimus, quòd Academia, in qua disciplinæ istæ liberales florent, nihil aliud sit, quàm, ut magni cujusdam Viri habet elogium, arx sapientiæ, templum veritatis, scientiarum thesaurus, omnium liberalium artium mercatus, modestiæ & humanitatis palæstra, civilium instrumentorum armamentarium, amicitiæ & humanarum virtutum officina, mirabilium animi voluptatum paradisus, fons universæ in hac terra vitæ beatæ, & aurora quædam communis omnium salutis prænuncia. Ex quo invidendo encomio, quod pace Fascini dixerim, nemo est, qui, præter alias luctus publici caussas, etiam illam, quam dixi, non intelligat. Ut enim matris viscera acutissimè discruciantur, cùm filiam dilectissimam malè habere videt: Utq; navis periclitatur ipsa, cùm Cymbula annexa, vi tempestatis, laborat: Ita Respublica nostra Academiæ suæ faciem tristiorem non potest non ferre molestissimè, neq; in vado esse se putare, cùm illam metu perculsam cernit, quam non minùs, atq; ancoram, in tanta navigationis incertitudine, necessariam sibi judicat, & cujus salutem, à salute propria, non nisi periculosissimè se jungi posse novit. Mearum quid sit partium hac in re, facilè intelligo, & utinam vires voluntati pares essent. Non committerem sanè unquam, quid in me desiderari, qui Academiæ bono studere, nunquam non avidissimè gestio. Atque hinc est, quòd ab actu isto promotionis Magistrorum, quem die XVIII. Decembr. Academia, officii sui memor, &, inter mala tempora, bona vota servare studens, DEO dante, celebrabit, temporis injuriâ invitus abesse cogor: Cùm tamen eò libentiùs Candidatis istis Philosophiæ Ornatissimis gratificarer, quò diutiùs in ære illorum hactenus fui, utpote quibus, ante semestre, Virtutum præmia tributa decebat. Verùm cùm, tunc temporis, vis major moram injecerit, & Minervæ nostræ filii Martis nepotibus tantisper cedere coacti fuerint; nunc quoq; aliæ adhuc remoræ impedimento sint, quò minùs præsens, quod optabam ego illique petebant, officium meum actui tam honorifico impertire possim; excusatum, rogo, me habeat Universitas Inclyta. Εἰ καὶ ἄπειμι τῷ σώματι, παρειμὶ τῷ πνεύματι, & ut animi indicem testemque amoris has literas esse volo, ita corporis absentiam præsentiâ Tui suppleas, vicesq; meas, in actu isto publico, haud gravatim agas, & ad Epistolam hanc, incultam licèt, publicè legendam, quam consuetæ Orationis loco exarare volui, mihi vocem

Tuam

Tuam commodare non dedigneris, amanter rogo. Tantum autem abest, ut ex hac absentia nostra honores istos Philosophicos vel parùm à nobis æstimari putent, vel de animo erga se promptissimo dubitent Candidati nostri, sive, qui eos publico sistunt, Philosophi Præstantissimi, ut potius, si per alia Reipublicæ negotia hoc tempore licuisset, uberiùs demonstrare cogitaverim, non minùs perniciosè, quam perversè sentire illos, qui, cultu humaniorum literarum diligentiore insuper habito, studiisq; Philosophiæ vix eminus ac ne vix quidem salutatis, ad altiora Facultatum, quas vocant, culmina præcipites anhelant, & literas istas atq; artes verè humaniores elegantioresq; magno supercilio aspernantur: Quibus invigilare diligentiùs, tantum non dedecori sibi ducunt; errore incertum, an damno publico majore? Quorum sinistra opinio quantum noceat publicè, sæpe non citra indignationem experiri cogimur. Verùm hac de re, & quàm necessarium sit Studiosis omnibus, & sic Juri quoque operam daturis, probè artibus istis nunquam satis laudandis imbui, & contrà, scopuli instar, eorum consuetudinem cavendam esse, qui acerba studia ac immatura in Rempublicam, in Forum, in Ecclesiam protrudunt, alio tempore, favente DEO, dicam copiosius. Nunc, in tanta exemplorum magis moventium multitudine, nubem quasi cogere, & Reges, Principes, Duces, aliosq; Viros, genere & Virtute Nobilissimos, qui artium istarum & Philosophiæ studia, eorumq; honores publicos magni æstimârint, in scenam producere nihil attinet. Vel unum hac vice, ad excitandos Studiosorum animos, sufficere poterit, quod de Sigismundo illo ab Herberstein historiæ ejus scriptores prodiderunt. Is Vir, literis & armis præclarissimus, cùm egregiam operam tribus Cæsaribus gloriosissimis, Maximiliano I. Carolo V. & Ferdinando I. navâsset, & multis gravibus atque honorificis Legationibus, per Europam Asiamq;, dextrè functus fuisset, non paucis licèt honorum titulis clarissimis pro merito insignitus, primusq; familiæ suæ Baro declaratus, eò tamen præcipuè nominis sui gloriam extollere voluit, quòd, Juvenis XVI. annorum, in Academia Viennensi, prima Philosophiæ laureâ ornatus fuerit. Cumq; senex jam functionum suarum seriem atq; habitum in tabellis, firmioris memoriæ ergo, depingi curâsset, eamq; picturam aliquando hospiti amico exhibuisset, illam formam, quæ Baccalaurei titulum repræsentabat, præ reliquis omnibus plurimi fecit: Ut quæ ingenii viribus potissimùm conciliata esset, cùm reliquæ vel generis splendori, vel favori Principum debitæ, illi veluti basi inniterentur. Quid, quæso putas, Virum sapientissimum fecisse, si supremam quoq; Philosophiæ lauream & Magistri titulum assequi ei licuisset? conjecturam ex eo facere licet, quòd, nonnullorum fastum notando, in colloquio cum quibusdam, ita loquutus fertur: *Hac mea*, inquit, *prima est dignitas, ex studiis parta, quam imperiti & insipidi quidam,*

dam, Doctoris nomine, mihi exprobrârunt, quo ego nunquam fui dignus, licèt [illegible] essem, sæpe optarim. Hoc effatum Viri Summi, de studiis humanior[illegible]us & bonorum Philosophicorum titulis magnifaciendis, meritò plurimorum [illegible] existimantium inepto judicio anteferri, tantiq; apud omnium Facultatum S[illegible]osos esse debet, ut sive sacrosanctæ Theologiæ industriam suam devoveant, sive ad Jurisprudentiam animum applicent, sive artem sectentur Medicam, ad n[illegible]m tamen scientiarum istarum sublimiorum illotis, quod dicitur, manibus acc[illegible], sed animum Philosophiâ literisq; humanioribus bene præparatum [illegible]t. Quin & progrediendo assiduè excolere non cessent, certoq; sibi persuasum habeant, secùs honores istos superiores nec adiri dextrè, nec usurpari fe[illegible]er, nec gloriosè retineri posse. Et quia de Medicina, quod dixi, utpote Philosophiæ cognatissima, pauciores sunt, qui dubitant, de persuadendi rationibus non a[illegible] laborandum erit. Idem verò de Legum quoq; scientia, omnino statuendum esse, suo tempore, spero, quod interim credi mihi volo, evincere licebit fac[illegible]. De Theologia autem, omnium scientiarum Domina, cùm Tu ipse, Vir Reverendâ dignitate Clarissime, proprio exemplo illud ipsum asseras, firmissimeq; studiosis auditoribus testamentum facias, eò minùs de assensu aliorum dubitare licet. Præclarè enim, ut nôsti, Magnus ille Erasmus: *Sit sanè*, inquit, *Regina Theologia: Sed nulla Regina tam potens, quæ pedissequarum recuset officium: Ab aliis admoneri se patitur, ab aliis comi, & ad suam gloriam pertinere credit, si famulas habeat honestissimas.* *Ita tamen*, admonet idem paulò pôst, *adhibeantur literæ politiores, non ut depraventur disciplinæ, quæ, cum maximo generis humani bono, tr[illegible] in Academiis, sed ut purgatiores sint, magisq; sobriæ: Neque enim Dominæ ancillam præferre decet.* De Scipione quoq; nostro Gentili, piæ memoriæ, Doctore olim meo Juris Excellentissimo, non ignoras, quàm piè & eruditè in eleg[illegible] illo, in D. Pauli Apostoli ad Philemonem Epistolam, commentario, demonstret, & ineptos pariter esse & impios, qui Paulinas Epistolas, quasi ab omni elegantiâ artificioq; nudas, fastidiunt, quorum stultitiæ refellendæ (verba illius [illegible] formalia) judicium maximi illius, & harum in primis literarum, quæ ab humanitate nomen habent, intelligentissimi acerrimiq; censoris, Desiderii Erasmi, (quem jam antè laudavi, quamvis omni laude sit superior) objiciendum censeat. Quin & hoc quoq; apud cordatiores liquet, vel potius, teste experientiâ, apud omnes constat, artium liberalium & linguarum intelligentiam non solùm ad divinæ scientiæ cognitionem esse necessariam, verùm etiam ad Christianæ ditionis pomœria vel propaganda vel stabilienda plurimum conducere: Cùm nullum unquam regnum aut coaluerit aut diuturnum fuerit absq; disciplinarum [illegible] linguarumq; glutino. Atq; hoc est, quod Nicephorus & Sozomenus de antiquis

Ecclesiæ

Ecclesiæ Præfectis memorant, existimâsse Viros pietate & doctrinâ maximè Conspicuos, liberales artes cæterasq; Philosophorum scientias multum ad Theologiæ studia conferre. Quæ causa etiam fuit, quòd, Eusebio teste, Anatholius, Episcopus Constantinopolitanus, Scholæ quoq; Aristotelicæ, omnium Philosophicarum perfectissimæ, præfectus fuerit. Et de Carthagine, Urbis Romæ æmula, Salvianus, Episcopus Massiliensis, (quem Rittershusius noster, beatæ memoriæ Sacerdos Justitiæ venerandus & literarum grande decus, immortali nominis sui famâ, in lucem redire fecit) illud inter alia potissimùm commendat, quòd artium liberalium Scholas, Philosophorum officinas & linguarum Gymnasia optimè constituta habuerit, ita, ut eam quasi Romam in Africano Orbe nominare non dubitaverit. Quid Chrysostomus, Suada illa ac medulla sacræ eloquentiæ, non tantùm aureo suo dicendi flumine, sed etiam acumine ingenii Philosophiæ studiis probè subacto; quid Hieronymus, ejus Discipulus, Romanæ linguæ eloquentissimus, magnum & Cœleste Ecclesiæ columen, inusitatâ diligentiâ linguarum studiis adhærendo, præstiterit, notius est, quàm ut inculcari debeat. Originis, Basilii, Nazianzeni, Athanasii, Cyrilli, Ambrosii, Hilarii, Augustini, Tertulliani, Lactantii, aliorumq; id genus tam Græcæ quàm Latinæ Ecclesiæ Doctorum laudes, quas ex Philosophiæ quoq; & elegantiorum literarum exacta scientia ita consequuti sunt, ut nonnulli ex Philosophis & Oratoribus, Episcopi & Ecclesiæ Antistites facti fuerint, vix Volumen, nedum Epistola caperet: De quibus constat, ex Grammaticorum, Rhetorum, Poëtarum ac Philosophorum libris adeò operam dedisse, ut quàm solam laudem Ecclesiæ hostes eâ tempestate sibi vindicabant, eam ipsis, ex propriis eorum scriptis, non minore Utilitate quàm animo, præripuerint atq; extorserint. Quid? quòd ipse DEI Filius, unus omnes omnis sapientiæ atq; cognitionis thesauros in se ipso reconditos habens, cùm in cœlum Homo ascendisset, ubi cum Patre DEUS erat ab æterno, non priùs Evangelii sui præcones; Apostolos Divinos, Verbum fidei Orbi terrarum anunciare voluit, quàm à Spiritu Sancto, omnium scientiarum atq; artium autore ipso, necessariâ linguarum cognitione cœlitus, instructi essent: Nimirum θεοδίδακτοι, quia omni humanâ eruditione ante Divinam erant destituti, adeò, ut postea Hierosolymis summus Pontifex, Annas, cum Caipha, Joanne & Alexandro, (at quantis apud Judæos Viris?) totoq; eruditorum Senatu, hominum antea illiteratorum repentinam simul atq; profundam scientiam, & dicendi facundiam inusitatam ad stuporem usq; admirati fuerint. Sic instrumentum illud à DEO peculiariter electum, Paulus Apostolorum Phœnix, quæ ex Poëtis atq; Philosophis didicerat, Divinis scriptis suis inserere non dubitavit: Qui etiam, ut nullâ re præcipuis Apostolorum inferior, ita non tantùm supra cæteros

N omnes,

omnes, linguarum gnarus fuit, sed etiam Philosophis acutissimis, quales in primis erant Athenienses, doctrinam Evangelii Divinam instillare laborans, proprio Philosophiæ gladio eos jugulare, neq; intempestivum neq; professione suâ indignum judicavit, Verùm instituti mei non est, in campum tam patentem latiùs nunc excurrere. Neq; illo, Juliani, Christianæ veritatis desertoris & oppugnatoris infensissimi, exemplo, fidem dictis astruere volo: De quo novimus, cum astutâ impietate prohibuisse, ne Christiani ampliùs ingenuas disciplinas studiaq; Philosophiæ aut discerent, aut docerent, cùm bonas literas tam ad interpretationem sacrarum scripturarum, quàm ad refellendos impiorum & hæreticorum errores, in primis conducere, compertum haberet. Sed illud saltem Studiosorum animis dictum esse cupio, non esse, quod Gratiani palea imponi sibi patiantur, qui Can.7.distinct.37. scriptitare non erubuit, Divum Hieronymum (cujus ut eruditionem suprà laudatam in scriptis, ita pietatem in vita nemo vel admirari vel prædicare satis potest, ut qui gemitibus ac lachrymis frequentiùs quàm verbis de peccatis suis DEUM compellavit) cùm libros legeret Ciceronis, ab Angelo correptum fuisse, quòd Vir Christianus paganorum figmentis intenderet. Quæ fabula tantum apud nonnullos valuit, ut ad aliud figmentum prolapsi, quod Bartholomæus Scala ad Angelum Politianum scripsit, aliquando in coronæ colloquio, beatissimum illum Virum, quod Ciceronianus fuisset, ante Æterni Judicis tribunal vapulare dixerint, non impiè minùs, quàm imperitè. Quin potiùs illum canonem audiant, qui, eodem, quem dixi, Gratiano referente, ita habet: De quibusdam locis ad nos refertur, neq; Magistros, neq; curam inveniri, pro studio literarum. Idcirco in Universis Episcopis, subjectisq; plebibus & aliis locis, in quibus necessitas occurrerit, omnino cura & diligentia adhibeatur, ut Magistri & Doctores constituantur, qui studia literarum liberaliumq; artium dogmata assiduè doceant, quia in his maximè Divina manifestantur atq; declarantur mandata. Can.12. ibid. Sed nolo coram Roscio Comœdiam agere, aut facem luci meridianæ accendere, in qua Academiæ nostræ Studiosis versari licet, dum audire illis datum est eos, qui ab Amplissimo Senatu ad docendum publicè sunt constituti, Viri omnium artium, scientiarum atq; linguarum peritissimi, re ipsâ exprimunt, quod ego scriptione hac assertum eo. Itaq; manum tollo de tabula, præsertim cùm videam, me jam dudum, longiore Epistola in leges Grammaticorum (quanquam sine populi suffragio latas) peccâsse: Reprehensione tamen eò minore, quò majore amore erga Academiam, alteram matrem meam, id factum: In cujus gremio, dum hæc scribo, cum Viris illis doctissimis, quorum eruditione Respublica felicitatem discunt, versari mihi videor: Neq; verò dubito, quin Juvenes quoq; isti, Virtute atq; eruditione Ornatissimi, ab inclyto Philo-

Philoſophorum Ordine in publicum prodire juſſi, exemplo ſuo, quod dixi, comprobaturi ſint, & ſive Theologiæ, ſive arti Juris, ſive Medicinæ, poſt impetratos iſtos honores Philoſophicos, litare cogitent, ſtudia humaniora & Philoſophiæ ſemel adamata, conſtanter amare perſeveraturi; cujus conſilii, me ſponſore, nunquam eos pœnitebit.

Ad illud igitur, quod initio volebam, & res atq; tempus poſtulant, redeo, & Te, Vir doctrinâ & dignitate Reverende, amicè rogo, ut, quandoquidem Præſtantiſſimus & Doctiſſimus Vir, Dn. M. Jacobus Bruno, Ethices & Græcæ Linguæ Profeſſor Publicus, nunc temporis Decanus Philoſophiæ ſpectabilis, Amicus noſter honorandus, unà cum Collegis ſuis Clariſſimis, Philoſophis eximiis, Juvenes iſtos XIII privato publicoq; examine dignos deprehendit, quibus ſupremi Philoſophiæ honores conferantur, meo nomine & ratione officii, à Republica mihi demandati, ipſius petitioni annuas, licentiam ei dando, jam dictos Juvenes, omnes & ſingulos, nimirum,

Johan. Paulum Felbingerum, }
Eliam Pilgram, } Noribergenſes.
Johan. Danielem Schwenterum, Altorphinum.
Georgium Hönium, Noribergenſem.
Johan. Chriſt. Widerum, Grieskircha-Auſtriacum.
Jacobum Petrum Schechſium, Poppenreutenſem Noricum.
Petrum Seuffertum, Noribergenſem.
Heinric. Conrad. Bruckhauſen, Gelhuſanum.
Wolfgangum Bröſtel, }
Michaëlem Schölnbergerum, }
Fridericum Welhamerum, } Noribergenſes.
Wolfgang. Jacobum Dümlerum, & }
Johannem Beckium, }

Publico ſolenniq; more, in noſtra aliiſq; Germaniæ Academiis hactenus conſueto, Magiſtros Philoſophiæ creandi atq; renunciandi, omneſq; immunitates atq; privilegia illis concedendi, quibus, Philoſophiæ Magiſtri legitimè promoti, ubique locorum frui atq; gaudere ſolent. Ita rem nobis feceris gratiſſimam, & hoc uno officio obligabis plures: Quod ut DEUS, qui ſolus omnia poteſt, pro clementia ſua infinita, per Filium JESUM CHRISTUM, Dominum ac Servatorem noſtrum unicum, (qui ineffabili pietatis myſterio, omnium confeſſione maximo, DEUS manifeſtus factus eſt in carne) bene vertat, & languentem Academiæ floſculum brevi revireſcere faciat, gregem, ut audio, Bellonæ furoribus diſſipatum & puſillum, indies magis magiſq; augeat & reducat, totumq;

Universitatis corpus pristino nitori restituat, vehementer etiam atq; etiam à Divina ipsius Bonitate contendo, inq; hoc felici omine desino. Vale. Dab. Norib. XV. Decembr. Anno clↄ Iↄc XXXII.

Ad Magnificum, Nobilissimum, Amplissimæ Dignignitatis & Prudentiæ Virum,

DN. CHRISTOPHORUM FÜRERUM,

ab Haymendorff & Wolckersdorff, Inclytæ Reipub. Noriberg. Senatorem, tandem & Duumvirum primarium, Prætorem & Castellanum eminentissimum, A. C. clↄ Iↄc XVIII. d. V Decembr. Obitum Uxoris, Nobilissimæ MAGDALENÆ GEUDERINÆ, ab Heroltzberga; Et A. C. clↄ Iↄc XXXIX. Obitum Filii, DN. CHRISTOPHORI FÜRERI, in ipso Ætatis & Honoris flore extincti, lugentem,

Binæ Consolatoriæ

GEORGI RICHTERI, JCti.

ETsi, pro singulari animi Tui magnitudine & prudentia, ita Te in luctu Tuo geris intestino, ut omnes Virtuti Tuæ gratulari potiùs debeant, quàm dolorem Tuum consolari: Neque, ut Marcus ille Tullius in morte Tulliolæ suæ, desideras, ut Philosophi ad Te consolandum undique concurrant: Quia tamen amissi boni præstantia Summorum etiam Virorum magnanimitatem interdum obnubilare solet; & à multis jam seculis in luctu viventes consolari, ad communis penè loci legem redactum est: Facere non potui, quin aliorum exemplum, qui pietatis istud officium abundè Tibi præstiterunt, imitarer. Non quòd quicquam me allaturum sperem, quod vel Prudentia Tua singularis ignoret, vel magnanima non præstet Virtus: Sed ut animum & cultum meum Tibi probarem, nulliq; in Te colendo cederem. Quem pietatis affectum quin piè, pro more Tuo, accepturus sis, injurius sim in Virtutem Tuam, si dubitare velim. Optâssem autem, ut à reditu paucos ante dies in Patriam, à qua procul ultra quadriennium peregrinando vixi, alia se mihi obtulisset occasio, quâ primitias, ut ita dicam, grati animi mei, pro meritis non vulgaribus, Virtuti Tuæ afferre potuissem. Sed quia parére nos decet Imperatori DEO,

Cui militat gens omnis hæc mortalium,

capienda nobis ſunt, quæ licet, non quæ optamus. Tantum autem abeſt, ut quisquam Chriſtianorum hodie cum plumbeis Stoicis inſanire velit, & ne quis occaſum amicorum doleat, prohibere, ut potiùs officii atq; pietatis gloriam illis tribuamus, quos piè, ut decet, ſuorum mortem lugere videmus. Et certè juſtiſſimam Tibi lugendi cauſam eſſe, omnes nôrunt, qui, quantum bonum amiſeris, non ignorant: Uxorem dico optimam, vitæ toriq; conſortem fideliſſimam, caſtitatis exemplar ſingulare: Uno verbo,

Matronale decus, ſpecimen venerabile morum,

tantum Tibi amatam, quantum nulla amabitur Viro: Cujus laudes eximias & Virtutes plùs quàm fœmineas, verbis adæquare velle, nihil aliud eſſet, quàm cum ratione deſipere. Hanc amiſſam quòd graviter doles, omnes boni non tantùm Tibi ignoſcunt, ſed etiam pietatem Tuam & amorem ſingularem ſummis laudibus deprædicant. Neq; ullius livor ſeculo hoc, alioquin maximè invido, eò usq; progredietur, ut voluptatem iſtam invidere Tibi velit, quam, dum frena laxas gemitibus & dolorem dolendo vincis, ex ipſa percipis miſeria.

Verùm etſi luctus Tuus tantus videri poteſt, ut quod in alio nimium eſt, in Tuo parùm eſſe exiſtimare poſſis, unusq; modus haberi ille, nullum lachrymis noviſſe modum: Attamen deſiſtendum tandem à dolore eſſe, & animum tam gravi vulnere ſaucium conſolationis remedio ſolidandum, illa, quæ rectiſſimè à Sapientiſſimis Viris tradita memoriâ tenes, ambigere Te non ſinunt. Equidem multa ſunt, quæ vulgò in conſolationibus adferri ſolent: Nimirum, legem eſſe communem, quâ mortales natos denaſci neceſſe ſit, limite aut termino nullo nobis fixo, niſi quem DEUS in tabulis providentiæ ſuæ ſcripſit. Item, parcendum eſſe dolori irrito, qui nos mortuis adjicere factum debere, quod futurum non ignoravimus: Hocq; omnibus æris illum funeſti ſonum denunciare, quod Natura nulli Neceſſitatis ſuæ gratiam faciat. Et, cum eôdem nos ire oporteat omnes, quò totus hic orbis & rerum natura eunt; in qua nihil eſt æternum, ſed cuncta ad hanc conditionem facta, ut, quod cœpit, deſinat, adeò ut etiam clariſſimas Urbes (quarum tamen vita humanam longiſſimè excedit) periiſſe videamus; non rectè illos facere, qui communi mortalitati luctum ſubmittunt, aut privatim ſibi dolorem vindicant, cujus cauſa ſit publica. Hæc, inquam, & ſi quæ ſunt ſimilia, quæ ab Ethnicis, ut plurimum hominibus, hanc in rem ſplendidè differuntur, omnia Tibi & notiſſima ſunt, & re ipsâ talia, ut nihil inde puræ & in imo manſuræ conſolationis hauriri poſſit:

Mulcere mentes iſta plebeias ſolent,
Quorum ſepulta ſpes jacet cum corpore,

Nihilq́; prater funeris curam brevem
Tangit propinquos, & nepotibus manet.

Sed

Non ita, quas ratio doctrinaq́; conscia recti
Formavit gentes, & cultu pectora finxit.

Ultra imus Christiani &, ex Pauli præscripto, non eo modo amicos nostros lugemus, in CHRISTO dormientes, quo illi, qui, spe resurrectionis destituti, suos solent verè mortuos: Sed, spe immortalitatis animorum confirmati, certâ fiduciâ credimus, quemadmodum Filius DEI, Mediator generis humani, CHRISTUS JESUS, è mortuis resurrexit, ita & nos è somno illo mortis evigilaturos tandem esse, & in eam vitam transituros, quæ nec temporum metis nec beatitudinis modo circumscribi potest. Ad hanc sempiternam felicitatem ex lugenti campo præmisisti alteram cordis Tui partem; hoc est, Uxorem dilectissimam, quæ non obiit, sed ad CHRISTUM abiit; Tibi non erepta est, sed à DEO recepta; non amissa, sed præmissa, & è misera servitute peccati asserta justis vindiciis in libertatem filiorum DEI. Quapropter nequaquam dolendum ampliùs est, sed

- - Gratulandum sospite tot è malis,
Rituq́; Thracum funus exequi decet
Non lesso inani, sed secundis plausibus:
Ceu pressa cum carina jam portu subit,
Puppim coronat læta navalis manus,
Solvitq́; vota littoralibus DEIS.

Vulgati illius Te admonere, quod commodato illa Tibi à DEO data fuerit, non mancipio: Neq; ad satietatem Tuam cōcessa, sed ad supremi Imperatoris Legem, nihil aliud esset, quàm γλαῦκ' εἰς 'Αθήνας, aut Soli facem accendere. Quàm probè omnia hæc noveris, re ipsâ testaris, omnesq; in admirationem Tui rapis; qui ita fers malum hoc domesticum, ut curis Reipubl. non anteponas, neq; dolore privato à negotiis publicis avocari Te patiaris. Qua in re summorum in Romana, hoc est, optima Republ. Virorum, Marci dico Catonis, Q. Fabii Maximi, Lucii & Æmilii Paulorum, Horatii Pulvilli, Julii Agricolæ, maximorum item Imperatorum, Julii, Augusti, Tiberii, aliorumq; similium præclarissima imitaris exempla; qui, ut historiarū habent monumenta, domestico vulnere icti sicut per ἀναλγησίαν Stoicorum nō ambitiosè: Ita neq; per lamenta & mœrorem muliebriter se gessere, sed ita privatum tulere malum, ut publicum bonum longè habuerint antiquius. Hac virtute verè singulari & Heroicâ macte, Vir Nobilissime; in qua, ut & reliquis, quibus à DEO donatus, Reipublicæ nostræ ornamento es, ut te DEUS & Servator

vator omnium, cum prole, quàm diutiſſimè ſalvum atq; incolumen conſervet, omniq; felicitatis genere beet, ex animo precor atq; voveo. Dabam Noribergæ, ex ædibus paternis d. XX. Decembr. Anno Chriſti cIↄ Iↄc XVIII.

Conſolatoria altera.

ACerbiſſimè perculit me nuncius de obitu Filii Tui; longioris vitæ uſu, omnium judicio, digniſſimi. Quod vulnus eò altiùs animo inſedit quò minùs pietatis officium, in funere ipſius proſequendo, per invaletudinem nunc præſtare mihi licuit: Quod ut omnino debeam, ita volebam maximè. Certè enim non parùm doloribus meis arthriticis, qui illo ipſo tempore lecto me affixerant, acceſſit, quòd & mortem illius immaturam audivi æger; cujus vitam Neſtoream publica vota expetebant, & luctum cum aliis communem teſtari ob cauſſam, quam dixi, ſonticam, nequivi. Scriptione igitur nunc ſupplere viſum eſt, quod coram tunc perficere negatum fuit. Neq; id, poſt lapſum aliquot dierum, minùs commodè; cùm, ut corporis dolores animi condolentis ſenſum explicare tunc prohibuerunt: Ita remedio maturo nimis, recèns pectoris Tui vulnus tangere, fuiſſet intempeſtivum, ne dicam periculoſum. Quin & impium planè foret, ob jacturam tam chari capitis, dolori non aliquantiſper indulgere. Nam, quod ad Brutum, (qui amiſerat, cui ſimile in terris non habebat) prudenter ſcripſit Cicero: *Dolendum eſt omnino in tam gravi vulnere, ne id ipſum carere omni ſenſu doloris ſit miſerius quàm dolere.* Et rectè Jul. Cæſ. Scaliger, in luctu filii ad amicos conſolantes: *Sinite me*, inquit, *patrem eſſe.* Acceptum itaq; habebis pro tua in me benevolentia, quicquid vel officii hac ratione exſolvo, vel excuſationis affero: Quod ita me ſperare jubet exemplum illud alterum, quo ante annos unum & XX. in caſu domeſtico ſimili, Uxoris tuæ dilectiſſimæ, quam primam tunc efferri, magno cum mœrore vidiſti, idem affectus documentum viduitati Tuæ obſervantiæ mea exhibuit. Non expectabis autem doloris ſolamina novi. Nam

Quid Tibi dicemus, Vir noſtro celſior ævo?
Quam Tibi nos humilis turba feremus opem?
Nil Tibi ſuccurat niſi Tu:

Qui conſolationum genera, à variis variè conquiſita, non modò ipſe cognita habes probè, ſed ita etiam exerces uſu, ut conſtantiam Tuam, cum pietate conjunctam, (quæ non ſinit Te non velle, quæ DEUS voluit) mirari potiùs liceat, quàm imitari. Sapientis eſſe nôſti tempus ipſum, quod plebejorum ingeniorum remedium eſſe ſolet, antevenire, & dolori ipſi naſcenti occurrere: Cùm efficere lacrymis noſtris non poſſimus, ut infecta ſiant, quæ DEI conſilio, incogni-

incognito licèt nobis, semper tamen æquissimo atq; optimo, quomodocunq; acciderunt. Neq; ignoras, quæ Erasmus olim, Pietatis Doctor sine pari, ad Patrem, obitum filii lugentem, inimitabili dexteritate conscripsit. Post quem idem vel amplius quid tentare, nihil aliud esset, quàm post Homerum canere Iliada. Quæ virtuti Tuæ inculcare tantum abest, ut necesse habeas, ut potiùs ea in DIGESTIS PIETATIS (Tuis, ut audio, deliciis) lecta, ad aliorum depellendam ægritudinem, usurpare soleas. Id quod etiam Filius Tuus, cœlo nunc receptus, virtutum Tuarum, quamdiu vixit, sectator strenuus, cordi habere pulchrum duxit. Ejus laudes, quas meruit præclarissimas, deprædicare nec velim, si possim; ne audiendum mihi sit, quod Antalcidas Spartanus dixisse fertur ad Sophistam illum, qui Herculem laudavit: Non opus esse laudare eum, quem nemo unquam vituperâsset: Neq; possim, si velim; cùm vitæ ipsius integritas non fucata, pietatis studium singulare, prudentia supra annos, eruditio Viro nobili digna, modestia præcellens, humanitas suspicienda (ut taceam virtutum ipsius cumulum reliquarum) omnem laudem amplissimam licèt, longè tamen excedant. Quanquam non desunt etiam Viri laudatissimi, quorum Musa filium, immortalitate dignum, illaudatum mori vetat. Eorum amicitiam, post obitum quoq; conspicuam, ut ego omnium bonorum applausu dignum censeo: Ita illud unicè ambigo, majoriné admiratione prosequendum sit, quòd filius defunctus tam brevi vitæ spatio, tot tantasq; laudes, ob quas etiam viro seni invideri possit, promeruerit? an, quòd virtus Patris casum tam acerbum, tantâ animi magnitudine, ferre novit? Tam acerbum dico; dum eum, turbato mortalitatis ordine, priùs è vita egredi vidisti, qui posteriùs erat ingressus. Et quod longè est acerbius, dum non tantùm primogenitum; sed etiam inter septem, quos genuisti, hunc unicum habuisti (habuisti verò, proh dolor!) superstitem. Et quod omnium est acerbissimum, dum eundem Dicasterii dignitate jam conspicuum, inq; ampliorem spem Patriæ succrescentem; deinde lectissimæ Uxoris maritum; dulcissimorum item filiolorum patrem; deniq; Virtutum Tuarum æmulum; scipionem senectutis, solatium calamitatum, fulcrum domus, familiæ decus, vitæ robur, alterum oculum, cordis partem dimidiam; quid multis? nomino & re Te ipsum alterum, incredibili magnanimitate ad sepulchrum præmisisti, funerisq; præmaturi mœstissimus Ductor, heros invisti adversùs omnes fortunæ impetus insuperabilis. Atq; hæc omnia, gloria nominis eò majore, quò rariore: Ideoq; simul prædicanda magis, quàm Reguli illius, de quo Plinius secundus cum indignatione: *Placuit ei*, inquit, *lugere filium, luget ut nemo. Placuit statuas ei & imagines quàm plurimas facere; hoc omnibus officinis agit. Illum coloribus, illum cera, illum ære, illum argento, illum auro, ebore, marmore effingit, &c.*

Tales

Tales enim vanitatum ostentationes virtus Tua, omnis ambitionis expers, qualem etiam in filium felici naturæ ductu derivâsti, planè insuper habet: Imò contemnit, odit, damnat. Si tamen de laudibus defuncti proferre quid vel jussus deberem, vel aptus possem; sanè non quæ à majoribus accepit, nec quæ in vita ipse fecit, exornarem: Sed quæ moriendo præstitit, quamq; moriendi peritiam sibi comparavit eximiam, (bene enim mori est, libenter mori) omnium imitationi commendare mihi sumerem. Etenim Pietatem, Prudentiam, Fortitudinem; aliaq; Virtutum nomina, quæ Reipublicæ, quà pacis quà belli tempore, honorem afferunt atq; utilitatem, cum multis majorum ille habuit communia. Quis enim est, qui in Familia Vestra nobilissima (ut de viventibus nunc sileam) inter defunctos ignoret Christophoros pios, Sigismundos prudentes, Mauritios fortes, aliosq; aliis virtutum titulis insignes. Moriendi verò arte, hoc est, omnium difficillimâ, tam inclytum Prosapia Vestra fortasse habuit nullum. Quamvis enim & illi felici morte exspirarint: Pleriq; tamen jam vitæ hujus pertæsi, & postquam Patriæ jam satis vixerant, è vita tandem discesserunt, tanquam fessus viator è semita; & mortem, ceu requiem laborum, optârunt magis, quàm horruerunt. Hic verò ætatem virilem vix auspicatus, & officia Reipub. vix aggressus, dotesq; ingenii, studiis atq; peregrinationibus haud vulgariter locupletas, in usum publicum explicare vix incipiens; ecce, quasi flos in primo vere, vix oriri usus, mox flaccescit, decidit, evanescit. Neq; ob id ille fata incusavit, aut vicem suam doluit, aut querelas fudit: Quòd tam paucorum annorum vel maritus, vel pater, vel tribunalis assessor; tam citò uxorem, filiolos, curiam relinquenda sibi videret, &, in flore ætatis, vitam cum morte commutandam sibi animadverteret: Sed in DEI voluntate solùm acquiescens, magno animo piè placideq; mortem præproperam excepit, Spiritumq; Creatori suo, citra horrorem pariter atq; tergiversationem, memorabili obsequio reddidit; anno ætatis XXXIII nondum exacto. Nimirum, melius longè artem moriendi callens, animo æquiore multò decessit, quàm Germanicus ille apud Tacitum, vir cætera laudatissimus: *Qui, si fato*, inquit, *concederem, justus mihi dolor etiam adversus Deos esset, quod me Parentibus, liberis, patriæ, intra juventam præmaturo exitu raperent*: Non ita filius Tuus, DEI jussui obtemperare eximiè doctus. Neq; hoc citra rationem: Cum mortem non tam claudere vitæ januam, quàm aperire probè cognitum haberet: Felicius longè (ob spem æternæ vitæ certitorem) quàm vel Epaminondas ille Lacedæmonius; qui, spiritu deficiens, ad amicos querentes: *Non est*, inquit, *ô charissimi, finis vitæ meæ, sed melius & altius initium: Nunc enim vester Epaminondas nascitur, cum sic moritur.* Etenim ut satis vixerimus, inquit Romanus Sapiens, nec anni nec dies faciunt, sed animus.

Et si Tullium audimus, nemo parùm diu vixit, qui virtutis perfectæ perfecto functus est munere,

Non bene de vita queritur brevitate caduca,
Qui bene confecit, patria quos debuit annos.
Vita suas metas actu, non tempore finit.

Neque cujusquam mors est immatura, qui totam vim bene vivendi, in animi magnitudine, & omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia, inq; omni Virtute positam habet: Quod de filio Tuo verè prædicari, ipsâ invitâ cogitur fateri invidiâ. Cum primis verò Christianorum illud pectori suo infixum habuit profundiùs, quod Chrysostomi tempore legimus usitatum; cùm in CHRISTO obdormientes non mortuos, sed consummatos dicere solebant. Rectè igitur, qui citò ita est defunctus, citò habetur consummatus. Omnium autem maximi fecit illud Principis Apostolorum, (nam sacras literas, patris exemplo, diurnâ nocturnaq; versavit manu) quòd, quàm diu sumus in hoc corporis non domicilio, sed tabernaculo, à DOMINO JESU peregrinamur divulsi; propiùs verò cum eo jungendi post exitum, quem Fidei obedientia obsigillaverit. Sed quò me rapit præclaræ mortis illius consideratio? συμπάθειαν testari volebam, &, quòd præsens exequias ejus celebrare non potui, excusare. Ne igitur de laudibus illius dicere instituisse videar; aut delibare aliquid ex voluptate illa suaviter aspera, (ut cum Attalo suo loqui amavit Seneca) quam Achates defuncti, amicus noster honorandus, in Oratione, quam habuerit, panegyrica, percipere non fecit, heic finio: Præsertim, cum & fines Epistolæ transgressum me esse sentiam; nisi legibus Grammaticorum, quas sine populi tulerunt suffragio, solutos nos esse velimus. Vale, Vir Nobilissime, & eò diutiùs Reipublicæ vive, quò citiùs in filio spes nostra decollavit. E Museo, ad d. XII. Kal. Novemb. A. C. M. DC. XXXIX.

Johann à Blansdorf, Georg. Richtero.

Sal. & Officia.

NOn me cohibeo à scribendo, V. Cl. tametsi locus, ubi jam es, & res, in quibus versaris, leviora hæc non facilè admittant Publicæ enim curæ Te habent, & vereor, calamo aut verbis obstrepere in hoc, ut sic dicam, negotiorum pelago laboranti. Non indecorè tamen heic immodestiam hanc mihi deprecari visum, quòd in ipso itineris procinctu, à domesticarum quoque rerum dispositione avocatus, hoc oneris à me receperis, idque per alienam manum, quod fortassis à propria æquiore, si non magis benevolo animo, recepisses. Pudor

dor obstabat qui dubium hærentemq; retrò egisset, nisi amicus in partem ruboris succedere jussus, de affectu tuo in commodum meum insperatò promtiora retulisset. Quomodocunq; igitur negotium hoc confectum dederis, me plurimum Tibi debere fatebor, ut qui beneficia non à successu, sed ab animo metiri solitus, ad impossibilia amicos non adstringo, sed hæc de privatis. Publica nostra haud læta sunt, ut nôsti, & eò minus, quòd à pace longinqui sumus, & ab ea paulatim abire videmur. Adeò ampliùs de ea actio non est, ut vix spes, immò sermo. A nostratibus tamen hesternis literis monitus, spem aliquam iterum affulgere, immane quantum ô utinam seriò, fideliter & sincerè hoc fiat, & Sol ille pacis radios suos exserat, bis iterato voto exclamavi! Nam quid si misertus nostri DEUS inopinatam lucem, & quietem post tenebras & insanos hos tumultus tandem donet? quis nostrûm ad pacis illud amabile nomen tot annos pulsæ & exulantis non excitetur & exsultet? aliàs magni & decumani fluctus surgent, quibus mulcendis componendisque in distractione ista animorum, quis tam peritus Oceani hujus Neptunus par fuerit? Omitto igitur V. Cl. sed non illud, ut cum Dominis Collegis, quibus salutem & officium à me deferre non gravaberis, optimè valeas, & animo & operâ tuum censeas Tui studiosissimum.

Richterus, Blansdorfio.

S. P.

Mirè me affecisti Literis tuis mellitissimis, Blansdorfi Nobilissime. Ita enim cum styli elegantia accuratâ, singularem humanitatem & de statu rerum hodierno judicium tuum defecatum spirant, ut incertus sim, quam virtutem in Te potissimùm admirari debeam. Certè omnes ita exosculor, ut ceu pignora tum amoris in me tui sinceri, tum etiam affectus præclari erga statum publicum certissima habeam. Macte hac virtutis laude, Vir literis & prudentiâ eminentissime, & dona DEI tam largâ manu Tibi concessa publico impendere persevera. Literas Tuas ad N.N. in transitu per ministrum ipsi reddidi, &, si fieri poterit, de caussa Tua ipse illum compellabo. Commodiùs autem & majori cum fructu, si quid mei est judicii, fieret, si literas ad eum dares; quas ipsi redderem, pluribus coràm caussam Tuam commendando. Neque dubito, quin acceptas eas habiturus sit, præsertim ubi Latinas viderit, quarum est amantissimus. Nudius tertius à Nobili & Rever. Dn. D. Hoë Literas accepi, in quibus omnem pacis spem in solo DEO ponendam censet, Teque plurimum salvere jubet. Vale, Vir Nobilissime, & me, quod facis, ama. Dabam raptim Francofurti ad Moenum d. 27. Julii A. C. 1633.

Blansdorfius, Richtero.

JUre Tibi quodammodo ſuccenſeo, Vir Clariſſime, quòd in hoc publicorum negotiorum faſtigio animum ad communia & privata hæc accuratiſſimo reſponſo demittere voluiſti. Tantum enim abeſt, ut in hoc genere Te paria mecum facere voluerim, ut potiùs mihi jam venia petenda ſit, quòd Tibi Viro occupatiſſimo negotium faceſſere & meditationum hæc ſublimia ad leviora iſta flectere non dubitârim. Mihi tamen reſponſum illud cum tanto benevolentiæ & officii adfectu conjunctum vel hac de cauſſa gratiſſimum fuiſſe, ſcias, velim, quòd inde reſpondendi occaſionem nactus, Te de deſperato N.N. reditu, eaque de cauſſa jam nobis rectà ad magnum illum rerum noſtrarum Atlantem, N.N. properandum eſſe, monendum duxi. Scripſiſſem equidem eo, quo voluiſti, tenore ad Heroem illum, niſi heſternâ nuptiarum moleſtiâ (amicis enim ut nôſti, interdum indulgendum eſt) in multam noctem productâ, accuratiori, ut oportebat, ſcriptioni importunè interceſſiſſet. Adde, quod hæ literæ cum ſuperioribus, & iis, quæ memoriæ ſublevandæ cauſsâ à me habes, in illius locum, ſi Tibi videtur, ſubſtitui poſſent. Pluribus, patientiâ tuâ, Vir Clariſſime, non abutar, ideoq; Te Salvere & valere, neve ad literas haſce tantillum reſponſi parare auſis, ex lege mandatoque amicitiæ noſtræ ſeveriore voce edicit, jubetq;

Norimbergæ, 30. Julii, Anni 1633. Tui amantiſſimus,

de Blansdorf.

P. Scr. Et jam ſcribendi finem feceram Vir Clariſſime, cùm me præpoſteræ tergiverſationis pœnitere cepit, quòd nimirum, poſthabitis æquiſſimis monitis tuis, ad Illuſtriſſimum Virum illum aliquid literarum dare noluerim. Emendationis notam hoc epiſtolio vides, quod tuo arbitrio, aut datâ occaſione reddendum, aut vindicibus flammis abolendum vindicandumque omnino permitto. Illud enim tanti non æſtimo, ut velut intra manum natum, auguſtiſſimos Herois illius vultus offendat, immò me præbitâ ad denegandum anſâ cum veteri illo ſublimi animo dicere potiùs quàm queri diſcat:

Felicem ſcivi, non qui, quod poſſet, haberet,
Sed qui per fatum non data non cuperet.

In hac æquiſſima petitione tamen ſui rationem haberi mallet.

Tui amantiſſimus

de Blansdorf.

Idem A. O.

HÆrentem me fluctuantemque, an ad Te ſcriberem, Vir Illuſtriſſime, eaque, quæ à Te, N. precibus impetrare vellem, animo diutiùs; volventem,

tem, Magnanimitas Beneficentiaque Tua, quas in Te cum singulari humanitate conjunctas video, propemodum voti certum reddidit. His fretus stylum avidiùs arripui, neve spes tantæ fiduciæ in primo suo flore decidat, Reipublicæ hujus gravissimo Consiliario, Dn. Georgio Richtero, in ea alenda & ad maturitatem suam, ut sic dicam, promovenda, omnem culturam permisi. Ut igitur benignissimæ admissionis venia Tibi, Vir Illustrissime, de gratitudine, cultuque in Te meo quidvis prolixius polliceri queat, per jam dictam Magnanimitatem, aliaque, quæ omnia præclarissima in Te videmus, &

- - quæ nec ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas,

magnopere Te rogat. Illustriss. Dominationis Tuæ humillimus Cliens

Johan. de Blansdorf.

Blansdorfius, Richtero.

HIs te scire tantum velim, V. Cl. per Illustrem Dn. à N. certum mihi ad mutuum colloquium locum Herbipolim constituisse. Sed propter non condictum inter nos statum diem utriusque desiderium irritum cecidisse. De negligentia quadam mea Vir Perillustris ille non immeritò mecum expostulare posset, nisi latissimam, ut vos JCti loquimini, culpam F. literis, quibus de obitu illius ex promisso moneri poteram, imputari cogerer. Inde enim factum est, ut nobis citiùs propè de reditu Francofurtum constiterit, quàm ut de abitu Augustâ certi quicquam habere potuerim. De hoc ideò Te certiorem reddo, ne forsitan negotioli mei curam omnino deponens uberiorem de eo tractationem in meam præsentiam differas, aut differri permittas. Quò minùs enim vel ad proximas nundinas, (quem sensum fortè meis, quas hac occasione ad illum dedi, literis accommodare posset) illi morem geram, præter itinerum pericula occupatiunculæ quædam, eædemque, ut sic dicam, catenatæ, volenti quodammodo manus injiciunt, detinentq;. Pluribus Te, Vir Cl. alioquin in publicis maximo Reipubl. Christianæ commodo occupato, immorari desinit

Norimbergæ 20. Augusti, Anno 1633. Tui Studiosissimus

de Blansdorf.

Richterus, Blansdorfio.

NObilissime Domine Blansdorfi, &c. Nisi prudentia & æquanimitas tua tam probè cognita mihi esset, solicitè laborarem, quibus excusationibus negligentiæ culpam apud Te deprecarer. Verùm, cùm de animi mei promptitu-

 dine

dine nihil dubites, neq; ignores, quantâ occupationum moles in hoc Conventu, qui præter spem protrahitur, me teneat, non est, quòd diuturni silentii mei rationes anxiè conquiram. Literas tuas ad N. âltero statim die pòst, quàm eas accepi, Secretario reddidi. Ipsi enim N. in manus tradere non licuit, & quanquam aliquoties sedulò monendo efflagitârim, ut Secretarius, quem dixi, literas tuas præfato Domino afferret, nihil minus tamen hactenus obtinere potui, idque ideo, quia multæ aliæ adhuc restant literæ, quæ magni licèt momenti, tamen per aliquot jam menses ob infinitam occupationum gravissimarum multitudinem ipsi offerri nondum potuêre. Non intermittam autem pro virili, omnem (quod dicitur) lapidem movere, quò literæ tuæ tandem certè afferantur, id quod auxilio forsan Perillustris Dn. N. qui ante quatriduum huc rediit, fieri poterit, cui literas & causam tuam primâ occasione quàm diligentissimè commendabo. Atq; hoc ad literas tuas, quas Perillustris Dn. N. nudius tertius mihi reddidit, Te nescire nolui. Vale, Vir Nobilissime, & me amare persevera, 24. Aug. 1633.

Idem, Eidem.

Sal. Pl. Nobilissime Dn. à Blansdorf, &c.

EX nuperis meis, cùm ad illas Tuas, quas Perillustris Dn. N. mihi reddidit, respondi, non dubito, quin intellexeris, ut literæ Tuæ ad N. N. tunc temporis per Secretarium, cui eas etiam atque etiam commendavi, traditæ nondum fuerint. Interea verò à Secretario, quem dixi, repetii, & nudius tertius illâ occasione, cùm de caussa Reipublicæ, in audientiâ, quam vocant, cum Ipso coràm & oretenus conferrem, ipse tandem in manus N. tradidi, & ut caussam Tuam æquissimam commendatam habere velit, Tuo nomine rogavi: Idque in præsentia Perillustris N. cum quo aliàs de caussa Tua agere hactenus mihi non contigit. Quid responsi daturus sit N. expecto, qui se lecturum literas Tuas recepit: Neque intermittam ulteriùs per occasionem sollicitare, & caussam Tuam etiam prædicto Dn. N. Romano more, hoc est, optimo commendare. Id quod hac occasione, cùm Dn. N. domum redire cogitat, significandum Tibi duxi, ad cujus officia omni studio semper sum Paratissimus.

d. 29. August. 1633.

P. S. Stateram hisce adjunctam, & paucos ante dies heic impressam, quin gratam habiturus sis, nullus dubito. Lege, & judica.

Blansdorfius, Richtero.

NE occupationes tuas, quibus, V. Cl. ob publicas curas adhuc distineris, iterum interpellarem, hactenus secundas Tuas, (do Tibi Pômerum nostrum

nostrum testem) silentio prætermisi. Nunc quoniam hac iteratâ scriptione officii quodammodo admoneor: Stylo protinus arrepto in beneficiorum acceptorum tabulas amicissimi Richteri mei nomen retuli. Maximoperè tamen à Te peto, ne tanquam perpetuum debitorem totius summæ, sed reliquatorem tantùm obstrictum teneas, id quod eâ potissimùm ratione obtinuisse videbor, quando promtissimum, quod in me resq; meas habes, imperium sequutus, animum potiùs, quàm conatum in his spectabis. Plura his addere nolo, omnem gratiarum actionem in præsentiam nostram (ad Vos enim, Deo dante, cum N. Vestro brevi excurrere constitui) datâ operâ differo. Interea, Vir Cl. cum Dnn. Collegis dictoq; Pômero nostro animitus valere & salvere Te jubet Tui studiosissimus

Norimbergæ 3. Septembr. Anni 1633.

de Blansdorf.

P. S. Pro Statera transmissa gratias ago. Eam eò avidiùs perlegi, quòd cum Autore quondam Mediolani familiarissimè vixi. In ea autem omnia æquo examine ita expenduntur, ut Libramentum in neutram partem propendere videatur.

Idem, Eidem.

S. V. CL.

DIu est, cùm ad Te scripturio, V. Cl. verùm nè planè vacuus rerum & inanis ad Te properem, sustinui hactenus manum pronam scribere, dum nimirum ab amico uberiorem scribendi materiam expecto. Longius tamen silentium, ut cum Reip. Vestræ detrimento conjunctum, è re Vestra non esse puto, quo fit, ut fugiente quodammodo calamo memoriam tuam de præcipuis sermonum, quos Illustribus II. Viris Vestris paulò ante discessum meum in ædibus publicis Te præsente mecum conserere placuit, heic saltem requiro &c. Publica non tango. In Conventibus tamen nostris, dum alter alterum sine fructu hactenus excipit, immò alter in alterum annui curriculi more, quo verno tempori æstas, huic autumnus succedit, alterno tenore desinit, & rursus, incipit, haud magna mihi spes est. Adde, quod omnia, acribus initiis, incurioso fine peragi videmus:

Desinit in piscem mulier formosa supernè.

25. Febr. 1634.

Rich-

Richterus, Blansdorfio.

S. P. Nobilissime Dn. à Blansdorf, &c.

LIteras Tuas Spartanâ brevitate succinctas, sed rebus exuberantes, Nobilissimis Dominis Duumviris legendas dedi, qui affectum Tuum erga Rempublicam nostram gratissimum habet. De Fridlandii metamorphosi stupenda, jam, credo, inaudivisti, quæ ficta fabula non est, sed historia certissima, testibus oculatis fideq; dignissimis confirmata, ita ut in dubium ampliùs vocare non liceat. Agnoscis providentem DEUM neque exemplum Ælii Sejani ignorat, eandem fortunam experti aliorumq; quos antiqua & recentia Historiarum monumenta loquuntur. Mutationes haut vulgares exemplum hoc magnum portendere videtur. DEUS Opt. Max. omnia in bonum nostrum & pacem communis Patriæ dirigat! De Conventibus nostrorum ita est, ut scribis: alius alium, ut dies diem, trudit. Ego vix ac ne vix quidem obtinui, ne hac vice N. denuò ablegarer. Animo pacis negotium cogitanti Salviani illud obversatur: *Id est, ut pax contra non sit, quia sic agitur à Nobis, ne expediat rem accipere, quâ [illegible] res sumus.* DEUS tandem per filium mediatorem clementer nobis a[illegible] cujus tutelæ Te commendo. Vale Dab. V. Non. Martii, A. C. 1634.

P. S. Amicus noster haud è multis, Nobiliss. Dn. Pömerus, salutem & officia adscribere jussit, qui nunc occupationum mole distractus ad Tuas respondere non potuit. Dn. Virdungus pro dedicatione, quam nôsti, coo th[illegible] accepit. Si quid ampliùs impetrandum censes, ne, quæso, cessa.

Blansdorfius, Richtero.

ET ipsæ literæ tuæ, Vir Clariss. mihi gratæ, & caussa, quæ Te impulit ad scribendum: Nobilissimorum enim Duumvirum hac in me fiduciâ nisi afficerer, inhumanus sim, immò expers omnis adfectus. Igitur tam amicè provocatus eodem animi motu, quo hactenus adversa Reip. Vestræ me t[illegible], me jam prospera & commoda illius optimi, ut sic dicam, affectus obviis ulnis amplexurum credas, velim. De publicis an propter itinerum pericula hisce paucula committam, hæreo quodammodo. Sed quid in hanc animi mentem apud amicum deponam? Incendio intestino paullatim consumimur, oleumq; & opera ad alendum hunc ignem suggeritur passim. Sic nobis ardentibus alii vicinorum rident, alii spectant, alii miserantur, sed miserantur tantùm. Numen illud supremum est, qui punitum it nostram noxam. Feramus igitur necesse est, aut ne sit, seriò emendemus. Privata si nostra introspiciamus, itidem miseriæ confusio, labor & languor. Exploramur nimirum per has afflictionum flammas, immò

immò à summo illo aurifice exploramur. Ne autem fractis & labentibus utrisq; tam publicis quàm privatis extremum malorum (ita minatur) accedat, orandum est. Quod si fit, conclamatum est, & exsequias Germaniæ nostræ, quibus commodum erit, ire licebit. Vale & Salve, Vir Clariss. & Literarum hoc pelagus (cum Poeta loquor) si quando animi caussâ sulcare placuerit, plenis velis in officii & fidi amoris cursu Te nunquam non pro virili sequi conabitur

Tui studiosissimus, q. n.

P. S. Nobilissimos Dnn. Duumviros, da veniam, ut per Te salutem. Dn. Pömerum autem, ne de responsione admodum laboret, moneas, velim, amicissimamque salutem nuncies, & Dn. Virdungo per occasionem eandem transmittas. Mirari autem satis nequeo ab Heroe illo, Parnassii hujus alumni non eam, quam expectabam, rationem habitam. Ministrorum avaritiæ hoc, quicquid est, imputandum censeo. Ut tamen optimus & eruditissimus Vir ille commendationem meam aliquid ponderis habuisse videat, post unam atque alteram de præpostera hac parsimonia apud conscios habitam querimoniam, Noribergam reversus, pœnas alienæ avaritiæ ipsemet luere non defugiam.

Richterus Blansdorfio.

Sal. & observantiam, Nobil. Dn. à Blansdorf.

LOngùm sileo, fateor, & in ære Tuo sum. Nam ad binas Tibi responsum debeo: Sed quia invitus pecco, facilè veniam spero, præsertim apud Te æstimatorem æquissimum. Quòd enim hucusq; conticui, voluntati meæ adscribi non debet, quandoquidem studium nostrum, quod Reipublicæ laboribus deditum nôsti, multa impedimenta fortuita frænârunt. Accedit, quòd nihil suppetebat, quod scriberem: Simulq; occupato Tibi gravissimarum publicarum rerum curâ obstrepere verebar. Cumprimis verò me Tibi probabit Symmachi illud ad Helpidium: *Non ex officii raritate amicorum religio & cura pendenda est, quia plerunq, scribendi cupidis desit occasio, nec tamen amicitiæ memoria temporali silentio consenescit.* Ita nimirum etiam alieno patrocinio negligentiæ macula eluenda mihi est. Amplissimi Dnn. Duumviri cum Pömero nostro honorificentiam salutationis adjungere jusserunt. Quid de reditu tuo spei nobis esse debeat, ni grave est, quæso, scribe. Negotium remunerationis, de quo scripsisti, lentè vel potiùs omnino nihil procedit: Quâ fati sinisteritate, nescio. Vale Dn. & Amice plurimùm honorande, & nos, quod facis, ama. Dab. Norib. XII. April. A. C. 1634.

Blansdorfius Richtero.

Sal. & Offic.

IN hoc ipso epistola tua peccat, V. C. quòd ob prolatum hactenus responsum peccati quid agnoscit. Nam præter tuas occupationes [illegible] excusatione non opus erat. Si Tu tamen Juris & Æqui sacerdos, (& cur de te [illegible] optimè judicem?) sic æquum bonum censes, ut in talibus amici nequaquam [illegible] habenda ratio sit, non longas à Te epistolas exigo, tria verba sufficient, quibus in scribendo quidem, at non in amando, amici posth[illegible] memori[illegible] constet. Nam desiderare & meminisse amicitiæ quoq; cultus est. [illegible] igitur & cogitatione sæpe inter nos loquamur, &, si stylo interdum, [illegible] tùm, ut non nisi necessariò scribas, cùm nimirum valdè vacabis, aut [illegible], cùm valdè voles. Ego quidem eam mihi du[illegible]torem dico, & non [illegible] causâ excusari volo, sed non æque propter argumenti inopiam, quàm [illegible] putum salutationis desiderium sublevaverit. Quid quòd de ea jam non [illegible]tò conquererer, nisi de reditu meo certior reddi velles, de quo tamen [illegible] certi promittere ausim? Præterquam enim quòd Reipubl. hujus commodis, quorum causâ nunc quinque menses heic hærere cogor, hoc tempore [illegible] nollem, viæ præterea adeò intutæ sunt, ut sine aliquo magno præsidio ita [illegible] impunè non tentaverim, scilicet hæ temporum turbæ immani homicidiorum & rapinarum consuetudine in habitum versa inter plurima mala hanc quoq; [illegible] morum induxerunt, ut homines nescio quomodo feroces & pravos, immò incuriosos Deorum hominumq; reddant. Equidem iis, qui cum imperio præsunt, nihil imputo, unde tamen hæc belli flagitia, eorumq; causæ, ipsorum [illegible] gini permitto. Sanè qui futura prospiciunt, evacuationem peccantium [illegible] di humorum non nisi in celeri medicina ponunt. Sed quod remedium inve[illegible]rato quodammodo malo par videbimus, nisi pax aliqua salutaris ægro [illegible]niat? Aliquis quidem de ea heic sermo, aliqua spes, caussam spei tamen, aut certi aliquid, nisi quia utrinq; expedit, nondum video. Adde quod [illegible] ambigua erit. Interea hostis supra spem progressus faciens, imm[illegible] invalescit, ubi nos è contrario propemodum similes illis, qui Mandragoram biberunt, torpentes jacemus, immò per pacis hæc vana simulacra nobis blandientes, tandem (sed faxit DEUS, ut vaticinando errem) in hoc veterno obruemur, nisi fortassis annonæ flagella, quæ indies acriùs ferire incipiunt, utrosq; ad eum finem ducat, & hac correctione ad beatam illam Irenen compellat. Sed desino ejusmodi querelarum, cùm pleraq; in privatis quoq; expectationem nostram frustrentur. Nam quòd lentorem remunerationum Vestrarum ol[illegible]

per[illegible]

perstringis, eadem Vobis cum multis aliis communia esse ipsemet exemplo sim. Ipsissimi dico, qui prædæ certus, (& quo alio nomine appellem) & quam meis casibus tenere videbar, jam æstu spei tamen & metus, qui duo adfectus vitam nostram semper exagitant, & ut venti mentis hoc mare, aliàs rarò per se quieturum turbant, rapiuntq; ita jactor, ut de obtinendo placido portu omnem altiorem cogitationem prope deposuerim, nedum navigio huic firmam anchoram appetam. Tamen perseverantia tandem hæc cunctationum monstra domari & vinci posse, quorundam patientiâ edoceor. A. V. ultimâ Aprilis Anni 1634.

P. S. Ne nihil in hoc otio agere videar, ad ineptias usq; dilabor, cujus specimen his adjunctum vides. Pauci versiculi sunt, quos insolito furore amici carmen nuper effudi. An Musis & Apolline propitiis, Tu videris. His melioris notæ scriptum addidi, quod Tibi tam cum Dn. Virdungo nostro, (quæso optimum Virorum nomine meo salvere & valere, & ad proximam Academiæ Vestræ solennitatem tuendæ rei familiaris subsidii quid ab Amico præsente, dummodò per prædones illos tutò ire & redire dabitur, expectare jube) commune velim. Sed tamen pomposa & inania hæc titulorum, quos pagina prima præfert, non agnosco, ne quis nescius erret.

Capreolus sylvestris Dn. Philippo Heinhofero, Senatori & Ædili Augustano, die natali dono missus.

Caprina de gente fera est, quæ munere parvo,
HEINHOFERE, tuas supplex festinat ad aras.
Hoc tam fastorum quam festorum annuus ordo,
Hoc suadent reducis cognomina sacra PHILIPPI.
Sed malles auro, potiori munere dives,
Expressa ora feræ solertis acumine dextræ,
Si Tibi nota minus belli damna, horrida damna,
Damna, quibus censu divesq; & pauper eodem
Jam bene conveniunt, & in æqua sede morantur.
Hinc voto, hinc precibus magis est, hoc muneris aptum
Currere queis vita tot adhuc Tibi suaviter annos
Adprecor, atq; auri tot habere informis acervos,
Ante magistrâq; edocti numerare tot orbes,
Quot setis feræ terga rigent, quot pectora villis,
Annue, quæso, meis, quæso, DEUS annue votis
Solertis acumine dextra!

Dn. Heinhoferus enim emblemmatibus cuivis metallo artificiosè incisis ad admirationem usq; delectatur.

Richterus Blansdorfio.

SAlutem & observantiam. Nobilissime Dn. à Blansdorf, Amice honoratissime. Arthritidis dolores, qui me aliquandiu lecto affixerunt, impedimento hactenus fuere, quò minùs ad acceptissimas tuas literas singulari humanitate & suavissimâ styli elegantiâ exosculandas, ut debui voluique, rescribere mihi licuerit. Nunc divinâ opitulatione dolorum cruciatu liberatus, invalidus quidem adhuc, sed præfatâ DEI veniâ convalescendi securus, officii mei desideratissimi rationes diutiùs protelare nolui, & vel hanc valetudinis meæ spem conceptam significandam Tibi duxi. Ad publica enim cùm sanitas nondum planè in concordiam mecum redierit excurrere nequaquam lubet, quæ etiam abunde Te in publicis quotidie occupatissimum latere non possunt. Illud potius scribo, quòd Virdungus noster, cui proximas tuas legendas dedi, Liberalitatis tuæ novâ promissione mirum in modum recreatus fuit, id quod ex illis, quas ipse ad Te his inclusas dedit, uberiùs cognosces. Amicæ salutationes, quas Nobiliss. mor. Dnn. Duumvirorum honori impertis, illis sunt acceptissimæ, quod non tantùm Tuo nomine dico, sed etiam ex ipsismet literis tuis mellitissimis legendas offero. De Magno illo N. quo Ehingeri erudita pietas virtutem tuam condecoravit, gratiam habeo, pro quo munere acceptissimo vicissim Tibi offerrem, quæ nuper in Academia nostra, cùm tres Doctores renunciarentur, fortunæ Fridlandiæ memor, de casibus nov-antiquis similibus disserui, nisi rationes mihi constarent, quæ ejusmodi scripta hoc tempore non publicanda suadent. Manuscriptum si aliquando ad nos reversus legere volueris, lubentissimè communicabo. Vale, Vir Magne, & quod facis, amare me persevera. Dab. Norib. prid. Kalend. Junii, A. C. 1634.

Idem Eidem.

Salutem & observantiam. Nobilissime Dn. Blansdorfi, &c.

UT ante septimanas aliquot Virdungi nostri literas, quibus Liberalitatis tuæ fores pulsavit, Tibi transmisi, ita nunc ejusdem ipsius has grati animi testes sereno, ut soles, vultu accipies. Singularem Te mereri laudem fatebuntur omnes, quotquot Virtutem tuam nôrunt, idq; tam diu, quamdiu inter homines æstimabitur Virtutis honos. Quin & in cœlesti illa domo, æterna Te ædes manet. De rebus nostris bellicis (ô utinam aliquando pacis) multa hic

spar-

ſparguntur, mala, bona, mixta. Sed quia rumores ſunt, ſine certitudine veritatis, nolo quicquam de iis ſcribere. Quid credere & ſtatuere debeamus, tempus nos docebit. Conventus Francofurtenſis etiam nunc protrahitur deliberando, incertum, quo fine aut exitu. Vereor, ne interim capiatur Sagunthum. Multa ſunt, quæ deſiderari in conſiliis & actionibus noſtris poſſunt, ſed corripienda magis quam corrigenda. DEUS pacis ex machina nos reſpiciat, & quæ ſanctiſſimo nomini ſuo honorifica, Eccleſiæ ſalutaria, & nobis ſunt utilia, pro infinita ſua miſericordia nobis benignè concedat, cujus patrocinio Te etiam atq; etiam commendo. Vale Dab. 19. Jul. Anno 1634.

Blansdorfius Richtero.

NOn dubito, Vir Clariſſ. quin memoriâ teneas, quæ nuperrimè expoſitore ſive, ut ſic dicam, interprete mearum neceſſitatum Dn. N. inter nos acta. Propter moras igitur, quas ærarii Præfectos trahere video, Nobiliſſimos Dnn. Duumviros rectâ adeundos, eorundemq; auctoritatem implorandam cenſeo. Injunxi itaque jam dicto Dn. N. ut ad juſſa paratus Tibi in hoc negotio ad eum, quem ex pacto convento mihi perſuadeo finem perducendo craſtino die deeſſe nolit. Subactus neceſſitate fatali quadam voluntati Nobiliſſimorum Virorum, quibus, ut inaudivi, tertiam ſummæ partem in proximum menſem differre placuit, morem hoc tempore gerere nequeo, alioquin, toties monitus, tam diu ab incepto deſtitiſſem. Sed ne V. Cl. otio tuo abuti videar, paucis, & quidem ſummoperè à Te peto, ut præviâ mei officiorumq; meorum ſtudioſiſſimâ commendatione ſummos hosce Patronos meos, eâ, quâ polles, dicendi Suadâ, ad conſenſum totius ſummæ, (quæ tamen præſentibus neceſſitatibus meis adeò non ſufficit, ut etiam anni tam præteriti reliquator ſim futurus) ita ut de ea nihil omnino decedat, lubens permoveas.

10. Januar. 1635. Tui amantiſſimus

de Blansdorf.

Idem Eidem.

Salve Cl. Vir, & ignoſce.

COnfido, me DEUM iratum non habiturum, quòd Vobiſcum (ſontica cauſſa eſt) hodie ſacris operari non licet. Præterquam enim, quòd propter frigus hoc acriori aëri non impunè me committerem, heſternâ præter omnem opinionem latâ repulsâ totum corpus ex occulta quadam ad nuncium illud commotione adfectam brachii partem hacce nocte, quam non tam inter variarum cogita-

cogitationum monstra, quam ob data ad restinguendum incendium [illegible] signa ad flammamq; accurrentium & rhedarum strepitum insomnem egi, nova tremore ita percussit, ut fomentorũ subitaneo auxilio de avertendo majori periculo non immeritò sollicitus sim. De mea igitur salute jam secundò admonitus, nescio, an præsagii loco, præsertim cùm petiti hujus frustratio etiam accesserit, tam subita earumq; caussas habere debeam, aut in quam partem Dn. [illegible] obstinatam in denegando constantiam interpretari possim. Sed de sino [illegible] relarum, nunquam autem Te colere, amare & æstimare, id quod a me exspectas, donec ero, etiam cùm hic non ampliùs ero. Jam enim de alio & ultimo quidem receptaculo corpusculo huic comparando, ubi tandem naturæ debitum [illegible] ex compacto solvere queam, & velim, Vobis, quàm primùm nos cum DEO pax alma reviset, valedictis, (sic enim cogor) seriò cogito, immò ut propediem, si lubet, audio, omnino conclusum habet Tui amantissimus.

E museo 11. Januar. 1635.

Richterus Blansdorfio.

Salut. & observant. Nobilissime Dn. Blansdorf.

Eâ, scio, polles animi magnanimitate & constantiâ, ut nullus casus, qui humanitus contingere potest, generosam mentem tuam è solio [illegible] deturbare possit. Unde nihil dubito, quin, ubi primos motus, quos [illegible] latio, primâ auditione Tibi peperit, strenuè sedaveris, &, quæ Virtus tua [illegible] Te ipsum recolligendo impetum fervoris superatum iveris, facilè de Te ipso quasi victoriam reportaturus sis. Præsertim quum repulsa non sit, quam Tu interpretaris, sed amicæ dilationis amica petitio, quam N. N. necessitate Reipublicæ coacti hoc tempore nolentes significari Tibi mandârunt. [illegible] quidem, ut de mediis satisfaciendi admodum sint solliciti, quibus ego [illegible] porrò quoq; pro virili non desinam. Et ut heri initium, jussu illorum, [illegible] omnino frustrà feci, ita cras, volente DEO, continuabo, propediem, quid effecerim, Tibi significaturus. Interim tuum erit, cum animo tuo ita in gratiam redire, ne quid valetudo tua, nondum usquequaque confirmata de novo, vel ex recidiva, ut Medicorum filii loquuntur, detrimenti quid accipiat. Incendium nocturnum sine dubio multorum animos consternavit. DEUS avertat pericula peccando promerita, & misericordiæ suæ Divinæ, hoc est, infinitæ [illegible] protegere nos dignetur, cujus gratiæ Te etiam atque etiam animitus commendo.

Blans-

Blansdorfius Richtero.

SAlve, Vir Clarissime, & pro bono hujus diei auspicio præteritæ noctis pervigilii deliria mecum ride.

MICHAEL VIRDUNGUS.

Per anagramma, omissa aspiratione & I literâ pro Y Græco, permissione Poëticâ posita, quam tamen non nisi nocturno furore sive pervigilii delirio correptus indultam puto.

LIRICUS AD UNGUEM.

Non meruit nomen tantum generale per artes,
Quotquot habet Latium, Græcia quotquot habet.
Ast etiam LIRICUS noster Virdungus ad UNGUEM est,
Novit enim, quicquid tota Poësis habet.

Ut autem tui risus quoq; particeps fiam, puero nomine meo horâ undecimâ ad prandium promittas, peto. Sobrium illud erit, nec Te tamen cum fame dimissurum. Convivas habebis illustres fœminas duas è tuis Collegis unum, Professorem Altorphinum itidem unum, & Dn. N. Herbipoli nuper reversum. Ut igitur auriga tuo commodo paratus se sistat, eundem puerum tribus verbis monebis. Vale.

Georg. Richterus Georg. Calixto.

S. P. Reverende & Clarissime Dn. D. Calixte. Decennium est, cùm in Academia Julia ejusdem convictus apud Cornelium Martini p. m. usus familiaritate ita nos conjunxit, quæ, tantum abest, ut locorum intercapedine vel silentio longiori cessaverit, ut potiùs apud me, dum nunquam non memoriam Tui recolo, indies magis magisque confirmata sit. Et sanè in virtutem peccarem tuam, si aliud de Te persuadere mihi vellem, & vel tantillum de mutua confidentia & humanitate tua erga me dubitare. Fecit autem amor iste, ut dum sæpius de pietate atque eruditione tua singulari cum aliis collocutus sum, laudes tuæ meritissimæ Nobilissimis Dnn. Scholarchis Reipubl. nostræ innotuerint, vel potius jam antea notarum à me facta repetitio desiderium apud illos auxerit, dotibus illis tuis in Academia, quam habent, Altorfina utendi fruendi. Quandoquidem igitur Cathedra Doctoris Theologiæ in dicta Academia, quam non ita pridem Sacra Cæs. Majest. uberioribus privilegiis motu proprio exornavit, jam vacat, dictæ huic functioni primariæ Te præficere vellent, si & animum apud nos cum Tuis vivendi haberes, & dimissio ab Illustrissimo Principe bona cum gratia obtineri

obtineri posset: Qua de re, ut & de salario, quanto tibi opus esse putes, per præsentium latorem in hunc finem peculiariter ad Te ablegatum, certiorem me facias, rogo. Vocationi huic Divinæ si parueris, de quo Religio tua dubitare me non sinit, in id Nobiliss. Senatus Reipubl. nostræ incumbet, quò minùs mutationis istius unquam Te pœnitere possit. Commoditatem aliaque ad dignitatem tuam cum frugalitate tuendam necessaria malo reipsâ experiaris, quàm pluribus verbis commendare. Si quæ alia etiam scire desideras, ubi animi sententiam declaraveris, omnia minima, maxima, medioxuma significabo. Sin verò, præter spem & votum, ipse forsan locum mutare non potes, aliam Theol. Doctorem Tui similem, Augustanæ Confessioni addictum, pium, pacis amantem, docendo disputandoque exercitatum, & magni illius Melanchthonis studiosum, haud gravatim denomines, rogo. Vale, & me amare persevera. Dab. Noribergæ, 12. Julii, Ann. 1624.

Calixtus Richtero.

S. P. Clarissime & Consultissime Dn. D. Richtere, Domine & Amice plurimùm honorande. Quò sæpius veteris nostræ familiaritatis recordatus sum, eò gratiores fuerunt tuæ ex tanto temporum & locorum intervallo litteræ. Quas quum legerem, haut sine magna animi voluptate intellexi, Te non modò pristinæ amicitiæ memorem hactenus esse, sed omnes veri & sinceri amici numeros explere. Neq; enim leve esse duco, quòd Nobilissimis Viris Scholarchis per Te commendatus ad Theologicam Professionem in Academia Altorfina obeundam expetor. Equidem, ne quid dissimulem, inclutam Rempubl. Vestram, non nisi ex fama mihi cognitam, tacito quodam adfectu semper sum prosequutus. Nam de pietate, prudentia, virtute, eruditione & humanitate Vestratium, in primis eorum, qui ad clavum Reipubl. sedent, ea sive rumore publico sive Amicorum relatu accepi, ut non potuerim non amare & venerari. Quin hoc quoq; dudum mihi persuasi, quàm Vestri in rebus civilibus sunt moderati & publicæ tranquillitatis studiosi, tam cupidos quoque esse concordiæ Ecclesiasticæ, & odisse inutiles rixas & superfluas contentiones, per quas non mitigantur mala publica, sed exasperantur. Malo igitur à Theologo scripturarum sensus perspicuè explicari, historiam & antiquitates Ecclesiæ illustrari, doctrinæ capita solidè probari, quam dissentientes quoscunq; conviciis proscindi, aut inferis devoveri. Per decennium equidem in hac Academia id egi, ut quantum eruditione tantundem quoq; moderatione juventus nostra proficeret, & dissentientes vi potiùs argumentorum, animiq; lenitate ad veritatis agnitionem adduceret, quam abigeret contumeliis. Neq; verò per Dei gratiam frustrà fui. Non desunt autem,

quos

quos malè habet, juventutem novisse, quæ illi in se potiùs, quàm in aliis amarent, & quum maledicentiæ adsueverint, ægrè ferunt, altero quoque verbo non ingeminari hæreses & vibrari anathemata. Nolo igitur inficias ire, dudum in ea me fuisse sententia, haut temerè inveniri, qui Theologiam moderatam juxta & eruditam magis ament aut probent quàm Noribergenses. Unde fit, ut ab ea, quam adeò benignè offers, vocatione alieno animo esse minimè possim. Sicut autem bene multa sunt, quæ adliciant & invitent: Ita contra non desunt, quæ retrahant, & morentur. Cum uxore, liberis & familia locum tanto intervallo mutare magni laboris & multarum difficultatum opus fore videtur. Supellex culinaria & reliqua domestica, quæ, præter librariam, DEI beneficio, satis copiosa mihi est, vix videtur transferri posse. Si nova comparanda, magnos fieri oportet sumptus. Possideo ædes dotales satis amplas & elegantes, quas puto Te novisse, proximas portæ, quà Magdeburgum itur. In iis ædificavi haud modicis impensis, & aptavi totas, quum ad exercendam mercaturam aliàs essent comparatæ, meis & studiosorum usibus. Illas & matrem sororesque suas uxor ægrè videtur desertura. Audio quoq; precia rerum multò majora esse, quàm apud nos sunt. Quum autem plerasque Germaniæ Urbes & Academias viderim, nescio quo factum fato, ut ad Vestram nec Urbem nec Academiam unquam venerim. Neque multum abfuit, quin consilium caperem secretò iter ingredi, & coràm locum statumque Academiæ contemplari. Cæterùm benignè abs Te fit, quod minimorum, maximorum, quæ mea scire intersit, Te indicium facere velle promittis. Cupiam verò doceri, num habitaturus sim ædes gratuitas, & quales? Num in iis mensæ, scamna, spondæ, vel meo ære ista comparanda? Num scripta, quæ edere voluero, alicujus censuræ subjicienda? Num penes Academiam publica Bibliotheca? Num Professorum viduæ & liberi post maritorum sive Parentum obitum immunitatibus gaudeant, & quibus? De stipendio non admodum sum sollicitus. Scio enim Inclutum Senatum commissurum non esse, ut stipendium offeratur, quod vel ipsius Amplitudinem & Magnificentiam dedeceat, vel meæ operæ, tantæque mutationis & longinqui itineris æquum precium videri nequeat. Existimo autem minùs Ioc Thaleris oblatum non iri: Nec me, ut ibi rerum precia esse audio, minore familiam alere vel dignitatem tueri posse. Sed Vos, credo, florenis putatis, non Thaleris sive Joachimicis, ut hîc facimus. Nisi fallor, accepi à non nemine, præter pecuniam non nihil frumenti, lignorum aliarumve rerum, quæ ad œconomiam faciant, Professoribus apud Vos erogari. Oro, ne graveris perscribere ista, ut si quæ fuerint alia, horum similia. Peccem verò in humanitatem & candorem tuum, si existimem, Te minùs promtè præstiturum, quàm benignè promisisti. Interea operam dabo, ut

uxori meæ persuadeam. Persuadebo autem eò faciliùs, quò meliores narrare potero conditiones. Litteras per ordinarios tabelliones Wolferbytum singulis septimanis mitti possunt, & inde nullo negotio Helmstadium. Per me sanè non stabit, quò minùs desiderio Vestro satisfiat. Uxorem autem, ut invita migret, adigere neque nolo, neque debeo: Persuadendo, ut in meam sententiam pertraham, adnitar. Sin omnino frustrabitur eventus, quem meo loco Vobis nominem, vix nunc invenio; præter unum & alterum discipulum meum, qui per annos septem octove auditores mei ad Professionem obeundam, ut spero, idonei erunt. Quo majore facilitate loco se illi movere possunt, utpote juvenes sine lare & familia, eo quoq; minore sumtu & stipendio, si ita videbitur, invitari. Sed ego optime & amicissime mi Dn. D. Richtere, tuum responsum exspectabo, DEUMq; orabo, ut Inclutam Vestram Rempubl. Teq; in ea florentem conservet, nostrisq; his consiliis ad Ecclesiæ emolumentum prosperos successus largiatur! Vale, & meo nomine, si apud Vos vivit, officiosè saluta Dn. D. Planerum. Helmstadi ex Academia Julia Eidibus sextil. 1624.

Idem Eidem.

SAl. & Officia Clarissime & Consultissime Vir Dn. & Amice plurimum honorande, Spero jam redditas, quas ad Te dederam, ipsis Eidibus sextilibus. Interea Norimbergâ venit peculiaris homo eadem de caussa à Vestris ablegatus. Nollem factum. Plenè enim totam animi mei mentem Tibi exposui. Et etiamsi maximè velim, hodie tamen calamitas domestica non sinit me certius aut accuratius quicquam respondere. Oro litteras vel earum argumentum cum Reverendo Viro M. Johanne Fabricio & Clarissimo D. Nœslero communices. Nam isthoc quoq; pacto illis Viris nostri amantibus & perquam humaniter amicèque scribentibus responsum fuerit. Oro id etiam, ut quàm primum fieri potest, ipse mihi respondeas, & quod benignè promisisti, quæ mea scire refert, exponas. Persuasum habeo, Te non minùs præstando promtum, quàm promittendo, & si aliter existimem, peccem equidem in humanitatem & Virtutem tuam. Nolo igitur pluribus rogare, ne tuam fidem videar vocare in dubium. Vale, & me, quod facis, ama, Helmstadi in Academia Julia XIII. Kal. Septembr. 1624.

Richterus Calixto.

SAl. & Offic. Reverende & Clarissime Vir, Dn. & Amice plurimùm honorande. Si vel nuper sponte meâ de tua ad nos vocatione scripsissem, vel etiam hasce literas sine jussu Superiorum ad Te darem, sollcitâ, fateor, oratione diuturni si-

ni silentii culpa deprecanda mihi esset: Jam enim tertius ferè effluxit mensis, cùm ad binas literas tuas (quas præposterè & priores multis diebus post secundas accepi) responsum Tibi debeo. Verùm cùm omnia autoritate Amplissimi Senatus nostri, cujus nutus pro imperio mihi esse debet, & tunc egerim, & etiam nunc agam, non opus erit, credo, ad consueta excusationum diverticula confugere, præsertim cùm pro Prudentia tua ignorare haud possis, eorum, quos dixi, moram, dum ad clavum Reipubl. sedent, propter incredibiles curas publicas, hoc in primis tempore, non nisi justissimam esse. Ne autem diutiùs animi penderes, significare tandem jussus sum, non esse, cur diutiùs de mutatione stationis tuæ cogites. Postquam enim Inclytus Senatus noster ex literis tuis, quas non tantùm ad me, sed etiam ad Clar. Dn. D. Remum, M. Fabricium & D. Nœslerum dedisti, intellexit, quàm difficilis, imò impossibilis fermè discessus tuus, charissimæ uxori tuæ cum liberis & familia, ex causis à Te allegatis, futurus sit, quodq; pro stipendio apud nos consueto pristinam conditionem tuam relicturus non sis, nec etiam, utut velis, citra plurima incommoda possis, noluit prædictus Senatus tantis difficultatibus Te involvi, aut uxorem, partem animæ dimidiam, vel persuadendo cogi, satiusq; esse duxit, de vicino aliquo cogitare: id quod pro Virtute tua ægrè non feres, utpote cui non minùs quàm antea Respubl. nostra, abs Te tantopere amata favere perseverabit, quæ hoc ne nescires voluit. De me porrò certus sis, velim, quandoquidem coràm Vobis esse pro voto non licet, quæcunque officia ab amico absente desiderari ac præstari possunt; me animo promptissimo effecturum esse, quod ipsum re præstare malo, quàm sermone proletario ambitiosè polliceri. Vale, Vir optime, & me, quod facis, ama. Dab. Norib. VI. Idus Novemb. An. 1624.

Calixtus Richtero.

S. P. Clarissime & Consultissime Vir, Domine & Amice plurimùm colende. Cùm ante bimestre Jenâ ad nos & in meas quidem ædes commigraret civis noster Felix Schallerus, Theologiæ Studiosus, ex eo semel atq; iterum de Te tuisq; rebus sciscitatus sum. Is verò quum referret, quæ cuperem audire, haut mediocriter lætatus fui. Inter calamitates enim, quas nunc integro triennio perpessi sumus, solatio mihi magno fuit recordatio Amicorum, quos olim studiorum societate nobis conjunctos diversis in locis quasi sepositos mihi habere videbar. Collegæ mei plerique Brunsvigam & ad alia loca tutiora se receperunt, ego ferè solus in statione mansi, quam mihi deserere religio fuit. Divinæ verò benignitati gratias maximas, & quibus persolvendas nunquam ego par ero, debeo, quòd in media belli flamma me incolumem & indemnem præstiterit, ita

ut nunquam cessaverim officio fungi, & usibus Academicæ juventutis, quantulacunque adesset, inservire. Collegæ, qui supersunt, (sunt enim interea alii fato suo functi, alii conditiones alibi adepti) superiore auctumno, postquam triennium abfuerant, redierunt: Ex eo celebrata est promotio 4. Doctorum Juris & unius in Medicina, ut ita paulatim reflorescere, & ad se redire incipiat Academia. Una est insignis molestia, quòd tanto tempore stipendiis caremus, præsertim cùm in modum vastatis & exhaustis Provinciis, ut persolutionis nondum aliqua certa spes affulgeat. DEUS nostro tandem misereatur, & auream pacem universæ Germaniæ restituat! Te quoque, amicissime mi Richtere servet & sospitet, quem quin hac occasione salutarem intermittere non potui, quum Felix, cujus memini, litteras se curaturum promitteret. Salve & Vale. In Acad. Julia. V. Kalend. Januariis ineuntis anni 1629. quem Tibi tuisque faustum & felicem apprecor.

Idem Eidem.

SAl. Amplissime, Clarissime & Consultissime Vir, Domine & Amice plurimùm colende. Quum durante hoc apud nos decennali bello ex occasione aliquando ad Te scripserim, num literas acceperis, equidem nescio. Imò, quæ temporum est perversitas, suspicari licet, non accepisse: Nihil enim hodie frequentius, quàm literas in via perire. Ego sanè in hac nostra, quin communi totius Germaniæ calamitate Tui aliorumque, qui procul absunt, Amicorum sæpe recordatus sum, & Deum, ut eos servaret, precatus. Vos è malis & præsertim bellica tempestate nunc emersisse, lætus lubensq; accepi, atque eo nomine Vobis ex animo gratulor. Nos adhuc densæ cingunt nebulæ & diræ circumstrepunt procellæ. N. die superioris mensis 24. totum Suedicum exercitus, qui in vicinis provinciis hactenus fuerat commoratus, & incumbenti Electorali Saxonico locum dabat, ad Urbem nostram adduxit, & prope mœnia castra posuit. Meas ædes 40. equis & totidem hominibus opplevit, quos integrum triduum alere coactus sum, ferocientes interim & noctu non minùs quàm interdiu pergræcantes. Duxit etiam hàc exercitum Tillius, duxit Pappenheimius, neuter mihi molestus fuit. Primus in meas ædes ejusmodi homines immisit N. Evangelicus scilicet mihi pro defenso hactenus pro mea virili Evangelio mercedem rependens. Cæterùm uti ad eum modum primus vim mihi fecit N. ita spero gloriam eam, solum illum manere, nec temere repertum iri, qui istam comitatem cupiat imitari. Sed hisce narrandis molestiam Tibi fortè creo: Delectationis sanè nihil adfero. Quòd has autem scribam, in caussa est Reverendus & Præstans Vir M. Justus Gesenius, Brunsvici ad S. Magnum Pastor, auditor olim meus,

meus, & ex iis quidem unus, imò inter præcipuos, qui cum fructu audiverunt, & de quibus mihi, utpote discipulis minimè pœnitendis, gloriari liceat, si libeat. Quid illa petat, inclusa Te docebit epistola. Postquam enim me Tibi amicum esse audivit, plurimùm sibi profuturum existimavit, si causa, quæ ipsum & socrum concernit, à me Tibi commendaretur. Quæ spes & opinio ne eum fallat, seriis precibus à Te contendo. Est enim mihi propter eruditionem & eximias dotes carissimus: Nec aliter, quod ipsi præstiteris, habebo, quàm si mihimetipsi præstitisses. Pluribus verò non petam, ne de tua virtute & humanitate videar addubitare. Nam quum nihil petatur, nisi quod est æquissimum; etiam absque mea commendatione foret, quin Viro bono libenter gratificaturus sis, nullus ambigo. Nunc autem, si hæc quoque aliquid momenti adjecerit, multum me Tibi cum meo, tum amici nomine debere nunquam diffitebor. Vale. Ex Academia Julia. Nonis Octobr. 1635.

Richterus Calixto.

S. P. Reverende & Clarissime Dn. D. Calixte, Amice plurimùm honorande. Anni sunt decem & unus, cùm ad ultimas meas nihil literarum abs Te accepi. Neque dubito, quin si quas ab eo tempore ad me dedisti, injuriâ belli intestini, quo nihil hactenus tutum fuit, perierint. Quanquam verò exinde de amore tuo erga me dubitare nunquam mihi contingit, tamen nova illius significatio, quam proximis tuis literis in caussa Dn. Gesenii dedisti, non potuit mihi non esse acceptissima. Atque eò magis ad ἀντιφίλησιν obligatum me Tibi sentiens vehementer doleo, quòd ita pridem ab illis, qui Religionis ac libertatis Germaniæ vindices haberi volunt, tam gravi injuriâ affectus es. Ita, proh dolor! nonnulli Pseudo-Evangelici caussam bonam non citra impietatem malè agunt, ut eam planè perditum eant. Faxit DEUS, ut castigationem illam acerbiorem seriâ emendatione vitæ cessare faciamus. Quod verò attinet caussam Dn. Gesenii, quam dixi, & quæ nunc potissimùm ad scribendum Te impulit, nihil mihi ante literas tuas de ea innotuit. Sed postquam exhibitis literis tuis apud illos, qui ærario Reipublicæ præsunt, mentionem feci, rem ita se habere cognovi, ut ille scripsit, nempe pecuniam istam, quæ Dn. Gesenio vel Socrui ipsius ex hæreditate Kauffmanni, typographi olim nostri, publico nomine debetur, ab Amplissimo Magistratu Brunsvicensi exsolvendam esse, quandoquidem istud aliquot millia Reip. nostræ bonâ fide teneatur: Quod genus assignationis sive delegationis JCti brevi manu solvere dicunt. Et sanè non frustrà confidunt, qui Rempublicam administrant, modum istum solvendi acceptum fore tam creditoribus quàm illis, qui debent hoc præsertim tempore, quo ob diuturnas belli calamitates, quas

cumprimis Respublica nostra hactenus perpessa est gravissimas, pecuniam paratam numerare prorsus est impossibile. E re itaque erit Dn. Gesenii, delegationem istam, prout nunc res sunt, haut recusare, & in loco potiùs, ubi degit, quàm in alieno solutionem urgere, cùm debitum illud Brunsvicense per confessionem sit liquidum & bonæ fidei. Id quod jussu Superiorum in caussa ista pecuniaria respondere debui, etiam atq; etiam rogans, ne vel Dn. Gesenius vel ipse, quod aliter hoc tempore non licet, sinistrè accipiatis, quibus pro virili aliàs gratificari semper ero paratissimus. Vale. Dab. Noribergæ Non. Decembr. A. C. 1635.

Calixtus Richtero.

S. Amplissime, Consultissime & Excell. Vir, Domine & Amice honorande. Equidem fateor, me officio literis veteres Amicos, quos inter præcipuos Te sanè cum paucis aliis numero, invisendi non admodum diligenter fungi. Quin hodie indiligentiam eam vel fovet, vel auget, quòd per iniquitatem temporum multæ literæ frustrà scribuntur & mittuntur, neq; in manus eorum, quibus destinatæ sunt, perveniunt. Quum tamen nactus modò sim, cujus operâ rectè redditum iri nullus dubitem, nempe eximium juvenem vestratem Johannem Kreiselmannum, nolui intermittere, quin hac occasione, si nihil aliud, Te saltem salutarem, veterisque amicitiæ memoriam refricarem. Quanquam aliàs nunquam eam intermorituram esse prorsus persuasum habeam. Gratulor autem Vobis statum rerum haut paullò meliorem, ut ex vestratibus intelligo, quàm fuit ante aliquot annos. Faxit DEUS, ut brevi Vobis integra felicitas redeat, & toti Germaniæ sua tranquillitas! Nos quidem quiete modò fruimur: Quam tamen certam & diuturnam promittere nobis non possumus. Turbant subinde commeantes hinc inde Legiones: Turbabat in primis superiore hieme ἀνάβασις exercitus Suedici: Sollicitos autem semper habent incerta eventuum. Extremæ miseriæ linea est, post tot urbium & gentium excidia, & postquam nihil ferè superest, quod pereat, belli tamen exitum nondum ullum apparere. Sed nos DEI misericordiâ confisi rectè ejusdem providentiæ committimus, quam nec ratione adsequi nec consilio mutare possumus. Kreiselmannus vester hîc se gessit, ut carus fuerit omnibus nobis, videamurq; in eo agnovisse indolem Patriæ suæ celebritate non indignam. Nolo dubitare, Tibi jam pridem commendatum & carum esse: Si quid tamen benevolentiæ vel eo nomine, quòd mihi quoque carus sit, accesserit, erit, quod amicitiæ nostræ imputem: Cujus si in eum fructus aliquis redundet, gaudebo, & occasioni, si qua fluerit, paria referendi nunquam deero. Vale. Ex Academ. Julia Non. Quinctil. 1639.

Rich-

Richterus Calixto.

S. P. Reverende admodum & Excellentissime Vir, Amicorum honoratissime. Menses nunc sunt decem, quum literas tuas per Kreiselmannum nostrum accepi: Ad quas etsi seriùs, nunc in valetudine, nunc Reipublicæ occupationibus impeditus, respondeo, ejus tamen non uno nomine acceptissimas mihi fuisse scito. Tum quòd veteris amicitiæ nostræ memoriam tam jucundè mihi refricabant, quam non in ultima felicitatis parte positam semper habui. Tum quòd civem nostrum, quem dixi, LL. Candidatum doctissimum, tam diligenter mihi commendâsti, cujus studiis & conatibus laude dignis, quamvis ipse meâ sponte faveam, tamen vel tuo etiam nomine pro virili nunquam deero. Equidem non parùm in promovendis ejusmodi ingeniis melioris luti publicæ calamitates, in quas infelicissimi belli intestini diuturnitas nos præcipitavit, pertinaciùs nos morantur, & fere spem omnem eluctandi magis magisque nobis adimere volunt. Sed Numinis auxilio operam dabimus, quantum licet, ut etiam hac in parte contra malorum lernam audaciùs eundo vel vincamus, vel ne vincamur prorsus, Divino præsidio fulti constanter laboremus. Faxit DEUS, ut seriò nobis curæ sint, quæ ad pacem nostram faciunt: Ne toties ad meliorem frugem temporariis pœnis provocati, Servatoris misericordiâ abutamur, & tanquam deplorata mancipia collecto adversùs verbera collo, minùs quàm Phryges, sapiamus. Quin potiùs tot tantisque plagis afflicti, ut etiam Ægyptii videri possimus, vel tandem ad manum Domini percutientem respiciamus pariter atq; resipiscamus. Ad hunc verò scopum feliciter attingendum utinam plures tui similes misera Germania nostra antistites haberet, quorum sale populi stultitia condiri posset! Sed hæc ἐν γούνασι Θεοῦ. Nos, officii nostri memores, DEI nostri omnipotentiæ & misericordiæ commendemus omnia: Ipse faciet. Mitterem lubentissimè Digesta Pietatis, h. e. de cultu orationis collectanea Theorico-practica ante triennium à nobis edita, ut & Orationum Decadem, quam ante annum publicè prodire passus sum, si commodè & absque majori impendio, quam uterque libellus constant, fieri nunc liceret: Non quòd tanti sint, aut judicium tuum accuratissimum ferre possint, sed ut pignus aliquod habeas animi nostri erga Te promptissimi. Dabimus tamen operam, quantum fas erit, ut ad Vos commodè perferantur. Quod si citiùs fieri nequit, Serenissimorum Principum Vestrorum Legati, Viri Magnifici, nobisq; amicissimi, qui menses quinq; nunc apud nos morantur, ubi domum redibunt, se hoc oneris in se recepturos promiserunt. Nunc hoc potissimum Te rogatum volo, Vir Cl. ut Johannem Fabricium nostratem, Philosophiæ Magistrum Doctissimum & Theologiæ sincerioris studiosum non è mul-

è multis, optimi quondam apud nos Theologi filium, qui ſolidioris doctrinæ causſâ in Veſtram Academiam non ita pridem ſe contulit, habeas commendatiſſimum: Cui ſi quid è penu doctrinæ tuæ rarioris ſimul atque inexhauſtæ impertieris, poteris autem plurimum, nobis factum imputabimus. Interim vale, & nos, quod facis, ama. Dabam non occupatus, ſed obrutus negotiis publicis, raptim. Noribergæ ad d. 18. Junii 1640.

Idem Eidem.

EN Reverende & Excellentiſſime Dn. D. Calixte, Amice plurimùm honorande. Præſto nunc, quod ante octiduum ad Te & Cl. Dn. D. Hornejum ſcribebam, & cum occaſione iſta, quâ Sereniſſimorum Principum Veſtrorum Legati hinc domum proficiſcuntur, (faxit DEUS, ut quàm fortunatiſſimè!) argumenta illa amoris in Vos mei mitto. Digeſta, inquam, Pietatis, & Orationum mearum Decadem: Quæ ut pro veſtra in me benevolentia boni conſulatis, rogo. Volo enim, ut altera duo exemplaria Viro, quem dixi, Reverendo & Excellentiſſimo D. Hornejo reddi cures, eumque, ni grave eſt, à me ſalutes. Salvere Vos jubet noſter Lampadius, Principum Legatus Ampliſſimus, qui Collegis ſuis domum euntibus ob cauſſas publicas gravisſimas, etiamnum heic moratur, expectans, quid de Comitiis Ratisbonenſibus futurum ſit. Vale. Dab. calamo admodum feſtinante, Noribergæ ad d. 6. Kalend. Julii A. C. 1640.

Calixtus Richtero.

SAl. Amplisſime, Clarisſime & Conſultisſime Vir, Domine & Amice longè carisſime & plurimùm honorande. Si quid aliud hoc certè, quod ingenii & pietatis tuæ monumenta & quidem à Temetipſo transmiſſa, videre & legere licuit, gratisſimum fuit. Gratias ago relaturus, ſi qua fuerit referendi opportunitas. Utinam autem poſt tot tantasque ſtrages & calamitates Germaniæ ſua tandem redeat tranquillitas, per quam & ſtudia literarum rectè excoli & collapſum Pietatis exercitium reſtaurari posſit. Veſtras M. Johannes Fabricius, quem mihi commendâſti, ſi non alio, vel hoc ſolo nomine, quod à Te commendetur, mihi foret carisſimus: Cæterùm ea eſt illo in Jùvene animi probitas, ea modeſtia, diſcendi cupiditas & induſtria, is denique in optimis ſacrisque literis profectus, ut nequeat amore & benevolentiâ indignus haberi. Agit apud nos alius quoque civis veſter, M. Balthaſar Seuffertus, & ipſe etiam tantæ arboris neque degener, neque pœnitendus ſurculus. Gratulor equidem Urbi veſtræ tales alumnos, quos ei aliquando & ornamento fore & emolumento certò mihi videor poſſe promittere.

mittere. Nescio autem unde hic emanavit rumor, eos à Vobis hinc evocatum iri. Quod sanè si fiat, haut sine detrimento studiorum, quæ tractant hactenus, fiet, & spem fructus, quem exspectamus, aliqua ex parte imminuet. Tu verò pro tua prudentia & in ipsos juvenes benevolentia id operam dabis, ne quid decernatur, quod ipsis vel eorum studiis fraudi sit. Bene feliciterque vale, & me, quod facis, amare perge. Ex Academ. Julia. Non. Septembr. 1640.

Richterus Calixto.

REverende admodum & Excellentissime Vir, Amice plurimùm honorande. Ex animo Tibi opto πᾶσαν εὐημερίας ἰδέαν, neque dubito, quin animi hanc significationem gratam habiturus sis, qui me olim amare non dedignatus es, tuamque benevolentiam neq; semel, neq; tralatitiè postea quoq; declarâsti, quod gratâ mente nunquam non profiteor. Qui has Tibi reddit, juvenis est honestus, M. Johannes Buggelius, SS. Theologiæ Studiosus, qui uberioris doctrinæ ergo ad Vos venit. Et quum sciret commendationes meas apud Vos ante hac non parùm ponderis habuisse, id quod vel unus Fabricius noster, Academiæ Altorphinæ Diaconus, nunc Gener meus percharus, grato animo testatur, noluit absque meis ad Vos abire. Ut igitur consuetâ humanitate eum excipiatis studiaque ipsius curæ habeatis, etiam atque etiam rogo: Te, inquam, Vir, venerande, & Hornejum nostrum τὸν πάνυ: Cui has communes esse volo, eumq; unà Tecum hoc aliisque annis plurimis ex animi sententia vivere & valere animitus opto & voveo. Plura de statu nostro harum lator, quem commendavi, coràm significare poterit, cumprimis verò, ut Vos in oculis feramus, quanquam οἱ δοκοῦντες εἶναί τι nescio quid sinistri, certè lævâ mente de Vobis spargunt, τὰ ἑαυτῶν ζητοῦντες, οὐ τὰ τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ: Quorum ἐριθείαν καὶ κενοδοξίαν merito magno animo insuper habetis. Vivit nunc heic divinitus nobis datus Dilherrus noster, Theologus & Philosophus, ut nôstis, eximius & apud nos sine pari, quo utor familiarissimè, cujus pietatem & doctrinam exosculari satis nequeo. Mentionem Vestri facimus sæpissimè, sed nunquam sine honore Vestriq; desiderio. Dabit, ni fallor, & ipse literas ad Te, ut & ad Cl. Hornejum: Quem iterum iterumque salvere jubeo, & ut ei alterum exemplum Orationis, quam heic adjunxi, reddas, rogo. Vale, & nugas nostras boni consule. Dab. Noribergæ ad d. 21. Januar. A. C. 1643.

Calixtus Richtero.

SAl. Amplissime, Clarissime, Consultissime & Excellentissime Vir, Domine & Amice multis nominibus amande & honorande. Si, quantum Te amo & æstimo,

æstimo, toties scriberem, vix unquam manus à meis literis vacuas haberes. Sed publicæ calamitates & raritas internunciorum facit, ut quando vel maximè scribendi accesserit lubido, desint, per quos mittantur. Nos enim hîc perpetuis quodammodo motibus & tumultibus agitamur, incerti, quid tandem de nobis, imò totâ Germaniâ futurum sit. DEUM tamen Opt. Max. suâ singulari gratiâ & potente dextrâ Oppidum & Academiam hanc tuetur, ut studia nostra disjicere & conculcare ferocibus Martis pullis nondum licuerit. Summorum belli Ducum erga nos comitatem & benevolentiam meritò prædicamus, quorum auctoritate compescuntur inferiores, quibus absque hoc esset, Musas pellere & domicilium earum evertere nulla foret religio. Cæterùm, ut ad priora redeam, Tu eâ es virtute & prudentiâ, ut raritate aut frequentiâ literarum amicitiam non metiaris, quàm nôris altiores egisse radices, quam ut oblivione vel temporum lapsu evelli possit. Pro scriptis tuis accuratis & elimatis, quæ transmisisti, magnas ago gratias: Remitto Responsi mei Moguntinis oppositi partem priorem, quæ si judicio tuo probata fuerit, vel saltem non displicuerit, gaudebo. Accessisset pars altera, si per tempestates, quæ fundamenta totius Germanicæ Reipubl. quatiunt, tranquillo licuisset esse animo. Dn. M. Buggelium, qui hasce reddet, ut commendatum habeas, & porrò aliis commendes, oro. Nobis enim ita pietatem, modestiam & in studiis assiduitatem probavit, ut bonorum omnium favore & patrocinio dignum judicemus. Vale feliciter. Ex Academia Julia Kalend. Febr. 1645.

Conr. Hornejus Georg. Richtero.

S. P. Magnifice, Amplissime & Consultissime Vir, Domine & Amice plurimùm honorande. Anni plusquam XX. sunt, ex quo inter nos primùm contracta est notitia, cùm unà hîc ad summum Virum Cornelium Martinum viveremus. Etsi autem ex eo tempore litterarum nihil alter ad alterum dedimus: Non dubito tamen veteris illius amicitiæ nostræ memoriam etiamnum apud Te conservari. Ego quidem Te, quem, ob insignem doctrinam & virtutem, olim magnifecerim, postea ex animo elabi meo nunquam passus sum, cujus rei testes habeo cives vestros, quotquot interea hîc nobiscum vixerunt: Nam & quid ageres, diligenter sciscitatus fui, & cùm ea referrent, quæ optaveram, non levem inde voluptatem percepi. In primis autem Reipubl. Vestræ gratulatus sum, cùm eam tua operâ in maximis negotiis feliciter sæpe usum esse cognoscerem. Nec ex alia quàm hac occasione post tot annos mihi nata est hæc epistola: Nam cùm Johannes Kreiselmannus sæpe hæc eadem ex me audivisset, jamq; reditum in patriam

patriam meditaretur, nihil ſibi gratius futurum eſſe mihi oſtendit, quàm ſi aliquid litterarum ad Te ſecum ferret. Quanquam autem Te in tantis occupationibus non temerè interpellandum exiſtimarem: Facilè tamen ejus petitioni annui, tum quòd egregio juveni nihil denegandum arbitrarer, tum quòd Te pro tua humanitate veniam mihi haud gravatè daturum confiderem. Et ſanè ita hic civis tuus toto, quo apud nos vixit, tempore non ingenium tantùm & eruditionem ſuam, ſed & morum vitæque integritatem nobis omnibus probavit, ut cariſſimum eo nomine haberemus. Nec ipſe aliter judicabis, ſcio, ſi porrò Tibi innotuerit, quem ut non ſolùm benevolentiâ tuâ complectaris, ſed ornandum etiam ſuſcipias, vehementer Te rogo; nihil enim rectiùs fieri poteſt, quàm ſi tales præ aliis curæ cordique nobis ſint, quorum & doctrina & virtus in ſpem certam patriæ ſuccreſcit. Pluribus hoc à Te petam, & inſignem juvenem Tibi commendem, niſi id ſupervacaneum eſſe exiſtimem: Nam nec de tua in cives veſtros egregia voluntate dubitare poſſum, & Kreiſelmannus is eſt, qui alienâ prædicatione non eget. Gratum tamen erit, ſi is ſenſerit etiam has litteras aliquid apud Te ponderis habuiſſe, ut eò cupidiùs hominem complectereris meo rogatu, quem ultrò aliàs inter tuos recepiſſes. Vale. HelmæſtadI 3. Eid. Quinctil. 1639.

Richterus Hornejo.

SAl. & Off. Vir Reverende admodum & Excellentiſſime, Amice plurimùm honorande. Literæ tuæ perquam mihi fuerunt jucundæ, quas menſe Auguſto anni præteriti Kreiſelmannus noſter mihi reddidit. Sed cur tam ſerò, inquis, reſpondetur. Certè ingratus ſim, ſi amicitiæ noſtræ immemor, quam ante annos 26. in Academia Julia bono DEO contraximus, virtutem tuam rariorem inſuper habere velim. Hæc igitur excuſationis meæ ſumma eſt, quòd non voluntatē, ſed occupationes meas antevertiſti, cui porrò invaletudo quoq; acceſſit, quæ me ab eo tempore, quo tuas accepi, aliquoties lecto affixum tenuit. Dolores ſunt arthritici, qui me ante annos novem, cùm Lipſiæ Ordinum Evangelicorum Conventui Reipublicæ nomine intereſſem, primùm correptum, ſingulis poſtea annis magis magisq; afflixerunt & etiamnum affligere perſeverant, reliquiis articulorū robur debilitantibus maximopere. Sed ut DOMINO placuit, ita factum eſt, ſi atq́ etiam poſthac: Sit nomen DOMINI benedictum; cujus favorem & clementiam ut Tu quoq;, Amicorum chariſſime, exorare mihi ne dedigneris, oro. Ἡ γὰρ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, nôſti verba Apoſtoli. De mea in Te animi promptitudine, quicquid pro virili licebit, & ab Amico expectari poteſt, nunquam non certò Tibi perſuadeas, velim. Et quidem eò magis, quò arctiore vinculo

interim me Vobis obstrinxit Serenissimi Principis Vestri, GEORGII, Domini mei Clementissimi, Celsitudo suspicienda, utpote qui me nihil tale vel ambientem vel expectantem Superiore anno Consiliarii titulo & stipendio dignatus est. Ut ego *Principibus placuisse Viris non ultima laus est:* Ita omni animi contentione gratiam illorum promereri decet, id quod mihi curæ erit, quamdiu animam in suo tabernaculo divertere supremus Imperator permiserit. Hactenus cum Legatis Amplissimis Principum Vestrorum Serenissimorum, qui hodieq; apud nos morantur, familiariter viximus, quos inter magnus est Lampadius, quem, ut nôsti, itidem Academia Vestra olim Amicum mihi fecit, cujus amor erga me, ut video, cum annis crevit. Eum heri tristi nuncio de obitu filioli recèns nati graviter perculsum dolemus. Sed quæ ipsius pia est magnanimitas, non nisi quòd DEO visum est, sibi quoque bonum videri pectus verè Christianum sinit. Ita enim in Divina voluntate nunquam non acquiescere præclarè didicit. Tui & Calixti nostri, Doctorum Theologiæ, quos Germania hodie habet, summorum (patere, ut pro libertate mea sincerè dicam, quod verè sentio) mentionem facimus sæpissimè, eamque non nisi, ut debemus, honorificam: Quibus colloquiis, crede mihi, nihil habeo jucundius, nihil acceptius, nihil optabilius. Misissem Tibi dudum, quæ semel iterumque in lucem prodire permisi potiùs quàm curavi, nisi Bellonæ tam diu occasionem omnem commodè munuscula ejusmodi mittendi ademisset. Speramus tamen fore,ut vel cum abitu Legatorum, quos dixi, Nobilissimorum, quod diu volui, efficere tandem possim. Nunc hoc Te rogatum eò diligenter, ut nostratem M. Johannem Fabricium, quem in numerum convictorum tuorum, ut audio, non ita pridem recepisti, favore tuo ita complectaris, ut olim à Cornelio nostro, Viro incomparabili, erga nos factum meministi. Mereri hoc mihi videtur ardor juvenis ornatissimi, qui Patris, Theologi antehac apud nos sine pari, filius haud degener. Theologiæ studere cupit solidiùs, more, quo Tu & Calixtus docere magnâ nominis Vestri gloriâ hactenus consuevistis. Neque beneficium conferes homini ingrato, quem Romano more, hoc est, optimo commendatum Tibi volo. Quin & ego me Tibi ob id debitorem fatebor lubens. Vale, Vir Clar. & nos ama. Dab. Noribergæ ad d. 18. Junii A. C. 1640.

Hornejus Richtero.

S. P. Amplissime, Consultissime & Excellentissime Vir, Domine & Amice vetus, ac plurimùm honorande. Mirificè me delectârunt litteræ tuæ, tum quòd insignem in nos spirabant amorem, tum quòd ea nunciabant, quæ magnæ voluptati erant: Nihil enim cognitu jucundius esse potuit, quam quod de tua & Excel-

Excellentiſſimi noſtri Lampadii familiaritate ſcribis, cum quo à tot annis mihi etiam non intima tantùm amicitia, ſed ſumma neceſſitudo intercedit. Nec privatò tantùm nomine hac de re gaudeo, ſed publico præcipuè: Tanta enim eſt utriusque Veſtrum & tam eximia doctrina, virtus ac prudentia, ut nihil Reipublicæ utilius eſſe poſſit, quàm animis etiam conſpirare, quos tam præclaris ingenii dotibus Divina benignitas æquavit, præſertim cùm Illuſtriſſimus Princeps noſter Te quoq; inter Conſiliarios ſuos adlegerit, qua de cauſſa tam Tibi quàm patriæ noſtræ gratulor. Venit hîc in mentem ejus, quod apud Philoſophum tantopere prædicari ſcis: Οὐ χρυσὸς ἀγλαὸς οὐδ' ἀδάμας ἀστράπτει πρὸς ὄψεις, ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφραδμόνων νόμοις. Quapropter DEUM precor, ut non tantùm illa inter nos animorum conjunctio, id quod ſpero, perpetua ſit, ſed ſimiliter per totam Germaniam Viri prudentes & boni conſilia tandem denuo ad communem ſalutem conſocientur: Nec enim ullum aliud remedium tantis malis ſupereſt. Dicam etiam, non leviter me adfeciſſe præclarum tuum de Clariſſimo Calixto & me judicium, niſi, quod ad me quidem attinet, egregium tuum in me affectum hîc non parum Tibi impoſuiſſe videam: Sed utut hoc ſit, gratum tamen eſt, non tantùm, quòd laudari à laudatis Viris delectet, ſed cumprimis, quòd hic quaſi clypeus malevolorum ſycophantiis objici poſſit, quibus expoſiti omnes eſſe ſolent, qui ignorantiæ bellum indixerunt: Verùm hæc ſanè aliter non conſtant, nec tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Quocirca ad alia venio. In primis gratias magnas de doctiſſimis & piiſſimis lucubrationibus tuis ago, quas non longo poſt litteras tuas intervallo ſubmiſiſti. Et utinam tales multos habeamus, quales illis deſcribuntur juventuti JCti, καὶ ἄνδρες πολιτικοί, non adeò, ut nunc fit, laboremus. Sed & devotionem animi tantam omnibus exoptem, qui ſacro Ordini adſcripti ſunt, quanta illis exprimitur: Ita enim futurum ſit, ut plus etiam pietatis apud eos exiſtat, quibus illi præſunt. M. Johannem Fabricium, doctum & inſignem prorſus juvenem, quem mihi commendas, ita amo, ut non poſſim magis: Id enim virtus ejus & animus optimorum ſtudiorum cupidiſſimus meretur. Tanto enim eſt ingenio, ut ſi pertexere, quod pulcrè inſtituit, queat, non dubitem, Virum aliquando eximium fore. Et ipſe ita hoc cupit, ut nihil ſuprà. Nec alio animo eſt alter civis veſter M. Balthaſar Seuffertus: Nam uterque mecum vivit, & in utroq; omnia ſic probo, ut paucos habeam, quos eis comparem. Eò magis autem nos tales complecti oportet, quòd tam rari aliàs ſunt, qui ſolidi aliquid diſcere cupiunt, vel tantam morum integritatem cum ſtudiis conjunxerunt, quanta in illis eſt: Nam cæterorum, qui vulgaria tantùm ſectantur, ἄλις paſſim ὡς δρυός, qui maximus Eccleſiæ noſtræ nunc morbus eſt. Ne itaq; dubites, velim, Vir Ampliſſime,

plissime, Cl. Calixtum & me in duos hos præstantes juvenes omnia collaturos esse, quæ possumus, ut aliquando ad Vos tales redeant, quales & Vos cupitis eos esse, & ut hinc Ecclesiæ expedit. Tantum Tu auctoritate eos juves, quæso, ut justum eis tempus nobiscum commorandi concedatur: Scis enim illo ad hanc rem opus omnino esse. Vale, & nos porrò ama. Helmæstadii, Eid. Sept. 1640.

Just. Gessenius Georg. Richtero.

MAgnifice, Consultissime & Excellentissime Vir, Domine ac Fautor plurimùm observande. Et merita in me tua & singularis studiorum Theologicorum ac pietatis amor non concedunt, ut quandoquidem facultas datur, Te Exercitationis meæ de Igne Purgatorio expertem esse patiar. Et quid magis optem in quæstione tam nobili & tanti momenti, quàm ut accuratioris judicii tui hîc particeps reddar, ut cognoscam, quid in ista materia adhuc ulteriori disquisitione indigere censeas. Sanè hac fini ad Te, quicquid est hujus industriæ meæ, mitto, etiam atque etiam rogans, ut nisi molestum est, quid adhuc requiras, & de Tota exercitatione censeas, certiorem me reddere ne graveris. Cæterùm de recuperata valetudine etiam atque etiam Tibi, Vir Excellentissime, gratulor, & ex animo voveo, ut clementissimus Pater cœlestis Te patriæ ac familiæ tuæ diu sospitare ac servare velit! Vale, Fautor venerande, & iterum atq; iterum salve, quin etiam, nisi grave est, Excellentissimum ac Celeberrimum Virum Dn. Dilherrum verbis meis quàm officiosissimè salvere jube. Hannoverâ proprid. Palmarum Anno 1643.

Georg. Richterus Justo Gessenio.

SAl. officiosissimam. Reverende admodum & Excellentissime Vir, Amice venerande. Cumprimis de supremis honoribus, quos in Facultate, quam vocant, Theologica non ita pridem es consequutus, jam diu verò est, quum meritus es ante cœteros, etiam atq; etiam Tibi gratulor, & ut diu istis salvus, lætusque fruaris, ad gloriam Servatoris nostri Jesu Christi, inque Ecclesiæ ipsius, quam proprio sanguine sibi vindicavit, emolumentum, animitus opto, voveoq;. Pro dissertatione etiam tua Inaugurali gratias, quas debeo, ago magnas, & affectum tuum in me toties jam antè mihi probatum, nunc verò tam luculenter demonstratum denuò, unicè exosculor. Quo vinculo Tibi vicissim sim obstrictus, probè novi, operam daturus sedulò, ne de grato hoc animo unquam Tibi dubitare liceat. Nequaquam verò is sum, qui, quod putas & petis, de Dissertatione illa tua Theologica, quam de Purgatorio accuratissimè scripsisti, judicare queam:

queam: Nisi ultra crepidam velim, & alieno choro inferre pedem, quòd à me est alienum. Quin verò palmam sis meriturus apud omnes Ordinis tui piè & eruditè doctos, nemo sanus, credo, dubitabit. Ita solidè, ita nervosè, ita perspicuè docuisti nec sanctum DEI verbum, nec veteris Ecclesiæ, sive Græcæ sive Latinæ, antistites summos Purgatorium istud agnoscere, neque etiam subsistere, quæ assertores illius seu antiqui seu recentiores proastruendo dogmate fictitio laboriosè afferunt, magno conatu hoc agentes, ut nihil agant. Quam eruditionem tuam præclaram maximopere commendat atque exornat modestia tua & mansuetudo erga adversarios singularis, virtutum tuarum condimentum eximium, quum hostes tractas ut amicos, illisque bene dicis, qui nobis malè; in quo velim tui similes haberemus plures: Certè feliciorem successum in multis augurari & sperare liceret. Neque dubium est, quin Julia Academia Illustris, quæ tales nobis Ecclesiæ Doctores producit, & ubi nunc Calixtus & Hornejus Theologorum par absq; pari, inusitatâ pietate & doctrinâ ad invidiam fulgent, laudem præ cæteris mereatur singularem: Rumpantur ilia momis. Redhostimenti verò loco pro dissertatione illa tua, quum aliud nunc non suppetat, Oratiunculam hanc Tibi mittere visum est, quam affectus nostri significationem pro virtute tua boni consules. Diomedis enim instar χρύσεα χαλκείων accepi. Vale, &, ni grave est, Amplissimum D. Lampadium quàm officiosissimè à me saluta. Dabam Noribergæ ad d. 4. Nonas Junii Anno τοῦ σωτῆρος 1643.

Dan. Heinsius Georg. Richtero.

DE SERVITUTE NATURALI.

Quæsivisti nuper ex me, Eruditissime Richtere, quomodo à Jurisconsultis contra naturam esse servitus dicatur: Cùm Philosophus Politicorum primo, servos nasci & naturâ esse, dicat. Cujus rationibus (ut est naturæ quidam quasi genius & idea rationis Aristoteles) ita commoveri Te memini, ut illi subscribendum putares. Ad hanc ego quæstionem, toties & voce & scriptis ab omnibus vexatam, ut respondeam, quemadmodum oportet, utriusq; priùs institutum, tum Philosophi tum Jurisconsultorum, erit expendendum, ut intelligatur, quomodo tam hic quàm illi servum considerent & servitutem. Quia multis est persuasum, simpliciter pugnare id, quod dicitur ab Aristotele, cum eo, quod verissimè est dictum à Consultis Legum. Alii ita frigidè conciliant utrosq;, ut Neronis thermas celebrare videantur. Nostro autem tempore ullum ægrè aut

Poli-

Politicum reperias aut Jurisperitum, *Cui non dictus Hylas puer:* Hoc est, qui non quæstionem istam attigerit, sine ullo, quantum ego quidem judicare possum, successu, quamvis non sine animis & contentionibus. Quare quia difficultas potissima in mente est Philosophi, eam primò ostendemus, ac deinde cum Justiniano & reliquis conciliabimus. Aristoteles quemadmodum in libris Politicorum agit de Republica, ita libro omnium primo, quia methodo procedit ibi analyticâ de civitate tantùm deq; partibus illius agit. Partes civitatis, quoad materiam, (nam de forma, quæ est Respublica, libro primo non agit) sunt hæ: Servus, Dominus, Maritus, Fœmina, Pater, Liberi. Ex quibus totidem imperia nascuntur: Herile, Nuptiale, & Patrium; quæ primo statim capite, adversùs Platonem ostendit, à Politico, Regio & aliis specie differre. Hoc ut probet, id, quod fieri in Physicis consuevit, (ubi nisi res ex naturæ initiis compositæ in partes dividantur minimas, eæq; partes considerentur, quam vim habeant, intelligi non potest) composita, ut ejus utar verbis, usq; ad ea, quæ jam ampliùs composita non sunt, dividit secatq;. Et in primis ipsa elementa sive partes illas, tum per se consideratas, tum collatas inter se, à natura esse docet. Per se, exempli gratiâ, fœminam naturâ, servum naturâ esse: Collatas inter se, ut si ea jungas, quæ disjungi in familia non possunt; fœminam cum mare, servum cum domino. Nam ut à natura est fœmina, & qualitatibus à mare separata est fœmina, ita & à natura est servus, & à Domino separatus qualitatibus est servus. Collatas inter se, ut si ea jungas, quæ conjungi in familia oportet: Fœminam cum mare, servum cum Domino. Nam ut à natura est fœmina, ita à natura est, quòd fœmina conjungitur cum mare: Et ut à natura est servus, ex opinione Aristotelis, quam explicabimus, ita à natura, quæ nihil frustrà agit, hoc quoq; est, quòd servus conjungitur cum Domino. Rursus quemadmodum à natura est, quòd, quæ propria sunt fœminæ, mas appetat: Ita à natura est, quòd, quæ propria sunt servi, qui ad serviendum à natura factus est, requirat Dominus. Talis autem servus est, de quo primo libro agit Aristoteles. Ad conjunctionem illam spectat illud axioma, *ὅτι δὴ ἀνάγκη πρῶτον συνδυάζεσθαι, τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι.* Id est, *primò conjungendos esse, qui non possunt à se mutuò distingui.* Ad partes ergo singulas quod attinet, ipsumq; totũ, cujus causa partes sunt & quod esse priùs dicitur quã partes, (quemadmodum civitas priùs esse dicitur quàm domus, domus quàm servus aut fœmina: Quia, toto sublato, tolluntur partes, partibus quibusdam sublatis, non tollitur totum) singula eorum esse à natura docet Aristoteles: Ac de civitate quidem: *Omnis,* inquit, *à natura est civitas.* De Servo aliquoties, in primis sex capitibus, *aliquem naturâ esse servum.* Et hæc de singulis. Quæ cùm iterum conjungit, hanc conjunctionem esse probat à natura. Idq; in societate prima, quæ à natura est;

familia

familia nimirum. Quæ societas ad maximam societatem hac conjunctione sensim nos deducit; quæ & ipsa à natura est; civitatem nempe. Dicit ergo, fœminæ & maris, procreationis ergo, Domini & servi, conservationis sive utilitatis causâ esse. Quare, ut cætera intelligamus, videamus, quid in primo vocet Aristoteles naturâ esse. Natura ab eo dicitur nonnunquam naturalis impetus & inclinatio, aut ὁρμὴ. Sicut Græci omnia feliciùs. Ita accipitur secundo capite, cùm dicitur, conjunctionem fœminæ & maris à natura esse. Huic prælectio opponitur ab ipso. Negat ergo, hanc conjunctionem esse à prælectione, sed à naturali impetu, qui non tantùm homini, sed & reliquis communis est animalibus; imò & plantis. Ut nimirum mas & fœmina mutuò se appetant, suiq; simile desiderent relinquere, ut ipse ait. Ita servi quoq; & Domini esse à natura videtur conjunctio. Videmus enim, cætera quoque animalia, (præsertim quæ ἀγελαῖα ab Aristotele dicuntur & societatem imitantur humanam, sicut dicis causâ, apes,) & utilitatis suæ atq; conservationis habere rationem. Ideoq;, si quæ valent corpore, infirmioribus succurrere: Sollertiora ingenio, stupidioribus. Imò, quæ stupidiora sunt, non posse conservari, nisi alieno ingenio utantur. Videtur igitur & illud esse à natura, ut cùm alii sint corpore robusti, tardi ingenio, qui robustiori sunt corpore, ab iis gubernari conservariq; desiderent, qui ingenio & ratione valent. Sicut iis ipsis, quod præclarè à Philosopho notatur, servit corpus. Contrà, ex naturæ constitutione, qui ingenio & ratione valent, operam expetunt eorum, qui robusto sunt corpore, ad ministeria videlicet: Manus ergo Domini est servus. Servus naturâ (hoc est, qui ad ministeria est natus) Domino subjicitur. Quemadmodum & corpus à natura, quæ nil frustrà agit, rationi. Atq; hæc est causa, quare sexto capite, ubi utitur hoc simili, servum partem esse dicat Domini. Servum item esse Domino, quod animæ est corpus; instrumentum nempe necessarium. Sicut instrumentum animatum, servus, ab eodem illo nostro non minùs eleganter dicitur. Aliter ab Aristotele natura finis dicitur. Quemadmodum & finis rei alicujus, & perfectio natura. Ita accipi naturam capite secundo docet, ubi ait: Ἡ δὲ φύσις τέλος ἐστί. Quo axiomate demonstrat, civitatem à natura esse, quia reliquæ societates, quæ minores sunt & hanc cōstituunt, sunt à natura. Cui germanum illud axioma, quod ibidem extat, ὅτι οὐδὲν μάτην ἡ φύσις ποιεῖ. Unde & probat, siquidem natura nihil agit frustrà, sed & singulorum singulos vult esse fines, singula non multis usibus & finibus, verum uni à natura destinari in familia. Quò & spectat illud eruditum: Οὐδὲν γὰρ ἡ φύσις ποιεῖ τοιοῦτον, οἷον χαλκότυποι τὴν Δελφικὴν μάχαιραν πενιχρῶς ἀλλ' ἓν πρὸς ἕν. Hoc est, *Nihil siquidem sic efficit natura, quemadmodum ferrarii Delphicam conficiunt macharam parcè ac restrictè: Verum unum causa unius.* Fœminam & marem, pro-

S

crea-

creationis; dominum & servum, mutuæ utilitatis causâ. Sive ergo servum consideres per se, talem esse apparet à natura. Nam ad ministerium & operas corporis nascuntur quidam. Quales totæ sæpe nationes sunt; ut Dai, Syri, alii: A quibus servis quoq; nomina indebant antiqui. Nam sicut paterfamilias singula instrumenta singulis destinat usibus, cùm ea curat fieri: Ita singulis natura in familia destinavit hominem. Hunc ad procreationem, illum ad utilitatem & naturæ usum. Et utrumq; est à natura. Quod non tantum, in familia habere locum, sed in multis quoq; aliis inductione longâ quinto capite probatur. Ita enim anima corpori, intellectus illi parti imperat, quæ paret perturbationibus: Ita animalia mansueta feris & agrestibus: Ita vir fœminæ; respectu nempe ipsius rationis, quæ ubiq; ad imperandum suo quasi jure constituta est. Quare? quia melioris in deterius imperium est naturale. Sicut ergo naturale est & utile, ut anima corpori, ratio imperet libidini: Ita naturale est & utile, ut qui ratione excellit, illi imperet, qui nullâ utitur, aut admodum pusillâ. Sicut iterum, si servum cum domino conjungas, discrimen utriusq; esse à natura videbis. Nam ut omnia instrumenta fiunt causâ domini, ita servus ejus causâ nascitur tantùm. Et ut singula instrumenta singulis sunt destinata usibus, (culter enim est acutus, ut scindat, harpago incurvus, ut apprehendat) ita servus manibus & pedibus totoq; corpore à natùra sic est factus, ut serviat: Tardo autem ingenio, ut alterius ingenio regatur. Jam si instrumenti essentia est usus, & qui sequitur hanc actio, & si usus iste est à natura, sequitur & servum nasci servum, & hoc ipsum esse à natura. Neq; aliter loquimur: Dicimus enim, hunc ad servitutem nasci, illum ad imperium. Præterea: Servum hunc natum, ut coquat; illum ut currat; illum ut bajulet: Nemo autem dicet, talem natum esse, ut imperet. Hoc est iterum, quod quinto capite à Philosopho dicitur: Corporibus naturam servos distinxisse & dominos. Et ibidem: Multò magis distinxisse ingenio, sicut hominem & belluam: Nemo enim dicet, equum aut bovem esse natum, ut imperet homini, verùm ut serviat: Natura enim illis tale corpus dedit: Tale autem homini ingenium. Unde bos & equus, quia ratione destituti, corpore autem plus quàm homo possunt, servi loco sunt hominibus, qui servo carent, ait Aristoteles. Quare & qui tantum cedunt reliquis ingenio, quantum bos aut equus homini, tantum corporis vi superant, quantum ista hominem, servos à natura factos esse dicit Aristoteles. Quare? Omnia definiuntur facultate (inquit idem Aristoteles) & actu, sive, naturali potentiâ & actu. Ita avis à natura facultatem accipit volandi, piscis natandi, homo ratione utendi. Et in domo, dominus imperandi, servus serviendi. Eodemq; modo in Republica. Talis erat ille Pelopidas Plutarchi, quem ad imperandum fuisse comparatum à natura, idem ait: Aut

potiùs,

potiùs, natum fuiſſe imperatorem, facultate ſcilicet, non actu. Apud eundem Themiſtocles hoc uno ferè argumento à ſuſpicione defectionis ad Perſas ſe purgat, quòd non ignoraret, ad imperandum eſſe ſe natum. Idem, Philopœmenem, non ſemel, natum fuiſſe ad imperandum, profitetur: Atq; hanc fuiſſe cauſam, cur Megalopolitani eum ſequerentur: *Quia ſcilicet ad imperandum iis natus videretur*. Quod profectò multum, imò plus, quàm dici poteſt, valet apud omnes. Nulla res tam violenter movet nos in ſcena, quam cùm Hecubas, Andromachas & omnes illas τρωϊάδας ἑλκεσιπέπλους, verba priſtinæ fortunæ loqui audimus. Nam quid aliud quàm naturæ vim fieri queruntur, idq́; à fortuna: De cujus inſolentia, immanitate ac vi ad ſpectatores provocant. Talis erat, & ante omnes quidem, Jaſon ille, cujus libro tertio Philoſophus meminit, qui ſe eſurire ajebat, cùm non imperaret. Ex hac facultate naturali ſive forma, quam in ſervo eſſe ait Ariſtoteles, (unde & naturâ eſſe ſervum ait) formæ operatio, id eſt, actus ſerviendi aut imperandi, emergit. Ex hoc actu de forma judicamus. Et cùm operationem intuemur, hunc aut illum bujus aut illius dicimus habere facultatem: Hoc eſt, natum eſſe dominum aut ſervum. Ita Plato III. de Leg. aurum imperantium animis in prima generatione admixtum fuiſſe ait: Cùm cæteri aut æs tantùm aut ferrum acceperint. Ita Stoici dicebant, pro defectu rationis, omnes ſtultos eſſe ſervos: Ex Operatione enim judicabant de potentia & facultate. Tale nihil Imperator, titulo De jure Perſonarum: Tale nihil Juriſconſulti, titulo De ſtatu hominum, concludunt aut ſtatuunt. Rurſus Ariſtoteles, eum eſſe ſuum, ait, qui eſt ratione præditus, ut imperare ſibi poſſit, & ſe ipſe conſervare: Alterius, qui ratione regitur & conſervatur; ejus nempe, cui paret. Eodem modo ſervum eſſe dicit, qui, licet homo naſcatur, non ſuus naſcitur, ſed ejus, cui paret; ſive non ſuus, ſed alterius: Sic enim propè ad verbum. Ita & cùm ait quinto capite, naturâ eſſe ſervum, qui alterius poteſt eſſe: Talis enim niſi ſervit, interit, aut ægrè conſervatur. Sicut aſinis & bobus, homini parere & ab eo regi, tam eſt ſalutare, quàm cum hominis utilitate eſt conjunctum, operâ illorum uti. Et hæc eſt communis illa utilitas, quam ponit Ariſtoteles. Nam duobus quidem hiſce fundamentis tota nititur Philoſophi ſententia. Primò, quod naturæ convenit cujusq;, naturale cuiq; dicitur. Secundò, quæ ad commodum naturæ, aut utilitatem pertinent cujusq;, cuiq; naturalia dicuntur. Etenim alterius natura ſunt, quæ ſua eſſe non poſſunt. Atque hoc ipſum à Platone quoque dicitur, à quo illud Stoici, ut reliqua, ſumpſerunt. Et nos vulgo ebrium aut furioſum dicimus non eſſe ſuum. Sicut hominem uxorium non ſuum, ſed uxoris eſſe dicimus. Ita quoq; ſervus, qui vel nihil vel puſillum à natura rationis impetravit, eſt alterius, non ſuus, & naturâ quidem, non lege. Atq; hæc quidem

dem capite secundo, tertio, quarto & quinto. Sexto, cum alia tractantur, tum Divisio servorum ponitur: Alium naturâ esse, alium lege. Hinc jam quæstio oritur: An qui lege servit, jure quoq; serviat; quod plerosq; affirmare, neq; ab opinione ista dimoveri posse, ait Aristoteles. Pro affirmante ponitur: Legem esse jus aliquod. Contrà: Nihil, quod est violentum, esse justum. Iterum pro affirmante: Licitam vim esse, quæ virtute constat: Talem autem esse bellicam. Ergo talem servitutem esse justam. Contrà opponuntur tum alia, tum illud: Qualis est causa, talis est effectus. Fieri autem potest, ut injusta belli sit causa. Talis ergo erit quoq; hæc servitus. Potest quoq; fieri, ut servitute sit indignus, dignus libertate, qui in servitutem sic redigitur; prudens nempe vir aut sapiens. Talis autem erit indignus, qui serviat. Huic tandem argumento Aristoteles respondet & ostendit, eos, qui hoc dicunt, nihil aliud adferre, nisi quod jam dictum à se esset: Alium naturâ nasci servum, alium verò nasci liberum. Ideoq; amicitiâ potius quàm vi dominum conjungi & servum. Atq; ita concluditur, hæc disputatio. Quid autem tale dicitur in jure? ait Imperator: *Libertatem esse naturalem.* Institut. De Jure Person. & Florent. ff. De Statu Hominum. Unde ea definitio, in qua hoc dicitur, desumpta est. Idem ait Aristoteles. Hominem nimirum, quà est homo, esse liberum. Quia τὸ τί ἦν εἶναι hominis, quod nôrunt Philosophi, in ratione est: In qua ratione, libertatis notam ponit Aristoteles. Imò ait ille: Hominem, quò magis est homo, eò magis esse liberum; & quò minùs, eò magis esse servum: Est autem homo eâ parte homo, in qua dominatur ratio. Sicut ea dominatur in homine, qui nimirum homo verus est & absolutus. Nam qui talis non est, non ad servum abit tantùm, sed ad belluam. Quis autem eas negat inservire hominibus? Et idcirco à natura factas; imò tales nasci? idem ait, servos nasci. Et hoc ajunt pugnare cum eo, quod dicitur. l. Quod attinet. ff. De Reg. Jur. *Quia quod ad jus naturale attinet, omnes homines aequales sunt.* Et à Justiniano Institut. De jure naturali. *Et civili jure & naturali omnes homines initio liberi nascebantur.* Quod omnino nusquam, ut opinor, Aristoteles negavit. Nam quis nescit, aliud naturæ jus esse, ut accipitur ab Ulpiano, aliud naturam, ut accipitur ab Aristotele? Jus naturale dicitur ab Ulpiano, Lex, quæ cum homine cœteris est animalibus communis, ut Plutarchus illud vocat. Quemadmodum non tantùm homines, sed aves quoque & pisces libertate istâ naturali fruuntur; quasi ex naturæ lege. At Aristoteli Natura est facultas naturalis; ex qua actus postea extunditur. Ex hac Aristoteles definit servitutem. Quid igitur in mentem venit Vasquio, Jurisconsulto, cùm impietatis Aristotelem accusat, qui naturâ, hoc est, facultate naturali inter se distinguit homines? Cùm præsertim mentem Aristotelis aut non inspexerit, aut scopum ejus non expenderit.

penderit. Quod ſubindicat vel ipſe. l. 1. Contr. c. 10. n. 3. Ubi ſervitutem introductam ab Ariſtotele concedit; negat tamen ſervitutem eſſe, quia in invitos non cadit. Quaſi aut de jure, aut de vi, aut de invito agat Ariſtoteles. Equidem quòd avis apta ad volandum naſcitur, & hoc ei à natura eſt proprium, non eſt naturale jus, ſed naturalis potiùs facultas; idq́; ſane ſuâ ſponte non invita facit. Ariſtoteles non negat, homines æquales eſſe jure naturali, ſed æquales eſſe naturali facultate, ſive naturali potentiâ: Et idcirco actu in familia atq; operatione plurimùm differre. Ideo cùm dicit: Servum aliquem naturâ naſci; hoc vult: Aliquem naturâ magis aptum ad ſervitutem naſci. Id verò eſt, quòd Græci dicerent; *δυλικώτερον φύσει τινὰ γίνεσθαι ἢ εἶναι.* Exemplo, mentem Ariſtotelis, ſi placet, illuſtremus. Ait alibi: Naturam voluiſſe, ut Barbari ſervirent Græcis, quia Græci à natura liberi naſcuntur, ſervi autem Barbari. Idq́; ex Euripide, qui dixerat: *Βαρβάρων δ' Ἕλληνας ἄρχειν εἰκός, ἀλλ' ὐ βαρβάρους: Μῆτερ Ἑλλήνων τὸ μὲν γὰρ δῦλον, οἱ δ' ἐλεύθεροι.* Quod de Aſiaticis Ageſilaus, de Jonibus pronunciabat Callicratidas; de Syris Cicero & Julianus. Quis exiſtimabit ergo, eam eſſe mentem Ariſtotelis, ut neget, quod ab Ulpiano dicitur: *Jure naturali neminem ſervire?* Si quidem ipſe opponit id, quod vi fit, & quod jure, idq́; in hac quæſtione. Ut cum ait ſexto capite: Iis, qui in ſervitutem rediguntur, ſi præſertim nati ſint ad libertatem, vim inferri. Ex quo manifeſtum eſt, hoc eum velle: Græcos propter naturales facultates comparatos eſſe ad libertatem, Barbaros ad ſervitutem. Quia, quod Salluſtius præclarè, animi imperio, corporis ſervitio magis utimur. Qui ingenio excellit, ſicut Græci, naſcitur ad imperandum: Qui corpore, ut Barbari, idoneus ad ſervitutem. Quot naſcuntur bajuli, qui corpore ſtupenda faciunt: Quot illuſtres animæ, quarum omnis vis in parte præſtantiſſima conſiſtit? Utri ad imperium naſcuntur? Utri facultatem ſerviendi à natura habent? Tales erant ſervi Scytharum, de quibus Herodotus: Qui, cùm bellum dominis inferrent, flagro monebantur, cui rei eſſent nati. Sed illuſtrius exemplum libro decimo & octavo Juſtini habes, de Stratone: Qui, cùm ſolus inter ſervos viveret ingenuus, ſolus omnes, tanquàm Deus quidam inter homines, ſolertiâ excedebat. Quid quòd idem Ariſtoteles agnoſcit ſervum lege, ſive *δῦλον νόμῳ,* de quo agunt legum conſulti: Et ab eo ſeparat *τὸν φύσει*, hoc eſt, qui naturâ ſervus eſt, quem ſolum conſiderat Philoſophus? Statim enim IV. cap. initio: *Διχῶς γὰρ λέγεται τὸ δυλεύειν, καὶ ὁ δῦλος· ἐστὶ γὰρ τις κατὰ νόμον δῦλος καὶ δυλεύων:* De altero autem agit paſſim. Novit ergo & Jus Gentium, quod *ὁμολογίαν* ibidem vocat. Novit & famulum, qui jure ſervus ſit, ſed alium conſiderat. Atqui dicat aliquis: Quid, an non diſertè ait imperator: *Libertatem eſſe facultatem naturalem;* ſicut in eadem definitione Florentinus? Ita ſane: Sed

non eo ſenſu, quo ab Ariſtotele facultas uſurpatur, à qua, ut à forma, omnis actus prodit; ſed pro libera potentia aut poteſtate. Sicut aliàs in legibus non ſemel. Sed in viam redeamus; hoc eſt, titulum de Jure Perſonarum videamus; de quo agitur potiſſimùm. Longè aliter perſonas in hoc titulo conſiderat Juſtinianus quàm Philoſophus. Perſonæ, de quibus libro primo agit Ariſtoteles, non ſunt pars Reipublicæ, de qua etiam primario, ut ſuprà dicebamus, ibi non agitur; ſed ſocietatis primæ, è qua conſtituitur Reſpublica, materies. Quæ non eſt pars quidditatis propriè, ut loquuntur vulgò barbarorum filii. Adde, quòd nec jus earum reſpicit, ſed opus; ſive operationem, cui quiſq; naſcitur idoneus. Idq; totum nititur hoc axiomate: *Naturâ civitatem eſſe*. Quod ut probet, ἀναλυτικῶς καὶ εἰσαγωγικῶς ab homine incipit, quem naturâ eſſe ait animal politicũ: Hoc eſt, ſocietati natum. Jam, cùm in duobus, τοῖς τε ἄρχουσι καὶ ἀρχομένοις, ſocietas conſiſtat: Hoc quoque à natura eſſe probat. Idque primò in familia. In qua alii ſic à natura comparati ſunt, ut imperare poſſint: Alii ſic comparati ſunt, ut debeant ſervire, & velint. At Juſtinianus de perſonis inſtituti ſui cauſa agit. Sicut perſonarum cauſâ totum jus eſt conſtitutum: Siquidem & ff. De Statu Hominum, *Hominum causâ omne jus conſtitutum* eſſe dicitur. Et earum cauſâ etiam de Rebus agitur & Actionibus. Ideoq; ſervitutem non conſiderat, ut miniſterium; neq; dominium, ut imperium; quod ab Ariſtotele eſt factum. Sed conſiderat jus illud, quod in ſervitute & in libertate eſt. In quo jure rurſus non conſideratur ſervi qualitas, natura aut proprietas: Non conſideratur ſervi officium, ut in familia, actus aut operatio; ſed conditio & ſtatus. Hoc apparet ſatis ex V. lib. I. Pandect. tit. è quo iſte, qui de jure perſonarum, quod, ad definitionem ſervitutis, etymologiam attinet & modum, eſt deſumptus, qui inſcribitur, De Stat. Hom. Agit ergo Ariſtoteles de qualitate Servi, quâ eſt ſervus: Florentinus, Cajus, Marcianus, Ulpianus, Imperator, de conditione ſervi, ſeu de ſtatu. Apparet hoc ex definitione ſervitutis, in qua *Conſtitutio* vocatur: *Servitus eſt conſtitutio*. Atqui qualitas, de qua jam agimus, & quo intendit Ariſtoteles, non conſtituitur: Sed contra innaſcitur. Quippe ut in oculo facultas naturalis ad videndum; ſic in famulo, ut eum Ariſtoteles conſiderat, facultas naturalis eſt ad ſerviendum. Eam conſtitutionem contra naturam eſſe dicunt. Item ſervum, qui naturâ liber eſt, conſtitutione iſta juris gentium, (quæ ſunt verba Florent. ff. De Statu Hominum) *alieno contra naturam ſubjici dominio*. Quod ex origine ipſa vocum, & quam vocant veritate, probat. *Servi ex eo appellati ſunt, quod imperatores &c.* Et: *Mancipia verò dicta, quòd ab hoſtibus manu capiantur*, qui à Græcis vulgò δορύκτητοι vocantur; neq; quicquam faciunt ad ſervum naturalem Ariſtotelis. Apparet ex diviſione ſervi & liberorum. Uterq; enim negat, ſervum dividi.

vidi. Et Justinianus quidem: *In servorum conditione nulla est differentia.* Marcianus: *Et servorum quidem una est conditio.* Negat uterq; servos dividi. Quomodo? quod nimirum ad conditionem quod ad statum. Ex quo satis planum est, quod dicebamus. Nam quis neget, servos facultate dividi? Alius enim nascitur, ut currat: Alius, ut bajulet; Alius, aliud ut agat. Neq; minùs actu differunt & opere: Alii enim coquunt; alii pinsunt; alii verrunt; alii aliud agunt. Et hoc est, quòd Aristoteles: Ἔστι γὰρ ἕτερα ἑτέρων, τὰ μὲν ἐντιμότερα ἔργα, τὰ δὲ ἀναγκαιότερα. Hoc est: *Alia aliorum servorum sunt opera, nonnulla magis necessaria, nonnulla magis honesta.* Quod & hoc vulgato probat versiculo: Δοῦλος πρὸ δούλου, δεσπότης πρὸ δεσπότου. Et in Paradoxis Tullius: *Sed ut in familia, qui tergunt, qui pinsunt, qui verrunt qui spargunt, non honestissimum servitutis locum tenent: Sic in civitate, qui se istarum rerum cupiditatibus dederunt; ipsius civitatis locum penè infimum obtinent.* Et paulò antè: *Atq; ut in magna familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur, sed tamen servi; Atrienses ac Topiarii, &c.* Ita Athenæus notat, quosdam ex Romanis decem, alios viginti servorum habuisse millia. Alios nimirũ Balneatores, alios Nomenclatores, alios Offarios, alios Structores, alios Prægustatores, alios Ostiarios, alios Cursores, alios Lecticarios, alios Arcarios, & similes. Quid? an non Columella, in singulis villarum operis, singularem animi ac corporis requirit habitum. In magistris pecorum, sedulitatem & frugalitatẽ: In bubulco, præter mentis indolem, vocis vastitatem pariter & corporis. Jam proceritatem in aratore cùm ob causas alias, tum, *ut arando,* inquit, *stivæ penè rectus innitatur.* Contrà verò in vinea, *non altos, verùm lacertosos,* sicut ipse loquitur, *& latos*, exigit. Atq;, ut sedulitatem in pastore ac frugalitatem curâ aliquis fortasse efficaciat ac educatione: Ita vastitatem bubulci, aratoris altitudinem, vinearoris latitudinem, nemo efficit, sed à natura accipit, & pro singulorum naturali aut potentia aut corporis habitu singulis admovet operibus, eodem omnes jure & conditione, non eodem modo à natura comparatos. Alius ergo est conditione servus, de quo Imperator: Hoc est, factus jure gentium, quem non minùs Aristoteles agnoscit; alius naturâ, de quo Aristoteles. Qui nec jus in libertate spectat, nec in servitute, sed in homine & familia (quæ prima est societas) potentias ad imperandum, aut ad serviendum naturales. Sicut & easdem locum in Republ. habere ostendit. In qua alii ad parendum, alii ad serviendum nascuntur; hoc est, magis à natura sunt idonei. Jam quod attinet ad servos, quas considerat Justinianus, ii ratione τῶν κατὰ [illegible] opponuntur liberis, (quod ex titulis De Jure Personarum & de Statu Hominum apparet.) Aristotelis contrà opponuntur dominis. Nam quem vocat liberum Philosophus; cùm propius se explicat, ἄρχοντα vocat: Sicut famulum ἀρχόμενον. Quod ubiq; in hac disputatione apparet.

parct. Et hoc ſanè ratio familiæ requirit. In qua ſervus illi non opponitur, qui ſtatu liber eſt, verùm illi, qui imperat. Atque hoc ſenſu fœminas & liberos ſervire quodammodo, dicit Ariſtoteles. Ideoq; imperium in domo Regium appellat & Monarchicum. Quia penes unum ſumma eſt poteſtas. Jam cùm Ariſtoteles, ut antè diximus, ſexto capite ſervum dividat, in ſervum lege & naturâ: Quod ad ſervum lege, de hoc diſputant Jurisconſulti. At quem ſervum naturâ vocat, de hoc nihil tradunt Jurisconſulti. Quia totum hoc Philoſophi eſt, quærere nimirum, quis naturâ ſit ſervus; hoc eſt, propriè ad ſerviendum idoneus. Præterea, cùm quæſtionem tractat, quæ ex ipſa hac diviſione naſcitur; prudentiſſimè eam tractat: Nec, ſi rectè ejus mens intelligatur, quam jam ſuprà fuſè expoſui, cum Jurisconſultis pugnat. Quærit enim: An qui lege eſt ſervus, hoc eſt, qui in bello capitur, ſervus quoq; jure ſit & meritò: Non, an talis ſervitus ſit naturalis, quod Juſtinianus negat (qui naturâ ait omnes eſſe liberos) ut & Ulpinianus, qui æquales omnes ait eſſe jure naturali. Hoc autem ipſe negat Ariſtoteles, qui bis libro primo, eos, qui ſunt lege ſervi, βιασθέντας, hoc eſt, coactos, ait vivere. Tandem autem ſic concludit, ut ad primam illam ſuam dilabatur ὑπόθεσιν: Neminem magis naturaliter ſervire, quàm qui natus eſt ad ſerviendum: Hoc eſt, qualitates à natura ſervo proprias accepit. Quæ definiuntur à Philoſopho, negliguntur à Jurisconſulto. Qui de jure tantùm agit; primùm naturali, quo cenſentur omnes liberi: Tùm autem gentium, quo conſtituuntur quidam ſervi. Quibus Marcianus addit Jus civile, ff. De Stat. Hom. l. V. Jus autem illud Jurisconſultus accipit ἐξ ὑποθέσεως, ut juſtum: Neq; injuriâ ſervire quenquam putat, (niſi ſi quis à latronibus ſit captus, & hoc etiam impropriè loquendo: Quia nec de eo diſputatur) Ariſtoteles hoc jus ad ſuam exigit hypotheſin, quæ erat: *Aliquem ad ſervitutem, aliquem ad imperandum naſci*; ſive: *Naſci ſervum, naſci dominum*; vel: *Naturâ ſervum eſſe & dominum*. Ait enim iſtâ lege fieri interdum, ut, qui natus ſit ad imperandum, ſerviat. Exempli gratiâ: Cùm Cæſar Julius Dictator captus fuit à piratis; pone à Scythis fuiſſe captum: An quis dubitabit, niſi planè ſtolidus ac demens, Cæſarem ad libertatem, iſtos Barbaros ad ſervitutem potiùs fuiſſe natos: Atq; ita vim naturæ fieri, quæ nihil agit fruſtrà? Ut Platonem, ut Diogenem, ut Epictetum, aliosq; veterum omittam, quos injuſta atque violenta ſervitus oppreſſit, cùm ad libertatem eſſent nati, quot præclari hac ætate viri ad triremes & ſervitium à Turca ſunt damnati? Ut infelix Magius, vir magnus & excelſi animi, qui in ſervitutem ab eodem hoſte primùm eſt redactus; mox excoriatus. Quare non pauci quoque ex recentioribus, inter quos Bodinus, qui libenter bellum Ariſtoteli indicit, hoc concedunt. Concludamus! Omnes naturali jure eſſe liberos, vult Ulpinianus. Ariſtoteles hoc nusquam negat. Homines differre qualitatibus,

bus, & hoc à natura in societate humana fieri, quæ nihil frustrà agit, ait Aristoteles. Nusquam hoc Jurisconsultus negat. Nam negaret, Paridem & Herculem, Alexandrum & Sardanapalum, qualitatibus differre: Aut, ut accedamus propiùs, servum stolidissimum & solertissimum dominum. Ait Imperator, Jure naturali omnes nasci liberos: cum hoc autem jure constitutionem juris gentium pugnare, quæ captivitates introduxit. Aristoteles de jure naturali hîc non agit: Interim captivitatem, quæ conditionem mutat jure gentium, pugnare cum naturæ facultatibus ostendit. Ut si Hercules serviat: Sosia & Davus imperent; aut hominem naturâ liberum captivitate premant. Servitutem propriè esse contra naturam, Jurisconsulti dicunt. Servitutem sæpe esse contra naturam, hoc est, contra institutũ naturæ & finem, ait Aristoteles. Aristoteles, servum ait nasci, hoc est, idoneum ad serviendum. Hoc ne quærit quidem Jurisconsultus. Qui ostendit, jus, quod domino competit in servum, à natura non esse. Idq; apparet ex titulo, De his, qui sui vel alieni sunt juris. Quæ inscriptio excludit omnes facultates, quas Philosophus considerat, negligit Jurisconsultus. Qui de jure, de conditione ac de statu cùm agat, omnes, qui non tali ratione servi sunt, excludit. At Philosophus eos quoque, qui conditione sui sunt, considerat. Quales sunt, quos ὑπηρέτας vocat, qui nihil ultra operam obstringunt. Sicut libro tertio Politicorum. Ubi eos quoque, quos χερνήτας dicit, hoc est, quos nunc operarios vocamus, inter servos ponit. Servum nasci etiam Jurisconsultus ait, Instit. De jure Personarum. Hoc non uno loco ait Aristoteles. Pro Justiniano respondet Marcianus. ff. De Statu Hominum; id naturali jure fieri. Pro Aristotele respondet ipse Aristoteles: Qui se ait intelligere, τὸν ἄξιον δουλεύειν, hoc est, *eum, qui servire dignus sit*. Ille autem est, qui corpore & animo ad servitutem est comparatus. Sicut pluribus ostendit quinto capite. Imperator ait, nullam esse differentiam servorum. Verùm addit, in conditione; quod & Marcianus addit. Igitur excludit, cùm hoc dicit, facultates naturales, & officia servorum, quæ Oeconomus considerat; ipsi quoque Jurisconsulti, aliis in locis passim agnoscunt. Ita habes in Digestis, *Atrienses*, sive, *Atriarios*, ut eos vocat Ulp. ff. Nautæ, Caupones, Stabularii. Ita *Dispensatores, Insularios, Villicos*, & alios, apud Alphenum. l. in lege censoria ff. De Verb. Sig. Ita *Topiarios* & *Saltuarios* apud eundem. l. cùm quæreretur. ff. De Legat. & Fideic. tertio. Ubi & eosdem, conditione, re, usu ac ministeriis distinguit. Ait enim, *Topiarium ornandi, Saltuarium autem tuendi & custodiendi fundi magis quàm colendi, paratum esse*. Ita *Notarios*, apud Paulum. l. Lucius Titius ff. De milit. testa. Ita *Diatarios*, non semel, ut & alios non paucos passim. Ut *Aquarios*, *Suppellectiicarios*, *Nomenclatores, Fornicatores, Muliones*, similesq; sine modo. Quorum nemo

T est,

eſt, qui negat, alios naturâ ab aliis differre; ſive, potentiâ ad obeundum munus ſuum, hunc aut illum, magis à natura eſſe inſtructum. Sicut Ariſtoteles diſertè ait, magnam eſſe differentiam ſervorum in familia. Sed ad actum & officia ſervorum reſpicit, quæ à natura oriuntur. Atque hoc iterum confirmat illud, quod jam dixi, agere Ariſtotelem de ſervis, qui potentiâ & actu tales ſunt. De quibus, propriè & per ſe non loquuntur Juriſconſulti. Itaq; quemadmodum ad Juriſconſultorum ſervos non pertinent leges, quod ab illis dicitur: Ita Ariſtotelis ſervus non pertinet ad leges. Cæterùm, ſi illud, quod de ſervis dicitur ab Ariſtotele in familia, extra eam ad Remp. referas; tum demum eſſe oraculum fateberis. Nihil enim mutat magis & mutavit ſemper Rerumpublicarum formas quàm diverſæ, ut ſic dicam, qualitates. Quas contrarias nonnunquam à natura accepêre, qui in iis imperant & parent. Sed de eo aliàs: Eſt enim prorſus admiranda conſideratio, ut ſunt omnia in Ariſtotele. Quem qui non legerunt aut intelligunt, fruſtrà ad eximiam atq; excellentem ullo in genere ſcientiarum eruditionem, meo quidem judicio, contendunt. Imponamus aliquando finem diſputationi. Sicut jure gentium, ea, de qua loquitur Juriſconſultus, introducta eſt ſervitus: Ita rurſus jure eodem ſolvitur hæc ſervitus. Manumiſſione, inquam, quam à jure gentium eſſe ortam, ſicut ſervitutem, Juſtinianus ait. Atqui ſervus Ariſtotelis, quemadmodum non fit hoc jure, ita neque hoc jure manumittitur. Vertigo quippe unica Quiritem non facit. At in ſervo, qui naturâ talis eſt, nihil tale locum habet. Ideoque nec Vindicta, nec Epiſtola, nec Teſtamentum, neque Codicilli, neque Eccleſia hanc libertatem confert. Nullos enim unquam libertinos habuit Natura. Neque gentium jus aut civile Davum unquam fecerit ex Oedipo: Aut, ut ille, qui ad ſervitutem natus eſt, (quod fieri quotidie videmus) ad hanc ipſam non ſit aptus; vel ad imperandum fiat ſubitò idoneus. Manet ergo: Alium naturâ eſſe ſervum; alium fortunâ & lege. Negat Philiſtio naturâ unquam fuiſſe ſervum cum Juriſconſultis; ſed eundem intelligit, quem illi.

> Φύσει γὰρ οὐδεὶς δοῦλος ἐγεννήθη ποτέ.
> Ἡ δ' αὖ τύχη τὸ σῶμα κατεδουλώσατο.

An idcirco pugnat hoc cum mente Ariſtotelis? An idcirco locum nullum habet ille Euripidis?

> - - - Τοὔνομ' οὐκ ἐλεύθερος
> Τὸν νοῦν δέ:

Hoc eſt, qui ad libertatem natus eſt, cùm ſit ſervus ſtatu? Adde, quòd jus illud, de quo loquitur Juſtinianus, ante annos 400. ferè apud Chriſtianos defecit: Quæ ab Ariſtotele tractantur, noſtris moribus & conſuetudine, etiam nunc locum habent. Natura enim non mutatur: Ut nec illud, quod ab ea initium atq; origi-

originem trahit. Hæc ergo obiter ad quæſtionem; ad quam ita ſubitò reſpondi, ut vix relegendi ſpatium concederetur: Tu illorum vicem mecum dole, qui quæcunq; non intelligunt in Ariſtotele, traducunt: Ne exceptis quidem illis, quæ communis ſenſus probat & Natura dictat, cujus ille unicus ſacerdos ac conſultus fuit. Vides autem, quàm nil juri ſcripto derogaverit. Vale, præſtantiſſime ac doctiſſime Richtere. Lugd. Batav. Anno 1616.

Idem Eidem.

DOctiſſime Richtere. Cùm variæ ſint ſcientiæ, quarum cognitio humano generi divinitus conceſſa videtur, tum nulla eſt nobilior, nulla dignior homine eâ, quæ non fruſtrà à Philoſophorum principe prima Sapientia vocatur. Vel quòd ſine ea reliquarum perfecta eſſe cognitio non poteſt, ac ne verba quidem, quibus reliquæ utuntur, ſine hac commodè intelligi queunt, ut quæ hujus cauſâ ab hac ipſa exponantur; vel quia longè ſupra cæteras eſt poſita, mentis humanæ faſtigium & contemplationis apex, quam quod capite ſecundo hujus diſciplinæ à Philoſopho dicitur, θαυμάσαντες καὶ περὶ τῶν μεγίςων ἀπορήσαντες primi mortalium excogitarunt. Ut quæ circa ens, quà eſt, ejus ſpecies, ſubſtantiam & accidens, affectiones item, unitatem nempe, multitudinem & cætera primaq; principia, ſive axiomata, naturam deniq; divinarum mentium verſatur. Quæ ſcientia cùm poſt Chaldæos ac Ægyptios à primis Græcis, multis fabularum involucris, tanquam ſacroſancta & indigna, quæ profanis mentibus exhiberetur, tecta ac velata, atque in publicum hoc habitu producta eſſet, (quod Platonis quoque ſcripta indicant, qui non pauca à Pythagora, Homero, Zoroaſtre aliisq;, quod ignorat nemo, & non rarò ipſe innuit, deſumpſit, hos præſertim in ſcribendi ratione fabuloſa illa & allegorica ſecutus) primus eam methodo & arte Ariſtoteles donavit. Quæ cùm ad Latinos derivata rurſus eſſet, quæ illius temporis erat infelicitas, non ſolùm barbarè, ſed & ita diffuſa ab illis eſt tradita, ut, paulatim quæſtionum pelagus ingreſſi, quicquid in tota Philoſophia diſputatur, hujus ambitu concluſerint; contrà ac in libro hujus ſcientiæ tertio fecit Ariſtoteles, qui totius diſciplinæ quæſtiones ſecùs, ac in aliis ab eo factum eſt ſcientiis, libro uno comprehendit. Ex qua re non tantùm tenebræ inextricabiles, quas Ariſtoteles diſcuſſerat, qui ſemel eam ab ænigmatum ac allegoriarum nocte vindicârat, ſed immenſa quoq; conſecuta eſt confuſio; ac poſtremò admodum pernicioſa ἀπὸ εἴδη, ἐπιςήμας ἐπὶ ἄλλο, comitata eſt μετάβασις. Adeò ut ſacroſanctam Theologiam, quæ eſt ἀνυπόθετος & revelationum diſciplina, iſta quoque invaſerit contagio, ejus quoque invaſerint vocabula, eam quoque infinitam efficiat, hujus quæſtionum infinitus numerus. Quod ut fugiatur, optimè eos ſemper judicavi,

dicavi, tum de juventute, tum de aliis scientiis, quæ sine aliqua cognitione hujus aut non addiscuntur, aut non absolvuntur, esse meritos, qui vestigiis Philosophi insisterent, mentem ejus explicarent, & quantum posset fieri, inutiles racemos, ut sic dicam, illos quæstionum amputarent. Quod cùm faciendum sibi duxerit & accuratè præstiterit præclarus vir *Ernestus Sonerus*, Præceptor olim tuus, cujus commentationes mirè nobis placuerunt, sicut olim, ita nunc è re communi esse judico, ut cum cura ac diligentia edantur. Illustrabit enim iste labor eos, qui in Aristotele vagantur, revocabit eos, qui in vasto illo quæstionum fluctuant Oceano, ad portum eruditionis & conclusiones definitas; eos denique, qui compendium requirunt Philosophi, brevitate illâ instruet, ac præclara illa disciplina, quæ tot Professores nunc, quot candidatos, habet, informabit. Quòd si, præter hoc judicium, nostram insuper requiris operam, quicquid possum vel consilio vel re, libenter eò conferam, ut scriptum hoc typographorum arte & industriâ cum publica utilitate τῶν τῆς ἀληθείας ἐργων in lucem prodeat. Vale, præstantissime juvenum, & nos ama. Anno 1616.

Idem Eidem.

NEque is ego sum, Richtere præstantissime, ut Amicorum cum illorum absentia memoriam ex animo deponere soleam; neque eæ sunt virtutes tuæ, ut vel negligentibus excidere possint: Ad has autem virtutes singularis quoque tua in scribendo accessit diligentia, ut mihi, quòd ad singulas non responderim hactenus, una tantum supersit excusatio; quæ, si quid judicio, multarum instar est. Quippe cùm ex Anglia primùm mox discessurus, deinde autem ex Gallia, incertus, quam diu mansurus eadem in urbe, literas ad nos dedisses, malui officio supersedere scribendi, quàm ut meæ aut errarent, aut in aliorum manus pervenirent. Qua de re quidem, quanquam ne nunc quidem certi quicquam habui, malui quicquid ejus esset futurum, semel experiri, quàm amori meo, quo Te semper prosecutus sum, insigni atque in primis singulari, vim inferre. Hac lege, ut si alibi Te istæ deprehendant, certò scias, me, ubi de adventu in patriam tuo certi quid cognovero, neq; officio scribendi, neque omnino ulli, quod eximia à nobis tua expectare possit indoles, defuturum esse. Expectabo igitur, ut bonâ fide hoc è tuis intelligam; ne uterque sæpius, ego frustrà scribendo, Tu nequicquam nostras expectando, operam ludamus, hoc præsertim tempore, quo & multa sunt, quæ scribam de hac subita mutatione nostra, & omnino utriusque interest, ut quæ ab utroque scribantur, tutò ad utrumque perveniant. Mi suavissime atque eruditissime Richtere, iterum atque iterum vale, & nos ama. Lugd. Bat. 14. Octobr. Anno 1618.

Rich-

Richterus Heinsio.

EAm silentii tui caussam fuisse, Heinsi Excellentissime, quam ego semper suspicatus sum, videlicet non mei oblivionem, sed quòd, ignorans ubi locorum degerem, errare tuas aliorumve in manus pervenire noluisti, ex literis tuis, quas 21. Januarii Stylo Juliano in patria accepi, singulari cum lætitia intellexi; ignosce, quæso, si liberiùs paulò urgentiusq; tuas desideravi; meoq; in Te amori imputa, cui excusando, si quid tamen excusationis opus habet Plinii illud ad Paulinum suum, usurpare mihi liceat: *Iniquus est amor interdum, impatiens sæpe, μικραίτιος semper.* Nunc verò, cùm ante bimestre in patriam reversus fixam sedem habeam in ædibus paternis, injurius sim in constantiam amoris tui, si ut literarum colloquio amicitiam nostram ab interitu vindices, pluribus te rogare velim: Quanti literas tuas faciam, neq; Tu sermone adulatorio ex me cognoscere cupis, neq; ego significare sincerè & re ipsâ animum hunc ut præsens olim, ita absens quoq, testari Tibi malo. Porrò subitam istam Hollandiæ mutationem admirari satis nequeo, de qua quia tutò nunc ad me scribere potes, largiores literas à Te expecto, in primis verò de Hugone Grotio, admirandæ eruditionis & scientiæ Viro, certi quid ex Te cognoscere cupio, cujus fortuna iniquior, incredibile est, quantum me afficiat. De Synodo etiam Dordracensi omnium optimè tuæ me certiorem reddere poterunt. Apud nos nulla nova sunt, nisi nonnullis præclaris Viris magnæq; in Republ. nostra authoritatis Academia Vestra præ aliis quàm optimè commendata est, qui unicè desiderant, ut pax & concordia Bataviæ tandem reddatur, quò tutò pignora charissima Scholæ Vestræ concredere possint. Ego, ne meum statum nescias, nunc hoc ago, ut patriæ advocando inserviam. De Soneri Metaphysica quid fiat, scribas, velim, & quid expectare debeamus paraphrasi tuâ, quam Aristotelis Politicæ debes ex promisso. Adjunxi hisce exemplar Disputationis meæ inauguralis, quam, quia à me venit, gratam habeas, & si bonas horas aliquando non bene collocare libuerit, perlegas, rogo. Suas etiam meis adjunxit D. Remus, mi charissime & observandissime Heinsi, iterum atq; iterum Vale, & me mutuo amore persequi persevera. Norībergæ 29. Januarii secundùm fast. Julian. Anni novi 1619. quem Tibi totiq; Bataviæ faustum ac felicem ex animo opto, atq; voveo.

Idem Eidem.

DUm ad proximas meas, quas ante duos menses ex patria ad Te misi, responsum expecto, Burckardus Löffelholtz / à Kolberg, Adolescens genere, virtute & amore bonarum artium Nobilissimus, Patricius Noribergensis, Amicus

meus singularis, qui Tibi has tradet, Heidelbergâ, ubi aliquandiu studuit, ad me scribit, & ut sibi, ad Batavos proficiscenti, ad HEINSIUM, & quem ille jam diu coluit, quo me familiariter usum antehac cognoverat, quasi viam & aditum munirem, magnopere me rogavit. Annui lubens optimi Juvenis honestæ petitioni, cujus vel solus amor & cultus, quo Te prosequitur, hoc à me impetrare debuit. Commendo eum Tibi more Romano, quem si interdum, quod commodo tuo fiat, ad amicam conversationem admittes, & in studiis, Politices præsertim & Historiarum, juvabis, summam felicitatem se assecutum arbitrabitur. Neq; in ingratum beneficia conferes, quæ ego non minùs quàm ipse grata habebo, & reliquis tuis, quibus me Tibi æternùm obligâsti, annumerabo. Ad illa, quæ proximè, ut ad me scriberes, â Te petii, de Synodo Dordracensi & Hugone Grotio incredibili desiderio responsum expecto. Beabis me non vulgariter, si quàm primùm scripseris. Porrò vitæ meæ mutationis nescium Te esse nolui, cui omnia mea nota esse cupio. Ante paucos enim dies Dei auspicio, Parentum consilio, uxorem mihi despondi, viduam honestissimam, floris nondum attriti, animi juxta & corporis dotibus præclaram, Susannam nomine, cum qua intra sedecim dies, volente DEO, nuptias celebrare constitui. Tibi si per locorum intercapedinem præstò esse liceret, ego in cœnacula maxima Divum ascendere & cum Jove ipso epulari mihi viderer. Si Remum & Piccartum imitaberis, & Epithalamium amico & cultori fido mittes, sponsi gaudiis ingentem cumulum addes, novoq; beneficio pristinorum haud immemorem obligabis. Vale literarum seculiq; decus, & Musis tuis Sponsum hunc exorna. Noribergæ 24. April. Styl. Julian. Annno 1619.

P. S. Carmen, quod Sponsus petii, maritus accipiam, æquè gratum habebo.

Idem Eidem.

EXpecto hodieq; responsum ad binas meas, quas ab eo tempore, quo in patriam reversus sum, ac Te, Heinsi Excellentissime, exaravi, quibus nunc tertias addo, & ut Tu de una tandem, quod dicitur, fideliâ plures parietes dealbes, rogo, præsertim, quia in illis, quas ante annum ad me misisti, cùm me adhuc Lutetiæ hærere putabas, promisisti. Te, si de reditu meo in patriam certi quid cognoveris, & qui tuæ commodè ad me pervenire possint, frequentiores ad me missurum esse. Scripsi autem, ni fallor, jam semel atque iterum, ut literas tuas vel Elzeverio, ad nundinas Francofurtenses abeunti, dares, vel quod singulis septimanis, imò diebus abs Te fieri potest, ad Lambertum van Twœnhuysen/ mercatorem Ambstelrodamensem, transmitteres, quod ut facias, & nomen hoc expungas, molestus creditor denuò Te interpellare nihil vereor. In primis verò, & quod

& quod harum argumentum est præcipuum, vehementer, etiam atque etiam abs Te peto, ut per amanuensem tuum vel alium, qui Tibi videbitur, notas Gerarti Falkenburgii in Galenum, quod ille ad oram exemplaris Aldini, quod in Academiæ Vestræ Bibliotheca adservatur, annotavit, exscribi curare velis. Desiderat illas Clariss. Vir Casparus Hofmannus, in Acad. nostra Altorfina Medicinæ Doctor primarius, qui novam Galeni editionem molitur cum accurata versione ad genuinum textum Græcum, ad quod undiq; conquirit subsidia, & jam non vulgaria ex Academ. Heidelbergensi aliisq; impetravit. Hujus conatum honestissimum quin & Tu adjuvare velis, & vel amicitiæ nostræ tantum tribuere, injurius sim in Virtutem tuam, si dubitare velim. Significavit ille modum in scheda inclusa, quo fieri hoc quàm commodissimè possit, & pretium laboris recepit, pro quo ego me sponsorem offero. Ἐγὼ Γεώργιος ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρὶ, ἐγὼ ἀποτίσω. Obligabis autem Virum haut ingratum eò arctius, quò citiùs beneficium præstabis. Adjunxi strenæ loco exemplar Epithalamiorum, quibus Amici nuptiis meis gratulati sunt, quod ut gratum habeas, rogo. Vale, literarum princeps, & nos amare persevera: Noribergæ 14. Januarii Anno 1620. quem Tibi quàm felicissimum etiam labi comprecor.

Idem Eidem.

VEniunt ad Vos, Heinsi Excellentissime, Domine & Amice plurimùm honorande, tres Studiosi, Juvenes Noribergenses, nomine Leonhartus Grundherr, Albertus Pœmer & Georgius Scheurl, in quibus Tibi commendandis M. Tullium imitabor, qui cùm Lacedæmonios Sulpicio suo commendare deberet, scripsit: Lacedæmonios commendatione apud Sulpitium non egere. Ita ego (ut parva magnis comparem) non ineptè: Noribergenses commendatione apud Heinsium non egere. Sic enim benevolentia tua singularis, quâ erga me aliosq; patriæ meæ cives usus es, de Te sentire jubet, cujus recordationem apud nos nulla temporis longinquitas, nullave fatorum offensio delere poterit. Sunt autem isti, quos vides, Senatorum è patricia familia in Rep. nostra filii, genere, virtute, ingenio clari, &, quod caput rei est, liberaliũ disciplinarum amantissimi, qui amore scientiæ exules inter extera literarum emporia Lugdunense Vestrum omnium primò eligere voluerunt. Hos, quin non tantùm singulari benevolentiâ excepturus, sed etiam, quacunque in re opus fuerit, ope & consilio adjuturus sis, injurius sim in virtutem tuam, si dubitare aut longiori sermone abs Te petere velim. Atque illud quidem non tantùm, quàm diu nobiscum vivent, sed etiam, ubi plus ultra aliquando progredientur, in Angliam dico, ubi amico cuidam Oxoniensi, Romano more, hoc est, optimè abs Te commendari petunt:

petunt: In quibus omnibus ut non minimum hac meâ commendatione se consequutos arbitrentur, efficias, rogo. Hoc si præstiteris, nostram de tua erga nos benevolentia spem confirmabis, & ipsos hos, quos commendavi, paratissimos, officiosissimos optimosq; Juvenes ad tuam necessitudinem tuo summo beneficio cum singulari Nominis tui gloria adjunges. Vale, mi Heinsi charissime, & ad proximas nostras, quibus pro Hofmanno, Medico Altorfino, Falckenburgii notas ad Galenum è Bibliotheca Leydensi petii, rescribe. Dab. Noribergæ IX. Calend. April. Stylo Juliano. Anno 1620.

Heinsius Richtero.

CLarissime Richtere, quos commendâsti nuper mihi nobiles Adolescentes, eos, vel commendationis tuæ causâ, vel quia id merentur, omni comitate ac benignitate habebo. Scio enim fieri non posse, ut qui Tibi placent, ulli probo aut erudito displiceant. Eas literas, quas nuper studioso cuidam ad me perferendas dedisti, decimo pòst mense accepi. Ex eo nôsse potes, quàm tradantur nobis diligenter, quæ à Te mittuntur. De Galeno merus error est. Magnus Vir fuit Falckenburgius, & qui plurima in iis libris annotavit, qui in Bibliotheca nostra publica servantur. De Galeno noli credere. Exemplar, quod habemus, nunquam ille vidit. Professor ejus gener meus fuit: Magni illius in Anglia, qui exemplo suo docuit, quàm fragili loco starent potentes: In ea autem nihil annotatum præter illa, quæ in ipso Galeno observatione digna sunt: Et si quæ occurrant ex Autoribus, aut si quæ ex antiquitate, qualium ille plenus est, observat, καὶ τοῖς ἰατρικοῖς immiscet. Nôsti nihil hîc extare, quòd non usu tuum sit. Ipse ne haberem fidem aliis, expertus sum, quod scribo & expertus coràm sum, oculis. Puto sæpius lustrâsse Te, quæ hîc servantur. Ex his, quos nobis commendâsti, nemo est, qui aditum non facilè impetrare possit. Nos jam longum tempus nostri non fuimus, & adhuc quotidie, jussu Ordinum, nonnulla aut privatim aut publicè concipere cogimur, in quibus nihil spectamus, nisi ut iis placeamus, quibus curæ, ne quid detrimenti Resp. capiat, & qui hactenus cum gravissima seditione paria fecerunt. Brevi plurima, ut spero, non sub alieno, sed sub nostro nomine edemus. Quædam habebamus his nundinis parata; sed elapsum est tempus. Itaq; solæ Orationes nostræ auctiores parte non exiguâ jam lucem videbunt. Cætera proximis, ut spero, nundinis. Viro magno Dn. Remo ex animo me commendo. Vale Vir Clariss. Lugd. Bat. 22. Juni, A. 1620.

P. S. Scito nuper me titulo & stipendio Consiliarii aulici à Sereniss. Suecorum Rege donatum esse.

Rich-

Richterus Heinsio.

TRiennium est, ni fallor, cum Adolescentes aliquot ex patria nostra ad Academiam Vestram abeuntes virtuti tuæ commendavi, & quidem, ut postea cognovi, non frustrà, siquidem pondus habuisse apud Te commendationem istam, tum per literas tuas, tum aliunde mihi innotuit. Etsi autem pro officio isto nullas Tibi hactenus scriptione gratias egi, animo tamen habui maximas, illamq; virtutem tuam apud alios, quotiescunq; occasio sese obtulit, debitâ laude deprædicavi, adeò quidem, ut nunc alii, quibus itidem apud Vos aliquandiu commorari animus sedet, idem à me petere non dubitârint. In primis verò harum lator Georgius Hieronymus Marstaller, Noribergensis Juvenis, tam genere quàm virtutis atq; eruditionis laude apud nos cumprimis conspicuus, Virtutum tuarum præconio, ut ille Miltiadis trophæo excitatus, me quasi proco, aditum sibi ad Humanitatem tuam aperiri voluit, id quod, tum quia ille re verâ dignus est, tum ut ego diuturno silentio meo aliquando finem imponerem, animumq; hunc in Te colendo atq; amando constantem testarer, Juveni optimo mihiq; amicissimo denegare nec debui, nec volui. Rogo itaq;, ut eum pro consveta humanitate tua excipias, & ad conversationes familiariores interdum admittas, quo facto ipse perspicies, quàm non proletario more illum commendârim. Jam semel atq; iterum in Philosophia Jurisq; studio in Academia nostra Altorfina singulari cum laude publicè disputavit, & nunc cum arte Juris privati, Historiarum atq; Politices studium, hoc est, alteram Juris nostri partem conjungere satagit, in quo Te ductore non vulgares sibi profectus pollicetur. Cognatus est Clarissimo Remo nostro, ex cujus commendatitiis plura forsan intelliges. Familiæ etiam Baudewinorum, quæ Coloniæ, & in Urbe Vestra moratur, notus, & ni fallor, affinitate junctus est. Quicquid officii huic præstiteris, non ingratum, nec unum, sed multos, quos inter & ego, Tibi obligabis. De statu Germaniæ nostræ proh dolor! jàm diu nimiùm quàm turbulento, ut & de Republica & Academia nostra, si quæ scire cupis, hic ipse abundè Tibi narrabit. Quæ apud Vos nunc sit rerum facies, quam bella & conspirationes deformare conando pergunt, certi quid ex Te cognoscere velim: Vix credis, quàm falsa veris fama eundo misceat, unde beneficio me afficies singulari, si certi quid de statu Vestro ad me perscripseris. Jam antea, si memoriam rectè consulo, Tibi significavi, ut ego ante reditum in patriam Basileæ in decurias Doctorum Utriusq; Juris, postea domi in numerum Advocatorum receptus fuerim. Interea etiam in numerum Consiliariorum Reipublicæ nostræ adscitus sum, in quo munere, ut nôsti, rarò mihi ad priora humaniorum literarum studia recurrere,

& vix quasi postliminio interdum redire licet. Itaq; incultas literas boni consules, præsertim cùm earum negligentiam etiam Viri Docti quandoq; pro cultu habere soleant. Vale, literatorum Princeps, & amorem tuum mihi conserva. Dab. Norimbergæ postrid. Kal. April. Anno 1623.

Idem Eidem.

ETsi nihil responsi ad nonnullas commendatitias meas abs Te, Vir Amplissime, accepi; haud tamen negligentiæ vel officii oblivioni, sed negotiis potiùs gravissimis, quibus nunquam non destineris, tribuo, cujus rei vel hoc Tibi fidem faciat, quòd literis meis Te interpellare unumq; post alterum virtuti tuæ commendare non cesso. Et hos enim, quos vides γραμματοφόρους, Erasmum Ayrmann, Noribergensem, & Præceptorem, Benjamin Schüzium, Misnensem, Jurium atq; Politices Studiosos, sine literis meis ad Te venire nolui, tum ut illis gratificarer, qui hos quasi aditus ad benevolentiæ tuæ fores præmuniri sibi rogârunt, tum ut nullam occasionem ad Te scribendi elabi mihi sinerem. Excipias igitur eos humanitate solitâ, studiaq; illorum atque conatus adjuves, rogo, quâ benevolentiâ tuâ non ipsos tantum homines gratissimos, sed & me novo quasi vinculo Tibi obstringes, req;, confido, experiêris ipsâ, eos favore tuo non indignos esse. Novi nihil addo, nisi hoc triste, quòd magnus ille Philippus Camerarius, octuaginta sex annorum senex, superiori mense, ut fessus viator, è semita decessit, cui tanquam Pro-Cancellario Academiæ nostræ Altorfinæ (audi & hoc lætum) Clariss. Remus noster successit, qui nunc primas inter Consiliarios Reipublicæ nostræ obtinet, quiq; non ita pridem datariam salutem à Te mihi nunciavit. Statum Germaniæ publicum, heu! turbulentissimum neq; ignoras, neq; epistola capere posset. Nunc tota quasi Europa attonita expectat, quò res cum Illustriss. Ordinibus fœderatis evasura sit, contra quos vigilantissimos jam diu arma parantur clanculum & palàm: Sed DEUS pacem tandem exoptatissimam ἀπὸ μηχανῆς restituat; in quo felici omine desino, & à Te responsum aliquando expecto. Vale, Vir magne, & in amore haud temerè cœpto persevera. Dab. Norimbergæ $\frac{12}{22}$. Julii, Anno 1624.

Idem Eidem.

CUm ante biennium Georgium Hieronymum Marstallerum, concivem meum, Tibi, Vir Nobilis atque Amplissime, commendârim, factum est, ut Pater illius, Vir optimus, scire nunc desideret, quàm bene filius officio suo in studio literarum functus sit, & num eâdem diligentiâ, quâ Altorfii cœpit, in Vestra quoque Academia sit versatus. Rogavit itaq;, ut hac de re apud Te inquirerem,

rerem, utpote cujus testimonio certò confidere possit, nihil dubitans, me facilè hoc abs Te impetraturum esse. Ne igitur Virum honestissimum spes fallat, & ego aliquando literarum aliquid abs Te videam, vehementer etiam atque etiam Te rogo, ut haut gravatim scriptione aliquâ Amicum Tui observantissimum digneris, & de vita ac studiis præfati filii, de quo nil nisi optima quæq; speramus, certiorem me facias. Si quid est, quod tui caussâ vicissim curatum velis, jube & impera, experieris amici studia atq; officia promptissima. Longiori Epistolâ nunc tempora tua morari, inq; publica peccare commoda nec volo, nec, si vellem, possem: Scribam autem plura, ubi priùs tuas accepero. Vale, literarum decus immortale. Dab. Noribergæ Pridie Kal. Martii, Anno 1625.

Heinsius Richtero.

AMplissime Vir, Gravissima, quæ ferè annum integrum grassata hîc est lues, me, cum aliis quibusdam, Hagam Comitum ad menses aliquot ejecit. Quò, etiam reversus, gravibus de caussis, sæpius redire sum coactus. Ita factum, ut ad tuas nihil hactenus responderim, quem & veneror, ut debeo, & diligo, ut soleo. De præclaro Juvene & rarissimi exempli Marstallero noli dubitare, quin & valeat & vivat, &, si quisquam in hac nostra Academia, patriâ Parentibusq; dignum se præstet. Præter enim summam morum elegantiam ac suavitatem, quam in eo cives quoque nostri admirantur, eâ est industriâ atque eâ assiduitate in studiis, ut cùm alii nonnulli ῥεμβόμενοι hîc agant καὶ μετέωροι, atq; hoc unum videantur dare operam, ut nihil sciant, noster in exemplum cæterorum missus videatur. Quare & de commendatione gratias, quas debeo, Amplissime Vir, Tibi ago; & Parenti, filii tam rari nomine, ex animo ac prorsus gratulor. Habeo nonnulla mea, quæ cùm apud Vos non extent, (meis enim sumptibus paucisq; exemplis à typographis descripta sunt) libenter, cùm occasio se dabit, quæ nunc planè deest, (nam qui ista curet, neminem habemus) ad Te, Vir Amplissime, & summum Virum, Remum nostrum, mittam, cui nos cum cura ut commendes, & in primis ipse commendatos habeas, officiosè à Te peto. Lugd. Bat. 21. Junii, Anno 1625.

Richterus Heinsio.

ETsi pluribus annis literarum officium inter nos cessavit, nihil minus tamen quàm amorem mei apud Te desiisse aut diminutum suspicor. Persuadet hoc mihi virtus tua singularis, quâ, quos semel amare haut temerè incepisti, non nisi constanter amare perseverare soles, fidemq; faciunt monumenta ingenii tui

omni laude majora, quibus amicitiam nostram etiam pluribus declarare Tibi placuit; epistola, inquam, illa tua æternitate digna, quam ante annos XX. & quod excurrit, ad me scriptam, primumq; in Variis Lectionibus Rutgersii, Herois incomparabilis p. m. editam, postea cum Orationibus tuis divinis publico donâsti. Quin & uno ore idem loquuntur illi, quos antehac, studiorum gratiâ ad Vos euntes, virtuti tuæ commendavi, nunc Senatores Reipublicæ nostræ ornatissimi, qui Te summis laudibus, ut mereris, extollunt, mihiq;, quòd illos Tibi commendavi, gratias agunt maximas. Quibus recèns adstipulatur præstantissimi ingenii Juvenis Johannes Fredericus Gronovius, elegantiorum literarum studiosus haut è multis, qui, nunc apud Vos degens, semel iterumq; memorem affectum tuum haut tralatitiè mihi commendavit, bonâ fide testificans, me Tibi hodieq; animo, ut olim coràm, conjunctum esse: De qua felicitatis meæ parte etiam atq; etiam mihi gaudeo. Atque, hac fiduciâ benevolentiæ tuæ constantissimæ fretus, porrò quoq; alios commendare Tibi nihil vereor: Nimirum Juvenem istum Illustrem & Generosissimum Dn. Ottonem ab Herberstein, Baronem; qui postquam ultra annum in Academia nostra Altorphina ita vixit, ut non tam splendorem à majoribus accepisse quàm ad eum amplificandum natus videri possit, nunc in Athenæo vestro aliquandiu commorari constituit. Matrem apud nos habet viduam Illustrem, ut & Generosos Dominos Tutores à Teuffenbach/ qui unà cum Patre, in Urbe nostra defuncto, ante aliquot annos, patrio solo in Austria, ob Evangelicæ religionis professionem, relicto, domicilium heic elegerunt, vel ob hoc unum pietatis documentum peculiare omnium bonorum favore digni. Eum igitur ut cum suis quàm commendatissimum habeas, & hac quoque ratione amorem tuum erga me testatum ire perseveres, maximopere rogo. Si responso has digneris, curabit illas Gronovius vel etiam Baro iste Illustris, quem commendavi. Vale, Vir Excellentissime, & Cl. Dn. Salmasium, Collegam tuum, alterum Europæ ornamentum decusq; literarum maximum, ni grave, officiosissimâ salute à me imperti. Noribergæ Kalendis Septembris, A. C. 1637.

Heinsius Richtero.

NObilissime & Amplissime Domine. Nunquam ex hoc animo gratissima, suavissima ac etiamnum post tot annorum absentiam præsens Richteri mei delebitur memoria. Cujus rei, quoties occasio se offeret, rem ipsam testem, hoc est, promptam voluntatem studiumq; bene de Te tuisq; merendi, semper exhibebo. Illustri Baroni ab Herberstein, quem commendare nobis visum Tibi fuit, omnem operam, officia omnia, quicquid deniq; expectari à me poterat, prolixè

prolixè obtuli, neq; tuâ causâ patiar, ullum ejus in me claudi commodum, qui hoc ipso nomine felicem me existimo, quòd me meaq;, vel utcunque, probare Tibi possim. Hæc nunc obiter, cùm is, quem studiis præfectum habet, urgere tabellarium, qui subitò discessurus esset, semel atq; iterum monuisset. Proximè prolixiùs, ut sperò, nunc & seriùs ob absentiam, quàm debui. Nobilissime & Amplissime Domine vale, ac nos ama. Lugd. Bat. 7. Decembr. Anno 1637.

Richterus Heinsio.

VIx credis, quantum voluptatis ex literis tuis, ante trimestre ad me datis, perceperim. Etsi enim ob tabellarii properantiam verbis erant breviores, affectum tamen antiquum prolixè satis, imò abundantissimè spirabant, quem ego gratissimum longè ex intervallo quasi ardentiùs amo, & simul exosculor animitùs. Et planè mihi accidit, cùm eas legi, quod illis solet, qui Amicos ex longo itinere reduces avidissimè amplectuntur. Nam diuturnum amici silentium peregrinationi longinquæ comparari nôsti, quâ finitâ eò magis gaudere solent amantes, quò diutiùs desiderio capitis dilectissimi tenebantur. Quibus verbis verò gratias Tibi agam, quòd commendationem nostram tantum ponderis apud Te habere sinis? Certè animum gratissimum Tibi spondeo, quem nunquam non ad officia quæcunq; pro virili experieris vicissim promptissimum. O utinam occasio nobis daretur, hoc ipsum præstandi facto potiùs quàm verbis. Sed virtutis tuæ est interim animi promptitudinem boni consulere. Annotationes tuas in Testamentum Novum, de quibus salivam nobis movit Gronovius noster, amoris in nos tui virtutumq; præco felicissimus, propediem videre summoperè gestio. Quid sperandum inde sit omnibus, quibus sinceræ pietatis & literarum elegantiorum studia cordi sunt, ex Aristarcho tuo sacro, DEUM immortalem, quantæ eruditionis libro? conjicere licet. Neque ignoras ipse, in omni genere scientiarum nil nisi eximium ab ingenii tui rarissimi divinis dotibus expectari. Ita enim omnia, quæ hactenus abs Te prodiere monumenta publica, sperare jubent omnes, qui illa non nesciunt: Nescit autem nemo, nisi qui virtutem & literas; quarum splendori & emolumento ut quàm diutissimè inter mortales vivas, DEUM veneror affectu calidissimo, ejusq; tutelæ Te tuosq; etiam atq; etiam commendo. Vale, literarum decus & præsidium sine pari, καὶ μὲ, ὥσπερ εἴωθας, ἀνδρῶν φιλῶν διατέλει. Noribergæ XIV. Martii 1638.

Idem Eidem.

ALiquot jam sunt anni, quum literarum inter nos commercium cessavit. Sed sine cessatione amoris: Quodquidem de meo in Te affectu certò

U 3 persua-

persuasum Tibi habeas, velim; cujus constantiam, ante annos XXV. quum Lugduni Batavorum jucundissimè unà viveremus, semel feliciter radicatam, nullâ temporis longinquitate, nullâ locorum intercapedine labefactatam sanctè Tibi affirmo. Et sanè injurius sim in virtutem tuam, si aliter de mutua vicissitudine tua sentirem. Ut enim nihil nunc dicam, quòd animum tuum erga me semel nec vulgariter testatum ivisti hactenus, quando Orationibus tuis denuò editis, quibus nihil elegantius magistri eloquentiæ verè pronunciant, epistolam illam tuam rariorem de servitute naturali, olim ad me scriptam, honorificâ nominis nostri mentione adjunxisti; certè Gronovius noster, Vir Clarissimus, quem non tralatitiè abs Te amari scio, illud ipsum de amoris in me tui sinceritate & constantia sæpius mihi affirmavit, testis omni exceptione major. Amorem igitur istum dulcissimum conservemus porrò, & quacunq; occasione quasi renovare studeamus. Id quod mihi nunc faciendum putavi maximè, quum Adolescens iste patricius, qui has Tibi reddit, Georgius-Marcus Pömerus, Septemviri Nobilissimi & Militiæ apud nos Præfecti supremi filius haut degener, ad Vos ire, & in Academiâ Vestra aliquandiu morari (faxit DEUS ut quàm felicissimè!) constituit; quem pluribus Tibi commendarem, nisi ipse virtute propriâ omnem commendationem alienam superaret. Amplectere igitur illum, ama & juva, mi Heinsi, quacunque re poteris; eò magis, quò plures Tibi devincies, quum has commendatitias nostras ponderis aliquid habere sines; Juvenem, inquam, magnæ expectationis, Parentem dignitatis summæ, & me ipsum. Imò ut eo ipso, quod illos, quos olim Tibi similiter commendavi Juvenes Nobilissimos, nunc Senatores gravissimos, fovisti diligentiùs, ipsam nostram obligatam habes Rempublicam; ita non minùs ex hujus commendationis pondere meritis tuis præstantissimis accedet. De Exercitationibus tuis sacris, ut hoc addam, non nescire Te volo, eas à Theologis nostris ut thesaurum æstimari maximum, quo splendidissimo ingenii tui partu, si quid mei est judicii, Te ipsum superâsti, qui aliis tuis monumentis jam pridem superâsti alios. Mearum rerum statum si nôsse cupis, Pömerus ille noster Tibi significabit fusiùs. Vale, Vir incomparabilis, & antequam vivere desinamus, scriptione aliquâ denuò beare nos, quæso, ne dedignare. Dabam Noribergæ ad d. XVI. Kal. Octobr. A. C. 1640.

Idem Eidem.

QUæ olim, quum ante annos XXVII. unà suaviter viveremus, mihi auditori tuo Doctor summus, quà publicè quà privatim, officia præstitisti, quæque postea aliis, quos Tibi commendavi, Studiosis, nunc partim Senatoribus Reipublicæ nostræ declarâsti ulteriùs; ambigere me non sinunt, qui nunc quoque eadem

eadem filio meo unico, dilecto, Johanni Georgio, qui has Tibi reddit, præstiturus sis largâ manu, quam diu apud Vos studiorum gratiâ meo exemplo vivet. Amplectere, mi Heinsi, pignus hoc meum longè charissimum & benevolentiam tuam ac humanitatem, quam toties à me prædicatam audivit, ipsi quoq; coràm cognitam redde. Spondeo Tibi tuisq; vicissim cuncta, quæ à viro bono & grato expectari debent ac possunt. O felicem me, si aliquando Heinsiadem videre, eiq; paria referre mihi contingeret: O utinam fiat, fiat! Vixit hic noster per quinquennium in Athenæo nostro Altorfino, ibiq; in literis humanioribus Philosophiæ ac Legum scientia ea specimina publicè edidit, quæ Patrem meritò delectant, & ad sperandum majora, DEO favente, animum addunt. Comites habet duos, Carolum Tezelium, Patricium magni apud nos Senatoris filium, & Johannem Jacobum Keget, honestissimis Parentibus natum, qui omnes, Batavorum invidendis laudibus accensi, ingenia sua apud eos excolere uberiùs, & quæ vel audiverunt, vel legerunt hactenus, oculis nunc usurpare unicè in votis habent. Quâ fini cumprimis in Musarum ac gratiarum sacrario Vestro augustissimo commorari aliquandiu (faxit DEUS feliciter!) constitutum ipsis est. Eò minùs verò spes illorum decollabit, quò magis tuâ virtute potissimùm ad alios quoq; Viros eximios accessus ipsis patebit; quod ut haut gravatim efficias, etiam atque etiam rogo. Swanenburgium & Cunæum, JCtos eminentissimos, à quorum ore me pependisse olim, hodieq; gaudeo gloriorq;, vitam cum morte, imò mortem cum vita commutâsse, ex Orationibus, quas Cunæi filius non degener edidit, intellexi: Quorum animæ ut in cœlum sunt receptæ, ita in illustri cathedra apud Vos quin successores habeant famâ suâ dignos, nullus dubito. Eorum verò nomina, quum ignota mihi sint, per Te, quæso, filii sociorumq; cupiditas discendi illis innotescat. Quid porrò Hofmannus noster, Medicus πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, abs Te fieri velit, ex literis ad Te, quas inclusi, ut &, quid eam ob causam mihi quoque scripserit, percipies. Juva eum, si potes, & de optimi senis grato animo me Sponsorem accipe. Vale, literatorum decus immortale, & responso tuo, quod filius ad me curabit, nos dignare. Dabam Noriberg. ad d. X. Kalend. Junii, A. C. 1642.

Heinsius Richtero.

Venit ad nos vera & expressa eximii Parentis effigies, filius tuus, Te dignus. E cujus subito conspectu dici non potest, quantam præter expectationem voluptatem cœperim. Petii, ac, si fas est, & pateris, mandavi, jussi, sæpe ut nos accederet: Daturum me operam, ut quanti Parentem ejus merito semper fecerim, coràm ipse ac præsens intelligeret, de quo brevi pluribus, ut spero.

ſpero. Nunc, oblatâ ſubitò ſcribendi hac occaſione, Caſtigationes paucas in Theophraſtum, quas ad nos olim ſummus Vir Caſaubonus miſit, in gratiam Hofmanni tui, qui ab utroque noſtrûm id petit, ad Te mitto, cui ipſe brevi, volente Deo, ſcripturus ſum. Nunc ut me illi commendes, vehementer rogo. Nobilisſime & Amplisſime Vir, Vale, ac nos ama. Lugd. Batav. XII. Julii, Anno 1642.

Petr. Bertius Georg. Richtero.

VIdi, Ornatisſime Richtere, ſpecimen typographicum Commentariorum Soneri in libros Ariſtotelis Metaphyſicos; fuitq; jucunda mihi ejus partis inſpectio. Probo autem conſilium tuum in divulgando tam inſigni opere. Luſtravi enim, ut ſcis, totum; neq, id indiligenter, tum ob argumenti præſtantiam, tum ob Soneri, quem juvenem hîc olim novi, famam; tum ob Scherbii memoriam, cujus tanquam Præceptoris veſtigiis inſiſtere Sonerum opinio fuit. Sed miror præpoſterum quorundam judicium, adſerentium Photiniani erroris fundamenta Metaphyſicis iſtis contineri: Neque enim id magis in hac doctrina verum eſt quàm in Logica, Rhetorica, Poëſi. Et revocantur iſtiusmodi offuciis bona ingenia ab honeſtis ſapientiæ ſtudiis: Fit enim, ut verum fugiant, dum falſum vitare ſtudent. Certè non magis Socini in fauſtis erroribus patrocinatur Metaphyſica Ariſtotelis, quam ad Metaphyſicas ſubtilitates explicandas faciunt ineptiæ Photinianorum: Nihil enim habent commune. Quocirca rectè facies, ſi Commentarios illos edi cures. Vale.

Idem Eidem.

QUerulos eſſe eos, qui arctè amant, tum antè prudentium Virorum monitu certaq; experientiâ didici, tum nuper ex tuis quoq; literis cognovi; quarum jam bis hoc ferè unicum argumentum fuit. Bene habet, quod præverteris: Quid enim me facturum fuiſſe cenſes, ſi certi alicujus tabellarii copia mihi facta fuiſſet? Nam in incertum mittere litteras, inſaniæ proximum eſt. Tu, qui ſtabili loco non es, & modò Britannos, modò Gallos inviſis, atq; incertis ſedibus vagaris, petis à me, ut ad te dirigam epiſtolas meas. Ignoſce mihi, amicisſime Richtere. Non poſſum operam ludere. Tu Te præſta fixum, & vide, an muneri meo defuturus ſim. Sed ſatis querelarum, ἄλις δρυός. Dn. Cellarium libentisſimè vidi, & qualem deſcripſiſti, agnovi, Virum eruditum, gravem, pium. Is de rebus noſtris multa Tibi ſignificabit, quæ & meminiſſe piget, & ſcribere.

Ipſo

Ipſo illo tempore, quo inſtituebatur hujus ſcenæ apparatus, habuit me Gallia. Et ſi ſciſſem, Te nunc temporis eſſe Aureliæ, vel ipſe Te evocâſſem, vel ad Te ſemel excurriſſem. Ex Dn. Legato intellexi, quàm gratus ipſi fueris: Adfirmavit enim mihi ſæpius, toto tempore legationis ſuæ non vidiſſe ſe hominem magis ad ingenium ſuum. Ita eſt, mi Richtere. Habet hoc virtus, ut ubiq; placeat, in primis illis, qui ipſi virtute prædìti ſunt. Sola illa eſt τετράγωνος, ſemperq; ſui ſimilis: Neque id unquam magis deprehenditur, quàm ſi in aliquem ſui ſimilem incurrat. Hæc ſcripſi ſubitò, inter varias occupationes diſtractus. Tu ignoſces, meq; tui amantiſſimum amabis ſemper. Dab. Lugd. Bat. VIII. Octobr. Anno 1618.

Richterus Bertio.

VErum eſſe, quod vulgò de amantibus dicitur, eos, ſi quid offendiculæ obtigit, oblato auctario vel puſillæ baſiationis redire ſolent in gratiam, liteſq; eorum amoris redintegrationem eſſe, ipſe nunc in me acceptis literis tuis ſum expertus. Querulus fui, fateor, & ἀπέχθειαν εἰπεῖν nonnihil iratus, quòd ad trinas meas ne γρῦ quidem reſpondiſti: Sed nunc, tali veteris amoris tui indice accepto, indignus ſim amore Boni, ſi placari nolim. Exoſculor, BERTI CHARISS. humanitatem tuam, & in amando candorem & conſtantiam, cujus non adumbrata ſigna, ſed expreſſa veſtigia ex literis tuis deprehendi, facileq; excuſationem ſilentii tui accipio, præſertim, quia ſi fixam me habere ſedem cognoveris, officio tuo nequaquam Te defuturum recepiſti. Age igitur, conſervemus per literas, quam præſentes contraximus amicitiam, quo nihil jucundius & acceptius mihi accidere poſſe omni aſſeveratione Tibi confirmo. Menſis nunc eſt, ex quo patria me recepit, cui permiſſu Magiſtratus (impetrari enim priùs in Republica noſtra ſolet) advocando inſervio, ita, ut nunc certus eſſe poſſis, quò literas tuas mittere debeas. Illas, quas dixi, Cellarius noſter Lutetiâ ad me miſit, quas VII. Januarii accepi, in poſterum verò occaſio mittendi eas Noribergam Tibi non deerit. In primis autem rogo, ut de Synodo Dordracenſi, Dn. Barneveltio & Hugone Grotio certi quid ad me ſcribas; vulgaribus enim, quas vocant, Novellis, quia ſæpiſſime fallunt & ex affectu loquuntur, fidem non habeo. Incredibile eſt, quàm me ſtatus iſte Academiæ & Reipublicæ Veſtræ afficiat, in primis verò Hugonis Grotii, Viri omni laude & admiratione majoris, cujus dotes quando cum præſenti ipſius fortuna comparo, cum Neptuno apud Homerum exclamo: ὢ πόποι, ἦ μέγα θαῦμα, δεινὸν, ὃ οὔποτ' ἔγωγε τελευτήσεσθαι ἔφασκον. Faxit DEUS O. M. ut diſcordiæ iſtæ plus quàm Theologicæ tandem dirimantur & Synodi eventus ſequatur feliciſſimus, ſecùs quàm D. Nazianze-

zianzenus de reliquis Synodis testatur, quando nullam se vidisse scribit, quæ non magis accenderit discordias, quàm diremerit. Academia Vestra præ aliis omnibus de meliori nota multis magnis Viris in Republica nostra commendata est, qui filios suos ad eam mittere gestiunt, at hoc unicè expectant, aut brevitates istæ, quò securè apud Vos vivere liceat, componantur. Rem mihi feceris gratissimam, si de illis, quæ petii, certiorem me reddideris. Si quæ sunt, quæ à me scire aut me in gratiam Tui facere desideras, jure tuo postula, & efficiam, ut me verè Tibi amicum esse, re ipsâ cognoscas. Adjunxi hisce exemplar Disputationis meæ cum programmate Decani invitatorio, munus exiguum, ni potiùs onus, quam, si otio aliquando abuti & bonas horas non bene collocare placuerit, perlegas, rogo. Vale, Vir Clarissime & me tui observantissimum amare persevera. Noribergæ 12. Januar. Stylo Juliano Anni novi 1619. quem Tibi tuisq; omnibus faustum & felicem opto.

P. S. Dominum Heinsium & alios mihi amicos, si placet, à me saluta. Ad illum, ubi finitâ Synodo liberior erit, Dn. Remus & ego literas mittemus.

Mich. Piccartus Georg. Richtero.

Salutem & Amorem.

Disputationem tuam, Præstantissime Juvenis, cum honorifica mei nominis appellatione ad me missam, magna cum animi voluptate accepi, majore legi, & maxima subinde eam revolvo. Non enim potui non vehementer animo commoveri, & præ gaudio exsultare etiam, quòd, quæ de tuo ingenio ominatus semper fueram, ea hoc ætatis vinci abs Te & superari agnoscam, & agnoscant juxta mecum alii, non iniqui, non etiam temerarii rerum judiciorumq; censores: Legi enim & testimonium Academiæ Lugdunensis Tibi meritissimo tuo tributum, & agnovi non stylum modò, sed & in stylo affectum Heinsii nostri, sibi ipsi in laudibus tuis vix satisfacientis. Macte Tu animo isto, florentissime virtute & doctrinâ juvenis, macte his præconiis, quæ Tibi tot labores diurni & lucubratæ noctes peperere, & illis porrò sic utere, ut quantum Tu Academiis & Præceptoribus tuis Te debere gratissimus discipulus profiteris, tantum suo civi debeat Patria, cujus commodis & saluti procurandæ Te natum esse juxta mecum intelligis; cui etiam eam de Te jam spem excitâsti, quæ de bono cive haberi, à rarissimis autem sustineri potest: Sustinebis autem Tu, si quisquam alius, & ita sustinebis, ut nihil tam arduum, tam difficile aut laboriosum futurum sit, quod virtuti tuæ non sit promtum, ingenio facile, industriæ expeditum. Vitam Tibi modò

modò suppeditet fons vitæ & vinces quanquam avarissima tuorum Parentum & Propinquorum vota: Id autem omnibus precibus ab ipso contendo. Porrò quod ad honoratissimam illam dedicationem attinet, quæ, ut dixi, jucundissima mihi accedit, cogitâssem de præmio equidem aliquo, nisi Tu illas cogitationes meas statim in frontispicio Antelogii tui interrupisses, & veluti sicilice aliquâ incidisses. Itaq; pro aureo & argenteo munusculo, quorum metallorum parùm scis apud Philosophos reperiri, ἀντίδωρον visum mittere chartaceum, quod, si rectè novi, ab amico candidoq; pectore missum non aspernaberis, ut tamen id facias, petere etiam abs Te Jubet etiam illud, ut hoc animo adversùm me esse pergas, paria Tecum facturum non modio solùm, sed toto etiam, si ita opus sit, horreo. Clarissimos Academiæ Vestræ Professores à me reverenter & officiosè saluta, in primis D. Heinsium & D. Meursium, quorum constantiam in amando desiderare possem, nisi me infra ipsorum affectum constitutum nôssem: Sed fortean occasio potiùs illis deest, quæ nisi diu jam mihi defuisset, neglecti saltem, si non omissi officii reos postulâssem, non ad Minois aut Rhadamanthi alicujus tribunal, sed ad ipsum Æquitatis aut DI Fidi fanum: Sed satis Te moror, Richtere doctissime, Amice suavissime; itaq; sisto hîc, & valere, Te ac bene rem gerere volo voveoq;. De obitu Nobilissimi Scipionis Gentilis inaudivisti, credo, quæ res quàm gravis non modò Academiæ, sed & mihi privatim luctuosa acciderit, velim Te ipsum æstimare qui conjunctionem nostram non ignoras. Unde literas ab eo expectare non debes. Ego mœstissimæ viduæ, quæ destinata erant, reddidi, illa cum lachrymis accepit, salutari Te jussit & filiolo suo Ægidio Alberico, donec adolescat, servaturam dixit: Mortuus est autem Vir summus 7. Aug. sepultus in templo prope ossa Donelli, Amici incomparabilis sui. Hunc secutus est Dn. D. Schopperus 12. Sept. sepultus 16. ejusd. Hodie, quo hæc scribo, h. e. 28. Octobr. sepelivimus optimum senem D. Prætorium, qui heri intra 7. & 8. matutinam animam DEO Servatori reddidit. Sed & charta jubet me hîc sistere. Vale iterum & salve à tui studiosissimo. Anno 1616.

Richterus Piccarto.

Salutem & observantiam.

IN Te, Piccarte Clarissime, quid potissimùm admirari ac laudare debeam, dubius hæreo, benevolentiam dico erga me singularem, an verò liberalitatem eximiam. Illam enim, etsi jam per multos annos probè mihi cognita atq; perspecta fuit, nunc tamen literis humanissimis ad me missis novo argumento declarâsti, ejusq; non adumbrata aliqua signa, sed expressissima vestigia mihi ostendisti,

disti, quod quantâ me lætitiâ afficiat, cogitando citiùs quàm enarrando assequi possum. Neque tamen sufficiebat Tibi hoc illustri licet literarum documento affectum veterem significâsse, sed qui summus tuus in me amor est, donum etiam addendum esse judicâsti, & pro Disputatione mea Observationes tuas Historico-Politicas reddidisti, χρύσεα verè χαλκείων, quod quanquam Tu pro modestia tua atq; humanitate chartaceum appellas ἀντίδωρον, ego tamen verè aureum donum, aut si quid hoc præstantius, appellare possum: An enim quicquam nobis tali sit munere majus, ex quo incertum, majoremné quis voluntatem, an verò utilitatem percipiat? Revera (dico ex judicio gravissimorum Virorum) si quis unquam utile dulce miscuit, quod utramq; paginam facere dicunt; Tu certè heîc fecisti, dum lectorem mones pariter atque delectas, de quo elegantissimo ingenii tui partu plura scriberem, nisi vel temeritatis argui possem, si de ejusmodi rebus judicare mihi sumerem, vel assentationis, si Te in os laudarem. Hoc duntaxat addo, si non minorem merentur gloriam, qui res aliorum præclarè gestas scripsere, quàm qui fecere ipsi; illi autem omnium maximam, qui, cortice, h. e. nudâ simpliciq; narratione non contenti, in ipsum nucleum inquirunt, & quod in primis ad prudentiam civilem informandam facit, hujus vel illius facti caussas atque eventus accuratiùs examinant. Tu certè, Vir Clarissime, immortalem gloriam hoc labore tuo meruisti, quem, ut cum laude, tuo & fructu posteritatis (quæ, si qua modò futura est, incorruptè de Te judicabit) continues, etiam atq; etiam à Te peto. Porrò casum Academiæ nostræ miserabilem, qui tam brevi temporis spatio tribus eam Professoribus Clariss. orbavit, ex animo doleo, neq; ignoro vulnus tuum, quod obitus Nobilissimi Scipionis Gentilis pectori tuo inflixit, cum quo summa Tibi studiorum, voluntatis atque sententiarum fuit consensio, ita, ut meritò & publico & privato nomine lugendum Tibi fuerit. Ejus occasum cùm Heinsio nostro, Viro Clarissimo, nunciarem, vehementer unà mecum doluit, Vir Opt. & in primis dura elegantioris literaturæ fata conquestus est, quæ paucis annis tot clarissima Reipublicæ literariæ lumina extinxerunt, adeò ut nisi DEUS aliquis ἀπὸ μηχανῆς respiciat, periculum sit, ne vetus literarum barbaries elegantiores disciplinas invadat: Præsertim verò est, quòd Regina illa scientiarum Jurisprudentia sibi metuat, cujus forma elegantissima, quam Scævolæ, Sulpitii & his similium habebat temporibus, nimiùm quantum barbarorum Interpretum (JCtorum enim nomen non merentur) immundâ eruditione maculata sit, ita ut Alciatos, Cujacios, Brissonios, Budæos, Fabros horumq; similes magno cum gemitu ceu Hercules aliquos desideremus, qui stabulum illud repurgare pergant, quorum conatus strenuè juvisse Scipionem nostrum probè nôsti: Illum enim non ut pleriq; hodie (absit invidia dicto) purum

putum

putum legulejum, sed in omni elegantiori literatura tam Græca quàm Latina non leviter tinctum, sed planè imbutum fuisse, eruditissimi ipsius libri, quibus clarus volitat per ora Virûm, abundè satis testantur. Sed nolo vulneris tui cicatricem, quam tempus obduxit, querelis meis refricare. DEUM O.M. potiùs veneror, ut Te tuiq. similes, quorum humeris fama Academiæ nostræ innititur, diu salvos atque incolumes mortalium cœtui interesse sinat! De me nunc & Illustr. Academ. Batavor. pauca quoque adnectam & in primis Te scire volo, me, ut petiisti, Clarissimis Lycei hujus Professoribus D. Heinsio & D. Meursio salutem à Te dixisse, & quem ad Judicem illos, ob intermissum literarum officium vocaturus sis, significâsse. Illi amorem in se tuum exosculantur, & omni se vacare culpâ asseverant; uterque enim, ut mihi confirmârunt, ad ultimas à Te missas responderunt, tuumq; hactenus ad eas responsum expectârunt; de suo tamen in Te animo certum Te esse jubent, idem Tibi primâ oblatâ occasione per literas significaturi. Clarissimus Heinsius, qui hactenus libero lectulo nihil putavit esse jucundius, hoc nunc agit, ut & ipse, os tamdiu frustrà renuens, matrimonii capistro præbeat, lectissimamque Virginem; quæ soror est Jani Rutgersii, Viri Amplissimi, qui Serenissimo Regi Suecorum à Consiliis est, thalamo sibi propriam jungat. DEUS annuat cœptis, & prolem aliquando Parenti similem literatorum choro jungat. De Academiæ hujus incendio, & quomodo prudentia ac Magnificus Curatorum animus calamitati isti subvenerit, jam, credo, fando ad aures tuas pervenit. Ut Tullius olim Capitolii flammas divinitus extitisse dicebat, non quæ deleret Jovis O. M. templum; sed quæ præclarius magnificentiusq; deposceret: Ita forsan non absurdè quis de flamma ista dixerit, quam Nobilissimi Domini Curatores pro singulari prudentia sua virtutis sibi fecerunt occasionem. Cætera antiquum obtinent, nisi quòd nova ista atq; insperata matrimonia Angli atq; Dani Regum cum Hispani filiabus omnium animos in admirationem rapiunt, καὶ τὰς κεφαλὰς σείειν jubent. Ante octiduum, ne & hoc nescias, quod scriptione dignum esse etiam apud veteres Historicos observavi, balæna sive cetus stupendæ magnitudinis in litus maris duobus milliaribus ab hac urbe ejectus & à piscatoribus captus est, vel potiùs se ipse cepit, dum harenæ ita se immersit, nullo ut nisu ampliùs se inde extricare potuerit, vidi ipse beluam horrendam, quam 52. pedes longam putant & 12. latam, cujus pares, interdum etiam majores, ut audio, sæpius antehac Hollandi ceperunt. Hunc sine dubio ventorum flatus vehementissimorum ad litus provexerunt, nam supra consuetum modum per aliquot nunc septimanas phrenetici illi Septentrionis filii in hac regione debacchati sunt, qui utinam ne pro more suo, portenti quid mortalibus significarent! Verùm diutiùs Te, Vir Cl. quàm par est, nugis meis detineo,

neo, & certè si ad Gramaticorum tribunal me vocaveris, sine dubio me Cassiani isti judices tanquam transgressorem epistolæ finium condemnabunt. Sed Tu pro humanitate tua, quem antehac sæpius in præsentia nugantem non rejecisti, nunc per literas Tecum confabulantem æquis auribus accipies. Amor est, qui me apud Te garrire fecit, cui hanc impudentiam tribuas oportet. Verùm statim finem imponam, si hoc tantùm, ne statum meum ignores, addidero, me non infeliciter (DEO sit gratia) per integrum ferè biennium in hoc Illustri Batavorum Athenæo, tanquam in mercatu quodam optimarum artium atq; scientiarum, vixisse, & in primis hoc operam dedisse, ut studiis & observantiâ meâ istorum Heroum, Heinsii, Bertii, Meursii & Scriverii, nôsti quanta hæc nomina, amorem allicerem, cujus me voti compotem esse factum, imò in amicitiam conjunctiorem, quàm vel dignus sum, vel sperare audebam, ab iis receptum, nunquam gloriari desinam; neq; hoc sine ratione: Talibus enim placuisse Viris non ultima laus est, quod eam ob caussam significandum Tibi duxi, quia nunquam ferè Viris istis adsum, quod sæpissime fit, quin perhonorificam Tui mentionem faciant, suumq; in Te amorem luculenter declarent. Inter cæteros testatus est summæ humanitatis juxta atque eruditionis Vir P. Scriverius in carmine suo, quod albo meo Amicorum inscripsit, ubi inter clara Vatum nomina Te quoq; collocat. Animus nunc mihi est, si DEO placuerit, & aura favoris sui Amplissimus Senatus noster me prosequi perseverabit, post hyemem, (quam tamen nullam adhuc hoc anno in his locis vidi) Galliam peragrare, & exinde quoque, quæ studiis meis usui erunt, depromere. Idem opto de Italia. Sed ταῦτα θεῶ ἐν γούνασι κεῖται. Tu interim Vale, Vir Clarissime, me ama, & me, indignum licèt, eruditissimis literis tuis beare perge. Dab. Lugd. Batav. 2. Februarii styl. nov. Anno 1617.

Piccartus Richtero.

DOmum DEI & Vestro beneficio salvi rediimus, memoriam officiorum Vestrorum & splendidissimæ tractationis animo referentes. Gratiis agendis imparem me esse testor, testabor etiam deinceps, etiam illud, victum me non inhonorâ etiam victo victoriâ, hoc est, humanitate Vestra. DEUS Te, Vir Clarissime & Excellentissime, Dn. Affinis amicissime, cum tua Susannula sospitet, & larem Vestram multâ prole augeat, & pleno semper copiæ cornu domum Vestram coronet. Ad nugas has nostras divertes suo tempore; nunc enim, scio, non vacare. Tu, Vir Clarissime, & cum Dn. Socero, Dn. Parente & Patruo plurimum à me salve. Tuæ Cajæ eadem cum osculo nunciato. Raptim titubante ex nuptiis manu. 13. Maji, 1619.

Idem

Idem Eidem.

QUod diu jam Tibi debebam, Clarissime & amicissime Vir, id nunc tandem exsequor, postquam enim à Vobis ad nostra reversus sum, vix potui me recolligere, & delicias illas concoquere, & cum stomacho ac valetudine in gratiam redire. Adeò videlicet verum est, quod Pindarus olim argutè, *cuivis bono duo mala semper colligata esse*, & quod Lucretius suaviùs -- *medio de fonte leporum Surgere amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.* Interim dum corpori restituendo ancillor, animus suavissimè sese refecit, cogitatione colloquiorum tuorum jucundissimorum & testificatione affectus tui, quem omni parte, imò singulis penè verbis spirabas. Is quàm mihi gratus sit, malo apud alios quàm apud Te jactare. Tu constanter feceris, si illum mihi servaveris, & tantò majori cum tua laude, quantò rariùs est hoc seculo eundem in omni fortuna vultum tenere, aut prisci candoris regulam observare. Mentiri amorem & speciem pro corpore amicitiæ ostendere hodie solent; qui seculo se probare gestiunt, apage! Larvas illas odi ut claustra Erebi, & proximis diebus exemplum hujus improbi moris dedit quidam Noribergæ, qui perreptavit domos Patriciorum, & captavit cœnulas, ut ibi se magnificaret, ac discipulos ac commensales sibi pararet, mihi eriperet, non invito quidem, sed tamen non probanti has technas. Facile Tibi erit hominem conjicere, qui medius nobis sedit, & aliquoties, cur subtristior essem, ex me quæsivit, neque tamen vel sic obtinuit, quod voluit; sed valeat ille: Nos amemus inter nos sine fuco, & eo more, quem nobis literæ nostræ præscribunt. Id quod Tibi ex animo spondeo, testere licèt, signate Quirites! Verùm audi, Clarissime Richtere. Est, quod Te velim, quodq; tuo commodo fieri velim. Accepi nuper Familiarum Patriciarum Norimbergensium insignia cum effigiebus veteris habitus, opus elegans & insigne, id curavi interjectâ chartâ purâ compingi, ut quæ de singularum Familiarum origine jam dudum conscripta haberem, eodem referrem, ut sic in conspectu essent. Intellexi autem Origines illas maximo studio & summâ industriâ collegisse Virum Ampliss. cognatum tuum Dn. Molitorem, Reipublicæ Nostræ à Secretis Consularibus, Fautorem meum honorandum: A quo si tuâ operâ & autoritate ad dies paucos habere possem, ut quædam meis adderem, maximo me ab ipso & Te beneficio affectum censerem. Confirmo autem Tibi, nemini communicatum quidquam illorum iri, sed omnia summâ fide apud me futura arcano æterni silentii obsignata. Fac, sodes, quod potes, sic tamen, ut neminem offendas si invitus id faciat, aut per Superiorum jussum non debeat, carere possum illo, quo dudum carui. De Erycio Puteano memini nobis fuisse sermonem, & scripto illius pro sui defensione adversus

versus duos calumniatores; ejus videndi desiderio teneor, si grave non est, communica, sed & redibit ad Te sine omni damno: Si item alia quædam attulisti, quæ me doctiorem facere possunt, qua de re non dubita. Recipies omnia sarta tecta, & gratum experiere. Nugas quasdam nostras hîc Tibi mitto, si per otium ad illas divertere voles & censere, gratum fuerit, sed jam ad cœnam inclamor. Itaque sisto, & Te cum optimo Dn. Parente & Dnn. Kandeliis quàm rectissimè valere cupio. Filium meum, qui in ædibus Dn. Compatris agit, si videris, hortare sodes ad bonam frugem. Bene vale. Altorfio 18. Junii 1619.

Idem Eidem.

QUid moliatur, Vir Clarissime & Consultissime, Domine & Affinis plurimùm honorande, Clarissimus Hofmannus noster, puto Te ex relatione aliorum jam intellexisse, novam scilicet editionem Galeni cum accurata & emendata ad genuinum Græcum textum versione. Ad eam rem conquirit undique subsidia. Intellexit autem in Bibliotheca Leidensis Academiæ asservari Exemplar Aldinum, quo usus olim fuerit Gerardus Falckenburgius, ad cujus oram multa Vir summus correxerit & annotaverit, ea unicè desiderat, modo, quo hîc in scheda notatum vides. Nunc Te rogari, Vir Clarissime, per me vult, ut tantum & ipsi & mihi & bonis literis tribuere velis, uti per aliquem notum aut amicum id procures & exefficias, spondet pretium laboris, nec in mora erit, ubi voti sui compos factus fuerit. Habes breviter, quid petamus, & eò quidem breviùs, quando minùs de præclara tua erga nos & studia nostra voluntate dubitamus. Memores tamen spondemus nos hujus beneficii futuros. Tu vide, Clarissime Vir, quid possis, nam quin velis, nihil ambigimus. Scio, Heinsium in hac re vel esse duriusculum, vel inofficiosum; nolo enim illi invidiæ notam impingere. Itaq; si posset aliâ viâ confici res, velim; sed Tu videris ea de re. Addo his literis Carmen meum pro Te & Dn. Socero, quod uti ne ingratum habeatis, rogo: Salvete, Viri amicissimi & à nobis tua quoque salveat Uxor cum familia. Bene Vale. Altorfio 1619. 13. Decembr. stylo festino.

Cl. & Excellentissimo Viro,

DN. GEORG. RICHTERO, JCto & Consiliario Norico, Domino & Affini plurimùm honorando.

RICHTERE, ô nostri dudum inscribtissime fibris
Pectoris, atque globo cordis servande per avum.

Exoptate

Exoptate mihi Adfinis, nova gloria Juris
Præsidiumq́; DICES, recti cor nobile Consi:
Si qua mei sedet arce animi quoq; cura, nec illum,
Quem mihi testaris clarè, confingis amorem:
Oro, index decimam postquam signaverit horam,
Adsis prandiolo, dilecto cum Patre, cumq;
Kandelio, cujus tantum mihi crescit in horas
Altus amor, quantum de me gnatoq; meretur
Ampliùs, inque dies studet ampliùs ille mereri
Adsit Vobiscum, qui vomere dividit agros
Nomine, sed Bacchi emturis Pharisæa propinat
Vina, Thetis nullo attigerit quæ Diva liquore,
Nulli fœdârint infecti sulphure panni.
Non ego Vos jubeo longas sperare struices
Turritosq́; orbes patinarum, impendia mensæ
Orbe petita alio, putri transvectáve Nilo;
Non jejuna tamen recutita sabbata gentis
Formidare velim: Vituli caput ense recisum,
Quiq́; diu imponit mentito nomine nostris
Carpio erit nobis, pesq́; igne perustus avillus,
Nil ultrà, satiare famem prohibet Schola nostra,
Irritare jubet: Vos, ô mea Corcula, adeste,
Et curas animi estrices exesse jubete!

Vester omni cultu, affectu & officio

M. PICCARTUS.

Idem Eidem.

Salutem & felicissimum appetentis anni auspicium.

REmitto Tibi, Clarissime & Consultissime Dn. Affinis, æternùm mihi honorande, Carmina nomine Amplissimi & Nobilissimi Füreri mihi transmissa, quæ perlegi, & quia ita velle videbamini, judicium meum de toto negotio candidè ad Vos in charta notavi, quædam etiam alia, quæ videbantur. Vos libertatem hanc æquo animo accipite, & ignoscite: Nihil tamen Vobis istâ meâ censurâ præscriptum volo: Vos de omnibus statuite, ut visum fuerit. Addidi & Epigramma in commendationem operis, Tui mentionem in eo facere nolui, quia ignorabam, an nomen tuum Itinerario præscribatur, quod si ita est, rogo

Te pro amicitia & conjunctione nostra, ut mihi significes, & addam Epigramma: Quod uti facias, etiam atq; etiam maximopere Te rogo. B. V. Vir Clarissime, & omnia, quæ à mea tenuitate proficisci possunt, Amplissimo & Nobilissimo Dn. Fürero, Dn. Patrono & Compatri plurimùm honorando prolixissimè offer, Tibi quoq; eadem oblata existima. Saluta Dn. Socerum, Dnn. Parentes & Lectissimam Uxorem tuam, cum venustissimis deliciis ejusdem & tuis, quibus omnibus felicissimum anni appetentis auspicium, medium & decursum ex animo opto, Altorfio 27. Decemb. moriente jam & inclinante Anno 1619.

Johan. Duræus Georg. Richtero.

Spero negotium illud, Amplissime Dn. Richtere, quod tanto omnium applausu fuit approbatum in Comitiis Francofurtensibus & publico Ordinum decreto confirmatum meo rogatu, jam non esse è memoria depositum, aut fore posthac: Nihil sanè est, quod ego hisce in locis requirere in tam pia causa possum, quod non obtinere queam; si modò appareret inter Theologos Vestros illa, quam vovere licet, animi in causa tam sancta propensitas: Nescio, quo animo litteras meas, quas ante discessum scripsi, exceperint Ecclesiæ Vestræ. Utinam non alio, quàm quo scriptæ fuerunt, affectu! coram DEO hanc causam agimus, qui secreta cordium novit: Ergo etiam in illo spem habeamus repositam, quæ fideles nunquam confusos relinquit. Cæterum de conatu meo, velim, hoc scias, tam apud supremos quàm infimos in Ecclesia nostra Ordines, insignem apparere affectus propensionem in hoc proposito; atque magnum in negotio promovendo præparatis atque inclinatis animis futurum incitamentum; si resciverint nostrates, Ecclesiæ Vestræ Antistites à consiliis & deliberationibus de concordia prosequenda, capessendis & communi consensu tractandis non abhorrere; quod fieri poterit, si permittente Magistratu piam in tam sancto studio voluntatis suæ declarationem exstare apud nos voluerint: Tanta enim res sine partium mutua quadam compromissione atque amica in eodem scopo conspiratione seriò suscipi non posse videtur: In causa hac theologica, nisi & à Theologis & spontaneis motibus & propter conscientiam erga DEUM & per apertam veritatis, quæ in corde est, professionem, & ad mutuam denique in charitate studiorum confirmationem atq; ædificationem, res intendantur & suscipiantur ab utriusque partis corypheis pari affectu, vix unquam sperare licebit successum, quem vovere convenit. Ergo mihi in primis constitutum fuit atque erit in posterum in re theologica à Theologis ad theologicas res in Pacis consiliis tractandis necessaria dirigere; atque illa procurare inter partes mutui com-

commercii media, quæ nullis præjudicent, ſed omnes vel humanitatis vel conſcientiæ quadam lege ad officium pertrahant. Si quid in Comitiis Erfurti celebratis in hac cauſa tractatum fuerit, quod rei ad ulteriorem gradum promovendæ adjumento eſſe poſſit; id à Veſtra humanitate reſciſſere cupio; forſan conſiliis noſtris, quæ Vobis in reditu ad Vos meo coràm patefient pleniùs, magno uſui eſſe poterit informatio, quam Veſtra Prudentia ſuppeditabit de rerum in hoc genere ſtatu: In Daniæ Regno propenſiſſimos habemus omnes tam in Eccleſia quàm Politia ſtatus publici Ductores, id literis nuper inde acceptis à Domino Anſterutheri, Sereniſſimi noſtri in iſtis locis Legati, Sacellano mihi conſtat; atque ea de re ad Reverendiſſimum Archiepiſcopum noſtrum Cantuar. etiam litteras dedit. Vale, Vir mihi omni honore colende, &, niſi incommodum fuerit, Dn. Saubertum Veſtrum, Virum Reverendum, & ſi quos habetis alios Pacis filios, meis verbis amanter ſaluta. Dabam raptim Weſtmonaſterii 8. Idus Febr. Anno 1634.

Idem Eidem.

Gratiam & Pacem in Chriſto Jeſu.

AMplitudinis Veſtræ Magnificæ litteras, quas Nobiliſſimis Senatus Veſtri juſſu ad me dare voluiſti, teſtes conſtantis Veſtri in ſtudio perſequendæ pacis propoſiti cum gaudio accepi; ex iis pergratum fuit intelligere, & mea Vobis veſtriſque Theologis probari ſtudia & de Republica Veſtra illuſtri, cujus inter reliquas ſuperioris Germaniæ permagna eſt authoritas, optima quæq; ſperare licere. Nihil aliter unquam judicavi, neq; dubito, quin Veſtræ pietatis exemplum alios excitabit ad eandem in ſancto hoc ſtudio Charitatis promptitudinem: Quid de meo conatu ulterius ſpondere debeam, incertus ſum; non deſiſtam equidem ab officio; nec infrugiferus hactenus labor meus apud noſtros exſtitit, quod ſuo tempore Vobis teſtatiſſimum fore confido: Conſilium Veſtrum de negotio, eo, quo ante triennium, modo cœptum fuit Lipſiæ; porro continuando authoritate Superiorum atque in primis Electoris Saxonici, noſtris hîc, quibus id communicavi, probatur, inter quos eſt ſtatus hujus Secretarius uterq;. Exhibui porrò Reverendiſſimo Dn. Archiepiſcopo Cantuar. & aliis in hac Eccleſia Reverendis quibuſdam Epiſcopis & Theologis, Receſſus Lipſienſis Colloquii inter Theologos utriuſq; partis, habiti formulam, ut de illa ſententias mihi ſuas opportuno tempore impertiri poſſint, quod etiam futurum intelligo: Interea Legationis hujus eventum, de quo magna ſpes eſt, avidè exſpectamus. Heri tertiâ vice Sereniſſ. Regem noſtrum Excellentiſſ. Dn. Oxenſtiernus compellavit,

pellavit, & responsum, ut audio, ad Propositiones, quas fecit, propediem accipiet: Ex effectu hujus tractationis Politicæ magna ex parte pendebunt mea consilia, neq; de Legato hinc ad Comitia, quæ Francofurti indicta sunt, ablegando quicquam certi rescíscere possum; forsan Dn. Anstheruthero, qui adhuc Hamburgi hæret, hoc officium demandabitur; ergo de meo ad Vestras partes reditu nihil adhuc certi statuere possum: Publicæ hujus consultationis exitus lucem hisce rebus afferet; de quibus Amplitud. Vestram certiorem reddam, si quid accidat Vestrâ notitiâ dignum. Rettulit mihi in litteris suis Dn. Pœmerus egregium Amplitudinis Vestræ studium in moderando Theologi cujusdam affectu; qui innoxium hunc in quærenda sanctorum inter pios communione conatum meum non minùs veritati quàm paci propagandæ dicatum traducebat; ago Vobis eo nomine ingentes, ut par est, gratias: Quamvis enim de mea æstimatione parùm ego sim sollicitus; tamen dolerem causam tam piam tot insignium Theologorum atque Illustrium Ordinum judiciis approbatam, tot denique piorum votis expetitam per latus meum vulnerari; fecisti ergo, Magnifice Richtere, quod justum in causa Dei & pium decuit Judicem, proq; tua hac in Ecclesiam pietate æternam mereris laudem & gloriam, quam cum omni temporali & spirituali in hac vita felicitate Tibi voveo. Dabam Westmonasterii 4. Non. April. 1634.

Richterus Duræo.

Χάριν καὶ εἰρήνην ἐν ἀληθείᾳ καὶ ἀγάπῃ.

Literas tuas, Reverende & Clarissime Domine Duræe, V. Kalend. Martii mihi redditas, paulò pòst Nobilissimo Senatui, ut decet, exhibui. Placet studium tuum Pacis indefessum, de quo, ut & de illis, quæ superiore anno, in Conventu Francofurtensi, Statibus eorumq; Legatis communicasti, etiam tunc mox à reditu nostro plura Amplissimo Senatui narravimus. Is re cum Theologis deliberatâ consultum putat, si negotium istud Pacificationis, modo, quo ante triennium Lipsiæ, præter multorum spem & expectationem, non absq; singulari gratia Divina fuit cœptum, porrò quoq; favente Numine continuetur, & ad finem tam diu à multis avidissimè exoptatum, autoritate Superiorum & in primis Serenissimi Dn. Electoris Saxoniæ perducatur. Huic obtinendo non parùm spei accedit, quod non tantùm de Vestrorum Ordinum promptitudine singulari, sed etiam de assensu Procerum Regni Daniæ scripsisti, quæ media divinitus oblata non insuper habere convenit. Nam, vel me tacente, nôsti, quantum autoritas tantorum Regum in re tum magni momenti possit. Faxit DEUS,

Pater

Pater Pacis, ut omnia ad gloriam Filii sui unigeniti & salutem animarum æviternam, cujus caussâ ille sanguinem suum pretiosissimum effundere non recusavit, vergant atque eveniant! De Republica nostra, quæ caussam communem tam piam & Ecclesiæ Christi apprimè utilem, pro virili, juxta tenorem in literis sacrosanctis præscriptum, conjunctim, modo, quo dixi, adjuvare cupit, optima quæq; persuasum habeas, velim. Præcipui Theologorum nostrorum pie & prudenter de hoc negotio judicant, & quid de mediis tam generalibus quàm specialibus à Te propositis sibi videatur, Inclyto Magistratui aperuerunt, de quo coràm aliquando, aut ubi propior nobis fueris, per literas commodiùs plura. Erfurti nulla, ut putas, Comitia fuere, sed Francofurti ad Mœnum nunc iterum Conventus habebitur, non tantùm Confœderatorum, sed aliorum quoq; Statuum Evangelicorum, tam Germanorum quàm Exterorum, ubi etiam Serenissimi Regis Daniæ Legati, ut Pacis arbitri, expectantur. Citra dubium etiam Magnæ Britanniæ Rex Serenissimus Legatum illuc mittet, cui Tu, adjunctus comes, negotium illud Pacis, Ecclesiasticum præsertim literis publicis instructus, haut parùm forsan promovere posses. Mihi hac vice per valetudinis excusationem interesse non licet. Literis tuis, quas ad Theologos Academiæ nostræ Altorfinæ Francofurto dedisti, jam pridem illi respondere debuissent. Sed nescio, quâ remorâ impediti responsum tam diu distulerunt, donec Amplissimus Senatus visis literis tuis ad me nunc exaratis hoc officii mihi tandem demandavit, quod eò lubentiùs in me suscepi, quia Pacem & mutuam Charitatem concernit, quam Servator generis humani discipulis suis legavit, & hoc uno fideicommisso utramq; testamenti paginam implevit. Beati, qui eam sanctè observare student, inter quos Te cum primis eminere, ingenui sermones tui & actiones haut fucatæ satis arguunt. Salutem, quam Reverendo Dn. Sauberto nostro adscripsisti, gratissimam ille habuit, qui cum aliis nostris, Pacem veram & veritatem pacificam sectantibus, Te vicissim plurimùm salvere jubet, quod & ego ex animo voveo atque opto, & in hoc omine desino. Dab. Norібergæ prid. Kalend. Martii A. C. 1634.

Joh. Saubertus Georg. Richtero.

Εὐπράττειν.

EXcellentissime & Consultissime Vir, Domine Affinis carissime, recepisti in me laborem eo errore, quem proverbio exposuerunt veteres, *Dulce bellum inexpertis*. Credideram enim sub tanto historicorum Sole omnia mihi perspi-

cua fore, & obvia plus ſatis, ſed aliter nunc demumres habet, neque unius dieculæ negotium mihi faceſſo. Dum enim nihil eorum adducere huc conſtitui, quæ claſſicâ hiſtoriarum fide certisq; auctorum titulis deſtituuntur; magnam certè argumenti illius partem, ut vulgo hactenus nota & jactata eſt, inſuper habere atque præcidere: Alia verò aliunde & ex diverſis eruere ſcriptoribus cogor. Atque hæc cauſa eſt, cur non omnes pagellas hodie præter opinionem meam ſiſtam. Sequentur autem reliquæ propediem, ſi per officium publicum ſupplere eas licuerit. Interim T. E. rogo, ut hîc lectionis facere initium & amoris indicium (etiam obeliſcis atque unguibus, ſicubi opus fuerit) oſtendere mihi velit, ad omnia officia T. E. præſtanda pro virili paratiſſimo. 23. Nov. 1630.

Idem Eidem.

Salutem à Servatore CHRISTO.

COmmodum accidit, Magnifice Domine Procancellarie, ut ad me partem Theſauri precationum Latinarum eâdem penè horâ mitteres, quâ Sigismundi Evenii, Viri Clariſſimi, ſcriptum περὶ τῆς εὐχῆς κυριακῆς Germanicum accepi. Utrumque dici non poteſt, quantâ me animi voluptate affecerit. Et ſanè vix cæperam mirari in homine ſcholis dedito religioſam hanc in Deum pietatem ſtudiumq; flagrantiſſimum ætatem teneram ad omne Virtutis genus flectendi: (nimirum dum ſilent alii plerique & in occulto latent veluti cochleæ, dum caletur.) Cùm tu inſolito exemplo in admirationem me rapis etiam majorem, plus ſatis egregio ſacrarum lucubrationum ſpecimine teſtatur, quod

ante omnes curæ Tibi ſint cœleſtia curæ.

Quapropter Beuſtii olim & Heugii operas ſimiles demirata ſit Saxonia, notum eſt: Et alterum quidem iſtum in præfatione ad meditationes ipſius ſacras πολύκαρπος ille Theologus tanti fecit, ut ingenuè ſit faſſus, non par eſſe ingenium ſuum tantis laudibus, quas Homo Politicus inſigni pietate ſuâ meruiſſet, non minor Romano Minutio Felici, quem Lactantius Firmianus & poſt hunc Div. Hieronymus ob excellentem ſacræ doctrinæ cognitionem impenſè commendârunt. Eandem Tibi palmam debebit poſteritas Chriſtiana, à qua, ſi hæc & alia id genus edideris; meritiſſimo tuo optimoque jure nomen JURISCONSULTI PII obtinebis. Nolo hîc fuſiùs iſta exponere, vitandæ ſuſpicionis εἰς τὸ κολακεύειν. Dicentur alibi. Interim ecce pagellas has, & ſimul gratias! quas etiam maturiùs accepiſſes, ſi per negotia hujus ſeptimanæ licuiſſet, ubi ne ad aures quidem calpendas, quod ajunt, otium fuit. Feliciter vale, Magnifice Vir, cum Conjunge & liberis ſuaviſſimis, & mihi, quod facis, favere perge.

Dab.

Dab. ex Muséo a. d. 21. Sept. A. C. 1634. quo Germaniam ferè totam ingenti eventurorum metu suspensam, proh dolor! videmus.

- - *Redeat pax optima Christi!*

P. S. Obitum Compatris mei Dn. Rinderi (si modò rumor certus sit) deplorare satis nequeo. Viri acris ingenii multæque in literis industriæ Hebraicè, Græcè Latineq; doctissimi, ut non videam, quem ex ordine in hac laudum semita cum eo conferre possim.

Idem Eidem.

S. P. D.

MAgnifice & Amplissime Vir, Dn. & Affinis carissime, heri literas accepi Vinariæ ab Evenio datas, quibus significatur, Clar. Dn. Duræum hic propediem nobiscum futurum esse. Si ita res habet, ut ex adventu Legatorum Anglicorum conjectura est, nihil magis in votis habeo, quàm ut in tempore eum illo sermones amicos conferre possim. Non desunt istius desiderii causæ prægnantes. Itaque ut T. M. (ad quam ille procul dubio statim viset) de occasione vel me vel ipsum certiorem facere velit, vehementer etiam atque etiam rogo. De Hugone Grotio idem Evenius & istud inseruit, Er habe sich gantz zu unserer Religion & ad sensa Lutheri gewendet / dahero er auch von ihrer Fürstl. Durchl. den Hertzogen von Weinmar / einen Stipendiarium und gelehrten Studiosum Theologiæ zu einem Pastorn erhalten / *καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.* Valeat T. M. cum tota domo felicissimè. 12. Maji 1636.

Idem Eidem.

Εὐημερεῖν ἐν τῷ Χριστῷ.

MAgnifice Dn. Procancellarie, Affinis & Fautor honorande, incidi ante menses aliquot in Epistolas Dn. Phil. Melanchthonis ad Vitum Theodoricum exaratas, prout eas Vitus Burgerus olim ex autographo ipsius Philippi eleganter transscripsit. Has contuli cum omnibus Epistolarum libris editis, ut secernerem, quæ lucem jam antea viderant. Reliquas istas *centum* & *decem* facilè patiar in manus hominum venire, nisi T. M. aliter visum sit. In hunc enim finem judicium tuum expeto. Urget editionem Dilherrus noster, ut ex adjectis ipsius literis apparet. Feliciter valeat T. M. cum tota domo! 12. Febr. 1640.

P. S. Ἀπροσηγορίαν multorum sæpe amicitiis obfuisse, Aristoteles & experientia docent. Utinam sæpius convenire & de gravissimis rebus conferre Sermones liceret! Ausim asseverare plurimum id emolumenti Ecclesiæ & Scholis nostris allaturum. Sed hæc sunt fata invaletudinis utriusq;. &c.

Rich-

Richterus Sauberto.

Αἰτῶ δ' ὑγείαν πρῶτον, εἶτ' εὐπραξίαν;
Τρίτον δὲ χαίρειν, εἶτ' ὀφείλειν μηδενί.

VEl ex hac ſalutatione mea jam agnoſcis Antiſtes Reverende & Chariſſime, Affinis & Amice plurimùm honorande, me Epiſtolas illas malè hactenus occultatas PHILIPPI MELANCHTHONIS, Viri multis divinis dotibus, quam diu vixit, ornatiſſimi, nudius quintus mihi miſſas, perlegiſſe. Quod enim ille in Epiſtola CVII. ultimo ſuo ex Philomene Græco Poëta antiquo verbis iſtis optavit: Idem Tibi iisdem comprecor animitus. Epiſtolas verò ſtatim cùm accepi, lecto licèt arthritide affixus, tamen ventriculo quaſi famelico, ut epulas mellitiſſimas, omnes devoravi, mentis, crede mihi, voluptate maximâ. Pro quo beneficio magnas Tibi habeo gratias, habiturus quoque, quas potero maximas, ubi eas publico, quod cogitas, donaveris. Quàm grata futura ſit opera illa tua Bonis omnibus, multis Tibi perſuaderem, niſi ipſe longè meliùs me intelligeres. Quin & Viros jam habes Excellentiſſimos Hortlederum, Frantkium, Tobiam Adami & Dilherrum, arbitros harum rerum prudentiſſimos; quorum deſiderio non citra moram ſatisfacere, religio, ſcio, Tibi erit. Nihil igitur attinet currenti equo calcar addere, aut γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. Cum primis verò ſingulares Tibi gratias debebit Reſpublica noſtra, & quæ in ea eſt Eccleſia, CHRISTI ſub vexillo militans: Cùm epiſtolæ iſtæ omnes & ſingulæ centum & viginti ad Antiſtitem noſtræ, quam dixi, Eccleſiæ quondam integerrimum VITUM THEODORICUM ſint exaratæ. Atque ita quidem, ut de rebus agant ad Eccleſiam ac Politiam pertinentibus non vanis, ſed graviſſimis, & nulla ſimul ſit, quæ non vel ſinceræ pietatis, vel præclaræ eruditionis, vel prudentiæ ſingularis, vel amoris planè paterni veſtigia habeat expresſisſima, ita, ut quarum lectio vel erudire vel conſolari vel delectare lectorem poſſit, cumque nonniſi vel doctiórem, vel meliorem, vel lætiorem demittat. Bene ſit animæ VITI BURGERI, pueritiæ quondam noſtræ informatoris fideliſſimi, qui theſaurum iſtum manu ſuâ ab interitu vindicavit: Bene ſit illis, qui eum Tibi obtulerunt: Bene ſit Tibi, qui præſtantiam ejus nemini invides, ſed quæ Bonorum eſt natura, omnibus communem eſſe cupis: Quod certè cùm Nominis tui fama immortali fiet. Unicum reſtat, quod Te rogatum velim, ut quandoquidem multa Græca ſunt immixta, ea in gratiam illorum, qui linguæ omnium elegantiſſimæ juxta atque ſuaviſſimæ ſunt ignari, Latinè vertas & ad finem libelli imprimi cures, quod idem in Epiſtolis ejusdem ad CAMERARIUM factitatum nôſti, idque ad exemplum Epiſtolarum Ciceronis, Plinii, aliorum. Res ut Tibi,

Tibi, τὰ τῶν ἐκείνων φρονεῖν καλῶς, erit facillima, ita illis, quos dixi, acceptiſſima. Vale & Salve cum coſta & pignoribus dulciſſimis. E Muſeo, quod lecti moleſtia nonnihil liberatus hac ipsâ horâ gradu teſtudineo iterum ſum ingreſſus, d. 13. Kal. Mart. A. C. 1640.

P. S. De ἀτοσυγχείᾳ quod rectè mones, fateor & doleo. Atque utinam fata utcunque, quantum ad hoc haberemus clementiora. De fructu publico neque ego dubitarem. Sed cùm nobis tam ſæpe, DEO ita volente, ſit decumbendum, alios ex Collegis tuis, qui firmioris ſunt valetudinis, non frequentiùs nos inviſere, ut fatear, quod res eſt, non parum miror, cùm ægrotos viſitare illis ante alios curæ eſſe debeat. Gratum erit, ſi vel ἐν παρόδῳ interdum, quod hactenus ob neſcio quam cauſam ab illis intermiſſum, ad nos divertere placuerit: Ut nihil nunc dicam de charitate Samaritani celebratiſſima.

Joh. Mich. Dilherr Georg. Richtero.

MAgnifice & Nobiliſſime Dn. Procancellarie, Domine ſuſpiciende, mihi jamjam Jenâ abiturienti, & ad prædia Academica, quorum mihi, à Dominis Collegis meis, demandata eſt inſpectio, proficiſcenti, Juvenis egregius Dn. M. Fabricius M. Veſtræ obtulit decades Orationum, quas in hoc Tuſculano hac veſperâ avaro oculo perluſtravi, & præfiſcini dixerim! ſeculo Auguſtæo digniſſimas æſtimavi. Miratus fui ſummopere in Viro Politico, mille negotiis circumvallato, tam molliter noſtras habitare Muſas, quæ mori M. T. nunquam ſinent. Optârim ex animo, mihi inter M. V. amicos locum concedi. Non equidem mereor; magni tamen illos facio, iisque eſſe ſimilis cupio, qui merentur. Quo ſim in litteras adfectu, Veſter novit Saubertus, ὁ πάνυ. Mitterem aliquid lucubratiuncularum mearum, ſi in hac ſolitudine poſſem, potero forſan proximè. Interea M. V. optimè valeat, & faveat. Dabam in arce Apoldana. 12. Octobr. 1638.

Richterus Dilherro.

SAl. & Officia. Clariſſime Vir, Amicorum exoptatiſſime. Quod diu in votis habui, ex voto tandem tam abundè mihi contigiſſe, ipſe mihi gratulor, & gaudeo vehementer. Amicitiam dico tuam, quam meritò magni facio. Eam enim, (ita arbitror) ſpondent mihi litteræ tuæ, ante bimeſtre ad me exaratæ, in quibus humanitatem tuam, cum eruditionis ſuavitate certantem, etiam atq; etiam amplector & exoſculor. Fabricio etiam noſtro, Juveni laudatiſſimo, ſingularem gratiam debeo, quod, neſcio quo fato, tam inſigne bonum inſcio mihi

comparavit. Equidem quæ ex inspectione oratiuncularum nostrarum Academicarum tribuenda mihi censes, quanquam de judicii tui dexteritate probè mihi constat, attamen ipse mihi omnium optimè notus, non agnosco. Affectum tamen, quem simul prodis haud vulgarem, ingratus sim, si non omni studiorum genere & amore mutuo prosequendum mihi ducam. Quod igitur viro amico & meliorum litterarum amantissimo expectari potest, lubens Tibi recipio. Plura prohibet ingenii mediocritas, quæ inter Reipublicæ occupationes, plurimas juxta atque gravissimas, augescere nequit, & utinam tandem non labasceret. Ut nihil nunc dicam de invaletudine, cum qua hactenus conflictandum mihi fuit sæpius, hoc præsertim anno, ad finem nunc vergente: Ita ut corpore ex arthritidis primùm doloribus, deinde ex renum calculo aliquoties ægrotante, animus quoque ob conjunctionem arctissimam ægrotare cogatur, & sic ad studia reddatur ineptior. Quæ etiam causa fuit, cur non citius, quod [illegible], ad acceptissimas tuas litteras responderim. Quantos litterarum fructus à Te expectare debeamus, ingenii tui monumenta, etiam ultra Germaniæ Oras cognita, publico pollicentur; cui diu Te prodesse omnes vovent boni: Ita merentur vel Contemplationes tuæ & Suspiria Pietatis, ut non fucatæ, ita doctrinæ elegantioris argumenta illustria. Saubertus noster, Theologus inter rariores, calculi doloribus acutissimis lecto iterum affixus, pl. Te salvere jubet. Qui hæc Tibi reddet, Dn. M. Sebastianus Jacobus Kraus, S. S. Theologiæ Studiosus industrius, Tibi quoq; modestiæ atque diligentiæ nomine notus, dignus [illegible] videtur, qui favore tuo in studiis suis fruatur cum aliis. Itaque Romano [illegible] Tibi commendatum volo, quod licet in limine amicitiæ nostræ audacia forsan videri posset, facit tamen animi tui promptitudo erga Studiosos bonarum [illegible], ut nullam apud Te sive audaciæ sive impudentiæ culpam verear. Si quid est, quod me vel tui vel aliorum gratia facere cupis, impera: Experieris animum gratificandi paratissimum. Vale, &, ut cœpisti, amare nos persevera. Dab. Norimbergæ ad d, 19. Decembr. A. C. 1638.

Dilherrus Richtero.

Quod diu debui, Magnifice Domine Richtere, Patrone magne, vix tandem solvo; metuo, ne inter mala nomina commemorandus. Sed ubique me itinera abripuerunt: quibus Universitati nostræ, publico nomine, a nonnullis belli ducibus incolumitatem expetebam, successu quidem votis nullis non omnino respondente. Proinde ægrotare cœpit tot florentissimorum adolescentum mater blandissima. Quòd si quis nobis Æsculapius subveniret, non gallum, sed totam Hecatomben mereretur: sin; patientiâ, quicquid incurrerit, mitiga-

mitigabimus potiùs; quàm resistemus: & litteris tribuemus, quod superest otii: qui est ut[illegible] suavissimus pastus animorum. Earum amorem qui, si res adversæ inciderint, & corpori ægrè sit, abjiciunt, Divinam partem sepeliunt: ut planè in veterno cubare, ac prorsus sorbere Lethæum poculum videantur: dum adscititiâ oblivione semetipsos ac doctrinam mergunt. Hi non meditatum habent, similes se nautis esse; quam si, periculo tempestatis, ad carinam exonerant, sæpe citiùs mergunt, quam si onustam furentibus undis objiciant. Etenim tempestas, quævis est adversitas; onera, literæ: quibus qui se ipsum spoliat; in potestate ægritudinis est, & ad omnem malorum curam agitur: qui verò, tanquam saburra, his utitur, periculi securus est, & mediis tranquillus in undis. Vestrates, M. Fabricium & M. Crusium, consalinos & inquilinos meos, non est, quòd T. M. mihi commendet: habent me ad nutus suos. Quantum Vobis & Vestris Athenis debeam, sæpius perpendo: atque eo nomine Vobis ac Vestris me sanè quàm lubens impendo. Non dubito, quin M. V. innotuerit J. P. P. adolescens, quem ad omnia excellentia excellens armavit ingenium: illum, sub mea manu, talem spero sementem facturum, ut Vos copiosam aliquando messem inde metere possitis. Mittebatur ad nos, quasi effrenis licentiæ adolescens: &, quasi lupi catulus, loris coërcendus, mihi commendabatur: ove autem mansuetior factus, ante annos animumque gerit, curamque virilem. Hæc nimirum vis est dextræ manuductionis. Ingenia qui non discernit, sed omnia discrimine agit nullo, pessumdat: quòd quidem vitium huic seculo est familiarissimum, ubi ἐνὶ καλόποδι πάντας ὑποδέειν, ut Galenus loquitur; & eodem collyrio omnibus mederi conantur. Hei! totus docendi ordo hodie inversus est: ut jam olim exclamârunt Doctores nostri, Scherbius & Piccartus. Felix ille, cui vel in capulari senectute mentis oculi aperiuntur. Sed non jam tempus philosophandi. Amor in V. M. meus, & fiducia singularis, liberiùs me scribere jusserunt. Vale, Amplissime Dn. & me redamare ne desiste. Deus Vos sospitet, ac Rempubl. Vestram, turbulentâ hac tempestate clementer tueatur! Nobilissimum Dn. Grundherrum, & Generum ipsius, Joh. Erasmum Dilherrum, optârim per occasionem officiosissimè à me salvere. Dab. Jen. proprid. Calend. April. 1639.

Richterus Dilherro.

SAlut. officiosissimam. Lentum nomen me habes: Fatendum enim est, Dilherre Clarissime, at non malum. Etsi enim quintus nunc labitur mensis, quum ad acceptissimas tuas responsum Tibi debeo, nulla tamen ferè effluxit dies, quâ non satisfacere Tibi gestiebam. Quia verò nunc invaletudo, nunc publicarum occupationum moles animum scripturientem sæpius retraxerunt, facilem

Te mihi, ſpero, præbebis: Præſertim quum & ego in exigendis Amicorum literis nunquam rigidior eſſe ſoleam. Tantum abeſt, ut Tibi ulla ſilentii diuturnioris excuſatione apud me ſit utendum. Pergratum autem fuit cumprimis, quòd P. noſtrum, adoleſcentem antehac, aliorum potiùs quàm ſuo vitio, à virtutis via malè declinantem, dexteritate tuâ redactum, tum ex tuis, tum ex ipſiusmet literis intellexi, quod gaudium & nobis pariter, ac matri, matronæ honeſtiſſimæ, ut & Vitrico Cl. H. Amico noſtro, non è multis, perpetuum DEUS eſſe velit. Nimirum multum refert, quo pacto animum juvenilem tractes, plurimumque, vel Poëta teſte, intereſt

- - quibus artibus & quibus hunc tu
Moribus inſtituas - - -

ut patriæ aliquando ſit idoneus. In qua arte omnium præſtantiſſima induſtriam tuam excellere,

- - - qui patriæ civem populoque dediſti,

meritò Tibi gratulamur, & gratias habemus ingentes. Ipſum verò adoleſcentem, quem ſalvere jubeo plurimùm, etiam atque etiam hortor, ut illam [illegible] pergat, & eidem incumbere ſectæ nunquam ceſſet. Atque ſic de ſtu[illegible] promptitudine erga ſe, nihil eſt, quod dubitet. Nam ut hactenus, ita porrò quoque nihil intermittam, quod è re ipſius fore videbitur: De quo matrem & vitricum, quos dixi, teſtes ipſi dabo. Quod quidem, quantum ad ipſius [illegible] literas, quas binas habeo, nunc credo, ipſi ſufficiet. Tibi verò alio quoque nomine eſt, quòd gratias agam. Pro M. Krauſio, inquam, viro pietatis atque eruditionis laude præſtantiſſimo, qui ſalvus ante quatriduum ad nos redux, & poſt ſalutem à Te dictam, benevolentiam tuam erga ſe, ut debuit, admodum prædicavit. Cumprimis verò, quòd Nobiliſſimo Dn. Grundherro tam diligenter eum commendâſti; id quod non parùm ponderis habiturum confidimus. Eſt enim Eccleſiarum ille atque Scholarum Ephorus primarius, Tui longè amantiſſimus, & ſalutem, in tuis ad me adſcriptam, omnium habuit acceptiſſimam. Ut verò Krauſium, Virum probum & doctum, non parùm hac ratione Tibi devinxiſti: Ita & nos viciſſim omni officiorum genere habebis promptiſſimos. Lauru quoque tuâ Martiâ, antehac nobis tranſmiſſa, novo Tibi nexu nos obligaſti. Et quanquam gratias, quas pro iſto quoq, munere Tibi debeo, nondum exſolvi, tamen ut & ſic nos beare porrò, & ingenii tui monumenta plura publicè donare velis, rogare nihil vereor. Ita enim frontem ponere, affectus tuus in me ſingularis facit, vel jubet etiam. Vale, Amicorum chariſſime. Dab. Norimbergæ idibus Sextil. A. C. 1639.

DI-

Dilherrus Richtero.

PRopterea, Magnifice & Nobilissime Domine, responsionem distuli, quòd sperarem, post æstivam diem, auctumnitate semet in temperiem dirigente, me ad Vos excursurum, & tot animos, sanctâ necessitudine mihi copulatos, salutaturum, amplexurum, compellaturum; sed non plurima solùm avocamenta, sed & ingravescentia viarum pericula, me retrahunt, spemque meam in proximam veris viriditatem rejiciunt. Interea, qui corpore non possumus, mentibus juncti maneamus, & Deum nostrum, quasi manu facta, precationibus ambiamus; orantes, ut, qui navigamus inter scopulos & sinus, inter vada & freta, rectum cursum teneamus; nec ab aliquo æstu absorbeamur. Statum nostrum harum lator Johannes Krumphar/ Altorfii litteris operaturus, poterit recensere cui dedi libellum N. M. V. reddendum. Non scripsi quidem eum pro Viris doctis; sed pro juvenibus ad doctrinam euntibus: Mitto tamen, ut, quæ mea sit in tyrones cura, N. M. V. inde perspiciat. Bene vale, & vive Deo, Reipublicæ ac nobis. Dab. Jen. Non. Octobr. Ann. 1639.

Richterus Dilherro.

SAl. Officiosissimam &c. Clarissime & amicissime Dn. Dilherre, Fiat, quod probè monuisti, mentibus, inquam, maneamus conjuncti, qui corpore hactenus non potuimus. Et quandoquidem autumni injuriâ spes nostra decollavit, veris auram faventiorem expectamus, &, ut per eam voti compotes, si Numini ita videbitur, fiamus, simul comprecemur. Pro donariis tuis acceptissimis magnas habeo gratias: Quæ, ut juvenes erudire possunt eximiè: Ita Viros quoque doctos, si quid mei est judicii, non parùm delectabunt. Habent enim Theologi, JCti, Philosophi, atque Philologi, quod inde depromant atque observent. Tam latè nimirum ingenii tui felicissimi insignis fœcunditas sese diffundit. Deberem, fateor, non verbis duntaxat, sed re ipsa quoque gratum animum Tibi declarare. Sed ob agelli nostri tenuitatem, quam publicarum occupationum moles sterilescere magis facit, ex alieno mutuare, non puto vituperandum, vel tuæ certè æquanimitati non omnino ingratum erit: Præsertim, cùm non prorsus alienum videri possit, quod pater ex filii fundo exhibet. Accipe igitur hos adolescentis fœtus, immaturos licèt, & tuæ eruditionis suavitati insipidos: ob amorem tamen nostrum, cui & per se non suavia dulcescere solent, non aspernandos. Nobilissimus Dn. Grundherr salutem abs Te dictam habet gratissimam, Tibique felicitatem etiam atque etiam optat perennem. Fiat. Atque ita

epiſtolam, ut auſpicatus ſum, finio. Vale. Dab. Noribergæ feſto D. Thomæ A. C. 1639.

Dilherrus Richtero.

SAcrilegio ducebam mihi, Magnifice & Conſultisſime Richtere, Patrone magne, noſtrum ad Comitia Legatum Dn. Georgium Franzk[illegible], Conſiliarium Saxo-Vinarienſem, Virum ſupra ſeculi noſtri ſortem & [illegible] tum, & quaſi quendam noſtrorum temporum Catonem, abſtinen[illegible], [illegible] exemplis formantem, Amicum meum charisſimum, meis faſcic[illegible] non [illegible] tum hinc ad Vos dimittere. Tu, Vir Magne, libellum parvulum [illegible], animo, i. e. benivolo accipe, & editorem amare ne ceſſa. Facies Academiæ [illegible] ſtræ aliquamdiu fuit funeſta. Nam, præter calamitates belli, vel po[illegible] nii, in noſtris finibus durisſimas, abierunt à nobis in æternam illam [illegible] Dn. Hortlederus, cui ante octiduum, oratione funebri, juſta per[illegible] Dn. Petrus Theodoricus, & Dn. Ortholphus Fomannus, JCti, ille Decretalium P. P. & Scabinatus ac Curiæ provincialis Ordinarius; hic Codicis P. P. Viri [illegible] mi. Sit verò mens nobis ſolida, & fides firma, animaque devota, quæ ad præſentis adflictionis copiam non moveatur; ſed tanquam petra fortis & [illegible], turbidos mundi impetus ac violentos ſeculi fluctus frangat potius ipſa, quam frangatur; nec tentationibus vincatur, ſed probetur. De filio, Dn. Johanne Georgio, ad magna nato & ſurgente, ac tam pulcris minis præclara [illegible] cinora, ex animo Tibi gratulor. Omnipotentia cœleſtis Te ipſi ac ipſum Tibi ſervet! Perplacuerunt Oratio & Diſputatio. Penneſcat, adulta ætate, hæc aquila, & firma olim volatu ſidera petat! Quòd in Epiſtola ad noſtrum [illegible], τὸν πάνυ, honorificam mei mentionem facere volueris, gratias a[illegible] ſingulares. Uno quaſi ſpiritu libellum perlegi. Quantum diſceſſerunt multi Theologorum à magni Melanchthonis moderatione! Si nonnullorum juvenil[illegible] cogito: fugit timido ſanguen, atq; exalbeſcit metu. Nobilisſimo Dn. G[illegible] herro officioſisſimam ſalutem repono: amicisſimè etiam ſalvere jubeo [illegible]. Vale cum tota familia, Domine honoratisſime. Libellum alterum p[illegible] A[illegible] ſimo Dn. Doppelmajero, cum ſalute plurima, per famulum mitti. [illegible] Dab. Jen. 9. Auguſt. 1640.

Idem Eidem.

QUos amo & veneror, Richtere Magnifice & Nobilisſime, Patrone [illegible], illos nonnunquam, negotiis licèt plurimis obrutos, nec opin[illegible] accedere: ut vel Muſis gravioribus aliquantisper dent commeatum, vel [illegible]

affli-

arctioris recordati exhilarentur. Ne igitur, ô charum & sanctum caput! meæ interpellationi indignare: cujus causam non invalidam, ut spero, præmisi. Abit ad Vos, civerus suos, M. Daniel Wülferus, juvenis non vulgarium, sed exquisitissimorum studiorum, quem sive in Philosophia, sive in Philologia, sive in Theologia feceris periculum, solertem dabo. Huic bene ego volo facere, si Tu non neves. Nempe de tuo, inquias. De meo utiq; ajo. Nam quod tuum est, si amicus es, ut esse scio, meum est. *Omne meum est autem tuum*: ut inquit ille apud Comicum. Nihil, præter favorem expetimus: quem nemini unquam denegâsti merenti. Commentatiunculas meas in epithalamium Regium accepisse, nec ingratas habuisse, est, quòd gaudeam. Utinam majora dare, vel ingenium, vel tempus, vel statio satis operosa, permitterent! Nam si *hoc agere* volo, ut debeo; nihil ferè horarum possum comparcere. Sine tædio tamen & nausea, quicquid officii ratio imponit, exsequi adnitor, memor illius apud Satyricum: *quem te DEUS esse jussit, & humanâ quâ parte locatus es in re, disce.* De Teraphim orta inter quosdam concertatio. Per discipulum, Cancellarii Isennacensis filium, juvenem alacrem, tenebris aliquid lucis adfundere conatus sum. Quid præstiterimus, per otium N. V. M. libeat dispicere, nec non columbas Herodianas lustrare. Valdè lætor, Crusium nostrum petito suo non excidisse. Spero, hominem non exiguo Ecclesiæ emolumento futurum. Vale, Nobilissime Domine, Patrone magne, cum Tuis: & vive hunc pluresque annos alios felicissimè, mihique favere perge; amare etiam, si merebor. Iterum vale. Dab. Jenæ prid. Calend. Febr. 1641.

Richterus Dilherro.

SAlutem & felicitatem perennem hoc aliisque annis sequuturis quam plurimis, Tibi, DILHERRE Reverende & Clarissime, Amice pl. honorande, ex animi sententia fluere, etiam atque etiam animitùs opto, voveoq;. Et profectò fateor ingenuè, tantùm non ad ruborem usque pudefio, quòd superiore anno neque literis tuis dulcissimis respondi, neque pro donis tuis sæpius transmissis, libris, inquam, acceptissimis, gratias, quas debeo, persolvi. Nisi ergo hoc unum accipis, quod mente nunquam illud peragere cessavi, quod verbis tam diu intermisi, nihil habeo, quo culpam deprecari queam. Neque enim occupationes Reipublicæ crebriores simul gravioresque, quæ, ante annum, apud nos in Conventu, quem vocant, Electorali cœptæ, nunc Ratisbonæ in comitiis continuantur, neque invaletudinem, quæ hactenus semel iterumque solenniter me invasit, ulteriùs allegare apud Te volo; nempe, ut caussas vel vulgares nimis, (quanquam non injustas) vel tales certè, quæ non semper amicis temerè amantibus

tibus usquequaque probantur. Quicquid sit, ut ingentes me Tibi, pro nominibus jam dictis, gratias debere agnosco & profiteor, easque quàm cumulatissimè à me exsolvi posse vehementer opto, ita per τὸν φίλων Θεὸν rogatum Te velo, DILHERRE dilectissime, ne in animum inducas unquam, quasi parum gratæ literæ tuæ mihi accidant, quas non minùs, quàm donaria adjuncta, semper mihi esse foreq; acceptissimas, bonâ fide, Tibi recipio. Juvenem com[illegible]tissimum, M. Danielem Wulferum, à quo tuas accepi, & qui has (faxit DEUS feliciter!) Tibi reddit, ut porrò quoque in Ecclesiæ nostræ emolumentum, quod facis, manu quasi obstetriciâ fovere, & in eo spes nostras, quod [illegible] ait, implere velis, pluribus rogarem, nisi ipse hoc idem, quod scio, jam [illegible] quum facis promptissimè. Perge ita de Republ. & Ecclesia nostra [illegible] præclarè: laudem & gloriam (nullam enim aliam mercedem virtus tua postulat) apud DEUM reportabis ante cæteros. Quin & Senatum populumque Norimbergensem in ære tuo habes haut vulgariter. De Teraphim, columbis Herodianis cæterisque rebus obscurioribus, quas plerique vel malè vel nunquam intellexerunt, Tu verò ex eruditionis tuæ penu egregiè enucleâsti, si quid [illegible] judicii, palmam feres ab omnibus cordatè doctis. Nunc hæc potissimùm [illegible] mihi est scribendi & materia. Haud ita pridem terræ matri reddidimus corpus M. Joachimi Willii, Theologi & Antistitis apud nos, ad D. Mariæ, inter rariores vel paucissimos, cujus anima cœlo recepta, cum Christo Servatore [illegible] tur beatarum mentium sempiternâ. De qua Divina felicitate [illegible] omnibus; ut animæ viri DEO charissimi meritò gratulamur: Ita [illegible] multorum luctu hactenus vacuæ, alium successorem, qui Republic. & Ecclesiæ nostræ ita præsit, ut cum ornamento prosit quàm diutissimè, [illegible] desideramus, Numinisq; benignitatem veneramur devotè. Spes autem [illegible] nos, quos inter præcipuè vir Nobilissimus D. Ulricus Grundherr [illegible] & Ecclesiæ Scholarumque Ephorus supremus, (qui Te in oculis fert, [illegible] salvere plurimùm, cujus jussu hæc ad Te scribo) fore, ut per [illegible] illud Ecclesiæ nostræ, quàm optimè, quàm pulcherrimè curari possit, si in locum pii [illegible] cti sanctissimum juxta atque honestissimum succedere non abnueris. [illegible] non ignoramus, quo loco nunc sis, & quas vocationes Magnorum Principum hucusque insuper habueris. Sed nec illud nescimus, animum [illegible] vitæ Academicæ non ita deditum, multò minùs ita Principibus obnoxium, ut non [illegible] in Ecclesiæ tandem functionem inclinare sataget, vel non æquè Reipublicæ, quæ non moritur, ac Principibus, quorum cum vita sæpe multa conci[illegible] dicere sese velit. Multis hoc Tibi persuadere quid attinet, quum ipse [illegible] optimè scias, eundum non quò fata dubia, sed DEI voluntas certissima trahit.

Qui

Quid si vocationes istas Principum, ob hoc ipsum, DEUS annullari voluit, ut patriæ tandem Reipublicæ præstò esses? Rem, quæso, sanctè & accuratè pondera, hoc est, nil nisi gloriam JESU CHRISTI, quod facis, ejusq; Ecclesiæ salutem perpende, & quorum usui potissimum talenta Tibi credita impendere debeas, probè deprehendes. Quanti Lutherus olim & Philippus, censores dexterrimi, fecerint, Ecclesiæ in Republ. nostra à concionibus esse, pluribus scriberem, si apud Te, quem nihil in historiis latet, opus esse putarem. Cumprimis verò nôsti verba Philippi crebriùs repetita: *O Vos beatos, qui in Aristocratia vivitis. &c.* Hoc tandem Te rogatum volo, ut quid animi Tibi sit, quam primum mihi respondeas, quò, quid ulteriùs nobis hac in re sit perficiendum, illis significare possimus, à quorum mandatis, post DEUM, seria hæc dependent. Vale, & optatissimis literis tuis nos exhilara. Dabam Noribergæ 4. Idus Martii A.C. 1641. altero die post, quàm cum pristina valetudine in gratiam redire Divinâ clementiâ cœpi. Iterum Vale.

Idem Eidem.

SAlutem Officiosissimam, Clarissime & Excellentissime Dn. Dilherre, Amice plurimùm honorande. Quas ante octiduum tandem ad Te misi, redditas nunc Tibi spero: Ad quas quid de functione illa Theologica apud nos, quam jussu superiorum Tibi significavi, responsurus sis, magno desiderio expectamus. Si amorem tuum erga patriam nostram, & quos in ea habes Agnatos, Patronos & Amicos rectè novi, repulsam nequaquam feremus: quanquam non nescimus, quot quantaque obstacula remorasque objecturi sint Jenenses, aliique, qui tantum bonum nobis invident: Quorum conatus tamen omnes irritos sperare lubet, modò cum Numinis providentia, cumprimis animum tuum propensum habeamus. Sunt præter illos, qui Te nôrunt, amant atq; colunt, cives tam nobiles quàm plebei apud nos quàm plurimi, qui solùm nominis tui fama incensi, Te Antistitem apud nos videre maximopere desiderant. Non pauci etiam statim post, quàm Willius noster Spiritum DEO reddidit, Te successorem ominati sunt, in votis habuerunt, nominârunt, moxque rumor heic & alibi, quasi jam res esset planè certissima, increbuit. Quæ omnia, quum non semper erret fama, sed interdum Jove judicet æquo, firmiter ut credamus, faciunt, hoc non citra voluntatem Divinam ita contingere, nec etiam absque DEI O. M. benedictione singulari eventurum; quam Tibi animitus etiam atq; etiam optamus & vovemus. Si quos scrupulos contrà injectos Tibi sentis, liberè, quæso, in sinum hunc effunde: Dabimus operam, quantum licet, ne quid amplius ambigere Te faciat. Quâ fini haud abs re foret, si quod ante hac semel iterumque

conſtitueras, hac veris amænitate efficeres, hoc eſt, animi ergo ad nos dies aliquot exſpatiatum ires; ubi unâ ſeptimanâ plura coràm peragi poſſent, quàm per literas aliquot menſibus, aut etiam temporis ſpatio longiore. Adventum tuum multis optimis Viris, doctis & indoctis, literatorum tamen amantibus quàm acceptiſſimum fore, bonâ fide, Tibi ſpondeo. Vale, Dilherre Clariſſime, & nos, quod facis, ama, qui Te in oculis ferimus. Noribergæ, poſtridie Kalend. April. Anno ἀπὸ τῆς ἐν σάρκι οἰκονομίας, 1641.

Idem Eidem.

FElicitatem perennem, Clariſſime & Excellentiſſime Vir, Amice plurimùm honorande. Poſt binas meas, quas de functione Eccleſiaſtica Reipubl. noſtræ, ante dies XV. primùm, deinde ante octiduum ad Te dedi, quasque M. Wülferus, curaturum ſe recepit, en nunc tertias. Et has quidem non [illegible] alterius, ut antea, ſed totius Ampliſſimi Senatus juſſu, qui heri ita per Decretum cenſuit, nimirum ut mihi amico, amicâ fide, priùs quid animi Tibi ſit, quamprimum aperias, ut, ſi à concionibus huic Reipubl. eſſe Tibi placuerit, (id quod unicè optamus) poſthac publico Senatus nomine legitimè invitari queas, ſimulque, quid ad Illuſtriſſimos Principes Wimarienſes & Altenburgenſes, quorum abſque conſenſu ab iſta, quam nunc habes, Profeſſione Academica diſcedere nequis, ſcribendum hac de re ſit, inclytus Senatus decernere poſſit. Ut igitur certi quid ad Senatum de reſponſo tuo referre mihi liceat, proximè [illegible] rogo. Eandem hanc Senatus voluntatem Saubertus quoque noſter, Antiſtes & Amicus venerandus, ut Tibi amicè ſignificet, in mandatis habet, qui, ut audio, ad Te jam quoque hac de re ſcripſit, & quid reſponſurus ſis, præſtolatur. Si quid monendum habes, quo Illuſtriſſimos Principes tuos Tui cauſsa compellandos, ad aſſenſum faciliùs permotum iri putes, bonâ fide nobis ſuggere. Dominum JESUM τὸν μονώτατον ἰατὸν (?) σωτῆρα oro, ut cepta noſtra adjuvet, & modis omnibus Te fortunet! Vale. Dabam raptim, more meo. Noribergæ ad d. X. April. A. C. 1641.

Dilherrus Richtero.

Salutem & felicitatem perennem!

NOn opus eſt, Magnifice Domine Pro-Cancellarie, Patrone magne, ſilentii excuſatione illi, cujus amor ſupra omne dubium eſt poſitus, & manet inexſtinctus, tanquam ſub cineribus Veſtalis favilla. Agnoſco autem animo humiliter grato S. P. Q. Norimbergenſis in me, tantillum! favorem & honorificum

cum illud tuum de me testimonium, quod quidem omnia mea merita longissimè supergreditur. Amavi, fateor, à teneris Remp. Vestram, ad gravitatem Romanam veterem sapienter comparatam: colui PATRES PATRIÆ laudatissimos; dilexi cives honestissimos; quorum alii honore, alii amore, alii beneficiis, alii denique sanguine, me, hominem, certè nec ætatis, nec raræ eruditionis auctoritatisve ascititiæ nomine, aut vultus gravitate memorabilem, suum jure meritoque adpellant. Quapropter ut, quo vicissim in ipsos essem affectu, intelligerent, liberos ipsorum, ad nostram hanc Salanam, quærendæ eruditionis causâ profectos, non humaniter solùm excepi; sed, si in domum non potui, in animum tamen recepi, &, quâ esset viâ, ad

edita doctrinâ Sapientum templa serena,

contendendum, præcepi; nec quicquam eorum unquàm prætermisi, quæ è re ipsorum, & in manu mea esse, perspicerem. Nutu hinc Divino fieri existimo; quòd, ad proponenda Vobis mysteria cœlestia, & docenda dogmata salvifica, me ex hac Universitate, in qua juventuti ultra decennium ad bonam mentem & doctrinam præco, in locum piè sanctéq; defuncti Willii, Amici, atque antehac Auditoris mei desideratissimi, evocare constituatis. Sequar DEUM, DUCEM MEUM; si quem Aulas, Academias, & Urbes alias intrare noluit, ad Vos migrare ita jusserit, ut auspicio Ejus hæc geri, deprehendam. Spero autem, Vos hujusmodi conditionibus me vocaturos; quibus, discipulo Præceptorem surrogaturos, indicetis, &, quibus, ab Illustrissimis Principibus meis, dimissionem ego honestè possim expetere. Optârim insuper hæc agi in silentio. Quæ enim per cursores Vestros jam in vulgus dimanârunt, multum mihi pariunt molestiarum. Quæ Cives, quæ Studiosi, quæ Collegæ, quæ ipsi denique Nutritii nostri meditentur, pudor meus aperire non permittit. Hinc, quò longior mora trahetur, eò majoribus mei dimissio impedimentis implicabitur. Summa necessitas, hæc non silere, me jubet. Ad excursionem ad Vos, hoc vere, faciendam, Nostri sexcentas essent causas adlegaturi, quibus inhiberent. Quamobrem hæc non aliter, nisi per sacra litterarum colloquia, agi posse video. Eò liberiùs hæc ad Te, Richtere Eminentissime, perscribo, quò teneriùs abs Te amari me cognovi. Tu, pro singulari tua prudentia, & propensissimo in me adfectu, hæc placidè accipies, nec à pristino amore tuo quicquam remittes. Precibus pro tua & tuorum salute excubare, &, quibus-potero-cunque officiolis adesse, nunquam cessabo. Vive in JESU nostro, DEO, PATRIÆ, & mihi, diu ac feliciter. Dabam Jen. XI. Idus April. 1641.

Richterus Dilherro.

SAlutem Officiosissimam. Clarissime & Excellentissime Dn. Dilherre, Amice plurim. honorande. Quantopere me responso tuo, aliosque exhilararis, dum pro voto & desiderio nostro animum tam promptum ad nos veniendi tandem declarâsti, verbis exprimere satis nequeo. Pro mutui autem amoris nostri magnitudine, vel me tacente, lætitiam haud vulgarem intelligere Tibi licebit, quæ ut mox tota nobis contingat, Numinis benignitatem, omnis sinceræ felicitatis fontem, etiam atque etiam deveneramur. Hac fini nunc literas simul ab Amplissimo Senatu accipis, quibus, ut ante octiduum fore scribebam, ad functionem istam Ecclesiasticam Reip. nostræ, solenniter neque tralatitiè invitaris. Quin & Illustrissimi Principes tui, ut bona cum gratia Te dimittere dignentur, eâ, quâ decet, observantiâ, unà rogantur maximoperè, quorum dissensus ne spem nostram irritam reddat, sedulò curare tuum est: Et quidem eò majore cum cura, quò magis quasi sinistri quid literæ illæ Principum, quarum exempla ad Agnatum tuum, Dn. Erasm. Dilherrum, Virum optimum misisti, mihi nobis videntur, dum nimirum donis & pollicitationibus detinere Te laborant. Nobis contrà in hoc anniti incumbet, ne mutationis istius, quam bene propositam habes, unquam Te pœniteat. Quod ne ullo modo fiat, summus rerum moderator & arbiter, qui hoc negotium ex voto tuo porrò quoque dirigere velit, exorandus nobis est, cujus Divinæ gratiæ & protectioni animitus Te commendo. Vale. Dabam Noribergæ ad d. XVII. April. A. C. 1641.

Dilherrus Richtero.

S. Abundantem tuæ in me voluntatis significationem, Magnifice & Nobilissime Domine Richtere, Patrone magne, tum ex litteris, tum ex transmissa Inclyti Senatus Vestri Vocatione, evidenter perspexi. Optârim, facultatem mihi eam ab Omnipotente concedi, qua liceat demonstrare, tuorum meritorum me sanctam conservare memoriam, & remetiri ea gaudere. Quid Inclyto Senatui Vestro eâ, qua par fuit, observantiâ & humilitate, à me fuerit responsum, certò N. M. V. constare, existimo. Si, quali statione hîc mihi fuerit decedendum, & cujusmodi munia antehac lubens præterierim, pensitaverit: non mihi meisque petitis defuturum, spero. Rogo autem Te, Magne Patrone, ut, si quæ difficultates, mihi ignotæ, hanc spartam circumstent, eas mihi, tanquam Parens filio, significes, nec me quicquam eorum, quæ scire me oportebat, celes. Vivo hîc, nemini molestus, nemini adversus, nemini invisus; bonis omnibus (quod præfiscini dixerim, & citra ullam jactantiæ, à me alienissimæ, suspicionem) desideratus

deratus gratusque; nec quibus me honestè sustentem, fortunulæ desunt: quid censes, Amice, filiali cultu observande, si alibi vita mihi, fortassis spe meâ asperior fuerit transigenda? Proinde per omnis tui in me adfectus viscera Te obsecro, totum Te mihi, hoc in negotio, aperias, & Dilherrum ex Te procreatum proponas. Lapis ero: tum quòd æternum hæc tacuero, tum quòd firmissimè hæc mihi incidero. Vale in JESU nostro, & ocyùs responde, Patrone Magne. Dab. Jenæ 2. Maji 1641.

Richterus Dilherro.

SAl. P. Ut nonnullis conditionibus, Dilherre Clarissime, quas literis tuis ad Senatum, haud malo animo, inspersas voluisti, multos, imò plerosque, ne dicam omnes Reipubl. nostræ Proceres, de voluntate tua erga nostram Ecclesiam, dubitare, præter spem planè fecisti: Ita me aliosque, qui adventare Te tantoperè hactenus desideravimus, & vocationem istam rariorem singulari studio (fatendum enim est) curæ habuimus, subtristes reddidisti. Amabis autem, credimus, (quæ virtus tua est) libertatem hanc nostram & candorem, & quo affectu teneamur erga Te, absque interprete ulteriore, intelliges. Quandoquidem verò illud impetravimus, ut denuò, præter morem, Sanatus hodie ad Te scripserit. Tuum nunc erit, eâdem libertate, quid animi Tibi tandem sit, propediem declarare. De conditionibus istis, quas dixi, nobis omnino insperatis, ita velim sentias, ut ex literis publicis haud obscurè deprehendes. Quibus illud addo ampliùs, quòd posterioribus tuis, heri opportunè mihi redditis, desiderare mihi videris, nimirum nihil esse, quod in tuæ spem gratiæ non sim facturus. Ut ergo omnia certò scias, quæ scire tuâ interest, salarium annuum singulorum apud nos Antistitum 000. non excedit. Tantundem verò, quandoque extra ordinem, sive ut accidens, quod vocant, contingere, bonâ fide affirmant illi, quibus verè hac de re constat, præsertim si persona, quæ à concionibus est, pronunciatione aliisque donis sit accepta, quod de Te certò nobis pollicemur. Conciones verò singulis septimanis habebis binas, die Solis & Mercurii, utrasq; manè: Quarum hæ, ut frequentiores longè sunt, quàm illæ: Ita majora etiam commoda eum, qui habet, à civibus, qui audiunt, exinde consequuntur. Impetravit quidem Saubertus noster valetudinis ratione, quum in supremum locum fuit suffectus, ut non nisi unam, die solis nimirum, concionem habeat. Sed & simul, quantum ob hoc ipsi apud cives, qui eum audire ampliùs non possunt, decedat, sentiendo experitur. Equidem quantum Tu nunc in Academia singulis annis habeas, hodieque nescimus. At tamen nec illud, (quod nequaquam fraudi mihi fore sines) nonnunquam ibi plus promitti, quàm præstari: Secus heic, ubi plura

 sæpius

sæpius præstantur, quàm promittuntur, & ubi quod ministris debetur, justo tempore, etiam durantibus his belli difficultatibus, exsolvitur. De ædibus liberis & ad studia tua commodis, nihil est, quòd dubites. Ipsas enim inhabitabis, quas olim Willius piè defunctus, non ita pridem reparatas, locoque [illegible] sit. De sumptibus etiam ad iter necessariis, & ne quid ob mobilia [illegible] relinquenda detrimenti patiaris, curabitur. Civilia verò onera, quin alio[illegible] similium, antiquorum juxta & modernorum, exemplo subiturus sis, vel [illegible] Salvatoris exemplum omnium maximum, pro se & Petro Staterem solventis, Tibi persuadebit: Subscriptio tandem librorum, quos vocamus, Nor[illegible], omnium primum & præcipuum postremo loco ponitur, citra [illegible] ratione omitti potest, quod ne γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας videar, pluribus apud Te demonstrare supersedeo. Hos, quin bonâ fide & salvâ consc[illegible] subscribere queas, illa omnia, quæ hactenus publicè scripsisti, ut alios nullo modo, ita [illegible] minùs Te ipsum dubitare sinent. Quanquam ne quid dissimulem [illegible] est, qui sub hoc pallio tuo alios malè feriatos latitare, & sic per [illegible] adventum tuum, quum apertè non possunt, impedire velle autumet. Atque [illegible] rè & candidè, mi Dilherre dilectissime, pro meo in Te amore hau[illegible] ad tuas, ne nescires, volui. Vale, &, quod facis, amare nos persevera. D[illegible] Noribergæ ad d. VIII, Maji A. C. 1641.

Dilherrus Richtero.

S. & O. Quæ scripsi litteris superioribus, Magnifice & Nobilissime Domine Procancellarie, Patrone magne, ea fuisse animo accepta comm[illegible], vehementer doleo. Conditiones istæ fuerunt hujusmodi visæ, ut quidam [illegible] difficulter obtineri posse, existimarent. Concionem die Mercurii habe[illegible] non necessariò adhærere, sed, pro placito Superiorum cum isthac conjungi; subscriptionemq; quibusdam antehac ademtam; audiveram. Ab oneribus denique civilibus cùm (consuetudine ubivis aliàs receptâ) immunes sint hic omnes, qui bona non possident civilia; eâdem immunitate gaudere me posse sperabam. Cùm ratio tamen apud Vos longè sit alia: nolim ullam novitatis periculosæ inducendæ occasionem præbere. Crede mihi, Domine honora[illegible]ime, [illegible] animo optimo & aperti candoris amantissimo, profecta sunt omnia: qui [illegible] & vafra machinamenta penitùs ignorat. Inclyti Senatus Vestri litteras [illegible] cum meis, ante dies plusculos, ad Aulas deferendas curavi, & interea te[illegible] à Consiliariis responsum crebrò & seriò petii, nondum verò obtinui. Nil me jam remoratur, nisi Illustrissimorum Principum meorum consensus: sine quo, ut initio M. N. V. monuit, abista, quam nunc habeo, Professione A[illegible]

dilo[illegible]

discedere nequeo. Impetraturum confido, & mihi firmiter persuadeo. Postea Vobis me totum habebitis. Hanc interea moram, quam præcidere non possum, animo benivolo ut feratis, etiam atque etiam rogo atque oro. Vale, Magnifice Dn. Procancellarie, atque inter tuos mihi locum æternum concede, Dab. Jenæ X. Calend. Jun. 1641.

Richterus Dilherro.

SAlutem officiosissimam. Mi Clarissime Dn. Dilherre, Amice honoratissime, dilectissimeq;. Dubitationem istam ac incertitudinem, quam priores tuæ literæ de animo tuo ad nos veniendi præ se ferre videbantur, posterioribus tuis dextrè sustulisti: De quo nobis gaudemus Tibique gratulamur. Et quandoquidem nunc consensus duntaxat Illustrissimorum Principum adventum tuum remoratur, propediem & hunc sequuturum confidimus, & sic nostrum Te fore, cum DEO, nobis pollicemur. Faxit Numinis benignitas, ut omnia ex animi sententia succedant, Tibique eveniant quàm fortunatissima! In mora modici temporis magnum damnum non esse, ait Ulpinianus. Quamprimum igitur consensum istum, quem necessarium esse scimus, significaveris, quod ut citò fiat, exoptamus, de iis, quæ in literis ad Amplissim. Senatum desiderâsti, citra moram certior, votique compos ut reddaris, curabitur. Quod interim ne nescires, ad Te sum scribere jussus. Vale, Vir Excellentissime, mox Antistes, à nobis salutande, & de animo hoc amorisq; in Te nostri constantia, quæso, dubitare noli. Etenim amator non est, perpetim qui non amat. Vale iterum, &, ut mox consensum istum intelligamus, pro amore tuo mutuo, diligenter cura. Dabam Noribergæ ad d. IV. Kalend. Junii A. C. 1641.

Idem Eidem.

SAlutem & Offic. Cl. Dilherre, Amice honorande. Diuturnum meum silentium ad literas tuas ante quadrimestre, & quod excurrit, mihi redditas noli interpretari sequiùs. Præter impedimenta enim mea solennia, occupationes, inquam, Reipubl. quotidianas, quæ, finitis etiam Comitiis, finem non habent, accessit invaletudo, proh dolor! familiaris, arthritis molestissima, quæ per aliquot septimanas ad omnia officia me pigrum, tardum, & ineptum reddidit, ita ut etiamnum, propter reliquias contumaciores, mihi nondum planè sim restitutus. Sed quod DEO placet, nobis quoque ne displiceat, par est. Neque verò etiam hoc tempore aliud, quod ad tuas respondeam, habeo, quàm quòd caussas excusationis tuæ, cur, quod avidè sperabamus, & Tu cupidè volebas, tam honorificè vocatus, ad nos non veneris, sufficientes agnoscimus. Si enim preces Principum insuper

insuper habere non licet, quid facias contra jussiones? Legi, quas ad Senatum, ad Duumviros & ad Grundherrum, Senatus Principes, hac de re dedisti: Qui omnes, quod spes nostra de adventu tuo decollavit, ægrè mecum ferunt. Ferunt tamen, quod mutare non possunt. Interim absentes licèt amorem inter nos servemus mutuo, eumq; colloquiis litterariis stabilire ne cessemus. Fabricius noster nunc concionando se exercet, indoctis pariter doctisq; acceptus, quem & ad cathedram & ad suggestum fore idoneum, dextrè judicâsti. Neque commendationes tuæ frustrà erunt. In me certè si quid erit, quod optimo Juveni promovendo conducere poterit, lubens meritoq; impendam. In locum Tibi destinatum suffectus nuper est M. Johannes Leonhardus Frisch, antea ad D. Jacobi Pastor: Cui nunc alius est surrogandus, adhuc Soli Deo notus. Faciat Dominus JESUS, Ecclesiæ caput unicum, ut omnia eveniant feliciter, cujus tutelæ Te commendo. Vale, &, quod facis, nos ama. Scribo Noribergâ ad d. XVIII. Decembr. A. C. 1641.

Wilh. Ludwell Georg. Richtero.

MAgnifice & Amplissime Vir, Domine Affinis & Compater plurimùm honorande. Is, qui hasce Tibi tradet, Candidatus Juris est, Georgius Ludovicus Frölich / Domini Philippi Andreæ Frölichs / JCti celeberrimi & Reip. Ulmensis Consiliarii gravissimi, filius, qui, postquam per integrum quinquennium tam apud nos quàm in inclyta Marpurgensium Universitate humanioribus studiis & in primis Jurisprudentiæ non contemnendam impendit operam, ante Menses duos quasi postliminio ad nos reversus, nomen suum heri apud me professus est, & commendatitias ad Te petiit. Cujus honestissimæ petitioni uti vel officii ratione deferre omnino debui, ita Tibi eundem de meliori, quod ajunt, nota lmq; commendo, obnixè rogans, ut ipsum favore solito complecti, laudabiles ejus conatus authoritate tuâ juvare, & mihi Collegisq; meis facultatem, ea, quæ leges nostræ hac in re exigunt, peragendi, concedere non dedigneris. Quo beneficio non tantùm Candidatum, qui gratâ id agnoscet mente, sed etiam Ordinem nostrum, jam antea obstrictissimum, arctiùs Tibi devincies. Vale, Vir Magnifice, & me, quod facis, ama. Dab. Altorf. XI. Calend. Decembr. Anno cIↄ Iↄc L. Ipso natali meo sexagesimo primo.

Richterus Ludwell.

EXcellentissime, Consultissime & Spectatissime Domine Decane, Affinis & Compater plurimùm honorande. Ut de Candidato isto, Georgio Ludovico

dovico Frölich / Amici nostri veteris honoratissimiq; filio non degenere, nullus dubito, quin per quinquennnium istud, quod in nostra, & Marpurgensium Academia Jurisprudentiæ studio impendit, tales profectus fecerit, quales in Candidatis, qui se publicè probari contendunt, requiruntur: Ita certè gaudeo, Amplissimo ipsius Parenti felicitatem istam contingere, ut in filio eosdem honores videat, quos ille tot jam annos maxima cum laude gessit. Lubens itaq; meritoq; petitioni Vestræ annuo, & ut Candidatus iste præstantissimus ad examina privata publicaq; juxta præscriptum Legum nostrarum, admittatur, officii ratione concedo. Quod quàm felicissimè evenire animitus opto, Tibiq; natalem tuum sexagesimum primum, cum multis sequentibus, quàm fortunatissimum comprecor. Vale, dictabam è lecto podagrico die 23. Novembr. A. S. cIↃ IↃc L. Norimbergæ.

Ludwell Richtero.

QUamvis hi duo Candidati, Henricus Westorp & Theophilus Schreiber/ Mindani, qui nudiustertius nomina sua apud me professi sunt, commendatione indigere magnopere non videantur: Attamen petentibus ad Te commendatitias negare vel officii ratione non debui. Nam ut morum elegantiam & natalium honestatem taceam, vixerunt in diversis Germaniæ Universitatibus, Rintelensi, Helmstadiensi & Altorfina nostra ultra quinquennium, & ita vixerunt, ut tempus non compotationibus, debacchationibus aut digladiationibus, more, an errore hujus seculi maximè pudendo, consumserint, sed lectiones quà publicè quà privatim frequentando, ut & opponendo ac respondendo veræ, non simulatæ Philosophiæ, id est, Divinæ Jurisprudentiæ nostræ haud vulgarem impenderint operam, eaq; ediderint specimina, ut summos in Utroq; Jure honores non immeritò ambire videantur. Quare majorem in modum Te rogatum volo, ut Candidatos hosce & ipse pro solita benevolentia voti damnare, mihiq; & Collegis meis facultatem, ea, quæ Leges nostræ requirunt, exequendi, concedere haud gravatim velis. Quod non tantùm Candidati gratâ mente agnoscent, sed & ordo noster non exigui beneficii loco habebit. Vale, Vir Magnifice, & Reip. atque Universitatis bono perenna. Dab. Altorf. postridie Calend. Decembr. Anno cIↃ IↃc L.

Richterus Ludwell.

DIgnos esse Candidatos istos duos, Henricum Westorp & Theophilum Schreiber/ Mindanos, commendatione tuâ amplissimâ, quâ virtutem & eruditionem eorum in nostra aliisq; Germaniæ Academiis publicè probatam

contestaris, ipsi quoque alloquii sui elegantiâ & dexteritate corâm demonstrârunt. Atque ita simul fidem fecerunt, ut nullus dubitare queam, quin obtinere mereantur, quod honestè petunt, & legitimè ambiunt. Cùm igitur mearum partium sit, conatus ejusmodi laude dignos pro virili adjuvare, & spem gloriæ quam Candidati tales ex studiorum laboribus sibi pollicentur, fovendo promovere, licentiam consuetam, ut se Facultati Vestræ ad examina consueta, quà publicè quà privatim sistant, officii ratione lubens concedo, simulq; votum meum solenne addo, ut hæc omnia, DEI Opt. Max. benignitate, quàm felicissimè perficiantur! Vale, &, quod facis, nos ama. Dictabam è lecto podagrico, quo me hactenus extricare nondum potui. Norimbergæ 3. Decemb. A. S. cIↃ IↃc L.

Ludwell Richtero.

GRatulor Universitati nostræ, quod dum alibi Studiosi tumultuantur, ædes oppugnant, cædes committunt, nostri studiis invigilare, & quà publicè quà privatim egregia edere specimina malunt. Cujus rei evidens exemplum habemus, non tantùm in promotione Baccalaureorum propediem celebranda, sed etiam in Facultate nostra, dum quartus Candidatus, Martinus Heider, Freystadio Silesius, heri nomen suum apud me professus est. Postquam enim is per integrum octennium in diversis Germaniæ Universitatibus, Francofurtensi, Regiomontana, Jenensi, Lipsiensi & Altorfina nostra sedulam humanioribus literis, & in primis Jurisprudentiæ navâsset operam, tandem jussu Parentum atq; propinquorum consilio summos in Utroq; Jure honores modestè ambivit, & ad consueta examina se admitti petiit. Cujus honestissimæ petitioni uti ego, quantum in me fuit, lmq; detuli; ita nullus dubito, quin Tu quoq; conatus ejus authoritate tuâ probaturus, nobisq; licentiam, desiderio ipsius secundùm Leges nostras satisfaciendi, promtè concessurus sis. Idq; ut facias, nomine Facultatis nostræ eâ, quà par est, observantiâ etiam atq; etiam rogo; simulq; gratum animum & ad quævis officiorum genera paratissimum bonâ fide promitto. Vale, Vir Amplissime, & Universitatem nostram, hoc in primis tempore, quo invidia non mediocri absq; culpa sua premitur, Tibi habe quàm commendatissimam. Dab. Altorf. III. Non. Decembr. Anni cIↃ IↃc L.

Richterus Ludwell.

UT specimina ista publica Studiosorum diversorum, laude digna, eosq; inter Candidatorum præsertim doctissimorum, Academiam nostram non possunt non exornare plurimum, ejusq; famam, à variis invidiæ ventis, quibus hoc

hoc tempore malè feriatorum nonnullorum, ignorantia dicam, an malitia? circumflatur, egregiè vindicare: Ita ſperandum nobis eſt animo excelſo, fruſtrà tandem fore conatus iſtos malevolorum, & vel invidiam ipſam tandem ingenuè manus daturam, atq; officinam noſtram literarum celeberrimam, quam è medio tollere non poteſt, amore & honore denuo proſecuturam eſſe liberalius: Quâ fini, quicquid eſt mearum virium, DEI O. M. ope adjutus, nunquam non impendam. Faxit Numinis clementia, ut id tam feliciter quàm promptè nunc Candidatum hunc quartum, Martinum Heiderum, ad Te remitto; de quo quin dignus ſit, qui, voti compos, ad examina conſueta pro ſummis in Jure noſtro honoribus legitimè conſequendis admittatur, & literæ tuæ commendatitiæ, & alloquium ipſius eruditum, ambigere me non ſinunt. Licentiam igitur iſtam ſe ſiſtendi, officii ratione lubens meritoq; concedo, ad alia quoq; officia Vobis paratiſſimus, cum voto ſucceſſus fortunatiſſimi exoptatiſſimiq;. Vale. Dab. per DEI gratiam, poſt morbum VI. hebdomadum, meliuſcule habens. Noribergæ ad d. XIV. Decemb. A. S. cIɔ Iɔc L.

Ludwell Lichtero.

NOn fefellit ſpem noſtram Georgius Ludovicus Frölich / J. U. Candidatus præſtantiſſimus, ſed ita tam in tentamine quàm examine (quod vocant) rigoroſo nobis eruditionem ſuam & ſcientiam Utriusq; Juris probavit, ut merito ſuo etiam ad tertium, Diſputationem videlicet publicam ſine Præſide habendam, admiſſus fuerit. Is itaq; Diſputationem ſuam de Transactionibus hiſce diebus mihi obtulit, quam juxta præſcriptum Legum noſtrarum perlegi, & perlectam cenſuræ tuæ graviſſimæ Imq; ſubmitto, obnixè etiam atq; etiam rogans, ut quemadmodum in concedenda licentia ſingularem favorem erga Candidatum ſatis declarâſti, ita hac quoq; in re conatus ejusdem juvare & promovere velis. Quod grato animo tam Candidatus, quàm nos agnoſcemus. Vale, Vir Magnifice, & me Tui ſtudioſiſſimum ama. Dab. Altorf. XVIII. Calend. Januar. Anni cIɔ Iɔc LI. quem Tibi Tuisq; feliciſſimum ex animo precor.

Richterus Ludwell.

QUòd Dn. Frölich profectus ſuos in Studio Juris cum laude Vobis probavit, ipſi gratulor. Diſputationem ejus Inauguralem de Transactionibus, quam heri ante cænam cepi & ſuffragio Veſtro dignam deprehendi, imprimendam publiceq; habendam remitto. Si de tempore promotionis, aut Candidati propoſito, certi quid habes, ut maturè mihi ſignifices, rogo, quò de Oratiun-

cula aliqua commoda quia per occupationes publicas non ſemper licet, cogitare, & ſi DEO O. M. viſum fuerit, actui publico, vel in honorem Dn. Parentis, mihi amiciſſimi, ipſe, cum Dnn. Scholarchis, intereſſe queam. Vale. Dab. Noribergæ XVIII. Decembr. A. S. cIↃ IↃc L.

Ludwell Richtero.

QUòd in nuperis tuis juſſeras, ut, ſi de tempore promotionis, aut Candidati propoſito, certi quid haberem, maturè ſignificarem, id hiſce quàm breviſſimè expediam. Accepit à Dn. Parente ſuo hiſce diebus Candidatus literas, quibus ipſum hortatur, ut promotionem ſuam, ſi fieri poſſet, ſub exitum Januarii imminentis, certas easq; graviſſimas ob cauſas, inſtituat. Quod propoſitum ante triduum cum Nobiliſſ. Dnn. Scholarchis, Dn. Im Hofio & Dn. Kreſſio, præſens in curia communicavi; quorum uterq; annuere huic propoſito noſtro videbatur: Erat mihi tam animus & Te quoq; accedere & conſenſum tuum coràm explorare, ſed negotiis nonnullis & in primis præſentiâ Dn. Baumgartneri impeditus id intermittere coactus fui. Quapropter præmiſsâ excuſatione ſolenni, Te etiam atq; etiam rogo, ut ſi commodo tuo fieri poſſit, & ipſe tempus iſtud approbes, & communicatis cum Nobiliſſ. Dnn. Scholarchis &c. conſiliis, de die quoque (27. vel 28. Menſis Januarii) certum quid ſtatuas, mihiq; quamprimum vel tribus verbis indicare ne graveris, quo & ipſe de iis, quæ ad hanc rem pertinere videbuntur, maturè cogitare poſſim. Optarem cum Nobiliſſ. Dnn. noſtris, & Te quoq; ſolennitati huic intereſſe poſſe. Quod ut fiat, Divinum Numen ſupplex veneror, ejusq; protectioni Te cum tuis charitatibus, me verò favori tuo commendo. Dab. Altorf. VII. Calend. Januar. Anni cIↃ IↃc L.

Richterus Ludwell.

PErgratum fuit, quòd de propoſito Dn. Frölichii, Candidati præſtantiſſimi, qui ad finem Januarii actum promotionis ſuæ inſtituere cogitat, certiorem me feciſti. Quod tempus ubi Nobiliſſimis Dominis Scholarchis, ut audivi, commodum fuerit,, mihi quoq;, ſi DEUS vitam & valetudinem conceſſerit, placebit. Quanquam de adventu meo, ob vitreæ valetudinis fragilitatem, nihil habeo certi, quod afferam: In votis tamen hoc habeo unicè, ut officio meo fungi ipſe queam. Neque quicquam intermittam, quod ad id obtinendum pertinet. Faxit Numinis clementia feliciter; cujus protectioni Te animitus commendo. Vale. Dab. Noribergæ ad d. XXVIII. Decembr. A. S. cIↃ IↃc L,

Lud-

Ludwell Richtero.

Quamvis non dubitem, quin, vel me tacente, Candidatum hunc Hieronymum à Cöllen / Norimbergensem, habeas Tibi quàm commendatissimum, attamen quia Leges nostræ id exigunt, & ipse commendatitias ad Te à Facultate nostra petiit, vel officii ratione id negare neq; potui, neq; debui. Quippe cognita mihi est ipsius modestia & in studiis, in primis Juridico, adhibita diligentia, dum in diversis Germaniæ tam inferioris quàm superioris Universitatibus, veluti apud nos Altorfii per integrum quinquennium, Gröningæ, Lugduni & Lovanii per triennium vixit, & ita vixit, ut certa me spes teneat, ipsum summos in Utroq; Jure honores omnino merito suo ambire. Quare majorem in modum Te rogo, ut, pro solito favore erga nos & Candidatos nostros, mihi Collegisq; meis facultatem Candidati hujus profectus explorandi, & alia, quæ Leges nostræ requirunt, exequendi, haud gravatim concedere velis. Quo beneficio tam Candidatum quàm Ordinem nostrum, jam antea multis nominibus obstrictissimos, arctiùs Tibi devincies. Vale, Vir Amplissime, & me, quod facis, ama. Dab. Altorf. pridie Calend. Februar. Anno cIↃ IↃc LI.

Richterus Ludwell.

Quem, à reditu suo in patriam, à multis commendari audivi, ejus virtutem & eruditionem tuo quoq; præconio condecorari dignumq; censeri, qui ad probationes Academicas, pro consequendis honoribus summis, admittatur, ex literis tuis intellexi. Fidem quoq; fecit Candidatus ipse, Hieronymus, inquam, à Cöllen / alloquio suo erudito, ex quo ut ambitum ejus legitimum, ita & merita digna ad id, quod cupit, deprehendi. Lubens itaque meritò, officii ratione, facultatem, quam petit, sistendi se examinibus consuetis concedo, successus felicitatem, quam spero, animitus etiam comprecans. Vale. Dab. publicè & privatim occupatissimus, Noribergæ ad d. V. Februarii A. S. cIↃ IↃc LI.

Ludwell Richtero.

Non fefellêrunt spem nostram Candidati præstantissimi, Dn. Henricus Westorp & Theophilus Schreiber / sed tam in examine rigoroso quàm tentamine ita nobis eruditionem suam & Juris Utriusq; scientiam probârunt, ut ad examen quoq; publicum, sive Disputationes sine Præside habendas, meritò admissi fuerint. Disputationes igitur suas (ille de Mero Imperio, hic de Homicidiis eorumq; Pœnis) hisce diebus mihi obtulerunt, quas ego perlegi, nec quicquam

quam vel bonis moribus vel principiis Juris contrarium in iis deprehendi, ideoq; eò lubentiùs censuræ tuæ gravissimæ, ex præscripto Legum nostrarum, submitto, obnixè etiam atq; etiam rogans, ut quantum per valetudinem & occupationes publicas (quibus districtissimum Te esse non ignoro) licet, & ipse eas perlegere atq; authoritate tuâ approbare non dedigneris. Præterea Candidati jussu Parentum suorum supremos in Utroq; Jure honores assumere in animo habent, ideoq; à Facultate nostra petiêrunt, ut dies promotioni quamprimùm, &, si fieri posset, adhuc ante Festum Paschatos præfigeretur, ut ex Dn Schreibero, qui hasce Tibi reddet, ipse pluribus cognosces. Verùm cum hæc res à consensu tuo & Nobiliss. Dnn. Scholarcharum ratihabitione potissimùm dependeat, ad Te Candidatum remittere simulq; rogare volui, ut consilio & auxilio ipsi adesse, &, quantum in Te est, voti compotem reddere haud graveris. Id quod Candidati gratâ mente agnoscent, & ego quoq; pro viribus demereri studebo. Vale & me Tui studiosissimum ama. Dab. Altorf. IV. Idus Febr. A. cIↄ Iↄc LI.

Richterus Ludwell.

REmitto Disputationes duas Inaugurales, Westorpii & Schreiberi, Candidatorum Doctissimorum, de mero Imperio & Homicidio, in quibus nihil est, quod publicam editionem impediat. Neq; dubito, quin quæstiones nonnullas difficiliores illi probè defensuri sint, licèt nonnunquam contradicentes habeant JCtos magni nominis. De tempore promotionis cum Domino Schreibero plura contuli, quæ ex ipso intelliges. In me, volente DEO, nulla erit mora. Sed num ante Paschatis Festum fieri possit, ex caussis, quas Candidato probavi, dubito. Immò scire me hoc certò, quod omnino fieri non possit, non frustrà existimo. Itaq; suadeo, ut octiduo post Pascha publica solennia, ubi DEO O. M. ita visum fuerit, instituant; quod tempus & Nobilissimis Dominis Scholarchis, & mihi, spero, commodum accidet: Quod ut feliciter fiat, numinis clementiam etiam atq; etiam oro atque veneror. Quid tandem statueritis, tempestivè ut mihi significetis, rogo. Vale. Dab. Noribergæ XII. Febr. A. S. cIↄ Iↄc LI.

Ludwell Richtero.

LItteras tuas unà cum Disputationibus Inauguralibus rectè accepi, easq; ut maturè typis exscribi possent, Candidatis statim reddidi. Tempus promotionis quod attinet, retulit quidem Dn. Schreiberus consilium tuum fideliter, sed simul addidit, consilio tuo etiam cum Nobilissimo Domino Proto-Scholarcha locutum fuisse, eiq; tandem diem undecimum vel decimum tertium Mens. Mart.

(quem

(quem Candidati mallent, si commodo Vestro fieri posset) non omnino displicuisse. Quapropter Te Candidatorum nomine majorem in modum rogatum volo, ut, communicatis cum Nobilissimo Dominorum Scholarcharum Collegio consiliis, certi quid hac de re statuatis, mihiq; vel per puerum hunc vel per ordinarium tabellarium nostrum id significare haud gravatim velis. Vale, Vir Amplissime, & me amare persevera. Dab. Altorf. Idib. Febr. Anno cIↃ IↃc LI.

Richterus Ludwell.

QUod per famulum, qui tuas hodie mihi reddidit & nunc Altorfium rediit, fieri non licuit, nunc per tabellarium, ut petiisti, significo. Nimirum, à Nobilissimis Dominis Scholarchis hac ipsâ vesperâ per Amanuensem intellexi, placere illis diem XI. Martii, quo, volente DEO, actus promotionis, ad quam Candidati Præstantissimi, Westorpius & Schreiberus, anhelant, institui debeat. Quod nec mihi displicet, quamvis octiduum post Pascha commodiùs putârim. Sed quia Dominis nostris ita videtur, qui laudatissimis Candidatis meritò gratificandum censent, & ego in voluntate eorum acquiescens, cum DEO operam dabo, ne quid moræ per me injiciatur. Quanquam verò invaletudinis, vel reliquiarum ejus continuatio diuturnior, nec ante nec post Pascha certi quid sperare, multò minùs promittere me sinit: Attamen DEUM Opt. Max. veneror & oro, ut voluntati satisfaciendi officio meo facultatem quoq; addere non dedignetur; &, ut omnia quàm felicissimè perficiantur, pro benignitate suâ nobis concedat. Vale. Dab. Noribergæ XI. Februarii, A. S. cIc Iↄc LI.

Ludwell Richtero.

PRæstantissimus Juris Candidatus, Dn. Hieronymus à Cöllen/ tam in examine quàm tentamine ita nobis probavit suam in Utroq; Jure scientiam, ut ad Disputationem quoq; publicam sine Præside habendam meritò admissus fuerit. Is itaque Disputationem de Redditione Rationum eruditè conscriptam hisce diebus mihi obtulit, quam ex Legum nostrarum præscripto perlegi, & perlectam censuræ tuæ gravissimæ lmq; submitto, obnixè etiam atq; etiam rogans, ut & ipse, quantum occupationes tuæ (quas prolixiori hac Disputatione invitus interrumpo) permittunt, eam perlegere, & authoritate tuâ approbare, eamq; vel mihi remittere vel Candidato, qui hasce procul dubio ipse redditurus est, restituere non dedigneris. Id quod summi beneficii loco habebit Candidatus, & datâ occasione grata mente agnoscet. Vale, Vir Magnifice, & me Tui studiosissimum ama. Dab. XII. Cal. Mart. Anno cIↃ IↃc LI.

Rich-

Richterus Ludwell.

DIsputationem iſtam Inauguralem, de Redditione Rationum, ſingulari diligentiâ conſcriptam, publicè imprimendam habendamq; remitto. Neq; dubito, quin Auctor eruditisſimus illud ipſum eâdem dexteritate defenſurus ſit, quâ laude & induſtriâ materiam juris utilem atq; neceſſariam hinc inde conquiſivit. Fiat feliciter. Vale. Dabam Noribergæ, XXVIII. Mart. A. S. cIↄ Iↄc LI.

Ludwell Richtero.

ITerum Tibi in eadem cauſa moleſtum me eſſe officii cogit ratio. Obtulit enim mihi hiſce diebus Martinus Heider, Candidatus Juris eruditisſimus, Diſputationem ſuam Inauguralem de Pudicitia ejusq; Juribus &c. Eam igitur ſtatim perlegi, & diligentisſimè quidem conſcriptam, ſed non pauca ſatis difficilia, nonnulla etiam admodum controverſa, continere deprehendi. Quæ omnia ut & ipſam Diſputationem ex præſcripto Legum noſtrarum cenſuræ tuæ gravisſimæ meritò ſubmitto, obnixè etiam atque etiam rogans, ut & ipſe, quantum per valetudinem & occupationes licet, eam perlegere & quamprimum remittere non dedigneris. Id quod non tantùm Candidatus, qui reditum ad ſuos parat, ſummi beneficii loco habebit, ſed & ego omnibus modis demereri ſtudebo. Vale, & me amare perſevera. Dab. Altorf. V. Calend. April. Ann. cIↄ Iↄc LI.

Richterus Ludwell.

ITa eſt, ut ſcribis. Non pauca ſatis difficilia, nonnulla etiam admodum controverſa, in Diſputatione iſta Inaugurali de Pudicitia ejusq; Juribus continentur. Quia verò Candidati eruditionem laude dignam arguunt, ingenio ipſius defendenda ea relinquimus, quæ contra bonos mores & principia Juris pasſim recepta non impingunt, neque veritati manifeſtæ repugnant. Hæc, ut decet, conſiderans, illa verba, quæ CHRISTI ſunt, non Pauli: *Qui aſpexerit mulierem &c.* in theſ. XXXIV. correxi. Sic ferendum non eſt, quod in fin. theſ. XLI. ex Sanchez. aſſerit, matrimonium in ſolo primo gradu aſcendentium & deſcendentium irritum eſſe, in cæteris non item; quod juris naturæ ductu nec Ethunici ſaniores permittunt. Itaque expungendum. Eodem modo & A. in theſ. XLIII. ubi de Abrahamo per FORTE ſtatuit, quod citra dubium verisſimè dicendum in principio theſ. LIX errore pennæ ſcripſit, de pluribus fœminis uni viro jungendis, quod de pluribus viris uni fœminæ jungendis, ſcribere voluit & debuit. Hæc ſi emendantur, reliqua, ut dixi, ipſius defenſioni publicæ relinquenda,

quenda, ubi ingenium, quod ostendit, exhibebit. Vale. Dab. Noribergæ postridie Calend. April. A. C. cIↄ Iↄc LI.

Georg. Richterus Nic. Rittershusio.

S. P. Clariss. & Consultissime Dn. D. Rittershusi, Amice plurimùm honorande &c. Paucas istas pagellas (pluribus enim Te simul obruere incivile, ne quid amplius, foret) curarum mearum indices, quibus animum hunc, temporis injuriâ officiiq; difficultatibus sæpè non leviter perculsum, sublevare soleo, ut haut gravatim perlegas, & judicium tuum, quod ob insignem pietatem & eruditionem excellentem tanti facio, quanti Parentis tui præclarissimi p. m. fecerunt boni & cordati quique, uno alterove disticho adscribas, etiam atque etiam rogo. Bene vale, & hanc impudentiam amori in Te singulari tribue, qui Virtutum tuarum sum amantissimus atq; observantissimus. E Museo Cal. Junii 1635.

Rittershusius Richtero.

VIr Magnifice & Amplissime, reverende Fautor. Ex transmissis pagellis, quas magnâ animi voluptate legi, perspexi, quibus studiis perculsum gravissimi officii difficultatibus animum sublevare soleas, quo animi mentem referas, quæque leniendo dolori, quem ob tristem & miserabilem Ecclesiæ patriæq; faciem juxta Tecum omnes boni capiunt, remedia adhibeas. Nihil potest à Te fieri meliùs, efficacius, fructuosius ad excitandam, alendam, augendamque pietatem hoc tempore tantùm non intermortuam. Quàm esset optandum, ut hodie, qui vel esse vel audire saltem, non dico magni pietatis magistri, sed Christiani volunt, eodem Spiritu ducerentur, neve pietatem verba, ut lucum ligna putarent. Similem & maximè geminum laborem olim suscepit Cl. Vir Rutgerus Rulandus JC. Amicus meus magnus p. m. ediditque libellum, quem Planetas Christianos inscripsit ob formidolosum illum titulum à Casp. Finckio Theologo reprehensus. Verùm tua hæc industria tantum illius laborem superat, quantum Sanctissimi veteris Ecclesiæ Doctores & pii Patres, quorum precationes & vota Tu collegisti, Juris-Consultos & Politicos nostri ævi, aliàs magnos Viros, Carol. Paschalium, Mynsingerum, Beustium, Heigium, è quibus ille suum opus construxit. Itaque Magnif. & Ampliss. Vir Te oro, ut librum sanctissimum & verè gemmeum ad publicam utilitatem in lucem edas. Testimonium pectoris tui Christianâ pietate incensi ad posteros præbebit sempiternum. Quòd inter tantos Viros Parentis etiam mei p. m. honorificam facis mentio-

 nem,

nem, ita mihi profectò cor feriisti, ut lectioni illius loci illacrymarer. Rem gratissimam fecisti non mihi solùm, qui illi similem me esse opto (ea fuit illius pietas, virtus, eruditio) sed & ipsis manibus Doctoris quondam tui. Τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων, ut inquit Poëta. Non omissurus eram uno atq; altero disticho cultum meum testari, si vel mediocris Poëta essem. Naturâ ad hæc studia factus non sum: Naturæ autem defectum industriæ supplere jam nunc, & etiam pauculos ac malè tornatos versus extundere si velim, nequeam, quin & Tibi, Amplissime Vir, & mihi maximè dedecorum videtur, ut meam in hoc genere imperitiam apricer. Liberior tamen à gravissimis & molestissimis curis, videbo, num expectationi de me tuæ voluntatiq; satisfacere queam. Bene Vale, Magnifice & Amplissime Vir, reverende Fautor, meq;, ubi mereri videbor, amare perge. Scrib. 4. Junii 1635.

Richterus Rittershusio.

SAl. & Officia. Mi Clariss. & Consultissime Dn. D. Rittershusi. Ex epistola illa eruditissimi Gronovii nostri, quam non ita pridem arthritidis doloribus lecto affixus, & ad omne scriptionis officium ineptus per Johannem Fabricium, Juvenem Ornatissimum, legendam Tibi misi, intellexisti, credo, quid Gronovius, quem laudavi, supra ætatem mirè doctus, abs Te desideret. Nimirum ut Casauboni, literatorum Principis, epistolas, quas olim ad Dn. Parentem tuum, Virum maximum, p. m. exaravit, ipsi communicare velis, quo editio dictarum epistolarum, quam Lugduni Batavorum adornare studet, plenior atque commendatior succedat. Ad quam petitionem, ut mihi videtur, non insuper habendam, quid Tibi videatur, ut paucis mihi significes, rogatum Te volo. Animus enim est, postquam morborum cruciatus (non enim unus tantùm me invaserat) per DEI gratiam nonnihil remiserunt; quanquam hodieque reliquias sentio pertinaciores & tantùm non recidivas quasi concatenatas; ad epistolam illam propediem respondere; ad quod animi tui explicatione opus mihi est, quam ut maturare haut graveris, iterum rogo. Vale, Amice honoratissime, &, quod facis, amare nos persevera, qui, dum vivam, ero Tui omni amore studiosissimus.

P. S. Filium unicum quem nuper coràm Tibi commendavi, brevi, volente DEO, ad Vos mittam, vel adducam ipse. Interim responsum tuum ad has expecto. Noribergæ 19. April. A. C. 1637.

Rich-

Rittershusius Richtero.

SAl. & observantiam. Nobilis, Amplissime & Consultissime Vir, reverende Fautor. Exhilarâsti mihi animum epistolâ tuâ, quæ ex morbo convaluisse Te declaravit. Sed hoc gaudium meum Clariss. Collega meus, D. Ludwell, temperavit, referens, Te nondum satis confirmatum à morbo, quod ut brevi fiat, unicè optamus, ardentissimis votis DEO salutem tuam commendantes. Ex literis Gronovii, quas nuper legendas misisti, libenter intellexi illum, memorem mei, veteris amiculi, vivere & valere. Ego certè sic erga hominem affectus sum, ut optârim plurimos soles cum illo condere, jucundissimaq; colloquia perpetuare, ita me cepit suis dotibus, quas ex supervacuo Tibi commemorem, quippe qui multò me penitiùs eas noveris. Et re literaria facit, quòd provinciam suscipit colligendi & edendi literas magni Herois, Casauboni. Possem augere editionem non exiguo numero epistolarum ad Patrem meum p. m. Remum, Caselium, Scip. Gentilem, lumina seculi hujus, sed illæ hærent apud fratrem Georgium in cella arcis Onoldinæ putrescentes, blattarum & tinearum epulæ, quibus eam eripiam, quamprimum ille Culmbacho Onoldum redierit. Sunt enim dignæ legi à quamplurimis & ad posteritatem propagari. Equidem, ut Tibi Nobilissime & Ampliss. Vir, animi mei sensum aperiam, ipse jamdudum consilium cepi colligendi magni Casauboni literas ad Germanos scriptas εἰς ἓν σῶμα ἤγεν σύνταγμα, quarum esse tantum numerum scio, ut justum corpus facilè queant efficere. Sed de hoc tuum esto judicium, & plura coràm, ubi ad nos veneris cum filio, cujus studia & mores curæ mihi summæ fore, scito certus, quemadmodum benevolentia erga me tua & sollicita commendatio postulat, illum amare cupio. Vale, mihique favorem tuum perenna. Altorfii 24. April. 1637.

Idem Eidem.

NObilis Amplissime & Consultissime Vir, Fautor suspiciende. Singularis tua in me benevolentia fiduciam meam firmat, ut non verear reprehensionem brevitatis, quam imbecillitas virium impetrat. Necessitatem scribendi fecit Candidatus noster Cl. Kobius oblatâ Disputatione suâ Inaugurali, quam ego, memor moris & officii mei, Amplitudini tuæ mitto. Gratam eam fore constantia amoris erga illum sperare jubet. Non est socordiæ, quod nihil de illo addo: Occupatissimi uterq; sumus, ille in amore, ego in curanda valetudine. Amor illum perendie ad Vos trahet, ut repetat Disputationem, ut exhibeat jucunditatem præsentiæ suæ. Bene & feliciter vale, Nob. & Ampliss. Vir, meq;, ubi mereri videbor, amare perge. Altorfi 5. Cal. Sept. Anno 1637.

Richterus Rittershusio.

ETsi literæ tuæ, ut Ciceronis Orationes & versus Aristophanis, quò longiores sunt, eò magis acceptæ esse solent: In tua tamen excusatione longè æquissimâ, quâ invaletudinis reliquiæ brevem Te esse jubent, vel Rhadamantho sim durior, si acquiescere nolim. Quin integram planè firmamque, ac diuturnam maximè sanitatem animitus Tibi comprecor, & ut valetudinem tuam omnibus bonis desideratam quàm diligentissime cures, hortor atque obsecro. Cl. Kobii, Candidati nostri rarioris, Disputationem Inauguralem de constituto possessorio, quod pragmatici nostri vocan', dum perlegi, in memoriam venit, quod nuper de Candidato isto dicebas: Nos nescivimus sub hoc Philosopho talem latere JCtum; quod dictum oraculo veriùs esse vel Disputatio ista demonstrat, in qua nihil est, quod monitore me opus habeat. Repetiit eam à me author, Amicus noster singularis, quem amor mox in aliam possessionem constituet, de qua tamen ille in Disputatione sua egregiè silet, credo, quia nec Tiraquello, nec Menochio, nec Zasio, nec Giphanio, nec aliis Legum interpretibus fidem habet ea in re, de qua solus ipse, remotis arbitris, omnium optimè judicare potest, nimirum ille amare & sapere novit, quod aliàs vix Diis concessum esse ajunt. Sed nos Sponso simul & Candidato faveamus porrò, & nos invicem mutuo amore vincere certamine pulcherrimo connitamur. Vale, mi Rittershusi charissime, & me, quod facis, amare persevera, qui Te amare non nisi cum vitâ desinam: Noribergæ postridie Kalend. Septembr. A. C. 1637.

Rittershusius Richtero.

NObilis & Amplissime Vir, suspiciende Fautor. Qui Amplitudini Tuæ has reddet, Johannes Nesmann, Vir eruditè doctus, nudius quartus quintusve ad me adiit, & desideria sua exposuit, nimirum se, fiduciâ studiorum suorum magnâ diligentiâ ipsis undecim annis cultorum, consilium cepisse, publicum illorum testimonium petendi & summum honoris gradum ambiendi. Id ut cum Cl. Dnn. Collegis meis, à quibus non solùm prima Legum cunabula, sed & solidiorem Jurisprudentiæ doctrinam acceperit & didicerit, communicarem, rogavit, simulque commendatitias ad A. T. requisivit. Non potuimus non probare hoc ejus consilium, cùm rem omnium pulcherrimam, nullo pretio nummario æstimandam, appetat. Proinde à me systaticas literas petenti, conservandæ consuetudini hucusque observatæ, libenter annui, non tam ut Candidatum hunc A. T. commendarem, quippe qui vivam animo commendationem sui secum circumfert, quàm ut A. T. etiam atque etiam valdè rogarem, cum ipsa de eo fe-

cerit

cerit judicium, dignumq; statuerit, qui ad Examina consueta admittatur, facultatem pro summa auctoritate, quâ valet & floret, nobis concedat, eundem examinandi, ut ubi sese sic eruditum ostenderit, quemadmodum spes nos pulcherrima fovet facturum, fructum rectissimorum studiorum & legitimi operis perfecti consequatur. Quòd si ab A. T. impetraverimus, si observantia, cultus & virtutum prædicatio aliquam referendæ gratiæ partem obtinet, sedulo in id incumbemus, ne ullum officium desideres, quod à gratissimis hominibus proficisci queat. Vale. Dab. Altorfii 7. Idus Novembr. Anno 1637.

Richterus Rittershusio.

SAl. officiosissimam, Excell. & Consultissime Vir, Decane spectatissime, Amice pl. honorande. Qui systaticas tuas mihi reddidit Johannes Nesmann, Jurium Candidatus doctissimus, dignus mihi videtur, cui, quod appetit, officii ratione concedatur: Ita enim industria, quam tot annis tum aliis artibus, tum legum scientiæ cumprimis impendit, ita commendatio tua officiosa, ita illa, quæ ipse mihi exposuit coràm, haut tralatitiè promittunt. Sistat igitur se Vobis examinandum, reliquaq; præstet, quæ Universitatis nostræ leges ab illis, quibus ad supremos in utroque jure honores adspirare animus est, ante publicum honestamentum requirunt. Atque sic conatus illius felicitet justitiæ arbiter supremus, qui

votis fautor adest semper DEUS æquus honestis;

cujus tutamini Te tuamq; valetudinem etiam atq; etiam commendo. Vale, & Salve cum Collegis tuis clarissimis, Amicis nostris honoratissimis. Noribergæ V. Idus Novembris. A. C. 1637.

Rittershusius Richtero.

SAl. & Obs. Nobilis & Ampliss. Vir, Fautor suspiciende; ut in arduis præfatione utimur, ita in pronis & facilibus prolixum esse, supervacaneum. Breviter igitur, quid Cll. Candidati nostri expectent & de Te petant, adverte. Gerlachius, cum applausu omnium Disputatione Inaugurali habitâ, jam totus est in promovendo negotio, & votis ad felices & optatos exitus ducendis. Idem facit, qui primo loco nominandus erat Cl. Cobius. Itaque diem solenni renunciationi nos constituimus 14. Decembris, nisi Nobiliss. Dnn. Curatoribus & Tibi, Vir Amplissime, secùs videtur. Illorum igitur assensionem consiliiq; nostri approbationem expetimus & expectamus, multum Tibi debituri, si votis Dnn. Candidatorum cura tua profuerit. Vale Altorfii II. Cal. Decemb. 1637.

Richterus Rittershusio.

Retuli Nobilissimis Dnn. Curatoribus, quid Candidati Vestri petentes e[xpectent]. Eorum desideria æquissima morari diutiùs, ob merita illoru[m] nefas fuerit. Placet igitur dies, quem constituistis, 14. inquam, Decembri[s], quem etiam Numini placere, in cujus manu nostra sunt, vovemus: Cum prim[is] verò, ut Tu Brabeutes actum hunc muneris tui primum firmâ & constanti val[e]tudine celebrare queas. Fiat, DEO nobis propitio, cui commendatus. V[ale]. Noribergæ VI. Calend. Decembr. A. C. 1637.

Rittershusius Richtero.

Allatus est tandem ad me dispersus rumor, quo insimulor in nupera Pan[e]gyri & promotione Doctorali, non togâ, sed plumis alienis amictus i[n]cessisse, Dissertatiunculam, quam habui, transscripsisse, labore alieno p[ar]tam gloriam in me transmovere voluisse, breviter, epistolam quandam Barth[o]l. Nihusii pro mea recitâsse. Desinit esse rumor, dum auctor habetur, qui ut [fi]dem invenirent dicta, epistolam, ut audio, protulit, & Proto-Scholarchæ obtu[lit], quâ corniculam omnibus deridendam propinaturum sibi persuasit tenebrio, qui sævum & ἰςιωτικὸν ingenium suum cohibere nesciens in me innocentem invehitur. Itaque facere non potui, quin ad Te totam negotii historiam perscriberem, ut scires, nullo meo merito me traductum & quàm nullius pudoris sit detractor iste. Ignosces autem, Vir Amplissime, si fortè alieniori tempore & gravioribus negotiis deditus, quibus Te Reip. patriæ difficultates perpetuò districtum tenent, hanc accipies. Res ita habet. Cùm Anno 1619. Flechtingæ apud Nobiles Schenckios hærerem parandis necessariis ad iter Gallicum cum illis suscipiendum, venit eò & apud veteres amicos ac discipulos suos divertit Clariss. Nihusius, atque dies complures, quos in Bibliotheca Schenckiorum bonis libris sic satis, instructa consumsimus, nobiscum mansit. Ibi renovatâ amicitiâ Helmæstadii contractâ inter alia epistolam illam suam ad Johann. Maximilianum zum Jungen/ Patr. Francofurtensem, mihi ostendit & legendam dedit. Ex peregrinatione Danica Helmæstadium reversus, cùm fortè apud Amicos illius epistolæ mentionem jecissem, reperio esse impressam, mihique statim exemplum datur. Illius memoriam refricavit mihi Consul Francofurtensis zum Jungen ante sesquiannum cùm literis suis amicitiam in dicta Universitate initam restauraret. Itaque inter chartas meas rejectaneas diu quæsitam inveni, & de ea sæpe mihi sermo inter prandium cœnamve cum Faustio, Kelnero, Stalburgero, cognatis illius, convictoribus meis. Ante aliquot menses, cùm gravis morbus lecto

me

me affixum teneret, ac omni lucubratione, adde & lectione interdiceret Medicus, ubi paullulum me collegi, ne planè brutescerem & sylvescerem, cepi in libris peregrinari, & nulli certæ lectioni inhæsi, præter Pomp. Melæ; quem totum perlegi. In illo cùm in περίπλουν Hannonis incidissem, simul in memoriam revocavi epistolam, cumque mense Novembri certus dies promotioni Doctorali præfiniretur, licèt vires attritæ & abjectæ essent, nec manus scribendo nec oculi legendo sufficerent, vim tamen mihi feci, epistolam denuò legi cum iis, quæ ipse collegi, contuli, & de iis, quæ Hanno in navigatione ista sua mira refert disserendi, consilium cepi. Illud omnibus probatum & laudatum iri, si mihi persuasissem stolidus fuissem: Damnari autem nunc à malevolis hominibus, qui ex alienæ famæ morsu famam captant, si æquo animo ferrem, betâ insipidior essem. Ego certè ut ex mustaceo isto lauream non affectavi; ita ferre non possum, hominem, quem variis & detestandis vitiis ad malum ingeniosa coinquinavit improbitas, fraudulenter in me insidias suas intentare, me ludibrio habere, aliisq; exponere, dum impudenter dæmoniacus furti me insimulat & oratiunculam transcripsisse dicit. Insignis calumnia, cui obviandum omnibus modis & ulcus hoc congruentibus remediis sanandum censeo. Quod igitur detractorem attinet, occultos meatus, quibus quasi cuniculis ad ruinam bonorum utitur, multi agnoscunt, simulque sciunt, illum detrahendi terminum non habere; quasi nesciat, hoc vitium Deum impugnare, cumq;, qui detrahit aliis, se ipsum prodere vacuum istâ virtute, quæ sola hominem Christianum abundè χαρακτηρίζει: Quasi ignoret, unde nomen hosti gentis humanæ. Equidem mirari satis nunquam potui, tam apud veteres Græcos & Latinos, quàm superioris seculi Viros magni nominis aliena scripta tota transcripsisse, sine ulla immutatione aut mentione auctorum, pro suis edidisse. Bodinus lectiones Turnebi in Oppianum pro suis vulgavit. Quid Scioppius Giphanio harpagârit, notum est doctis. Hoc non æquè omnibus. Davidem Origanum Mathematicum libros Georgii Rollenhagii de Prognostico Calendariorum & Nativitatum pro suis edidisse. Arnoldus Clapmarius hoc nomine accusatur ab Eberhardo à Weihe. Optimi Piccarti nostri p. m. scripta in furaces hujusmodi manus incidisse, nemini hîc ignoratur, ut nec illud, ejus lectiones in Tragæd. Senecæ hanc ipsam ob causam publicam lucem fugere. Verùm tantum abest, ut me tueri velim his exemplis, ut potiùs furta hæc litteraria execrer. Epistolam, fateor, me legisse, cùmq; viam quà devenirem ad mare, nescirem, amnem hunc ducem quæsivisse & habuisse jam ante annos XIX. Fontes nec mihi nec ulli alii obstruxit Nihusius, & cuilibet integrum puto aquam inde petere ad irrigandum agrum ingenii sui. Quid si non legissem illam, & tamen in historias & exempla à Nihusio allegata incidissem? Quasi difficile

difficile sit eventu, ut diversorum etiam longè dissitorum hominum animi nonnunquam in eadem incurrant? id quod accidisse multis scimus, qui adeò similia scripserunt, ut unus alterius scripta sublegisse & compilâsse videri queat, quod de duobus magni nominis Medicis, Francisco Vallesio & Thoma Roderico de Utiga dicitur. Nos quoque de eadem materia, dissimili licèt stylo, disseruimus, nimirum Juris civilis disciplinæ cognitionem perfectam sine Philosophiæ notitia haberi nullo modo posse, eadem Ciceronis verba citavimus, Q. Scævolam laudavimus. Quòd si non licet verba auctorum ab aliis allegata usurpare, sanè plurimos accusemus, oportet, claros Viros, quorum Orationes pleræq; conflatæ sunt ex historiis, quas alibi apud varios deprehendimus. At ingenui pectoris est, fateri per quos profeceris. Tu Nihusii ne semel quidem mentionem facis. Fateor, nec causa fuit, cur allegarem, cujus verbis non utor, sed semper auctorum, quos ille citat, & illa ipsa verba non ex Nihusio, sed ex ipsis auctoribus exscripsi, excepto Hieronymo & Transylvano anonymo: Illum ad manus non habui, hunc videre nunquam contigit. Reliquos auctores, ex quibus Dissertatiunculam concinnavi, plerosque laudavi, Lactantium, Jornandem, Diaconum, Lærtium, Junium &c. Quòd si nec ex his excerpere, quæ libuit, licuit, cui bono tandem bonos auctores nobis comparamus & legimus? cur varios flores carpimus, si serta ex iis texere non licet? Cur adolescentibus ea discenda proponuntur, quæ viri facti attingere non audent. Sine pennis volare nemo potest. Hoc mihi video agendum in posterum, si fortè occasio erit publicè dicendi, ad Dictatorem hunc cogitata & pro mediocritate ingenioli mei scripta deferenda, ut ex immenso illius sapientiæ scil. latifundio succum bibant, & robur accipiant. Ego verò censorem hunc ex fallaciis & versutiis consutum, imò lutum stercore maceratum, ferre nullus possum, quem video detrectationis vitio exardere, dum virus maledicæ suæ linguæ in me emovit. Et mirari satis nequeo, sæpe & multum ab ista vipera deceptos, aures etiamnum præbere, & peccati hujus participes sese facere. Ex patre meo b.m. de turbis excitatis à N.N. oppidi hujus, sæpius mira audivi: Nonnullos etiam Professorum, qui lumina & columina hujus Academiæ fuerunt, illorum injurias ferre non valentes, hinc abiisse, & trans flumen ripam habitabilem & commodam invenisse. Et hoc malum fatale huic oppido, inde à non nemine πυργόπολι dicto, credo. Noster enim hic quas non concivit turbas! Quis Professorum non sexcentas ab illo accepit injurias, & mussans patientiæ suæ vim non facit? Mirum si Comœdia aut Tragœdia ageretur, in qua non Momum aut histrionem feliciter, sic satis, repræsentaret, quovis histrione pejor. Nihil ego hîc fingo, vera scribo, nec longiori excessu verborum utar,

cum

cum festivè & pulchrè illum descripserit Scipio Gentilis b. r. Hominem instructum omni viatico ad turbandam Rempublicam. Veriùs etiam Poëta:

Da mihi fallere, da justum sanctumq; videri,
Noctem peccatis & fraudibus objice nubem.

Desino plura addere de homine vili, ne illius vituperatione laudem quærere, quiq; meo merito non possum, in comparatione malorum placere velle videar. Adversùs vituperonis calumnias clypeum suggero innocentiam, cujus fiducia securus patienter eas hactenus feram, dum impressâ & typis exscriptâ Dissertatiuncula mea una cum epistola Nihusii calumnias istas disjectas videant Viri boni, quibus studia actionesq; meas probari cupio, Tibi præcipuè, Vir Ampliss. Fautor colende, cui hæc coràm malueram. Verùm cùm valetudo in urbem excurrere nondum permittat, eadem per literas significare volui, ut scires, quid consilii in hoc negotio mihi sit, & Te brevi lecturum Dissertationem meam, quam coràm audivisti. Hac enim solâ ratione confessionem erroris detractori exprimere, innocentiam docere & omnibus probare me posse puto. Vale, meq;, ubi mereri videbor, amare perge. Altorfii 13. Cal. Febr. 1638.

Richterus Rittershusio.

SAlutem officiosissimam, Clariss. & Consultissime Vir, Amice perpetim amande & honorande. Fatear, oportet; mentiri enim nunquam didici, miratum me esse, cùm primùm Nihusii epistolam de historia Hannonis apud Melam festo D. Thomæ ἀπὸ τῦ ἀρχισυναγώγυ mihi missam, raptim legi, visumq; tum mihi, nam & hoc fatendum est, me eadem planè legere, quæ paulò antè ex Te perorante audiveram. Quin nec hoc diffiteor, indignatum me esse haud parùm, famam atque existimationem tuam, quam ob dotes ingenii tui eximias omnes boni unà mecum magni faciunt, exinde nonnihil imminui, præsertim apud eos, quibus Te semper commendatissimum esse volui maximè. Verùm cùm indies rem, quæ mihi etiam aliud agenti sæpissime obversabatur, accuratiùs quasi ruminor, atque Rittershusium cum Nihusio, & hunc cum illo, utpote utrumq; jam diu mihi notos, comparo, tuamque eruditionem in literis ejusmodi elegantioribus Nihusianæ vel æquandam vel anteponendam perpendo, id quod absq; adulatione pariter ac sine injuria dictum volo, tandem magis magisque aliud quidvis potiùs quàm sinistri quid de ingenii tui dexteritate persuadendum mihi putavi, sicque mirari, in opinione esse atque indignari, quo suprà dixi, tandem desii. Adjuverunt hanc persuasionem meam meliorem primùm Cl. D. Noëslerus, deinde Cl. quoque D. Kobius, Amici candidissimi, quorum ille statim, quâ pollet sagacitate, technas odoratus est τῦ διαβόλυ; hic verò Te jam

totam fabulam apprimè habere cognitam, & defensionem meditari publicam nudius quintus narrabat: Quod cùm ita esse literæ tuæ longè acceptissimæ, heri à meridie mihi redditæ luculenter nuncient, non possum non lætari, Tibiq; de fama etiam publicè mox restituenda gratulari animitus. Equidem Davum Comœdiæ, cujus ingenium ceu Apellis penicillo ad vivum, quod dicitur, depingis, probè novi, ut & illud, quàm homines illâ dignitate prælucentes utplurimum vitia sua tanquam fumum lychnorum morientium pati percupiant, planè ut olim occidentibus lucernis homines superstitiosi non afferebant manus, ne ignis scil. divinitatem violarent. At qui divinis literis addicti potissimùm aut certè præ aliis videri volunt, cur non audiunt Apostolum divinum, hortantem, ut abjecto mendacio loquamur veritatem cum suo quisq; proximo? An non confingere, quæ mox vanitatis coargui possint, non minus habet stultitiæ quàm malitiæ? Tantane calumniandi libido hominibus inter Christianos primis, ut pudore perpetuo redimant brevissimæ voluptatis usuram? O piscatores hominum! (nôsti verba magni Erasmi nostri) Apostoli piscabantur malos ad salutem: Isti bonos piscantur in exitium, linguam calumniatricem habent prò rete, quâ, quos volunt, attrahunt, & attractos quocunq; genere sycophantiarum opprimunt &c. quæ tamen autori summo de malis duntaxat dicta sunto, quos cavere par est, de bonis, quos veneramur, nequaquam. Sed quid attinet monere memorem? expressit hæc mihi ad tuas elegantissimas, quas semel iterumq; avidissimè perlegi, perversitas nulli bono ferenda, quâ homines malè feriati, quique nihilo plus frontis habent quàm mentis, occultis delationibus favorem sibi conciliare pulchrum ducunt, & pro obsonio habent malè loqui de melioribus, cùm potiùs candida eruditio & erudita simplicitas præcipuum autoritatis fulcrum illis esse debeat. Tuum erit, ut apud nos, ita & publicè famam atque existimationem tuam, postulante sic muneris tui dignitate, modo, quo innuisti, assertum ire στιγμῶς, & ne dum forsan moves unum, moveas omnes; sunt enim ut Dodonæi lebetes. Ut igitur fœtus, quem parturis, pulchrè prodeat, & feliciter, & quidem citra moram, cujus impatiens est cupido famæ ardens ac tenera, vehementer opto. Interim Nobiliss. Dnn. Patronis bonitatem caussæ tuæ suggerere, quotiescunque dabitur occasio, non cessabo. Perplacuit illis Oratio tua prima, quam ante quadriennium habuisti. Eamque publicè extare, & illis gratum certò scio, & Tibi honorificum fore maximè. Quid si utramque nunc edas simul? Me suasore conjunctionem istam non negliges. Vale, & me Tui amatorem perpetuum constanter quoq; amare persevera. Norībergæ 7. Calend. Febr. A. C. 1638.

Ritters-

Rittershusius Richtero.

NObilis, Amplissime & Consultissime Vir, Fautor suspiciende. Heri sub noctem à typographo accepi Dissertationem in promotione Cl. Dn. D. Cobii habitam. Hanc edidisse nec Tibi nec cuiquam bono impudens videri velim, sed ita interpretari, quasi quæ à malè feriatis hominibus vi mihi extorta, absq; quibus fuisset, inter reliquas rejectaneas chartas delitesceret. Probè novi mihi maximè dedecorum existimationiq; meæ damnosum, quòd meam in hoc genere imperitiam apricor. Docendæ innocentiæ aliter facere non potui: Nec cupio hac Dissertatione placere doctis, quod etiamsi mihi persuaderem, planè ridiculus forem. Si probavero nullo meo merito, nullâ injuriâ lacessitos crabrones sua in me spicula intentâsse, sat erit, nec pœnitebit sumptuum, quos aliàs, ut difficillimis his temporibus, meliùs collocare potuissem. Certè egregiè ad miseriam ego natus sum. Nuper conflictatus cum periculosissimo morbo, vix me colligo; nunc injuriis me convitiisq; proscindunt homines nequam. Benè & feliciter Vale, & amare perge Virtut. tuar. strenuum cultorem Rittershusium. Altorfii 6. Non. Mart. 1638.

Richterus Rittershusio.

IN fatis, credo, erat, ut quam Orationem eruditâ elegantiâ fulgentem publico invidisses, τῦ διαβόλυ spicula publicandam Tibi extorserint: Quo sanè nomine hominum genus omnium bonorum odio dignissimum, amandum tamen nobis venit, ut qui per se mali, boni tamen quippiam vel nolentes efficere possunt. Etenim non eruditionem minùs, quam innocentiam tuam, quam ultam ivisti præcipuè, ex illo ingenii tui rarioris fœtu elucescere nemo doctus, nemo bonus non videbit. Tibi verò, quòd aliter, quantum ad eruditionis encomium attinet, videtur, modestiæ tuæ tribuendum est, quam reliquarum virtutum Tuarum condimentum habes suavissimum. Simul etiam exemplo tuo comprobatur divinum illud Apostoli effatum, τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν. Nam famæ tuæ, qui frigidissimâ illâ calumniâ maculam inurere cogitabant, haut vulgari nomine illustriorem eam reddiderunt, bono tuo egregiè proficui, dum nocere studebant maximè. Pro exemplis transmissis ago Tibi gratias. Plura nunc scribere ex morbo languor residuus &, quæ cum sequi solent, molestiæ plures invitum prohibent. Vale, Norbergæ ob morbi reliquias adhuc extra Museum ad d. V. Martii 1638.

Rittershuſius Richtero.

NObilis & Conſultiſſime Vir, reverende Fautor. Exilui gaudio, ubi ex litteris tuis cognovi, Te de me contra calumniam judicare, & verba non invenio, quibus dignè ſatis gratiam Tibi agam. Operam dabo, ne Amore tuo, quem litteræ tuæ ſpirant, egoq; pluris quàm Croeſi opes æſtimo, indignus ſim. Sed audi, Poëtas, genus hominum valdè irritabile, huc usq; credidi, quod illorum proprium erat, jam ſuum faciunt N. N. & præcipuè noſter N. Hunc ego tetigi, quia ante me læſerat & ſalvâ exiſtimatione ac opinione meâ diſſertationis editionem ſive defenſionem omitti non poſſe judicavi. Ratio habenda eſt famæ, quam ille probris & calumniis lacerare tentavit, & feciſſet, ſi tacuiſſem. Huic ego pòſt conſcientiam maximè conſului, & tanti eam facio, ut non tam grave futurum ſit præ illa honoribus & patriâ carere. In illo multos ſe offenſos clamare & conqueri audio. Pacificos in epiſtola ad Conſulem zum Jungen excepi, hos veneror & colo. Qui ſe læſos dicunt, eo ipſo ne pacificos oſtendunt, ejusdemq; farinæ eſſe, cujus invidus-lividus perditiſſimus bipedum. Itaq; contra furorem N. patrocinio tuo me ſubleva, Vir Ampliſſime, & verum Amicum Te oſtende, quod ſanctum nomen Tibi tribuere non deſinam, dum vitam retinebo. Vale, Vir præſtantiſſime rarum ſolidæ virtutis ſpecimen. Salutant Te Excell. Dn. D. Noeslerus & Cobius. Altorfii 9. Martii 1638.

Idem Eidem.

AD Procancellarium Univerſitatis Decano nomine Facultatis ſcripturo non cenſeo altiore exordio utendum, præſertim quando pro commendatione virtutis & ſtudiorum agitur. Id verò nunc mihi facere videor, dum Johannem Chriſtianum Amling, Coburgenſem, virtute & eruditione ſeniorem quàm ætate, Tibi commendare laboro. Incubuit ille Jenæ, Argentorati & in hac noſtra Academia impigrè per integrum ſexennium ſtudio Juris, ut nunc fiduciâ profectuum ſuorum publicum diligentiæ & aſſiduitatis teſtimonium petere & ſummos in utroque Jure honores ac privilegia ambire cogitet. Hæc animi ſui ſenſa cùm ille mihi, ego Clariſſimis Dnn. Collegis aperuiſſem, non potuerunt non probare pulcherrimum conſilium, & quod exactiſſimum diſcipuli quondam ſui ingenium cognitum haberent, eò faciliùs conſenſerunt, ut, more recepto, eundem A. T. commendarem, quod accuratiùs facerem & pluribus argumentis uterer, ſi in honeſtiſſima re ad bonos & ſapientes opus eſſet. Hoc etiam atq; etiam, Ampliſſime Vir, Te rogo, Candidato noſtro faveas, &, ubi dignum judicaveris, qui ad conſueta Examina admittatur, pro ſumma, quâ vales, autori-

autoritate facultatem nobis concedas, eundem examinandi, ut ubi conceptæ de se spei satisfecerit, fructus quoque optatissimos exantlatorum studiorum percipiat. Hoc si ab A. T. impetraverimus, unicè nobis gratulabimur de constantia benevolentiæ in nos tuæ, si non munes, saltem beneficii memores nec ingrati futuri. Bene & feliciter Vale, Nobilis & Amplissime Vir, mihiq; favorem tuum perenna. Altorfii 5. Id. Octobr. 1642.

Richterus Rittershusio.

QUæ de Candidato isto Legum, Johanne Christiano Amling, Coburgense, mihi scripsisti, dubitare me non sinunt, quin dignus ille sit, qui, quod uterque petiistis, impetret. Nimirum ut ad Examina consueta quà publicè quà privatim, pro summis in utroq; Jure honoribus consequendis, ex Legum nostrarum præscripto, admittatur. Virtutem igitur & studia quia mihi commendâsti, quibus omnes boni favere debent, volunt amantq;, injurius sim & in officii mei rationes & in virtutem vestram, si aliud respondendum mihi putem, quàm fiat, fiat. Fiat igitur, quod honestâ ambitione ille desiderat, & Tu intercessor laudatissimus efflagitâsti. Quo Laconismo non altius longiusvè responsum ab homine nunc, ob Conventum Ordinum Franconiæ, occupatissimo Vobisq; deditissimo expectabis. Vale. Dabam eâdem horâ, quâ Candidatus iste me compellavit. Noribergæ ad. XI. Octobr. A. C. 1642.

Rittershusius Richtero.

REpetenda mihi apud Te nupera petitio, occasionem præbente Nicolao Christophoro Hunefeldio, Arnstadiense, qui has, intervenientibus Clarissimis Collegis, de me litteras, non tam sui commendatione quàm officii ratione, impetravit. Exegit quinquennium in Illustri Salana, ubi primos Philosophiæ honores adeptus est. Ultra annum jam apud nos vixit, & anhelat supremos. Factum volumus Optimo viro, quando vitæ merita cogitamus. Modestiâ & probitate bonorum amorem sibi conciliavit. Eruditionem explorabimus solitis Examinibus, ubi facultatem à tua Amplit. obtinuero. Favor, quem Facultati nostræ impendes, proficiet toti Academiæ. Stabit gratia beneficii. Feliciter vale. Altorfii 5. Decembr. 1642.

Richterus Rittershusio.

S. P. Quod officii mei est, & nunquam non, ex petentium voto & merito à me lubentissimè conceditur, id nunc quoq; plurimas inter gravissimasq;

distractiones promptè largior. Nimirum ut Candidatus iste Nicolaus Christophorus Hunefeldius, Arnstadiensis, quem mihi commendâsti, pro consequendis in Utroq; Jure honoribus summis, ad consueta Examina, publica & privata, admittatur: In quibus quin probaturus se Vobis sit, illa, quæ significâsti, & quæ ipse quoq; ex alloquio ipsius intellexi, dubitare me non sinunt. Faxit JEHOVAH, ut quàm felicissimè; cui Te commendo. Vale. Deproperabam ad alia etiam atque etiam festinans pridie Nicolai. Noribergæ A. C. 1642.

Rittershusius Richtero.

SI studium & amor erga nos tuus perseverat, ut firmè mihi persuadeo, credo, quòd libenter accipias à me litteras, quibus Tibi commendo eos, qui, toto legitimo opere absoluto, præmia studiorum suorum expectant, quæ absque authoritate & concessione tua conferre nefas est. Nuper pro Hunefeldio, Arnstadiense, oravi: Nunc ejusdem civem Philippum Ernestum Forsterum, clarissimis Parentibus natum, more Romano, Tibi commendo, & rogo, petitionis honestissimæ eum compotem facias. Cupit se sistere Examinibus consuetis, fretus studiis ante quinquennium Marpurgi & Jenæ ingressis, apud nos per sesquiannum sedulò & cum laude continuatis. Profectus & merita Examina docebunt, quæ cùm absq; authoritate Pro-Cancellarii instituere non liceat, eidem dextram submissè porrigo, etiam atque etiam valdè rogans, ut epistola à Te relata promptæ voluntatis tuæ impetrationem declaret. Vale - Salve Nobilis & Amplissime Vir, & favere perge. Altorfii 26. Decembr. 1642.

Richterus Rittershusio.

FAcilè & perquam libenter, imò jure meritoq; concedo, quod officii mei ratio, virtus petentium & commendatio tua singularis, nunquam non acceptissima exigunt, postulant, requirunt. Et hunc igitur Candidatum Philipp. Ernestum Forsterum multis nominibus commendatissimum ad consueta Examina, pro præmiis studiorum Juris ritè consequendis, sistendum Vobis remitto, &, ut, quod bene cœpit, bene absolvat, voveo. Id quod citra omne dubium sperare me jubent, quæ de illo ad me scripsisti nudius tertius, quibus hac ipsâ horâ mihi redditis ita respondere debui, volui. Vale, &, quod facis, nos ama, ad d. 28. Decembr. A. C. 1642.

Ritters-

Rittershusius Richtero.

CUjusmodi mea de Candidato Forstero fuit opinio, talem Clarissimi Dnn. Collegæ mei in Examinibus deprehenderunt, litterarum scilicet & Juris Civilis dote divitem. Hinc dignum judicârunt, qui exantlatorum laborum fructus & præmia percipiat. Restat ergò actus Disputationis Inauguralis: Hanc ex Legum fontibus depromptam comperi legendo, officioque meo exigente Ampl. tuæ censuræ submitto, an recto stet fabula talo, dignaq; sit, quæ typis, & publicæ concertationi subjiciatur. Itaque ἴφα tuum expecto, quod ne nobis deneges, etiam atq; etiam valdè rogo. Vale, Vir Nob. & Amplissime, meq; , quod facis, amare pertende. Altorfii 3. Non. Febr. Anno 1643. quem Tibi ὑγιέστερον καὶ ἐῤῥωμενέστερον, quàm præteritum habuisti, ex animo precor & opto.

Idem Eidem.

UT unda undam trudit, sic meæ Te trudunt importunitates. Nudius tertius misi Disputationem Forsteri, nunc alteram Hunefeldii mitto; invitus certè, utpote non ignarus, quantum laborum mare Te circumdet. Sed sive humanitas tua facit, sive officii mei ratio & necessitas exigit, velim, nolim, nolis, velis, operâ & censura tua est opus in utraq; Disputatione, in quibus duo ego probare non possum, Candidatos nostros allegare Doctores, quos nunquam viderunt, nec unquam forsan oculis usurpabunt, & authoritatem sibi parare conari, authoritatum & allegationum numero. Sæpe à nobis monentur, satius esse ex textibus Juris, verisq; & fundatis rationibus, quæ lege firmantur, pendere, eisque hærere, quàm authoritatibus doctorum, præsertim illorum, quorum ædes fama nondum est egressa, sed illi laureolam in mustaceo quærere & ineptire malunt. Alterum, quod concoquere nequeo, est neglecta latinitas, quæ ut oves Ægonis Virgiliani vix ossibus hæret, quamvis ipse tyro sim latini idiomatis, neq; id me callere profiteri ausim, sed γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος

nec me si dextro raptum pede Parca sepulchro
mergat, adhuc aliquid discere pœniteat;

tamen inimicus ignorantiæ alienæ, ut inimicissimus propriæ ferre non possum talia, & ringor correctiones admonitionesq; nostras rideri, quod illi aliquando seriò, sed serò nimis agnoscent & deplorabunt. Tu Nobilis & Amplissime Vir Vale, & Nestoris annos bono Reipublicæ litterariæ supera. Altorfii 6. Idus Febr. 1643. Disputationes commodo tuo leges & remittes; neque enim in mora salus Græciæ periclitatur.

Rich-

Richterus Rittershusio.

AD binas tuas, quibus non ita pridem Disputationes duas Inaugurales legendas mihi transmisisti, per morborum (plures enim erant) dolores acutissimos, respondere hactenus, quod volebam non minùs quàm debebam, mihi non licuit. Quam moram nequaquam Te sinistrè interpretari, præter amorem tuum solitum etiam commendatitiæ istæ, quas privignus tuus, Justus Hieronymus Kæstelius, Legum Candidatus eruditissimus, hac ipsâ horâ mihi reddidit, dubitare me non sinunt, utpote in quarum limine de valetudinis cœpta recuperatione, quam Numinis benignitate indies augescere sentio, calidè mihi gratularis: Quem affectum tuum, ut debeo, amicâ mente amplector, omnem corporis animæq; salutem Tibi vicissim comprecans animitus. De privigno verò, quem dixi, quod à me petis, quia non tam ex affectu domestico, quo magis Tibi amica veritas est, quàm quòd ille se dignum honoribus istis, quos legitimè ambit, publicâ fide significavit, facilè, imò quàm lubentissime meritoq; Tibi concedo. Neq; ambigo, quin ut idem ex Parentis pie defuncti & vitrici non è multis, quem diu nobis DEI clementia servet, Clarissimorum Virorum exemplo, clarescere puchrum ducit, ita utriusq; quoq; vestigiis laudatissimis æmulo cursu ingressurus sit perpetim. Sistat se igitur ille, cum bono Deo, explorationibus consuetis & exoptatam metam feliciter attingat. De pessimo illo more allegationum copiosissimarum, quo vulgus Candidatorum in conscribendis Disputationibus stolidè se effert, quod in nuperis tuis ad me prudentissimè notâsti, ne ad tam præclarum monitum taceam, jam diu est, cùm me Tibi consentientem habes. Nam ut sinisteritatem istam etiam juvenis olim, non absq; ratione, detestatus sum seriò, deq, ea mentem meam semel iterumq; declaravi publicè, meliora longè à Præceptoribus nostris, quos inter Parentis tui incomparabilis memoria nunquam non sacrosancta mihi est, edoctus: Ita de privigno tuo idem vulgi odium, unà Tecum, mihi promitto, utut apud alios æthiopem dealbaturus videatur, si quis vanitatem istam, tam pertinaciter radicatam, plurimorum animis eximere velit. Sed Tu, Vir amicissime, vale, & cum Clarissimis Collegis tuis, quos officiosè salvere jubeo, rem bene & feliciter perage. Dictabam è lecto, cui me nervorum nondum profligata infirmitas etiamnum affixum tenet. Noribergæ ad d. 21. Martii A. C. 1643.

Rittershusius Richtero.

HOc erat, quod optabamus & votis supra omnia vota precibusq; contendebamus, ut confirmatum ex morbo & valentem audiremus. Itaque cùm

cùm sciam, plurimos Tibi de recuperata sanitate gratulari, idem mearum etiam partium esse putavi, quod nunc & profectò toto animo facio, Deum orans, ut solidas corporis vires Tibi proprias esse velit! Cæterum cùm Justus Hieronymus Kæstelius, privignus meus, legitimum opus studiorum se absolvisse sibi persuadeat, in animo habet, publicum testimonium & honores, quorum spes studia alit, petere & ambire. In eum finem me accessit, propositum hoc suum aperuit, & systaticas ad A. T. Procancellarium Universitatis nostræ petiit. Ego non ignarus domesticum testimonium reprobatum, rem ad Clarissimos Dnn. Collegas meos detuli, qui sine affectu ex privatis, circularibus, publicis Disputationibus ab illo habitis judicarent, quid facto opus esset. Hi non ambigentes bonæ doctrinæ copiâ instructum, dubitantem me confirmârunt & animârunt, eum A. T. commendarem, simulq; facultatem pro summa, quâ valet & floret, auctoritate impetrarem, publica Examina instituendi & profectus illius explorandi, ut si dignus reperiatur, supremi honores, præmia studiorum, ei conferantur. Tu, Vir Amplissime, qui aliàs tantorum Virorum judicia non improbâsti, spero, nec has illorum sententias fucos putabis, aut fumos, quos Musæ non vendunt. Itaq; impetraturos nos spero, quod cupimus, & novo hoc beneficio tuo gaudebo magis, quàm quæ à singulari humanitate proficiscitur benevolentia tua, quâ tamen gaudeo maximè, imò triumpho. Vale, salve, Amplissime Vir, ita & nos valebimus & salvi erimus: nostra enim salus ex parte à tua dependet, omnium autem à suprema, quæ Te sospitet! Altorfii 13. Calend. April. 1643.

Idem Eidem.

Non de nihilo Te interpellatum venio, quem districtum distractumq;, vel unum maximè, gravissimis negotiis non nescius esse possum. Ante duos menses, facultate à Te impetratâ, consuetis Examinibus exploravimus profectus in Jure Michaelis Uhlenii, Candidati nostri. Ut valet ingenio, expectationem sui egregiè sustinuit, ita ut spes nos pulcherrima foveat, illum publicè disputando omnium opinioni satisfacturum. Disputationem, quam de Transmissionibus conscripsit, officii ratione mitto. Non gravabere vel non rogatus à me tantillum decerpere de tuis occupationibus temporis, quantum his paucis Thesibus perlegendis sufficere possit. Tantum erat. DEUM Opt. Max. quotidie oro & exoro, ut Te Reipubl. Universitati nostræ sospitem servet! Magnif. Dn. D. Cobius & D. Ludwellus Te plurimum salvere jubent. Altorfii 14. Calend. Augusti 1645.

Richterus Rittershusio.

SUffuratus sum tantum temporis inter occupationes Reipublicæ periculorum varietate gravissimas, ut Præstantiss. Dn. Candidati Michaelis Uhlenii Disputationem Inauguralem, quam vocant, de Transmissionibus perlegere licuerit. Quam quia typis publicis idoneam deprehendi, imprimendam remitto, Teq; cum Rectore Magnifico, cæterisq; Collegis tuis consultissimis plurimum salvere jubeo. Vale. Dabam raptim ad d. 21. Julii A. C. 1645.

Rittershusius Richtero.

MAgnas Tibi gratias agere me jus fasq; imperant pro labore, quem inter gravissimas occupationes lectioni Thesium nuper impendisti. Nunc N. Disputatiqnem mitto, & censuram tuam unicè expeto. Mihi, ut, quod res est, dicam, non probatur, quòd toties ad nauseam alleget tractatus, nunquam publici juris factos. Equidem magnificio immortales ingenii dii partus, extra aleæ controversiam seculi nostri doctissimi Jurisconsulti Ludwelli, Collegæ & Amici conjunctissimi; verùm scripta illius inedita in Disputationibus Inauguralibus toties citare, absurdæ adulationis videtur, & in eo Te ὁμόψηφον mihi esse puto. Agmen adulantum solâ haud procedit in aula, etiam ad scholas penetravit, quod cùm mutari nequeat, ferendum. Tantum erat. Deus Reipublicæ, Universitatis, Familiæ, Amicis Te servet incolumem Pylios in annos! Hoc mecum vovent omnes boni. Hoc ratum habeat votum OPT. MAX. DEUS! Altorfii Non. Augusti 1645.

Richterus Rittershusio.

SAl. & Off. Adulandi artem, quæ apud vulgus aulicorum utramq; paginam facere solet, à scholis eliminandam una Tecum censeo. Eam si Candidatus ille de se dici quàm monitis tuis cedere non vult, judicio suo relinquatur. Cætera Disputationem ipsius Inauguralem de Virorum prærogativis non indiligenter conscriptam, quam legi, imprimendam remitto, Teq; cum Collegis Consultissimis etiam atq; etiam salvere jubeo. Dabam Noribergæ 13. Augusti 1645.

Rittershusius Richtero.

Sal. Pl.

CUm meos Fautores velut ex albo quodam recenseo, Te, Vir Nobilis & Amplissime, primos inter ac præcipuos collocare soleo, qui toties ineffabilem

bilem animi tui affectum nobis declarâsti. Eâ re nunc moveor, ut nomine Dominorum Collegarum pro Johanne Leonhardo Linckio, Viro Præstantissimo, Te compellare audeam. Is probitate morum, vitæ modestiâ & in litterarum studiis incredibili diligentiâ & assiduitate toto illo tempore, quo hîc vixit, paucos habuit pares, superiorem ferè neminem scimus aut meminimus: Industriâ & multis suis vigiliis id præstitit, ut Jurisconsultum aliquando egregium præstare possit. Hoc enim agit, fiduciam sui habens, anhelat præmia & honores virtuti debitos, & ad hos consequendos censuræ nostræ Examinibusq; consuetis se submittit. Hæc sine authoritate tua, Vir Amplissime, cùm instituere nobis religio sit, enixè & cum dubita reverentia Te rogo, hac quoq; vice eam facultatem nobis concedas. Pro quo beneficio munes nos senties, hoc est, constabit Tibi gloria & constans laus apud Universitatem & præcipuè Collegium nostrum, cujus salutem Tu unicè curas. Bene vale, Vir Amplissime, & me, quod facis, amare perge, cætera forsan haud magni mortalem pretii, sed tamen colentem Te & amantem εἰς αἰῶνας. Altorfii 7. Id. Novembr. 1645.

Richterus Rittershusio.

QUòd in album Fautorum tuorum me quoq; recensendum putas, non meritis meis, sed amori tuo in me adscribo, illud operam daturus, ne quidquam amoris mutui in me erga Te desiderare queas. Quæ hactenus officii ratione lubens meritoq; præstiti, talia sunt, ut potiùs in Leges & virtutem peccarem, nisi facerem, quàm ut exinde multas gratias laudesvé merear. Atq; sic nunc quoq; citra piaculum recusare non possum, quod de Joanne Leonhardo Linckio, Legum Candidato meritissimo, me rogâsti. Novi ipsius probitatem morum, novi industriam vix imitabilem, novi eruditionem laude dignam. Fiat igitur, quod petiisti, admittatur ille ad Examina consueta, & agatur cum eo, prout Leges nostræ præscribunt, & dexteritas Vestra hactenus consuevit: Id quod felicitare dignetur Numinis benignitas, cui Te etiam atq; etiam commendo. Vale, amicissime Virorum. Dabam Noribergæ ad d. 12. Novembr. A. C. 1645.

Joh. Frid. Gronovius Georg. Richtero.

SAlutem & observantiam. Amplissime & Consultissime Vir. Quamdiu vivam, non excidet mihi suavitatis illius memoria quâ quotidie, quicquid erat adversi, condiebam, cùm apud Vos hærere nescio an ab infesta ac sæviente, an verò respiciente fortunâ cogerer. Aut enim quoties domesticis meis Musis non secesseram in Senatus Nobiliss. Vestri Bibliotheca abigebam fastidia:

Aut invisebam ad magna illa nomina Ulricum, Saubertum, Rittershusium &, quem primo loco nominatum oportuit, Te ipsum, Vir maxime. Qui omnes tantâ benevolentiâ hunc hominem, quæ vestra erat comitas, non meritum meum complectebamini, ut irascar perpetuò diei illi, qui à vestris oculis me segregavit. Interim in mentibus vestris focum favoris, Vestali similem, cujus ignis nunquam deficiet, nunquam tenue & extremum lumen sparget, me reliquisse, consolari me soleo, & hac amabili opinione mihi blandior. Eaq; de causa fronte perfrictâ ausus sum denuo per inficetas hasce literas tuæ Amplitudini memoriam mei commendare: Tanta Fiducia mihi est perseverantis tui affectus, pænè non satis reveritus sanctissimas occupationes tuas importunâ allocutione aurem Tibi vellere. Utinam verò esset ea fati mei felicitas, ut iterum quandoq; coràm adorare liceret benignos oculos tuos, & osculari dextram tot nobilissimarum divinæ mentis tuæ cogitationum signatricem. Cœlum Jovis tenere me arbitrarer & votorum summam consecutum esse. Quorum sanè utcunq; ea fuere levia nec improbas spes foventia, parcè admodum me compotivit, ex quo à Vobis absum, superba illa hera, quam supra nos negotium curare ait Arbiter. Francofurti incidi in Joan. Narsium, & Hamburgi obtigit mihi magnum illud universæ eruditionis decus ac Phænicem seculi Hugonem Grotium salutare. Nihil tam magnificè dixero, quod humanitatem istius Viri exhauriat, nisi fortè jactem & glorier sic me ab illo exceptum, uti sum à Vobis solitus. Gratissimum illi fuit de Amplitudine tua & honoribus, quos certatim in Te post usum familiaritatis mutuæ vestræ virtus tua congessit, audire, & mihi in partem apud ipsum commendationis cessit RICHTERO placuisse. Cùm Heilbronnæ ageres, misi ad Te lessum, quem extorserat mihi justus dolor ob obitum magni VOLCAMERI! Eum an acceperis, nullo genere cognoscere mihi licuit, quia ante reditum tuum Noribergâ vestrâ jam frivola mea moveram: Scire tamen habeo & præterea severum illud judicium tuum: Ut tu calculum feres, ita ego illum aut agnoscam aut damnabo. Reverendum & Cl. Dn. Saubertum officiosissimè salvere jubeo. Virdungus an valeat & vivat, cupio cognoscere, cujus litterario alloquio me viduatum post discessum meum gravissimè fero. Salve & Vale, Vir summe, & nostri curam gerere ne intermitte! Quod credam, si quam primum duas lineas tresve responsionis tuæ videro. Salveat reverenter à me & valeat omnis familia tua. Scripsi Bremæ in ædibus maternis XIII. Cal. Decembr. Anno 1633.

Rich-

Richterus Gronovio.

QUàm acceptæ mihi fuerint literæ tuæ, Gronovi eruditissime, quovis nectare & ambrosiâ suaviores, ex tarditate responsionis cave æstimes. Occupationum publicarum frequentia sæpius calamum è manu excussit, & scribere satagentem non semel repulit, adeò ut ex indignatione remorarum vix ipse mecum in gratiam redire queam. Ex animo enim atque singulari cum lætitia futuræ inter nos familiaritatis auspicem voluntatem, sive potiùs jam factæ constantem significationem & perseverantiam amplector. Atque operam dabo, ut, quod per Te exordium sumsit, me annitente sumat augmentum. Ita viget apud me recens jucunditas conversationis tuæ mellitissimæ, ut ejus sitim literarum tuarum elegantiâ haut levem excitatam, in me sentiam: Remedium tamen faciunt amoris tui non adumbrata vestigia, quæ sectari curæ mihi erit, ne officiis vel amore vincar. Has enim partes mihi reservatas video; literas tuas priores, quas ante annum cum Epicedio in obitum Senatus nostri Principis Volcameri τοῦ μακαρίτου scripsisti, Heilbronnæ in legatione accepi, ad quas rescribere tunc, utut voluerim, non licuit. Quamprimum autem domum redii, de Gronovio meo quesivi, ejusq; causa ad Virdungum nostrum scripsi, qui his verbis respondit: Gronovius superioribus nundinis Francofurtum, ut audio, cum quibusdam mercatoribus abiit. Quò deinde porrò, me fugit, nisi fortassis Argentoratum. Hinc spes mihi facta, fore, ut Te Francofurti, ubi ante semestre per decem septimanas iterum in legatione degi, videre mihi contingeret. Quod verò ibi Narsium, literarum decus haut vulgare, & postea Hamburgi Magnum illum Grotium literatorum Principem, salutâsti, tandem verò in patriam salvus sospesq; rediisti, etiam atq; etiam Tibi gratulor, eamq; felicitatem, quâ Tantis Viris placuisti, quæ non ultima laus est, perennem opto. Grotio nostro, cujus virtutes divinas atq; incomparabilem eruditionem jam multos annos veneror, salutem & optima quæq; per occasionem, quæso, dicas. O utinam tam beato mihi esse liceret, ut conspectu ejus denuo frui possem, quæ felicitatis pars Anno 1617. Hagæ Comitis mihi contigit. Nisi Gustavus, Regum maximus optimusq;, tam citò à DEO in cœlum receptus fuisset, forsan nunc propior Vir laudatissimus ille nobis esset, utpote quem Rex non tantùm plurimi fecit, dum ejus libros de jure belli & pacis ipse mihi, cùm Reipublicæ causâ apud Maj. ejus verba facerem, allegavit, sed quem etiam historiæ suæ scriptorem unicè desideravit. Si Te mediatore familiaritatis redintegrationem & literarum quid ab eo, quem tantopere amo & colo, obtinere possem, summo beneficio me Tibi devincires. Rittershusius, cujus meministi, in locum Dinneri, qui ante aliquot septimanas vitam

tam cum morte commutavit, in Academia nostra Professor Juris designatus est, qui mox summis honoribus consuetis decorabitur. Virdungus noster, quod scire habes, valet atque vivit, & non ita pridem Orationem habuit de virtutibus Regis suprà laudati, quæ typis est excusa, titulo, Alexander nov antiquus. Epicedium quoq; tuum, de quo superiùs cum Orationibus in obitum prædicti Volcameri, quas inter etiam Virdungi extat, à reditu meo fuit impressum, quæ omnia, ubi significaveris, qui commodè possim, lubentissimè Tibi remittam. Si quid de Wenceslao Clementis, qui libros IX. Gustavidos edidit, Tibi constat, & num post obitum Regis, etiam reliquos tres ad pleniorem imitationem Maronis additurus sit, certiorem me facias, rogo. Vale, Gronovi præstantissime, & literis tuis beare nos persevera. Quò enim plus est in eis, quod gaudeam, hoc magis superest, quod requiram. Vale iterum & salve. Dab. Noribergæ III. Eidus Januar. A. C. 1634. quem Tibi faustissimum comprecor.

Gronovius Richtero.

SAlutem & observantiam, Amplissime & Consultissime Vir, Domine ac Fautor magne. Eò gratius mihi fuit tuarum litterarum libare delicias, quò seriùs eas mihi sublimes Vestri Ordinis occupationes non inviderunt. Jam cœperam silentium tuum mihi excusare, cui per illas non liceret, id quod cuperem, benevoli affectus exemplum statuere. Jam apud me ipsum rubore suffundi & increpare temeritatem meam, qui oneràssem acervum cumulo & nihilominus id mihi gratiæ apponi postulàssem. Cùm quasi de transverso supervenit tua Epistola, non tacta leviter, sed planè madida multiplici Gratiarum rore & isti pavori repudium nunciare jussit. Respiravi, & ut defectis obsipatâ aquulâ vigor solet redire vitalis; ita eluctatus sum è cogitationum divortiis. Equidem amabili imagine sæpe obludunt mihi dulcissimâ gravitate tincti sermones tui, quos auscultando, cùm præsens eram, non semel defœcatum animum recepi, & ruminando absens, ut qui suavi concentui interfuerunt, etiam, postquam ille desiit tinnitu aurium gaudium meum regustavi. Istius felicitatis instar reddidit mihi jam inæstimabilis comitas tua, quam submissè exosculatus paria facturam cum cultus religione, quem T. Amplit. sacravi, hoc est, perpetuam mihi fore opto & auguror. Nihil est, in quo nunc magis acquiescam, postquam revolvimus odiosam seriem calamitatis, quæ dum domo absum & fata in has oras sæviunt; non solùm Parente abrepto, unico in his terris auxilio, verùm maximâ parte patrimonii absumptâ & cum malis nominibus deperditâ, me heu! tetigit, & triste hoc peperit studiorum justitium. Tum demum compono omnes animi motus, cùm meditor judicia & applausus Vestros, nonnunquam dolens, vix fore, ut

ut ſpei, quam feci, ſatisfaciam, nonnunquam me incitans, ut invitâ fortunâ efferam caput & meliora ſperem. Academiæ Veſtræ vulnus dolerem, niſi pulchrè id eſſet ſapientiſſimâ curâ correctum. De Hugone Grotio veriſſimum judicium tuum: Eſt ſanè Vir ille miraculum ſeculi &

πᾶν ἐπ' ἀληθείᾳ πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔργον.

Cumq; incomparabilem eruditionem, cujus omnes partes, omnes numeros implevit; humanitate incredibili miſcuerit, nunquam ab ipſo recedo, niſi doctior, nunquam adeò, niſi meditatus, quid doceri velim. Ei gratiſſima fuit, quam hoc manè detuli, ſalutatio tua, adeò, ut quidvis Tui cauſâ velit, & obſidem ſui ſtudii humaniſſimam ſalutem remittere me tibi juſſerit. Si quid ad eum litterarum daturus, beneficium putabo, ſi meam operam experiri tibi placuerit. De W. Clementis conſilio nihil habeo certi, neq; eſt hîc, unde explorare poſſim. Utinam verò Virdungi noſtri Alexandrum Nov-antiquum contemplari liceret, quem ille procul dubio pictor Apelle ſagacior vivis coloribus expreſſit. Reperietur aliqua via, quâ hujus voti compotire me queas, modò exemplar interea aſſervetur, quæ diſtrahi ſolent. Epicedium meum vererer, ut tot clara nomina adjunctum infuſcarent, niſi in T. auctoritate præſidium mihi eſſet. Incluſas magnopere oro, ut niſi moleſtum eſt, ad Dn. Virdungum curari jubeas. Tanta mea eſt de A. T. favore fiducia, ut penè verecundiæ limites migrem. Salve & vale, Vir magne, cum omni familia, & noſtri memoriam ne omitte. Scripſi Hamburgi VIII. Cal. Febr. A. cIↄ Iↄc XXXIV.

Richterus Gronovio.

NIſi de animi tui ſinceritate, Gronovi doctiſſime, jam mihi conſtaret, vererer equidem, ne de ſilentio meo, cujus culpam ultro in me arguo, ſiniſtri quid Tibi obreperet. Verùm cùm amicitiæ noſtræ fides non tam infirma ſit, ut proletario ſermone opus habeat, affectum noſtrum non tam ex frequentia literarum quàm ex re ipſa æſtimare convenit. Neque etiam Te fugit, ut occupationes publicæ, hoc præſertim tempore, indies, ut videtur, ingraveſcente, & caput & circa ſaliant latus. Quam igitur in ſcriptione non ſemper præſto viciſſitudinem, in amore reddo, majorq; mihi eſt in amandis amicis conſtantia quàm in negligendis epiſtolis voluntas. Tu verò literis tuis elegantiſſimis animum hunc nonnunquam curarum mole langueſcentem refocillare perſevera. Vix enim credis, quàm me proximæ tuæ literæ delectârint, in quibus, ob ſingularem earum & amorem & elegantiam, χαρίτων ἴας vel in ipſa bruma λάμπειν, pulcerrimeq; ridere viſum mihi eſt, ita eas Tulliano ſegmentâſti auro, animiq; tui nitidiſſimi indices dediſti quâvis luce ſplendidiores. Fati tui ſiniſteritatem, quæ

cona-

conatibus tuis præclarissimis obstare nititur, ægrè fero. Neque tamen dubito, quin novercantis fortunæ infestationes virtute tuâ vel eludere vel superare possis, DEI præsertim ope adjutus, qui suos deseruisse nescit. Quin etiam invidendâ illâ felicitate, qua cum Grotio nostro, Viro omni virtutum & scientiarum laude revera maximo familiariter vivere Tibi contigit, quicquid adversi, evenire poterit, facilè compensabit, à quo scio, nunquam nisi vel melior vel doctior discedis. Quàm velim istius Viri de Republica Christiana præstantissimè meriti virtutibus præclarissimis par gratia redderetur. Scripta ejus divina nunquam è manibus depono, & ut olim manum ejus præsens: Ita nunc absens mentem avidissimè exosculor. Tu nunquam cum ipso sermonem conferes, quin amoris mei atq; observantiæ testimonia proferas. Mihi honori atq; gaudio est, quotiescunq; de facie & scriptis ejus gloriari datur. Num historiâ Gustavi Magni occupatus sit, aut quæ alia publico, in cujus commodum & ornamentum natus est, meditetur, scire cupio. Virdungi nostri statum literæ ejus inclusæ Te docebunt. Metamorphosin illam Fridlandii stupendam, qui XV. Februarii Egræ cum aliis quatuor antesignanis noctu à militibus Cæsarianis interfectus est, paulò antè à Cæsare proscriptus, jam, credo, inaudivisti. Fabulam Sejani aliorumq; id genus, quos fortuna evexit, ut lapsu graviore ruerent, cum eo actum agnoscimus. Quid casus iste repentinus & inopinatus statui Imperii turbulentissimo allaturus sit, ἐν γούνασι τοῦ Θεοῦ κεῖται, cujus nomen Tibi propitium comprecor, inq; eo Te valere & salvere jubeo. Norib. VIII. Non. Mart. A. C. cIↃ IↃc XXXIV.

Gronovius Richtero.

QUoties memoriâ multiplicem humanitatem Vestram remetior, toties pro parte experior veritatem illius verbi veteris, quod Regibus delirantibus Achivos plecti monuit. Quum enim abundè materia scribendi esset, mihi gratus animus & Vestra beneficia, ut primò tardè scriberem, cùm metus esset, nihil rectè curari, tandem silerem prorsus, cùm frustrà opera sumeretur, patriæ communis calamitas & itinerum difficultates fecerunt. Annus nunc est, cùm tuas unas, quæ annum ipsum varias inter manus moratæ fuerant, accepi, feras quidem rerum, quarum cupidissimè notitiam anhelabam; nuncias, vel sic gratas tamen. Post id temporis sæpe respexi ad Vos, sæpe dolui, præcisam omnem mihi viam esse tam egregias animas, tam amantes mei tralatitiâ saltim salute adeundi, sed omne desiderium inter vota consumebam, donec hanc in Urbem, amicos salutandi causâ invitatus, ingressusq; civem Vestrum præstantem juvenem Heigelium inveni. Is ante biennium initâ mecum, Groningæ amicitiâ, cùm me hic esse

& inx-

& inædibus incomparabilis Viri Dan. Heinsii diversari cognovisset, renovatâ familiaritate officium suum obtulit, si quid ad Vos vellem. Amplexus hominem simul sum, simul autem occasionem: Et hoc quicquid est impolitarum literarum festino sub oculos Vestros accuratissimos, fretus affectu potius Vestro quàm meis meritis. Ille si Vos de meis quicquam rebus quærere jubebit, narret. Hæc epistola Tibi quidem, Amplissime Richtere, inscripta, cæterùm si poteris κοινῆς ἐμμῆς ornamentis illis Vestræ Urbis & Academiæ, (vivatis utinam & valeatis!) Sauberto, Rittershusio, Virdungo me quidem nunc ex animi sententia (sit proprium & placitum Numini!) agere. Hagæ Comitis fixisse sedem allectum comitate præstantium hominum, qui & fori secreta meliùs ibi perdisci monebant, & sua consilia bibliothecasq; liberalissimè mihi reserabant. Inde excurri ante paucos dies, silentio fori & rebus prolatis, invitatu præcipuè D. Heinsii; itaq; cùm hanc Palladis ædem visere instituerem, in non minore templo, domo inquam τοῦ ἀνὴρ Θεῖυ Herois, quem nominavi, exigo, die perendini lares meos consuetaq; tecta repetiturus. Facilè suspicaris non paucos nobis sermones consumi in iteratione tuarum laudum, quas concludebat nuper stupendæ Vir & doctrinæ & comitatis adeò benignè & verè, ut Te ex præstantissimis nostræ gentis ingeniis, quæ unquam cognoverat, facilè primum fuisse contestaretur. Studia literaria nostra dudum jacuerunt. Sed non ita pridem alterum oculum eò retulimus factâ copiâ typographi, quo cùm hactenus careremus, protrudere aliquid nugarum omisimus. Proximis igitur nundinis videbitis Diatriben in P. Papinii Statii Silvas, si DEO placuerit. Etiam Is: Casauboni Epistolas magnâ pietate per Galliam, Angliam, Belgium à Riveto collectas in ordinem digessimus, & nunc edi curamus. Ex Germania nullas ferè habemus, propter quas dixi difficultates itinerum & nunciorum: Secus non pœnitendâ accessione excresceret opus egregium ac plenum variæ eruditionis. Rittershusius posset nobis cum ad τὸν πάνυ Parentem suum scriptas communicare, si ulla ratio iniri à Vobis potest, quâ transmittantur. Quod Vos rogo per genium Vestrum & communia studia: Nam de optimi Rittershusii benignitate sive ipsa autographa sive exempla curatè & diligenter collata tradere velit, nullum dubium mihi est. Exercitationes sacræ Dn. Heinsii ad Novum Fœdus nunc datæ sunt prelo, opus maximæ & rei & expectationis, sed expectationem superaturum. Salmasius ex Gallia redux Brielæ nunc est, & simul venti erunt paulò pacatiores, Leidæ & studiis suis reddetur. Arnobius, quem commentariis eruditissimis illustravit, jam editus est: Itaq; summo cùm desiderio adventum ejus expectat typographus, ut notæ prelo dentur. Parat idem librum de Militia Romana, linguâ Gallicâ conscriptum, in gratiam Illustrissimi Principis Auriaci, in quo plurima eruentur, quæ

Lipsius & alii, qui hanc materiam tractarunt, pervidere non potuerunt. Vir prorsus est sine pari: Adeò cognitione Orientalium, Latinæ, Græcæ linguarum cum antiquitatis & gentium & Ecclesiasticæ, Juris, Botanicæ, Philosophiæ, ut verbo complectar, omnia, quæ humana mens assequitur, si in unum cadere possunt, cognitione conjunxit. Itaq; qui Scaligeri vicem eam subire voluerunt magnifici Acad. curatores, verissimè tanto de Viro judicârunt. De publicis addere lubebat quædam, sed vereor, ne nimius sim, & tum tua, tum publica morer commoda. Desinam igitur, ubi rogavero, ut de tuis amicorum, quos nominavi & Nobiliss. J. Ulrici, si Tibi cum illo familiaritas intercedit, rebus sitientissimum me quamvis longâ & accuratâ epistolâ doceas: Item num quæ spes sit aliquarum Casauboni Epistolarum accipiendarum. Virdungi Commentarius in Taciti Agricolam an prodierit rursum, aliaq;, quæ putaveris grata scitu mihi esse. Vos pace jam frui audio: DEUS det, ut solida & constanti! Vale, Virorum summe, & me ama. Salutat Te peramanter Dan. Heinsius. Leidæ Non. Januar. Anno 1637. Rumor hîc est Comitem Arondellium, Sereniss. Britanniæ Magnæ Regis ad Cæsarem legatum, Bibliothecam & cimelia Pirckheimeri Noribergæ coëmisse: An verus?

Richterus Gronovio.

QUòd ad literas tuas suavissimas longè acceptissimasq; nihil hactenus rescripserim, Eruditissime Gronovi, in causa fuit, præter Reip. labores quasi concatenatos, invaletudo diuturnior, arthritis nimirum sæpius recidiva, quæ me per aliquot septimanas lecto affixum primùm ex bipede tripedem fecit, deinde in scribendo alioquin inpromptum, ne dicam pigrum, adeò inertem, adeò squalidum, oscitabundumq; reddidit, ut nihil quàm de fera, quod ajunt, comedisse videri possem. Nunc ipse mecum in gratiam redire incipiens silentii hanc culpam apud Te deprecandum mihi esse putavi, quam pro amore in me tuo, facilè spero, mihi condonabis. De Heinsii, Herois nobilissimi, constanti affectu erga me mirum in modum me exhilarâsti, à quo amari magnam certè felicitatis partem duco, cujus virtutes divinas omni cultu suspicere non priùs desinam, quàm Atropos fatale filum secuerit. Tu, quæso, fac, ut Decus illud literarum splendidissimum quàm diligentissimè & quàm officiosissimè nomine meo salutes, id quod vehementer etiam atque etiam Te rogatum volo. Ejus Annotationes in Novum Fœdus, de quibus salivam movisti, avidissimè, ut verè amantes solent, desidero, & quid expectandum inde sit orbi Christiano ex sacro illius Aristarcho (bone DEUS, quantæ eruditionis opere, ut alia ejusdem monumenta æternitate dignissima nunc taceam) facilè conjicio. Magnâ etiam expectatione

tione optimos quosq; suspensos tenet, quæ stupendæ eruditionis Vir Salmasius, in omni scientiarum genere admiraculum excellens, elegantiori literatorum choro minatur, à quo non nisi omnibus numeris perfectissima sperare fas est. O Te beatum, mi Gronovi, cui inter tanta lumina versari, numinis benignitate, contigit, quam fortunam tuam, scio, non cum opibus Crassi aut Crœsi regnis commutares. Macte felicitate istâ rariore, quâ ingenii tui dotes præclaræ Te dignum bonisq; omnibus acceptum reddunt. Literas tuas Rittershusio & Virdungo Viris clarissimis, legendas misi, quorum uterq; Te amore complectitur singulari, & nisi Virdungus noster per aliquot nunc menses ita decumberet, ut vix spes vitæ diuturnioris supersit, literas etiam nunc ab ipso haberes. Interim salutare Te jussit peramanter. De Rittershusii verò affectu calidissimo literæ illius ad me, quarum exemplum his inclusi, dubitare Te non sinent, simulq;, quid de Epistolis Casauboni ad Germanos constitutum ipsi sit, docebunt. Ego quamprimum in præfatione Epistolarum Scaligeri, cujus autorem Heinsium nostrum credo, spem etiam de editione Epistolarum Casauboni factam animadverti, magno illarum desiderio laborare cœpi, cui tuâ tandem operâ satisfieri mihi gaudeo, Tibiq; gratulor. Virdungi Commentarius in Taciti Agricolam, jam denuo prodiit. Ante annum Digesta Pietatis in lucem venire passus sum, quorum ut & illius exemplaria mittam, ubi, quâ ratione fieri possit, significaveris. Reverendus Dn. Saubertus tui amantissimus vivit, sed ita, ut singulis ferè mensibus semel iterumq; vel cum Calculo vel cum Podagra confligtandum ipsi sit, qui non ita pridem Orationem habuit publicoq; donavit de innocentia Calculi & Podagræ in innocentibus: Amare etiam Te perseverat, Cl. JCtus Johannes Ulrici, qui salutem Tibi adscribere jussit, ut & Dn. Saubertus, plura addere volentem occupationum moles prohibet. Vale igitur Amice exoptatissime, &, quod facis, nos ama. Dab. Noribergæ V. Idus Junii A. C. 1637.

Gronovius Richtero.

AMplissime & maxime Vir. Non possum verbis describere magnitudinem gaudii mei, quod pectus mihi & intimas fibras pertentavit, simul vidi, accepi, legi gratissimas καὶ χρυσοῦ ἀντάξιας literas tuas. Nec definio, utrùm magis sim lætatus, quòd Vos valere atque in quiete & pace, (utinam hoc proprium Vobis bonum velit Deus Opt. Max!) res Vestras ordinare cognovi, an quòd mei memores, immò amantes. Jam dudum enim quia responsi dies usque diffinderetur, arbitrabar, aut meas ad Te periisse, aut iis Vos attineri negotiis, quæ ad nos respiciendi copiam Vobis negarent. Itaq; nuper ad Cl. Virdungum unas dedi, quibus repetii preces meas ad Cl. Rittershusium, inclusiq; paginam

unam, ut exemplum videret elegantiſſimæ editionis Epiſtolarum incomparabilis Viri, & iſto conſpectu permoveretur ad partem theſauri iſtius, quam poſſidet, nobiscum communicandam. Eas unà cum publicis miſi, uſus gratiâ Nobiliſſimi cujusdam Viri, ex Illuſtriſſ. Ordinibus, qui miſſurum ſe eos Coloniam ad Bilderbeccium, agentem ibi in rebus, eiq́; in mandatis daturum receperat, ſi quæ venirent noſtro nomini inſcriptæ, eas confeſtim acciperet, & huc ad ſe deſtinaret. Nunc rurſum, quanto poteſt ſtudio atque obſervantiâ, Te obteſtor, ne deſinas optimum Rittershuſium urgere quamprimum, quicquid illius habet, quo illuſtre id opus augeri ornariq́; poſſit, ut componat & transferendum ad nos det. Qua de re & has, quas vides, ad ipſum, & ſi cùm maximè valdè diſtrictus, properavi. Non oportet verò miſſionem differri ultra Francofurtenſes nundinas, ne priùs abſolvatur liber, & poſtea commodâ occaſione deficiamur. Eâdem viâ expecto deſideratiſſima tua Digeſta Pietatis, & Virdungi Commentarium repetitæ lectionis in Taciti Agricolam, quæ pro ſolita comitate tua promittis, præcipuè tua illa Digeſta, quæ non dubito, quin ſanctiſſimarum eruditisſimarumq́; Meditationum ſint refertiſſima. Nos dabimus χάλκεα χρυσεῶν Diatriben noſtram in P. Papinii Statii Silvas, quæ ante menſem ex officina exiit. Exercitationes ſacræ τοῦ πάνυ Heinſii nunc ſub prelo ſudant, & ni fallor jam XL. folium eſt abſolutum. Ad eum epiſtolam tuam miſi, ut cognoſceret, quàm grata apud Te tantum Virum, eſſet recordatio familiaris olim converſationis, quod, non dubito, quin ei longè gratiſſimum ſit futurum. Reſponſum nondum accepi, quia occupatiſſimus eſt & οὐδ᾽ ὅσον κινήσασα τὸ οὖς, φασὶ, σχολὴν ἄγει. Quare & Dn. Curatores tantisper, dum ille munere diſtenditur, legendi publicè ei gratiam fecerunt. Ego verò tertio, poſtquam redditæ mihi tuæ eſſent, dic hæc ſcripſi. Salmaſius ex Galliis rediit. Is nunc edit Commentarium doctiſſimum de Fœnore, in quo tota hiſtoria & jus Fœnoris Græci & Romani explicatur, multæ leges juris Civilis illuſtrantur, multa ad rem nummariam pertinentia aliter atque à Budæo, Hotomanno, Scaligero docentur, multà alia antiqua, ſepulta eruuntur. Quòd mihi de familiaritate cum ſummis illis Viris gratularis, gratias ago Tibi, & agnoſco particulam aliquam felicioris fati. Nec nos deſumus colligere & referre in condita inter tam opimas meſſes, quæ ſi Deo placuerit, profutura aliquando poſteritati ad eam prodantur. Specimen videbitis in Diatribe, quam dixi, quæ utcunq; ſcriptiuncula levis, tamen mirabimini interpretes, pleroſq; doctiſſimos homines, tam parùm in tam altæ eruditionis ſcriptore vidiſſe. Vix enim ullum locum tetigimus, præterquam, ubi illi errârunt, aut mentem ejus non ſunt aſſecuti. Sed hæc Vos judicabitis. Te tentatum eſſe invaletudine, invitisſimus legi. Credo placuiſſe ita Numini, ut cujus virtutis præcepta tradidiſſes,

didiſſes, ejus patientia ad paternam hanc ejus λημωείαν exemplum eſſes, opereq; ſcriptum doceres. Quod tamen ſupplex veneror, ut eam corpuſculo tuo tam ſanctæ & divinæ animæ φυλάκῳ, ut loquebantur veteres, ſanitatem concedat, eam animo alacrem hilaritatem in Neſtoreos annos præſtet, quibus indiges, ut Reipublicæ atque Academiæ Veſtræ ex tantis anguſtiis pulchrius caput erigentibus perennem gloriæ juventam ſapientisſimis conſiliis tuis reddas! Archiepiſcopatus noſter Bremenſis, ſub optimo Principe Regis Daniæ filio Frederico, nunc tandem revireſcit. De cujus pietate, prudentia, clementia in ſubjectos miſeros atque oppresſisſimos nihil poteſt dici, quod non eis minus. Sed longâ die opus eſt, ut corporis illius Hippoliti aut Penthei ritu diſcerpta membra ſub hoc Æſculapio in redivivum Virbium componantur & coëant. Affectum Reverendi & Clariſſ. Sauberti, tum Nobiliſſ. Ulrici omni obſervantiâ & amore ἀνζωπαζομαι. Iis, rogo, ut datâ occaſione officioſisſimam meo nomine ſalutem impertias. Sauberti & Virdungi valetudinem communi ſenſu doleo, & ut iſti Soles Academiæ atq; Urbi Veſtræ diu luceant, Deum precor! Vale, Vir magne, & nos ſolito amore complectere. Hagæ ad III. Id. Julias ſtil. n. Anno 1637.

Richterus Gronovio.

Peracceptum nobis eſt literarum tuarum commercium, Gronovi dilectisſime, tum ob eruditionem elegantisſimam, quam usquequaq; ſpirant, tum ob affectum, quo nos proſequeris, ſingularem, cujus non adumbrata ſigna, ſed expreſſa veſtigia in illis videre licet. Atq; hanc ſerram ut reciprocare perſeveres, rogo. Nos ut nihil eruditionis mutuæ, præſertim inter Reipublicæ munia gravisſima, quæ animum hunc à ſtudiis amœnioribus nunquam non avocant, præſtare Tibi poſſumus, ita de amoris noſtri erga Te conſtantiâ certum Te eſſe jubemus, nemini in Te amando ſecundi. Literas tuas ad Cl. Rittershuſium, quamprimum accepi, Altorphium miſi, ad quas nunc reſponſum & unà Epiſtolas incomparabilis Caſauboni, quas deſideràſti, his noſtris incluſas vides. Scripſit etiam ad Te Cl. Virdungus, & Commentarium ſuum denuo editum in Agricolam Taciti Tibi mittit, cui faſciculo Digeſta noſtra Pietatis adjunximus, quod amoris in Te argumentum boni conſules. Diatriben in Papinii Statii Silvas expecto, ingenii tui haut vulgaris monumentum ſine dubio omnium laude dignisſimum. Quàm ardenter quoq; videre deſiderem, quæ duo illa Europæ lumina, Heinſius & Salmaſius, orbi Chriſtiano donabunt, nuper fuſiùs Tibi declaravi, quibus Heroibus divinis ut obſervantiam noſtram & amorem officioſisſimum quàm diligentisſimè teſteris, etiam atq; etiam Te obteſtor. Et certè ut Heinſii, Viri ſummi, favorem ſæpius mihi declaratum, gloriam meam ſingula-

rem hactenus duxi, de cujus constantia injurius sim in virtutem illius, si dubitare velim: Ita haut parùm nos beabis, si & Salmasii, Viri maximi, amorem nobis conciliaveris. Tibi si quid vicissim studia nostra promereri poterunt, non rogare, sed imperare licebit. Vale, Gronovi eruditissime, & si quid habes de obsidione Bredana vel aliis rebus, quæ ad statum publicum pertinent, scribe. Apud nos nihil nunc scriptione dignum occurrit. Noribergæ pridie Idus Sextiles. A. C. 1637.

Idem Eidem.

AMicitiâ nostrâ fretus peragendum quid Tibi commendare non dubito. Vivit Leidæ virtute atq; eruditione clarissimus Johannes de Laët, qui ad Georgium Hieronymum Marstallerum, J.U.D. antehac apud nos Advocatum, hactenus familiariter scripsit; & nuper quidem Amstelodamo d. IV. Augusti, simulq; salvere nos jussit. Pro quo officii genere acceptissimo ut gratias ago, quas possum, maximas, & vicissim Virum, quem dixi, honoratissimum, olim cùm Leidæ hærerem, nobis vicinum, quàm optimè cum suis valere voveo, ita tristis hac vice nuncius esse cogor, dum obitum Marstalleri, Amici nostri desideratissimi, significare debeo. Extinxit n. eum febris ardens Francofurti ante paucas septimanas cùm vix ante semestre Consiliarii munus apud Francofurtenses suscepisset. Uxorem Augustanam, fœminam honestissimam, quàm gravidam reliquit, postquam filium sospitem in lucem edidit, idem fatum inevitabile paucis diebus pòst, quàm maritus decessit, terris eripuit. De qua præmatura pariter atque utriusque inopinâ morte & præstantissimum Dn. de Laët certiorem reddere haud grave Tibi sit, rogo. Vale & vive Amicorum exoptatissime.

Gronovius Richtero.

AMplissime & summe Vir, Domine ac Fautor maxime. Silentium meum, quod mihi primò ægerrimè accidit, meditatâ apud Te oratione excusarem, qui apud neminem magis officii mei rationem constare cupio, nisi justissimam & sonticam causam æquo animo Te accepturum sperarem. Ante duos ferè menses dederam typographo, qui librum meum excudit & hîc habitat, fasciculum, in quo literæ & levidense munus, Diatribe nostra: Quem ille actoribus patris sui ad Francofurtensem mercatum profecturis, ut ipse mihi dixerat, commendaret, inde ad Vos curandum. Jamq; securus & judicia vestra exspectans, cùm ante paucos dies Leidæ negotii causâ essem, cognosco, neminem à Mairio (id nomen Bibliopolæ) ad nundinas missum & fasciculum meum ibidem reperio. Quæ me res vehementer conturbavit, eò maximè, quòd pro tanto Vestro benefi-

beneficio puderet me tam serò agi gratias. De Epistolis Casauboni loquor, quo quidem egregio augmento nequaquam opus nostrum carere volueram. Et hoc igitur feramus ἀχνύμενοί περ. Te verò, Amplissime Domine, etiam atque etiam obtestor, ne, meam hîc aliquam noxam esse, existimes, & hanc ingratam moram simili ulciscare. Tuas ad præstantissimum Latium statim misi, qui in hæc verba respondit: Vix explicare possum, quantopere me affecerit nuntius de obitu singularis Amici D. Marstalleri, certè gaudium, quod merito capiebam ex humanissimis tuis literis, & Amplissimi D. Richteri perhonorificâ salutatione plurimum interpolavit, ne dicam pænè corrupit. Non possum enim non dolere Virum tam præclarum, tam bene de me meritum ipso in flore ætatis extinctum esse, atque eo potissimùm tempore, quum jam ad diu meritos honores fausto passu ascenderet. Sed ita sunt humana, & credo bene cum ipso actum in hac summa Germaniæ calamitate: Id unum me consolatur. Cæterùm quæso, ut Amplissimo Viro, Dn. Richtero, quum occasio sese offert, significes, me & famæ ipsius prolixè favere, & semper paratum fore omni obsequio ipsum colere. D. Heinsius, cùm hæc scriberem, Urbe aberat, simul atq; autem fuerit reversus, ostendam, Te hoc officium memori commendâsse. Epistolam Dn. Richteri remitto &c. Lugd. Batav. VI. Septembr. Non diu post easdem ad τὸν πάνυ Salmasium allegavi, qui sic respondit: Tarditatem responsi ad tuas posteriores si incusaveris, excusabunt facilè variæ occupationes, quibus districtus fui. Puto jam Te defunctum esse molestiâ illâ ὀδονταλγίας, quâ Te vexari tunc querebaris. Opto certè ex animo, eâ Te liberatum. Expertus scio, quanti doloris sit illud malum, quod solet ab illis, qui eo carent, aut contemni aut irrideri. Literas Amplissimi Consiliarii Noribergensis D. Richteri ad Te remitto, quem meo nomine plurimùm, si placebit, jubebis salvere. Nihil mihi optatius est nec acceptum magis quàm hujusmodi Viris, doctrinâ & probitate ac dignitate conspicuis, innotescere &c. Leidæ XVI. Cal. Octobr. Cùm vero nuper essem ibi pauculas horas, pranderemq; apud τὸν θαυμάσιον Heinsium, mentionem tuarum injeci, partemq; & prælegi: Tum ille exorsus laudes tuas, de quibus lubentissimè loquitur, veteri more etiam honori tuo poculum libavit vini, jussitq; humanissimam salutationem suam Tibi rescribere. Cæterùm scito, inter duos illos summos Viros pessimè convenire & magnâ arte nobis esse opus, ut utriusq; gratiam partibus non permixti retineamus. De quo aliàs latiùs. Nudius quartus redii Bredâ, quò excurreram, ut & castra Illustriss. Principis & Urbem contemplarer. Juvabat enim videre illud fortitudinis & prudentiæ militaris miraculum: Urbem, quam ideam & exemplar hujus seculi munitionum solitus est dicere Mauritius ὁ μακαρίτης, quam prudentissimus imperator Spinola vi capere se posse

posse desperavit, & decem mensium latissima per castella obsidione fame tandem in potestatem redegit, cujus illa obsidio Hispanicas opes & potentissimum inter Christianos Reges Monarcham ita fregit, debilitavit, comminuit, ut postea nihil ἀξιόλογον in hos infensissimos suos hostes potuerit moliri, eam, inquam, Urbem vi apertâ & coactu, septimâ postquam contra eam muniri cœperat hebdomade, servante eam forti sanè & hostibus etiam laudato Præfecto expugnatam. Venlonam tamen proditione, Ruremundam vi (neq; tamen ullam ferre poterat) amisimus, sed damnum minus fama est. Digesta tua & Virdungi Commentarium avidè exspecto. Librum meum propediem spero officio D. Bilderbeccii, qui Coloniæ Ordinum procurator est, habebis, nunc ille Vir illustris, cujus gratiâ mittere ad illum possem, in provincia est, cujus hic vices gerit. Vale, Vir summe, & me ama. Hagæ a. d. VIII. Cal. Nov. Anno cIↄ Iↄc XXXVII.

P. S. Quod præcipuum fuerat, festinatio pænè omiserat. Quod Epistolas Casauboni tuâ potissimum gratiâ & officio ab amiciss. Rittershusio accepimus, immortales habeo habeboq; Tibi gratias. Rogo autem, ut monere eum non desinas, ut cæteras, quas in schedis suis habere se scripsit, & tunc non erant obviæ, omni curâ conquirat, & ad nos mittat. Erit enim opus pulcherrimum & nobilissimum: Tum lentè proceditur, ut facilè exspectare eas possimus.

Richterus Gronovio.

MI eruditissime Dn. Gronovi, Amicorum dilectissime. Scito, multas me Tibi debere gratias pro literis tuis longè suavissimis acceptissimisq;, quas quinto abhinc mense ad nos dedisti, quibus quæ de Heinsio, Salmasio & Latio, Viris summis trigaq; literatorum splendidissimâ, quos ego in oculis fero, inseruisti, ita me abs Te beatum Tibi affirmo, ut gaudio etiam exilierim. Tam jucundum nempe fuit ex literis tuis, quæ aliàs etiam solius tui nomine semper mihi sunt gratissimæ; istam quoq; felicitatis partem haud vulgari accessione intelligere, pro quo certè nuncio longè exoptatissimo singulari nexu me devinctum Tibi fateor. Obsecro autem, ut gaudium istud nobis perennare & affectum tam benignum tantorum Heroum, erga me immerentem licèt, conservare studeas. Mihi nihil unquam erit antiquius quàm ut amore illo, si non aliâ ratione, saltem singulari observantiâ animiq; promptitudine non fucatâ dignum me, quantum licet, reddere possim; quod Tu pro tua, quâ polles, facundiâ coràm meliùs inculcare noveris, illis omnibus & singulis (quos salvere jubeo peramanter ac devotissimè) quàm ego literis explicare. Fasciculum & Diatriben tuam, cujus meministi, nondum accepi, ut rectiùs igitur curare ea velis, atq, sic desiderium, quod accendisti, restinguere rogo. Digesta nostra, spero, jam Tibi sunt reddita:

dita: Sin minùs, & eadem forsan eorum est fortuna, quæ tui fasciculi, significabis, ut de impedimentis inquirere possim, curavit ea mercator nostras Heigelius ad fratrem in Athenæo Leidensi Studiosum. Nunc accipe, quæ de Virdungi nostri, heu! non ampliùs nostri, sed τῦ μακαρείτυ, obitu & successore discipulo, quem ipse jam pridem designavit & succenturiari sibi optavit unicè, nescire Te nolo. Ingrata ea Tibi fore injurius sim in amorem tuum, quo defunctum prosequutus es haud tralatitiè, si dubitare velim. Neque, credo, displicebit successoris, Viri-Juvenis eruditissimi pariter atque modestissimi, ingenium præclarum Virdungo olim tantopere placitum & amatum. Sed & hoc audi. Ex quo tempore Procancellarii munus Academ. nostræ imponi mihi passus sum, in promotionibus publicis pro more Lycæi nostri Orationes mihi habendæ sunt, quarum decadem priorem Amicorum efflagitationibus assiduis, propediem edi permittam. Quo eventu, viderint illi, qui me sæpius renitentem tandem expugnârunt. Designationem his inclusi. Vale &, quod facis, mutuo amore nos prosequi persevera. Noribergæ prid. Id. Mart. cIↄ Iↄc XXXVIII.

P. S. Si vena tua elegantissima carmine editionem exornare dignabitur, (non enim tam citò absolvetur, quod nondum est inceptum) pristinis tuis erga nos meritis & istum cumulum annumerabo. Quid de Casauboni Epistolis sperandum nobis sit, scire aveo. Ut & illud, quo pretio Athenæum cum commentariis Casauboni, Solinum cum commentariis Salmasii, & Eusebium Scaligeri, & quæ de emendatione temporum edidit, Lugduni Batavor. emere liceat. Ubi significaveris, quod rogatum Te volo maximè, scribam Tibi, quid velim amplius. De Heinsii annotationibus in Fœdus Novum, responsum ab ipso expecto, ad quem nunc iterum scripsi. Quæ à Rittershusio nostro desideras, jam, credo, ipse Tibi respondit. Statim enim tuas ad illum misi. Vale iterum φιλτάτη κεφαλὴ, & amici importunas petitiones affectui in Te nostro singulari tribue. Orationis, de qua supra quatuor exempla accipis, de quibus tria tribus illis Viris, quos suprà laudavi, colendissimis, vel Virdungi non ignoti nomine cum salute pl. offeres. Addidi unum de ruina nobilitatis Romanæ, quod gratum Tibi fore nullus dubito. Raptim ut suprà.

Gronovius Richtero.

S. P. Amplissime Vir. Cùm in procinctu essem, ut Amsterodamum irem, quò ad se plus vice simplici me invitavit Vossius ὁ πάνυ, supervenit optimus Heigelius & τριπόθητον fasciculum tuum inq; eo duplex munus mihi tradidit. Utriusq; χάριν ingentes ago gratias, Teq; oro, Vir magne, ut apud Cl. Virdungum id meo nomine facias, qui nisi occupatissimus essem & stans pede in uno

hæc chartæ inlinerem, hoc munus non delegarem. Ipse non ut ἀντίδωρον præstarem Vobis; quod enim χάλκεα χρυσέων? sed ut debitum pridem expungerem potiùs, è vestigio reddidi duo exemplaria illi Diatribæ ad Silvas, Tibi unum, alterum Cl. Virdungo inscriptum, quando post tres dies se castra moturum & patriam repetiturum ajebat. Qui propter officia plurima carus mihi est, ei hoc quoq; nomine felix iter ipsi rebusq; ejus opto, ut ista τεκμήρια meæ erga Vos observantiæ ad Vos salva perveniant. Plura misissem exemplaria, si plura in mundo habuissem, aut tantum mihi Heigelioq; fuisset otii, ut ego ab typographo petere, ille me petentem exspectare possemus. Nunc cupidus sum intelligendi judicii vestri, hæc principia sunt, quibus omina inesse canit Vates, Fastorum descriptor: Ea si cum plausu excipientur, habebimus in posterum, cur audeamus ipsi, & habebunt eruditi, cur quippiam de studiis nostris sperent. Sin, à risu & ludibrio liberabimur maturo silentio, & amabimus illud, λάθε βιώσας. Epistolæ Casauboni bene procedunt. Erit opus egregium & spectabile. Mirabar fasciculo tuo nullas additas Cl. Rittershusii literas, qui perbreves illas, quamvis prolixis, se redempturum erat minatus, & simul, quæ penes fratrem essent, Casauboni missurum pollicitus. Si super est spes nanciscendarum illarum, urge, oro, Virum optimum, ne nos illis carere sinat. Nam consilii istius de novo opere Epistolarum dando quæ ratio? aut quando id opus apparebit? ne dicam nullo genere sive amplitudinem, sive typorum elegantiam, sive chartæ nitorem, spectes, id cum nostro fore comparandum. Autor essem potiùs ipsi, ut ex Epistolis diversorum ad τὸν πάνυ Parentem ejus scriptis, selectum volumen daret. Sic & meliùs merebitur de re literaria, & Famam Nominis reddet illustriorem. Sed & liberum tuum habebit non publicare ullam, in qua non aliquid doceatur. At in dandis unius clari Viri Epistolis fieri non potest, quin multæ interjiciantur, quæ præter salutationem nihil ferant. Cl. Salmasius partem primam de Usuris edidit. Vellem videres jam, aut mihi nunc eam mittere liceret. Aut solus ille Vir πανεπιστήμων est, aut nemo est. Vale, Vir Amplissime, in gloriam patriæ nate, &, nisi grave est, Cl. Rittershusium aliosq;, quibus curæ nomen nostrum, salvere jube. Hagæ post diem III. Eid. Mart. Anno cIↄ Iↄc XXXVIII.

P. S. Quid audio de Bibliotheca Im Hofiorum, quæ à Pirckheimero descendit? Verùmne est, Legatum Regis Magnæ Britanniæ Comitem Arondellium emisse eam, uti hîc fertur. Amabo Te, fac, id sciam. Cùm rescribes, poteris Coloniam destinare tuas ad Bilderbeccium, Agentem Dnn. Ordinum. Is libenter ad me curabit.

Idem

Idem Eidem.

AMplissime Vir. Festinatio optimi Heigelii nostri effecit, ut, cùm ille mihi redderet vestra ἰσχνδία δῶρα, tuum, inquam, & Cl. Virdungi, Vobis gratias agendi copia non esset. Postea aliquot dies inter catenata negotia & varios discursus mihi effluxere, sic, ut parùm de studiis cogitarem. Ubi inde me explicui, nihil mihi antiquius, quàm ut gustum caperem duorũ egregiorum scriptorum, quorum alterum doctiorem me faciet, alterum religiosiorem, qui apex Christianæ sapientiæ est. Quid verò quantumvis magna eruditio est sine arte colendi & placandi Numinis? Verè ille olim primas mortalibus scelerum caussas fuisse naturam nescire superorum: Et magnâ mercede didicimus, discimusq; cùm maximè in misera patria, quid sit in ista re vel imperitiorem vel omissiorem esse. Utinam hoc tandem seriò agnosceremus! Utinam multis illorum

Οἷς λαοί τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλε.

facundissima tua & cordata præfatio persuaderet! Tangis enim ipsum fontem mali, & unicum propinas remedium, quo tanta malorum lerna ab imo usq; exaratur. Atq; ego, dum apud animum meum meditor, quas Tibi laudes gratesq; agam, sic mecum constitui, veriùs gratias agi non posse Tibi, quàm si illâ arte, quam gravissimus autor nos doces, utamur. Itaq; in sinu posthac geram illum lepidum novum libellum. Aridâ modò pumice expolitum, & pietatis officium gratamq; λειτεργίαν Te mystagogo exercebo. Diatriben accepisse Te, puto. Aveo de ea cognoscere tuum, hoc est, severum ac forte judicium. Epistolæ Casauboni tandem respiciunt finem, ac fortassis post mensem σὺν Θεῷ εἰπεῖν erunt absolutæ. Earum, curabo, simul prodierint, exemplaria habeatis. Elzevirii parant alteram editionem Epistolarum Scaligeri. Vidi hisce oculis apud Cl. Rittershusium plusculas ad Parentem ejus ab illustri illo Viro scriptas: Vix una edita est. Quod si eâdem comitate, quâ fecit in Casaubonianis, illas descriptas huc mittere volet, curabo, ut illud augmentum eximio nunc operi addatur. Salmasius primam partem de Usuris dedit, opus omni genere doctrinæ refertissimum. Nuper etiam, cùm Florus recuderetur, addidit scriptorem antehac ἀνέκδοτον Lucium Ampelium elegantem satis, &, quem mirum est, tam diu latere potuisse. Libellus est instar Polyhistoris Soliniani: Auctor à descriptione partium Orbis ad historias progreditur, & multa habet, quæ alibi non leguntur. Ad Cl. Virdungum unas de eodem oleo parabam: Sed avocor. Itaq; rogo, quod commodo tuo fiat, ut meo nomine officiosissimè eum salutes, & pro munere aureo gratias ei gratissimas agas. Quæ spes in lectionibus illius in Eutropium? Hofmannum quoq; salvere velim: Qui Vir præstantissimus nuper responsum à me

petiit ad epistolam suam, quam ego nullus vidi. Vale, Vir Amplissime, cum tuis, & me ama. DEUS Te Reipubl. & Academiæ σεμνὸν ἔρεισμα servet. Hagæ a. d. III. Cal. Majas Julian. Anno 1638.

Idem Eidem.

AMplissime Domine. Graviter adflixit me tristissimus nuntius de obitu Cl. Virdungi, in quo Academia Vestra magnum decus literæ σεμνὸν ἔρεισμα, omnes Amici Virum optimum καὶ φιλόφιλον ὡς μάλιστα amisimus, in tanta præsertim penuria sanè sapientium & doctrinæ morum virtutisq; curam adjungentium. Gaudeo tamen, ut, per dolorem licet, ex τοῦ μακαρείτου potissimùm disciplina subnatum præclarum ingenium, quod defuncti & funus laudaret & vicem bonis omnibus sortiretur. Cujus vim expectationemq; ex egregiis speciminibus animo concepimus, quibus ille eruditionem juxta & pietatem erga Præceptorem suum luculentissime probavit. Optamus longos ei & felices annos, ut spem, quam dedit, tantam impleat, & multis etiam parasangis superet. Gratia verò sit Prudentissimis illis Viris, qui Te expugnârunt, ut docta tua dicta pronunciata ad aures coronæ præstantissimæ omnium oculis exponere dignareris. Sanè si discessio facienda sit, quomodo concedere ego aliam in partem possim, qui cùm primam ex facundissimo ore tuo excepissem, ἐξ ὄνυχος τὸν λέοντα æstimans exinde admirari Te cœpi & notitiam tui ultro ambire? Equidem salivam motam mihi fateor, & oportere omnes vates concurrere ac conferre lauros suas ad tantum munus cohonestandum. Quos inter ego comparere non possum, nisi suffragio tuo, qui nec unquam ad Heliconis fontem admissus sum, & si quam habui venulam, ea in usu longo exaruit. Ex quo enim his in oris undiq; tot præstantibus Poëtis circumfusus vixi, conticui, & multis annis vix terquaterve tentavi chelyn. Memineram quippe legisse apud Comicum: *Strenuiori si quis suas pugnas narrat, de illius ore fiunt sordida*: Pulsavi tamen jussu tuo spretus toties neglectusq; Musarum fores, & epigrammation velut ex quercu exsculpsi, cujus omine jus tuum erit: Sive abolere illud & Veneris marito tradere, sive, quia ars in eo nulla est, amorem boni consulere velis. De libris quod mandaveras, inquisivi. Eusebius Scaligeri Leidæ Hagæq; venalis non est. De emendatione temporum venditur florenis Belgicis 16. hoc est, sex imperialibus & baziis, puto, octo aut novem vestris. Salmasii Solinus 18. flor. h. e. imper. septem & baz. duobus an tribus. Athenæus cum comm. Dalecampii & Casauboni flor. 16. si quid præterea vis, nihil tam magnum est, modò sit in viribus meis, quod non lubens Tibi, magne Richtere, debeam, impera modò, & factum puta. (Salmasius, Heinsius, Latius merito tuo in oculis Te ferunt, virtutes ingentes

amant

amant & benignitati gratias agunt.) Vale, Vir Amplissime & uti amare me ostendas, utere, quasi ære tuo emptus essem. Hagæ a. d. III. Cal. Jun. Julian. Anno 1638.

P. S. Casauboni Epistolæ lentè procedunt non operarum magis, quàm typographi ignaviâ, quod genus mirificè eruditis illudere nôsti, quia ex se famam illorum pendere putant. Diatriben accepisse Te puto. Quia optimo Virdungo non potuit munus nostrum contingere, si ita placet Tibi, Rittershusio id dicatum esto, qui tamen antiquum obtinet, hoc est, nostri obliviscitur.

Ad Amplissimum & singularem Virum DN. GEORGIUM RICHTERUM, JC. Noricæ Reipubl. Consiliarium, Academiæ Procancellarium gravissimum, cùm, post DIGESTA PIETATIS, ORATIONUM DECADEM ederet.

Delicium Patriæ, quo se probat inclita Noris,
Ac Pirckheimerum non superesse vetat,
Et quos innumeros victura nomina famæ,
Aut parit aut ingens matris adoptat honos,
Post claras artes & magni jussa Senatus
Et curas patrium quêis Helicona beat.
Exemplo docet ille suo, quo pondere vocis
Pertractandi homines, quâ pietate Deus.
Sic RICHTERVS agit, sic dividit ocia tantùm
Et vacuas horas: Desidis illa quies.
Quem colitis cives, Academi templa verentur,
Autore à tanto quis didicisse neget?

JOHANNES FREDERICUS GRONOVIUS.

Richterus Gronovio.

S. P. Mi eruditissime atq; exoptatissime GRONOVI. Lentum nomen, fateor, me habes, sed non malum. Agnosco enim bonâ fide tarditatis culpam, quam ad ternas tuas jam diu silendo contraxi, ad easq;, serò licèt, responsa,

quæ debeo, nunc ſimul, quantum fas eſt, exſolvo. Et quidem ad poſtremas tuas III. Kal. Junii dátas, omnium primò, quibus carmen affectus in me tui, ut & ingenii rarioris argumentum (nunc publicum) adjunxiſti, pro quo, ut & aliis tuis officiis, in me promptiſſimis, gratias Tibi agere debeo, ſed, qui ſatis dignas, neſcio. Tantas igitur ago, ſi non quantas volo & debeo, ſaltem quantas poſſum: Relaturus, quod ſpondeo, nunquam non, quoties per occaſionem licebit, quàm ſtudioſiſſimè. Diatriben tuam, quam nondum accepi, eò avidiùs quotidie expecto, quò diutiùs tanto munere, per neſcio quas remoras, carendum mihi eſt. Ubi accepero, exemplum alterum, Virdungo olim, noſtro deſtinatum, Rittershuſio, ut jubes, reddi curabo, quem, ut petitioni tuæ æquiſſimæ in mittendis Epiſtolis Scaligeri & Caſauboni ſatisfaciat, non ita pridem coràm monui: Quo effectu ipſius ad Te literæ loquentur. Interim Orationes noſtras his adjunctas ita Tibi mitto, ut eas duntaxat amoris noſtri habeas indices, nequaquam verò, quaſi tanti eas faciam, quæ à magnis ingeniis, quibus tuum citra adulandi ſtudium (quod deteſtor) annumero, diligentiùs legi mereantur: Quà animi teſtificatione etiam reliqua tua tria exemplaria magnis iſtis literatorum Ephoris, Viris ſummis, Salmaſio, Heinſio & Latio, cum pl. ſalute offerri cupio. Judicium illorum ſublime extimeſco potiùs quàm deſidero: Neq; ignoro Heroas iſtos ad mediocria (ſi modò & inter mediocria noſtra ponere licet) non deſcendere. Argumenta hæc ſolùm habeant affectus, quo illos proſequor, amantiſſimi. Nunc ad alteras tuas accedo, quibus, III. Cal. Maji exaratis, ſalivam de Lucio illo Ampelio moviſti, quem Salmaſius ὁ πάνυ cum Floro edidit. Eum, ut & ejusdem partem primam de Uſuris, quam ſcribis, nimiùm quantùm videre geſtio: Nec non Heinſii Annotationes in Novum Fœdus, ſimulq́; Epiſtolas Caſauboni, quas, Te feliciter obſtetricante, in lucem prodituras jam diu eſt, cùm expectamus, & alias magnarum iſtarum animarum fœtus, quorum pretium nuper ſignificâſti, de quibus commodè ad nos mittendis apud mercatores noſtrates inquiram, &, ſi quid certi mihi innotuerit, ad Te ſcribam proximè. Ad primas deniq; tuas, III. Eid. Martii ſcriptas, illud ſaltem eſt, quod nunc reſpondeam (Diatribe enim tua, ut jam ſuprà dixi, nondum nobis eſt reddita) verum omnino eſſe, quod de Pirckheimeri Bibliotheca, Legato Magnæ Britanniæ Regis vendita, audiviſti: Quod ut Tu non abſq; cauſa miraris, ita multi ſunt apud nos, qui hanc felicitatem exteris invident. Sed ita, credo, erat in fatis, quo Rectori, DEO O. M. Te commendo, Teq́;, Amice jucundiſſime, ex animi ſententia valere cupio. Dab. Noribergæ Calend. Septembr. A. C. 1638.

Gro-

Gronovius Richtero.

O Gratas mihi exspectatasq; tuas, Amplissime Virorum, quas a. d. IV. Cal. Jan. Jul. demum accepi. Jam tabellarios accusabam, jam metus fingebam mihi & caussas diuturni silentii atroces: Nam de amore tuo dubitare nefas. Eas igitur vanas fuisse, solisq; occupationibus tuis, quas gravissimas esse scio & debere omni privatæ curæ præverti, me cessisse lætor. Magnas etiam gratias habeo Tibi pro præclaro tuo munere, in quo omnia egregia πάντα λόγων τε καὶ παιδείας καὶ σεμνότητος μεστὰ, πάντα εὐπρεπῆ, præter solum meum inconditum κτῆμα. Obtuli etiam Triumviris illis, quæ misisti, exemplaria, qui gratias agunt ingentes, in primis D. Heinsius ὁ θαυμάσιος, cujus literarum ad me exemplum inclusi. Diatriben meam tandem Vobis redditam existimo. Nunc accipe alium libellum fratre non meliorem. Qui etsi dignus non sit, qui à Te legatur, dignum tamen est affectu, quo me complecteris, ut etiam tenuium curarum nostrarum non sis ignarus: Dignum est observantiâ meâ, ut pro eximio dono, quale possum, Tibi redhostiam, hoc est, χάλκεα χρυσείων! Libenter addidissem exemplar ad Cl. Rittershusium: Sed non ausus fui fasciculum gravare; præsertim cùm alium fortè crassiorem ab ipso exspectem. Proximis nundinis unà cum Epistolis Casaubonianis id certò mittere constitui. Interim autem vellas ipsi, rogo, de Alexio, quem per me Salmasio promisit, isq; non exspectat, sed διψᾷ. Ejus pars secunda de Usuris una cum Heinsii Exercitationibus mense, puto Martio aut Aprili ex Elzeviriana officina prodibunt. Si quid me tuâ caussâ hîc vis curare, ingentem mihi feceris injuriam, si id fidenter mandare mihi pigreris. Vellem plura, sed & aliis occupationibus avocor, & plusculæ epistolæ scriptæ jam me defatigârunt, & scribendæ integrum redderent breviorem. Vale, Vir magne, & me ama. Hagæ a. d. III. Eid. Jan. Jul. Anno 1639. Quem Tibi, tuis, Vestræq; Reipubl. lætissimum precor.

Heinsius Gronovio.

VIrorum Amicissime. Inter præclaras, quas semper admiratus sum, animas Richterum nostrum habeo: Cum quo suaviter ante annos plures hîc egisse memini. Quò gratiùs eximium ac verè tali Viro dignum, quod nuperrimè misisti, munusculum fuisse fateor. Cujus nomine, quantum illi debeam, apud Virum Amplissimum occasione primâ testabor: Quod ut per Te fiat, interim obnixè rogo, qui quantum Tibi quoque hîc debeam, & candidè & lubentissimè agnosco. Amicissimo Fabricio me ut commendes, peto: Ad quem ante dies aliquot, cùm adhuc Trajecti esset, scripsi; quas rectè illi traditas non dubito:

bito: Per Te tamen, nisi grave id, certior de eo velim fieri Præstantissime ac Clarissime Vir, Vale. Lug. Batav. 6. Jan. Anno 1639. Totus & ex animo tuus

εἰλικρινής.

Gronovius Richtero.

S. P. Amplissime & magne Vir. Nactus occasionem dandi illuc aliquid literarum, Te præterire religioni habui, præsertim cùm de discessu meo ex Hollandia Te monere negotia & festinatio me prohiberent. Ultimas meas, quibus Heinsianarum exemplum, nî fallor, adjunxeram, spero rectè Tibi redditas. Libellos etiam meos quin tandem acceperis, non ampliùs dubito. Ego, cùm ita exigeret res præsens, ægrè à tot præstantibus ac amicis animabus, ut fieri assolet, divulsus, relictis sarcinulis & librorum suppellectile, quam paullò ampliorem, dum ibi hæreo, comparavi, ex Belgio produxi peregrinationem meam in hanc insulam, & inde in Galliam quoq; trajecturus sum. Cui videndæ & ibi capiendis in Jure Civili honoribus aliquantum temporis destinavi, antequam patriæ me reddam gremio. Promiserat Cl. Rittershusius, se missurum ad me Alexii Regis de re militari Commentarium, quem Salmasio traderem, atque ille exspectat impatienter. Dedi in mandatis familiari cuidam, ut, si me absente fasciculus ille Hagam adferretur, securè eum resignaret, & librum ad summum Virum destinaret ociùs. Nunc, rogo, salute dictâ meo nomine, quàm humanissimè moneas optimum Rittershusium, ut si nondum itineri commissus est thesaurus iste, rectà cum literis suis eum ad Salmasium per Elzevirios, aut si quos habere potest Amsterodami fideles hujus negotii procuratores, mittat. Confirmo, ei meâ fide gratissimum futurum id munus, & quàm primùm responsum à maximo & ad humanitatem nato Viro habiturum. Nam Illustris Dominus de Tienhoven, cujus comitas olim inserviebat mihi in literis ad Vos per Bilderbeccium mittendis ingenti Reipublicæ, & literarum damno paucis ante abitum meum diebus extremum diem clausit. Si quid his respondere otium est Tibi, potes tradere id Nobiliss. Dn. Ulrico, à quo has accepisti. Nec enim proximis duobus mensibus ex Britannia discedam. Et filius ejus libenter ad me curabit, etiamsi in Galliam jam ivissem. Atq; ibi, si qua in re inservire Tibi potero, invidebis observantiæ erga Te meæ, nisi fidenter mihi imperabis. Vale, Vir Amplissime, & vive nostri memor. Scripsi raptim Londini postrid. Id. Maji Julian. 1639.

AMplissime & Consultissime Vir. Vide, quàm sim importunus & nugarum mearum Te semper faciam testem. Non erat satis semel Papinii Silvas attigisse: Vix prodiit liber meus, & subitò adversarium invenit. Is est Emericus Cruceus,

Cruceus, Monachus &, neſcio, in quo Collegio Pariſienſi pædagogus. Qui cùm impar Achilli ante me congreſſus fuiſſet, non temperavi mihi, quin locis quibusdam inſubidum hominis judicium redarguerem. Ille quaſi conflictus cum Gevartio bene ei ceſſiſſet, integro anno vix tandem Antidiatriben ſive Frondationem, ut appellat, exſculpſit, in qua omni genere convitiorum in me debacchatur & præcipuas obſervationes noſtras ſucco lolliginis adſperſit. Cùm Roterodami commodum conſcendere vellem, id futile ſcriptum redditum eſt mihi, miſſu magni Salmaſii, ad quem exemplaria aliquot deſtinaverat Puteanus. Ego, dum Angliam viſo, feſtinato calore ex itinere reſpondi. Nec ille dignus erat, cujus ratio ulla haberetur, nec noſter ille abortus lucem merebatur. Ut tamen Lutetiam veni, eruditionis matrem tantum apud me potuerunt præſtantiſſimorum Virorum ſtimuli, ut haud invitus typographo darem. Cæterùm per abſentiam meam opuſculum ita deformatum eſt, ut me ejus pigeat pœniteatq́;. Nihil eſt in eo, quod lectionem tuam allicere poſſit, ubi tamen ridere voles, ſuadeo primam hanc materiam ne dedignere. Sanè dum meditabar, freno potiùs quàm calcaribus indigere mihi videbar, tam luculenter ubiq; reperiebam jocandi anſas. Si hoc quoq; ſcire vacas. Pridie Cal. Majas honores ſummos hîc in Jure utroq; ſuſcepi. Nunc in procinctu ſum, ut ver æſtatemq́; proximam σὺν Θεῷ εἰπεῖν in celebrioribus Galliæ Provinciis Urbibusq; conſumam. Quanquam nihil eſt, non dico in toto hoc regno, ſed in omni terrarum orbe, quod Pariſiis queat comparari. Ibi eruditio, ibi humanitas, ibi mores habitant: Ibi perpetuæ elegantium hominum nundinæ, nec uſpiam magis ingenium & virtus minore cum invidia æſtimatur. Itaque omnia mihi præ illa Urbe ſordent, & hoc properabo magis, quò citiùs tam candidarum animarum amplexu, reddi me poſſe ſperabo. Illuſtriſſimus Legatus Grotius recudi curavit librum de Veritate Religionis cum additamento egregio notarum. Ejusdem in N. Teſtamentum Obſervationes perfectæ ſunt, nec quicquam præter typographum deſideratur, quem tamen vix ibi ingenti bonorum cum dividia inveniet. Libri LX. Baſilicon, qui poſt Cujacium periiſſe credebantur, denuo reperti ſunt, ingens theſaurus Jurisprudentiæ & maximo pretio à Rege redemti, qui Annibali Fabroto ſtipendium annuum eâ ſolùm fini conſtituit, ut iis vertendis edendisq́; operam daret. Deſiderius Heraldus ſub incude habet erudititiſſimum opus de autoritate rerum judicatarum. Salmaſii parens ſummus nobiliſſimusq́; Vir, Præſes Parlamenti Burgundici Ditione, non ita pridem μακάρων ἀελθμειάδας cæpit, quod ejus adventum in hoc regnum cauſabitur, qui ut eſt exſpectatiſſimus, ita tantum temporis, quod cernendæ hæreditatis causâ hîc aget, publicis curis eripi jure

doleo. Habebam alia: Sed avocor. Vale, Vir magne, & me ama. Juliomagi Andium Nonis April. Anno 1640.

P. S. Puto, accepisse Te, quas Londino ad Te dedi. Exemplaria duo curavi tradi civi vestro egregio, juveni Hectori Pœmero: Alterum, nisi grave est, Cl. Rittershusio cum multa salute tradi curabis. Vale, Vir summe.

Richterus Gronovio.

S. P. Clarissime & Consultissime Vir, Amice non è multis. Annus nunc est quartus, quum nihil literarum ad Te dedi, abs Te verò accepi ternas; ex Hollandia, Anglia & Gallia, simulq; donaria tua acceptissima; Diatriben, inquam, in Papinii Statii Silvas, libros Observationum & Diatribes elenchum: Ingenii tui magni monumenta præstantissima, & quæ certè seculum ferent, pro quibus haut vulgariter obstrictum me Tibi agnosco. Duplici etiam nomine gratulandum à me Tibi esse sentio, tum quòd summos in Utroq; Jure adeptus es honores tuo merito, tum quòd contra Diatriben tuam talem nactus es antagonistam, qui calumniando hoc boni nobis procuravit, ut & eruditionis tuæ ac virtutis specimina dares uberiora, & amor egregius Nobilissimi Salmasii, literatorum principis sine pari, in Te tam luculenter constaret publicè. Macte hac felicitate Virorum præstantissime, ad tanti amatoris virtutes inusitatas adæquare ne cessa. Cum primis verò cave, ne diuturnum silentium nostrum sequius interpreteris. Præter occupationes meas Reipubl. gravissimas, quæ tempore hoc belli in Germania plùs quàm intestini magis magisq; augescunt, etiam invaletudinem meam frequentiorem, qua cum conflictandum mihi est quotannis, puto, non ignoras. Nolebam præterea ideò ad Te scribere, quia inscius eram, ubi locorum hoc vel illo tempore hæreres, dum nunc cum Belgis, nunc cum Britannis, nunc cum Gallis vitam transigebas: Præsertim quum Te, post Galliam peragratam, etiam Italiam perlustrâsse inaudiverim; atq; ita quidem, ut Romæ etiam summo Pontifici non ignotus bene vixeris; licèt Casauboni Epistolæ (thesaurus ingens, pro cujus publicatione Orbem literatorum in ære tuo habes) ut liber hæreticus, Vulcano ibi traditus dicatur. Sed non opus erit operosâ excusatione apud amantem. Ad alia igitur. Præter Salmasii libros de Usuris, ut & τὰ πάνυ Grotii Annotationes Evangeliorum, quibus se ipsum nunc, ut antè alios, superavit. Si quid nôsti, quod Viri isti divini publico ulteriùs donârint, certiorem me, quæso, redde. Illorum enim scripta accuratissima unicum post sacrum codicem contra horum temporum calamitates solatium habeo. At verò & statum rerum tuarum, & quid ampliùs ab ingenii tui rarioris dexteritate expectandum nobis sit, brevi, fac, sciam. De me si quid audire velis, ille, qui has Tibi

Tibi reddet, filius meus unicus & dilectiſſimus, Johannes Georgius, coram Tibi ſignificabit, quem Lugdunum Batavorum ſtudiorum gratiâ, faxit DEUS feliciter, mitto; cui, quum Hamburgum, ubi Te nunc vivere audivi transeundum ſit, nefas putavi, eum absq; meis ad Te literis illuc ire, & in emporio Germaniæ florentiſſimo eum non videre, cujus flores, fructusq; ingenii longè præſtantioris ibi nunc potiſſimum vireſcere unà mecum non neſcit, & à quo exinde amari deſiderat maximopere. Fac igitur, mi Gronovi, ut voti ſui compos reddatur, quod fiet, ubi eum diſcedentem familiaribus tuis Salmaſio, Heinſio, Boxhornio, Barlæo, & quos alios Amſtelodami, Leidæ & Hagæ habes Viros eximios, Romano more, quod rogo, commendabis. Vixit Altorphii per quinquennium haut incola degener, & in Philoſophiæ Legumq; ſcientia, literis humanioribus eo tempore diverſa ſpecimina publicè edidit, pro quibus Numinis benignitati gratiæ nobis maximæ ſunt agendæ. Ego verſum illum Maronis:

Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis,

nunc demum verè intelligo, quod & Tibi aliquando contingat, opto. Injurius verò ſim in virtutem tuam, ſi de affectu tuo erga nos dubitare velim. Igitur Vale, Amicorum exoptatiſſime, & ad has quàm primùm, quæſo, reſponde. Sed excidit, quod omnium primò ſcire Te volebam. Itaq; nunc addo: Nactus ſum Papinii Statii codicem manuſcriptum antiquum, quem forſan gratum habuiſſes, quum ſcriberes Diatriben tuam. Sed & nunc, quid cum eo velis, expectat: Jube igitur quicquid volueris, & parebit. Vale iterum, &, ſi me amas, filium quoq;, cordis mei dimidium, ama. Dab. Noribergæ ad d. XIV. Maji A. C. 1642.

Gronovius Richtero.

AMpliſſime & Conſultiſſime Vir, Domine & Amice maxime. Quas a. d. XIV. Maji ſcripſiſti gratas ter & ampliùs Idibus Decembris accepi, ſed videndi latoris voluptate fraudatus. Quod non tam ipſius quàm meâ causâ doleo. Quippe ipſum nomen paternum claris hominibus ſatis commendat mihi egregia occaſio & officii in partem teſtandi & tanti Viri Amiciq; ſobolem complectendi periit. Sed ut utrumq; damnum reſarciatur, ego primis meis ad Leidenſes mentionem ipſius dignam tuis meritis faciam, & Tu jubere ipſi potes, ne ex his provinciis me inſalutato diſcedat. Bidui itinere diſtamus ab Hollandico Athenæo, nec ipſum pœnitebit ſuſceptæ tam parvæ moleſtiæ. Ne enim ignores, mihi ex ambitioſa peregrinatione reduci Daventrienſes Tranſilvaniæ, ut nôſti, civitas gratos compedes injecerunt, & Profeſſionem Hiſtoriarum ac Eloquentiæ ſtipendio Iɔccc flor. Holland. demandârunt. Romæ agens in ipſa domina rerum Urbe primùm ab ipſis honorificè invitabar: Sed gratias agebam,

quòd destinatum cursum rumpere nollem, nec ipsos me exspectare diu adhuc vagaturum opinabar. Post octo menses denuò sollicitabant Lutetiam reversum; denique tot Amici in Belgis auctores erant, itaq;, quamvis nolentibus cognatis, manum illis dedi. Sed secreto me impellebat, quòd refugerem turbines, negotiorum & quietem literariam captabam ad exasciandam illam materiam, quam in peregrinatione ex variis, ut ita dicam, silvis cecidi. Andegavi octo menses substiti, & maximè vetus meum Juris studium recolui, inq; maxima frequentia non modò juvenum, sed civium honoratorum, ut Adsessorum Curiæ Præsidialis, Advocatorum, aliorum Magistratuum, quibus innotueram, & respondi & donatus honoribus sum. Alibi curam literarum egi. Sic Livium plus mille locis integriorem emendatioremq; ex Regiis, Puteanorum Fratrum, Pletavianis, Mediceis, Barberinis MSS. reddidi. Tragicum Senecam quoq; ex venerandæ vetustatis libro locis plurimis, in quibus Heroes illi Lipsius, Scaliger, Gruterus, ut alios taceam, hæserunt, emaculavi. Nactus sum præterea Alexiadem Annæ Comnenæ doctissimæ & Atticissantis Principis triplo auctiorem, quam David Hoeschelius edidit. P. Papinium denuò cum sex aut septem MSS. contuli, & magnam Silvam observationum καὶ διορθώσεων in eam collegi. Quas juvabit, spero, codex tuus, & erit mihi gratissimum, hanc nancisci occasionem amicitiæ nostræ ad posteritatem transmittendæ. Cave enim, moreris eum librum ad me mittere, vel per ipsum tabellarium, qui ordinariè Norībergâ Hamburgum venit: Nisi nimis est magnus. Nam sumtum ego vecturæ non recuso. Multa sunt, de quibus libenter latiùs agerem Tecum, agamq; proximâ occasione. Nunc rogo, ut me ames, & memor sis mittendi, ut poteris, Papinii. Vale Amplissime Domine. Scripsi Daventriæ ad d. VI. Cal. Jan. Anni C. 1643. quem felicissimum vobis precor.

Richterus Gronovio.

QUàm gratæ mihi venerint XI. Cal. Februarii, quas VI. Cal. Januarii ad me dedisti, verbis exprimere nefas mihi est. Neq; tam diu ad eas siluissem, nisi vis major, arthritis, inquam, & calculi dolores acutissimi, qui corpusculũ hoc tantum non enecârunt, hactenus Deo ita disponente, obstitisset. Nunquam enim neq; graviùs neq; diutiùs ægrotavi, quàm hoc anno, ante dies nõ ita multos morti proximus. Sed quæ me percussit manus DEI Omnipotentis, tandem quoq; eò usq; iterum sanavit clementissime, ut museum nunc denuo, tanquam gradu testudineo, ingredi valeam. Misericordiæ altissimi sit laus & gloria sempiterna. Tibi verò de honoribus tuis, quos scripsisti, etiam atq; etiam gratulor & gaudeo, eosq; Tibi à Deo O. M. magis magisq; fortunari animitus opto & voveo. Filium meum unicum & charissimum JOHANNEM GEORGIUM, qui has Tibi reddit,

quia

quin cõmendatum habiturus ſis, injurius ſim in virtutem tuam, ſi dubitare velim, aut ancipiti curâ multis rogare. Novi affectum tuum, mi opt. Gronovi, haut vulgarem noſtriq; amantiſſimum, quem demereri curæ nobis erit, quamdiu Spiritus hos regit artus. Quæſo Te, qui G[illegible]m iter, ut alia felix ſuperâſti, quid obſervandum ipſi ſit, quid cavendũ, ut ſecu[illegible]his belli tumultibus cũ ſociis illuc abire queat, haut gravatim communica. Nôſti illud Tullii: Hoc maximè officii eſt, ut quisq; maximè opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari, ubi & Ennianum illud commendat; *Ut homo, qui erranti comiter monſtrat viam,*

Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit:
Ut nihilominus ipſi luceat, cùm illi accenderit.

Certè devincies nos Tibi maximopere, & ne ingrati habeamur, uterq; cavebimus. Papinium meum manuſcriptum mittam, ut petiiſti, Hamburgum, quamprimum per rhedarios conſuetos erit occaſio. Major enim eſt, quàm ut per tabellarium portari poſſit. Si quid aliud quoq; apud nos eſt, quo animi noſtri promptitudinem Tibi ſignificare licet, impera, & parebimus promptè. Plura filius coràm, ſi deſideras, Tibi narrabit, quem ut & Hugoni Grotio & Claudio Salmaſio, Viris ſummis & Literatorum Duumviris, in Gallia, & ſi quos alios ibi Amicos habes, Romano more commendare velis, obnixè Te rogatum volo. Vale, Vir Excellentiſſime, & literis tuis jucundiſſimis ſæpius exhilarare me ne ceſſa. Dab. Noribergæ V. Non. Maji Anno τῦ σωτῆρ☉ Dionyſiano 1643.

Idem Eidem.

OCtiduum eſt, quum Tibi, mi Clariſſime & amiciſſime Gronovi, ſcripſi, me Papinium meum manuſcriptum, quem deſideras, per occaſionem Tibi miſſurum. Eam nunc præter ſpem per rhedarios Hamburgenſes ad Paulum Langermannum, avunculum tuum, nactus en citra moram liberare me promiſſo volui, & Te voti tui, utinam, pro voto tuo, participem reddere. Si palato tuo ſapit, eſt, quod gaudeam, & de monumento amicitiæ noſtræ ad poſteritatem, ut ais, transmittendæ utriq; gratulor. Sin verò animum hunc erga Te pro virtute tua æſtimabis. Filium meum ex Hollandia in Galliam abiturientem jam ſpero, vidiſti: Scripſit enim mihi proximè, ſe, ſtatim à Diſputatione Lugduni Batavorum habita, ad Te Daventriam abiturum. Si quid officiorum ipſi præſtitiſti, præſertim, quò meliùs tutiusq; iter ſuum Gallicum inſtituere poſſit, ibiq; Viris magnis per Te innoteſcere, de quo Virtus tua dubitare me non ſinit, ad gratias non tantùm debitas maximasq;, ſed ad omnia etiam officia atq; ſtudia, quæ amicum amico præſtare par eſt, viciſſim me Tibi nullo non tempore pro virili devinctum experieris, ut & filii animum perpetuò gratum Tibiq; pecu-

culiariter obnoxium. De Grotio & Salmasio, Literatorum Smaragdis, quorum illum ob Appendicem ad Novum Fœdus, Antichristum revelatum, hunc verò ob illa, quæ hactenus contra Heinsium inculcavit, rixarum calumniantur magistrum, si quid habes, & quid Tibi de hoc [illegible]llo videatur, nî grave est, quæso, ad me scribe. Scripta illorum publica, ut & q[illegible] Rivetus & Maresius, contra Grotii studia pacis indefessa nuper ediderunt, vidi: De quibus, quia judicium meum superant, illos, qui non ultra crepidam, audire velim. Ego, multi jam sunt anni, quum Erasmi & Cassandri scripta ob pietatem & eruditionem rariorem, cumprimis verò ob studium pacis verè Christianum, mirificè amo & amplector: Quem animum publicè etiam aliquoties jam testari aliisq; idem suadere nullus dubitavi. Quum ad Grotium scripseris, cujus humanitatem me ante annos XXVIII. Hagæ Comitis expertam gloriari soleo sæpius, ut eum quàm officiosissimè à me salutes, etiam atq; etiam rogo. Beati erimus, si & filium meum, Te parario, humanitate suâ dignabitur. Tu Vale, Vir Excellentissime, Amice impensè mihi chare & honorande, & quod nuper petii, ut literis tuis suavissimis delectare nos sæpius digneris, nunc ingemino. Dabam Noribergæ ad d. III. Idus Maji A. C. 1643.

Gronovius Georgiis Richteris.

Patri & Filio, Viris Nobilissimis atque Amplissimis.

Vivere Vos & me amare, Venerande Senex, tantoq; Patri probatissime Fili, nuntii mihi beati & quorum, dum fata permittent, nunquam satias erit. Mitto hîc libellum subitarium, deproperatum invitatu magni illius Viri, cui inscriptus est: Neq; enim materiam illam collegeram, ut aut separatim aut tam citò eam ederem. Cæterum occasio mihi proprium meum consilium extorsit. Et tamen spero non intempestivum hunc laborem esse. Vos judicabitis. De Statio quæritis? Exspectatis & sustineatis, necesse est. Livium nostrum tantus favor lectoris prosequutus est, ut alteram editionem adornent Elzevirii. Itaq; omnes ille meas lucrativas horas tenet. Eâ diligentiâ utar, quasi nunc primùm cum tangerem. Et operæ pretium, Deo volente, erit. Hunc cùm dimisero, Tragœdiis Senecæ curam impendam. Hinc vacuas manus, εἰ τῷ κρείττονι φίλον, occupabit Papinius. Cæterùm literario me otio satis inhærentem his diebus ad rem publicam rapuit fortuna. Habemus eam ex Aristocratia & Democratia temperatam, Magistratus & Senatum annuum. Civitas divisa est in octo tribus Secundus ordo singulis in tribubus. Seviri Jurati (geschworne Gemeins-Männer) omnes XLVIII. Viri repræsentant civitatem, horum comitia sunt, lectioq; Senatus & Magistratuum creatio: Ea modestia, ut plerunq; omnibus in Senatum lectis proro-

prorogetur honos, sed si quis displicet, nullâ redditâ causâ potest præteriri, & alius ei sufficî: Ubi quis obiit, aut præteritus est, ex his in Senatum leguntur: Sine his neq; tributa indicere, neq; novas leges ferre, neq; bona publica obligare, neq; de bello aut pace, aut fœderibus statuere Senatui licet. Quater in anno ex lege præter diem comitialem Magistratibus creandis (qui est D. Petri ad Cathedram) sæpius extra ordinem convocantur ab Senatu: Nec per viatorem aut apparitorem, sed Senatores ipsi per se singuli tres Seviros, domi convenientes, ad constitutum diem citant. Congregati ubi ad relationem Senatus responderunt, & ipsis, quicquid in publicum conducere existimant, referendi postulandiq; jus est. Deniq; hæc via ad honores, Provincias, Legationes Hagam usq; ad Concilium Ordinum Generalium, si cui fortuna & gratia civium propitia fuerit. In hunc ordinem proximis comitiis, me nihil tale cogitantem, neq; verbulo ullo vel per me vel per meos aucupatum primum omnium Professorum, dum hoc Gymnasium stetit, & quidem in prærogativam seu primam tribuni legerunt. Hoc judicio delector, etiamsi nihil subsequatur eorum, quæ alibi augurantur, aut spe præsumunt. Ego enim hactenus, si quæ habeo, ornamenta mea omnia pudore promerui, & quicquid bonorum favor ad me detulit, citiùs ferè adeptus sum, quàm aut ipso destinari aut ab aliis destinari mihi compertum habui. Neq; hanc rationem mutabo, postquam ad eam ætatem perveni, quam nihil magis quàm constantia decet. Labitur enim mihi annus quadragesimus. Valete. Decora Patriæ, cum omnibus vestris. Daventriæ postrid. Eid. Martii Jul. 1651.

Joh. Georg. Styrtzelius Georg. Richtero,

SAlutem, Cultum & Observantium. Nob. Exc. Consultissime Dn. ProCancellarie, Fautor & Patrone plurimùm colende. Amanuensis tuus, propinquus verò meus, ... etsi dum hîc nuper esset, desiderium meum ex parte acceperit; mentem tamen animi minùs rectè percepit. Nolim enim, me quisquam tam rusticum arbitretur, qui Tibi tali & tanto Viro petitione tam imprudenti, ne dicam impudenti, gravis esse sustineam. Non equidem diffiteor, me, Orationum tuarum mentione factâ, mirabili extemplò illas & videndi, & quamprimum, non alterius cujusdam, nedum tuo dono, sed meo potiùs ære, adquirendi, accensum cupiditate. Quam ut Tibi per . . . . nostrum expositam intellego, ita, num id, adhibitâ, quæ decebat, cautione factum sit, nescio, & parùm abest, quin dubitem, maximè quòd pulcherrimæ materiæ non tantùm manum tuam, sed & ligaturam (quam vocant) doni pretio magis magisq; augendo, addidisti. Quod à Te sicubi ultro profectum, tanto majori me

afficit

afficit gaudio, quanto majori, intempestivitate fortè procurantis extortum, perfundat rubore. Quicquid sit, ego, in dubio, mihi ipsi blandiri, & meliora polliceri malo, quàm sequius quid de uno alterové suspicari. Hinc & eò majores Tibi grates me debere agnosco, qui ultroneâ liberalitate me ad veteris (sic enim Tibi indigitare placuit) Amicitiæ memoriam & perennitatem, vel provocare, vel revocare dignatus es. Quod & ipsum magni mihi instàr est muneris. Quanti enim Viri, in isto honorum & dignitatum fastigio constituti, pectori non solùm nondum elabsum; sed humanâ insuper compellatione & amicâ manu honoratum esse, de minorum gentium tribu, hominem, faciendum ducam, non facilè dixerim. Unde & debitum, quo, Vir Nob. tam insperato facto tuo, me obstrinxisti, tantò majus cluet. De quo exsolvendo tamen, hoc tempore, non dicam, nec laborare, sed ne cogitare licet, addo & (in illis angustiis versamur) libet. Referes igitur me tantisper, dum melior nos respiciat Fortuna, in nominum tuorum album, ne quando Tibi excidam. Quod si chirographum desideras, has ejus vicem sufficere velim. Sin & testem requiris, ecce! Omni exceptione majorem, Virum, quo humaniorem & candidiorem (nam, quæ de Eruditione ejus feruntur verissima, orbem jam dudum replêrunt utrumq;) Sol hic, credo, neminem adspicit, HENISIUM meum, quem minimè, ita confido, respues. Si ne hoc modo Tibi satis cautum arbitraris, age! ostende meliorem, fortiorem, & in me nihil erit moræ, quo ex toto Tibi satis fiat.

In quo miseriarum & calamitatum pelago jam natitemus, imò in quem adversitatum abyssum præcipitati simus misclli ...., explicare nec unius Epistolæ, imò nec unius annalis res sit: Sub specie insignis Clementiæ & memorabilis Gratiæ, ad incitas redigimur; nec, sub onere fatiscentes & jamjam animam agentes, vel mussare audemus. Heu! indignissimam conditionem nostram! cujus descriptione prolixiori Tibi, publicis Patriæ occupationibus nimis quam implicito, molestiam facessere, sit & patientiâ tuâ abuti, & nullam cultus, Tibi debiti, rationem habere. Finio proinde, & Te, Fautor & Patrone honoratissime, cum tuis, in omne ævum, quàm felicissimè agere DEUM precor, etiam etiamq; cogitans, huic, Te literis compellandi, audaciæ, cui ansam ipsus, comitate tuâ, præbuisti, uti facilis ignoscere velis, & me Tibi porrò commendatum esse sinas. Rotenb. Tub. XXII. Decembr. Jul. anno à partu Virgineo CIƆ IƆC XL. cujus &, jamjam adproperantem, exitum, & insecuturi initium, medium & finem Tibi quàm feliciss. quàm faustissimum animitùs opto & voveo!

Rich-

Richterus Styrtzelio.

S. P. & anni hujus initium, quem ante octiduum Numinis benignitate auspicati sumus, curriculum quàm felicissimum! Nobilis, Amplissime & Prudentissime Vir, Amice honorande. Peracceptum mihi fuisse credas velim, ex literis tuis amicissimis, constantiam amoris tui cognovisse: De quo etsi nunquam ut dubitarem, nisi in Virtutem tuam peccare velim, mihi contigit, nova tamen illius vestigia tam luculento testimonio expressa, mirum quàm me confirment, afficiant, delectent. Amorem tuum agnosco, non meritum meum. Mereri tamen amoris vicissitudine studebo, ne quem nimiùm laudas, minùs amare perseveres. Ex eodem affectu tuo laudabili venit, quòd qualiacunque mea tantopere Tibi arrident, quæ abs Te æstimari, tuoque ingenio haud vulgari non displicuisse, est, quòd mihi gratulor, quanquam qui ita amant, parùm rectè judicare solent. Quicquid sit, amore Tecum certare curæ erit, cætera operam daturus, ne Viri boni officium in nobis unquam desideres. Pro Henisii effigie, Viri rarioris, gratiam habeo. Hæc pauca occupatissimus, quàm omnino nihil ad suavissimas tuas scribere malui. Tu ut properantiæ huic atq; brevitati ignoscas, rogo. Publica ex Literis ad Senatum intelliges. Rempublicam, ut nôsti, aliquam potiùs quàm nullam ut habeamus, omnes patriæ amantes etiam atq. etiam laborare par est. Vale, & nos, quod facis, ama. Dabam Noribergæ ad d. V. Idus Januarii Anno C. cIↃ IↃc XLI.

Casp. Hofmannus Georg. Richtero.

AMplissime & Consultissime Dn. Procancellarie. Qui has Tibi exhibet, JOHANN-GEORGIUS SAUBER, Rotenburgo-Tuberanus Medicinæ Candidatus est, & heri professus est apud me nomen suum. Hujus in Facultate nostra profectus quàm luculenti sint, cùm ex conversatione semestri, & quod excurrit, abundè didicerim, de sistendo Tibi illum nunquam equidem dubitavi, sed ingessit se subitò difficultas, quam absentia Jungermanni peperit. Quam cùm exponerem quibusdam è Collegis nostris, responderunt mihi, Tres quidem facere Collegium: Sed duos conservare. Hujus rei exemplum attulerunt JCtorum nostrorum Collegium. Hoc enim abitu Ungebaueri attenuatum, nihilo minori cum autoritate de jure responsa dedit petentibus, etiam ante suffectionem Rittershusii. De Marpurgensi Academia refert Candidatus, Mortuo hoc anno in militia Müllero, reliquos duos de consensu Principis, examinâsse & promovisse Tilemannum quendam, qui etiam in locum de-

functi successerit. De Argentinensibus scio, non nisi duos ibi esse Medicos, qui olim in examinibus assumserint tertium, Rixingerum, Logicum, sed nescio, an mortuo illo assumserint alium. Ego vero oppono voluntatem Dnn. nostrorum. Cùm Anno 1623. examinandi essent primi DD. Noribergâ illi submiserant Queccium p. m. Cùm Anno 1634. de voluntate eorundem DD. nostrorum, captivo tum Noeslero, stitissem Tibi tanquam Vice-Decanus, M. Georgium Mair, & ille vellet à me quoque & Jungermanno examinari, Consulti Dnn. rescripserunt, Tres facere Collegium. Hoc rescripto nisus ego in proximo Candidato nolui præsens-absens vim facere consuetudini jam apud nos firmatæ. Quicquid sit, sisto Tibi prænominatum Candidatum, & exspecto arbitrium & nutum tum Nobiliss. Dnn. Scholarcharum quàm tuum super examine. Bene vale, Ampliss. & Consultissime Vir, ex Altorfio nosto 24. Jan. 1638.

Richterus Hofmanno.

CLarissime & Spectatissime Dn. Decane. De Candidato Artis vestræ, quem commendâsti, Johanne-Georgio Saubero, Rotenburgo-Tuberano, paucis, quæ petiisti, simulque scire desideras, accipe. Potestatem sistendi se examinibus pro gradu summo consuetis & profectus suos, quorum præmia petit, ad præscriptum Legum nostrarum demonstrandi, cùm caussam abnuendi, nullam videam, lubens concedo. Tertii verò Collegæ Vestri nunc absentis Cl. dico D. Jungermanni, ita volentibus Nobilissimis Dnn. Scholarchis, quorum sententiam hac de re rogavi, vices pro tempore peragat Cl. Vir Dn. D. Fabricius, Medicus præstantissimus. Etsi enim exempla, ubi etiam Collegæ duo in ejusmodi casibus interdum pro sufficientibus habiti sunt, non deficiunt: Legibus tamen Domini nostri stare & sententiam amplecti tutiorem malunt, præsertim cùm jam semel iterumque, ut ipse allegâsti, etiam antehac prudentiæ illorum, quos dixi, haud abs re ita visum fuerit neq; heic, ut aliis forsan locis, succenturiati desint. Vestrûm itaque erit, uno vel altero die antè, quàm examen instituatis, de tempore, quod præfinire Vobis placuerit, certiores nos reddere, quo prædictus Dn. D. Fabricius ad Vos excurrere possit, quod ut prosperè succedat, opto. Vale. Noribergæ 26. Januarii 1638.

Hofmannus Richtero.

AMplissime & Consultissime Dn. Pro-Cancellarie. Quod paucis retrò diebus dubium fuit apud nostros, utrùm, si contigat, ut ex Collegio jam constituto ex tribus, vel absit unus, vel moriatur, reliqui duo tueri possint autoritatem Collegii? ejus pars affirmativa jam cœpit ita convalescere, ut ego quoque

cum illis sim. Nam quod pro fabula habebam, Tres constituunt Collegium, duo conservant: Id illi mihi explicant tanquam juris certi regulam, natam ex diuturno Academiarum consensu, cui contra iri non possit. Hunc confirmant novo Dn. D. Althoferi exemplo. Is enim examinatus & promotus est à duobus, Himmelio & Majore. Cum hoc in Medicina promovit, uti loquimur, Ratisbonensis quidam, qui pariter à duobus, Brendelio & Rolfinckio, honores habet, tertio Collegâ vocato quidem, sed in Italia adhuc hærente. Quin scribit ad me idem Rolfinckius. Nos (non potest autem alios intelligere quàm duos dictos) spatio sex septimanarum 6. Medicinæ Doctores renunciavimus. Imò verò testibus evincunt, Calixtum Helmstadii, solum ex tribus reliquum, binos Theologiæ Doctores creâsse. Quicquid hujus sit, de duorum autoritate occentatur Candidato nostro, si ille contemnat, & patiatur superinduci Noribergâ tertium, fore ut maximam subeat invidiam. Hanc adeò ob causam venit ad Vos, rogatum, uti mitigetur sententia nuper dicta. Qua in re, quia scit ab A. T. se plurimùm adjuvari posse, voluit me uti internuncio. Ego ut non magnopere contendo: Ita velim, si possim, vitare incommoda, quæ inde pullulascere possunt. Plura Candidatus ipse. Bene Vale, Vir Ampl. & Consultissime. Scribo Altorfii 3. Febr. 1638.

Richterus Hofmanno.

CLarissime & Spectatissime Dn. Decane. Legibus potiùs quàm exemplis indulgendum esse, jam nuper Domini nostri, in casu illo Candidati Vestri, absente Collegâ tertio, examinandi, non absque ratione statuerunt. Atq; illorum jussu ita ego respondi, certus, sententiam istam juri & æquitati esse consentaneam. Et quis scit, si exempla illa contraria, nisi casu necessitatis nitantur, in disputationem forsan aliquam vocari contingat, saniorum judicio non reprehendenda magis quàm imitanda censeantur? Licèt etiam rationes persuadendi in contrarium non desint, dubium tamen non est, quin tutius longè sit, à tribus quàm à duobus approbari. Reliquæ rationes tanti non sunt, ut propter eas vadimonium deseratur. Quicquid verò sit, æquum fuisset pariter atque conveniens magis initio statim, quid animo Vobis sedeat, significare, quàm sententiæ semel dictæ mutationem efflagitando calculum quasi reducere, καὶ τὸν πεττὸν ἀναθέσθαι. Verùm ne Artis Vestræ honori, qui meritò curæ nobis est, favere minùs videamur, & ne Academia nostra odioso singularitatis nomine malè audiat, permittunt tandem Domini, cum quibus hodie rem denuo contuli, ut & Vos, nisi ad absentis reditum examina differre Vobis placet, & Candidatus festinationis suæ caussas idoneas Vobis adfert, citra adjunctionem tertii negotium

 persi-

perficiatis, & volenti officium Vestrum ne denegetis. Vale, Noribergæ VII. Februarii 1638.

Hofmannus Richtero.

SAlutem & observantiam cum voto serio, ut annus hic novus A. T. felicibus auspiciis ineat, felicioribus procedat, felicissimè exeat, & sæpius redeat, semper felicior. Nobilissime & Consultissime Vir, Pro-Cancellarie dignissime, Domine & Patrone colendissime. Quò inexspectatiores fuerunt mihi literæ tuæ, eò gratiores, vel ideò, quia à lectissimo juvene, domus tuæ fulcro unico, reddebantur. Verùm, ut dicam, quod res est, lectis illis non parùm perturbatus sum. Quid enim? Mihine seni commendari thesaurum tuum? hoc rerum statu? his studiosorum moribus? Habeo in convictu meo aliquot bonæ indolis juvenes, quos si onerari video sumtibus non necessariis, vita mihi acerba est, quòd mederi nequeam. Accedit hoc alterum, quòd de longinquo videam, quàm ista mutatio sit mihi invidiosa futura! Sed & hoc facilè ominari possum, non diu gratam fore filio tuo vicissitudinem hanc à splendidiore ad tenuiorem mensam. Quò minùs conjectare possum, quid spectârint isti consultores Medici, quicunque illi fuerunt. Quidquid sit horum, recepi filium tuum meritoque, lubensq; libensque, sed cum protestatione mea solita, si possit contentus esse tractatione modicâ, quæ hæc duo bona habeat, quod & munda sit & certæ horæ affixa. Quod impetraturum me persuadet mihi modestia illius jam satis perspecta nobis, & sæpius deprædicata mihi à Ruperto nostro. Et quanquam scio regi illum paterno potiùs consilio quàm externo, tamen si quid ἀπὸ μηχανῆς acciderit, credat, me non minùs illi velle quàm filio proprio, si quem haberem. Promissio amoris & benevolentiæ tantò mihi acceptior est, quò tristiora incipiunt ire tempora, quibus VIS, non JUS obtinet. Vel nuperæ molitiones Tyranniculorum nostrorum quales erant. Mihi verò tantò minùs ab illis metuo, quò sapientiùs à Vobis in ipsa herba appressæ sunt. Crede mihi, non facilè quiescent, adeò propellit illos AMBITIO. Sed injurius sum in tua tempora. Bene vale, & bene age, Patrone colendissime. Scribo ego Altorfii 14. Jan. 1640.

Idem Eidem.

NObilissime & Consultissime Vir &c. Cùm his diebus Patavio ab ipso autore acciperem duo hujus libri exempla, non fuit diu cogitandum, cui ex Amicis deberem alterum? Quia enim scio, inter gravissima Reipublicæ nostræ negotia non minùs Te delectari curiosis istis, quàm quilibet è grege Scholarium, adeoque non rarò interponere curis tuis hæc gaudia, ut ita accommodem

Poëtæ

Poëtæ versum: Volui hac fortuitâ mihi præbitâ occasione quasi obviam ire hoc donariolo & testari affectum meum. Bene Vale, Vir Amplissime, & contra vitilitigatores me defende. Scribo Altorfi 16. Maji 1640.

Richterus Hofmanno.

SAlutem officiosissimam! Clarissime & Excellentissime Dn. D. Hofmanne, Amice plurimùm honorande. Tu verò duplici me beneficio obruis, & antè quàm pro priore, quo benevolentiam erga filium ante trimestre, & quod excurrit, tam promptè declarâsti, gratias Tibi ago, alterum nunc adjicis, & Tomasini, Autoris eruditissimi, donaria & tabellas votivas, scriptum elegantissimum, mihi donas: Donum reverà acceptissimum, quod in lecto, ob articulorum imbecillitatem, post dolores arthriticos decumbens, quam primum nudius quartus accepi, devoravi. Gratias igitur Tibi & ago & habeo maximas, relaturus quoque, quâcunq; occasione licebit. Cumprimis autem perplacuit illud antiquum, quod scriptor antiquitatis peritissimus de votis pro ægrotantium salute eruditè refert, laborantes nimirum olim variis in templis detineri solitos, Medicos verò in æde pacis tantùm disputâsse remotis ægris. O utinam & mihi vel remoto à Medicis salubris tandem contingeret disputatio, optanda certè magis quàm speranda. Quin illud Apostoli potiùs habendum nobis ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτὸν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου &c. Verùm ubi & illud nunc oleum? Quo si quisquam, ego certus opus haberem omnium maximè, quem ventriculus frigidus hepar & cerebrum calidum, articuli podagrici & renes calculosi (tot simul hostes acerrimi) tam sæpè, proh dolor! in lectum dejiciunt. Sed hæc ita ex DEI O. M. providentia nunquam nobis non amanda, toleranda, colenda. Quò videlicet mortalitatis hujus pertæsi ad veram illam & cœlestem vitam eò lubentiùs atque rectiùs adspiremus. Sed quid tam multa ais? ut Tecum garriendo amorem meum Tibi testatum eam & simul, quod hactenus, vel per occupationes ἐγκυκλίους, quæ etiam in lecto, hoc præsertim tempore, circumvallatum me tenent, vel per invaletudinem tam diu ad priores tuas silui, usuram quasi moræ exsolvam. Cæterum nec illud mihi tacendum, Medico Te absente in morbo meo, qui ultra dies 17. lecto me affixum tenuit, usum me esse non citra voluptatem. Miraris forsan, & quomodo, inquis? Dum Theses Scherbianas ante annos 26. cum examine Panaceæ Anwaldinæ absq; Te editas (proh fidem! quantas delicias) deinde diatribam tuam eruditissimam de usu cerebri, quam Anno 1619. ad Gregorium Horstium V. Cl. scripsisti, magna cum ingenii admiratione perlegi, & quam dextrè Aristotelis sententiam saniorem contra Galeni sinisteritatem,

magna nominis Tui gloria, ad struas, pro tenuitate mea deprehendi: Quorum libellorum usu Cl. D. Hornius Medicus, qui Te merito tuo in oculis fert, ad tempus me beavit, qui etiam hac ipsâ horâ vespertinâ, quâ hæc scribo, visendi causâ ad me veniens, salutem plurimam Tibi dicere jussit. Et hæc hactenus. Contra vitilitigatores quòd Te Virorum optime defendi cupis, securum Te esse jubeo. Ipsa enim virtus tua tam altè radicata omnes hominum vaniloquorum ineptias vel superat, vel contemnit. Si quid tamen opus fuerit, ne quid in me, amico tuo certissimo, desideres, curabo. Vale Senex venerande, & nos amare persevera. Dab. Norimbergæ ad d. 22. Maji A. C. 1640.

Hofmannus Richtero.

AMplissime & Consultissime Vir. Donaria mea cum tabellis votivis fuisse grata adversùm Te, valdè gaudeo. Facio autem Tibi indicium, omnes, qui isthuc veniunt, negare, esse hoc scriptum præsbyteri illius, ut & alia, quæ nomen ejus præferunt: Sed Joh. Rhodii, cujus inter alios fit mentio in ipso vestibulo. Danus is est genere, qui ante hos 16. annos hàc transiens in Italiam, me visit, fecitque amicitiæ initium. Cum valetudine esse Tibi iras, συμπάσχω. Facilè autem intelligo, quæ sit origo mali, quòd non sis tuæ spontis, ut Celsus loquitur. Qui enim in πολιτικῷ illo vitæ genere versantur, vix possunt sibi satis consulere etiam, dum consulunt sibi. Ego verò, abjectis omnibus conviviis, composui me ferè ad nomen Amplissimi Viri, (sic Muretus vocat Notis in Senecam) Aloysii Cornelii, Patricii Veneti, quâ usus ad 90. evasit annum. Multa præclara in eam rem habet Antonius Lessus, Jesuita, in ὑγιαστικῷ suo, Antverpiæ in 8. Mihi quoq; meditatum est tale quid in quarta Oratione de illo, Medicè vivere esse optimè vivere: Quomodo scilicet is, qui errorem ex alieno arbitrio in convictu commisit, quotidie emendare possit & debeat culpam. Judicium tuum de scriptis meis magnifacio: Verùm vide etiam atque etiam, ne sit ex amore, quin Hornius noster instillârit Tibi? Quo minùs id credam, faciunt Amici, qui, ex variis Europæ partibus reduces, (pátere, quæso, hoc καύχασμα!) ajunt, HOFMANNUM tanti foris esse, ut, quoties mentio ipsius, caput aperiatur. Pátere & hoc. Vocationem habui ante biennium Patavium ad Theoricam Ordinariam in primo loco, cum stipendio mille Thalerorum in specie & liberâ praxi. Pateris & hoc, quoniam huc venimus. Verba sunt Amici de 13. Maji proximo. Miratur non tantùm Germania, sed etiam Italia, Gallia, Anglia & Belgium, singulares animi tui dotes & studium augendi Rempublicam Medicam. Nisi ratio senectutis habita fuisset, jam dudum ab Illustriss. Ordd. Hollandiæ amplo constituto stipendio professoriâ provinciâ decoratus fuisses. Hoc adeò ille fecit

occasio-

occasione nuncii, quod affert ad me, de iterata editione trium mearum tractationum de Liene, de Cerebro, de Ichoribus, Leidæ, hoc ipso anno. Verùm mihi videre nondum contigit has opellas. Quid VITILITIGATORES mei? vide, si placet, ipsus, in philura hac Variarum Reinesii, & quid responderim ego. Scribo 7. Calend. Junii 1640. Altorfii.

Richterus Hofmanno.

NOn occupatus, sed obrutus negotiis publicis gravissimis, raptim & paucis nunc respondeo. Quod & de valetudine mea & de statu tuo significâsti, per-mihi fuit- gratum & jucundum. Quantum vitæ meæ status permittit, consilium tuum omnium prudentissimum sequar, & normæ illi optimæ de victu accuratiore assuescere discam. Ni grave est, velim locum illum Mureti ad Senecam de Aloysio Cornelio adscribas, vel filio significes, qui ad me scribet. De nominis tui fama per totam Europam celeberrima, jam antè quoque inaudivi, Tibique & Academiæ nostræ etiam atq; etiam gratulor, & ut bonum hoc eximium per annos tuos Nestoreos diu possideamus, animitus opto. Vitilitigatores tuos mihi hactenus ignotas divinâ illâ tuâ epistolâ ad REINESIUM egregiè ultus es, quam, ut & alia ingenii tui præstantissimi monumenta rariora, publico ne invideas, oro. Remitto eam cum Variarum lectionum doctissimarum ipsius pagellis. Vale. III. Cal. Junii Anno Chr. 1640.

Hofmannus Richtero.

NObilissime, Amplissime & Consultissime Vir. Cùm his diebus cogitarem mecum in strato meo, ecqua causa fuerit veteribus sapientibus, cur suspicionem vocârint nequam: Cœpi dubitare de metu meo, de quo in proximis. Nec mora, cùm illo ipso die negotiolum aliud esset mihi apud vicinum, Cl. Dn. D. Kobium, feci, ejus rei obiter mentionem; qui subridens, libero, inquit Te, totâ molestiâ: Scio enim non venisse N. hoc sub mentem. Si ex animo loqueris, reddebam, præsta mihi solidam quietem, hac ratione, ut ipsemet se exculpet apud me! Lubentissimè, respondet. Et fecit. Hoc ipsum volui Tibi significare, & rogare, ne vitio mihi vertas, quòd istis nugis onerârim Te. Piscator enim bis ictus sapit, *si modò SAPIT.* Cujus additamenti rationem fortassis dabo aliquando coràm. Ex Italia habeo literas, in quibus cum mercatoribus Bozanensibus jubeor exspectare Petri Servii ferias juveniles, cum Epistolis Ceretæ & Bibliothecis Patavinis, in quibus si quid offendero, quod condire possit curas tuas publicas, videndas dabo, si volet, DEUS. Venére etiam ad manus

manus meas tres tractatuli mei, Leidæ recusi, in forma manuali, literâ & chartâ eleganti, ad quorum intuitum dixi: (Tu verò ignosce.) *Non sum adeò informis &c.* Consilia etiam agitant amici Veneti & Patavini de edendo GALENO meo Græco-Latino, cujus γεῦμα, librum de Ossibus, vidistine? Sed desino plura. Bene vale, & bene age. Scribo Altorfi prid. Id. Junii 1640.

Richterus Hofmanno.

SAlutem & officia. Clarissime & Excellentissime Vir, Amicorum honoratissime. Quòd non statim ad binas tuas respondi, equidem excusarem me Tibi eò diligentiùs, quò majorem gratiam me Tibi debere magis magisque deprehendo; nisi labores meos in Republica concatenatos jam ipse probè nôsses: Nihil igitur sinistri ex silentio meo diuturniore, pro candore tuo, unquam suspicaberis, sed hoc semper, ut certissimum, habebis persuasum, me, etsi verbis gratiam, quam debeo, non statim repono, animo tamen habere constante semper & parato. Mureti, illa nota notabilis de curanda valetudine exemplo Aloysii Cornelii valdè mihi placet: Sed ita cibum ad pondus & potum ad mensuram sumere, neq; unquam, ne tantulo quidem, modum præscriptum excedere, deinde modicis corporis exercitationibus uti, curas omnes procul ab se ablegare, & animum sermonibus amicorum atque honestis oblectationibus hilarare, vix centesimi, immò ne millesimi quidem hominis esse reor. Quanquam & hoc fateor, ideo etiam fieri, ut è mille vix unus & morborum expers vivat, & diu Medicis suis superstes ad extremam senectutem perveniat, quod ipsi contigit cum paucissimis; sed ita homines sumus plerique. Attamen si etiam omnia illa præcepta saluberrima observare mihi daretur, nefas tamen esset homini Reipublicæ servienti illud, quod primùm non immeritò dicas, curas nimirum omnes procul ablegare, id quod vix in Academia, ne dicam in Republica fieri posse putarem, nisi exemplum tuum staret in contrarium, quod & miror atque amo, ita ut porrò quoque ad metam vitæ serò & feliciter pertingas, opto voveoq;. Etsi verò nobis non licet esse tam beatis, ut exempla illa rariora tam exactè imitemur, quantum tamen per officii rationem licebit. Numinis faventiâ nihil non conabimur. Cura illa Decanatus, quam habuisti, liberatum Te esse gaudeo. Et ut verum fatear, vix persuadere mihi poteram, tam iniquos fore illos, quorum animum non incognitum mihi putabam. Sed hæc hactenus. Petri Servii feriis juvenalibus, Epistolis Ceretæ & Bibliothecis Patavinis salivam mihi movisti, sitim ardentiorem. Feram tamen eò fortiùs, quò magis experior animum tuum tam promptum sponte. Galenum tuum Græco-Latinum jam diu est, quum eruditi magno desiderio expectant, quos voti tandem compotes fieri artis Vestræ interest.

Librum

Librum tuum de Offibus videre nondum mihi contigit, de qua materia Pavium olim, Medicum Clar. cùm ante annos 26. Lugduni essem Batavorum, scripsisse memini, ubi Virum disertissimum in Botanicis & Anatomicis animi ergo audivi aliquoties. Tractatus tuos tres tam elegantissimâ formâ Leydæ excusos, vix unum alterumve diem heic venales fuisse à Bibliopola, quum emere vellem, cum indignatione intellexi. Sed ita fieri solet, ut quæ pulchra sunt, & citò & à pluribus ambiantur, obtineantur verò à paucioribus, quos inter & ego me esse doleo. Vale, & hanc oblectationem meam, quam ita Tecum garriendo percipio hilariùs, furtimque quasi rapio, literis tuis acceptissimis porrò quoque mihi ne invide. Noribergæ ad d. 18. Junii A. C. 1640.

P. S. Sed ecce oblitus penè fueram illud, quod volebam omnium primò, nimirum pro libello Lesfii me interim habere gratiam, quem ubi perlegero; hactenus enim tantum temporis suffurari nondum licuit, quàm primùm remittam. Vale iterum & nos ama.

Hofmannus Richtero.

NObilissime & Amplissime Dn. Pro-Cancellarie. Consilium tuum secutus, scripsi, in negotio Tibi in arte heic proposito, literas ad Dnn. Scholarchas, quas, rogo, amice tradi illis cures per actuarium, nec non, ubi res tulerit, juves me, si quà pote. Heri cùm haberentur rationes Academicæ, recensui præsentibus consilium tuum de discinctis nostris militibus. Itum fuit in sententiam meam: Non posse nos efficere quidquam, nisi manus nobis porrigantur hinc Norribergâ usque. Inter nos Argentinensesq; hoc esse discriminis, quòd ibi Rector in ipso palatio civili sit. Si quid igitur amplius me agere voles, imperabis. Varias lectiones Reinesii mei inspiciendas heic mitto, scio abstersuras multum molestiæ, ex negotiis hujus seculi turbulentis conceptæ. Ubi remiseris, mittam etiam P. Servii ferias juveniles, quas solas ex promissis libellis accepi. Ceteræ Epistolæ, quod ignorabam, sunt Lauræ illius, quam tantopere Petrarcha adamavit. Petrarcha ipse redivivus ab Ill. Tomasino nostro figuris æneis adornatus desiit haberi posse. Ideo recuditur, quod ex judicio Rhodii nostri habeo. Sed jam Te dimitto. Salve & vale, Vir Nob. & Ampl. Scribo Altorfii 16. Calend. Sextil.

Richterus Hofmanno.

S. P. Excell. & amicissime Dn. D. Hofmanne. Quòd deliciis ejusmodi, quales sunt Reinesii tui Variæ lectiones, beare me Tibi sedet, gratiam quam debeo, humanitati tuæ etiam atque etiam habeo. Non minorem quoque ago

pro Leonharti Lessii libello, quem hisce Tibi remitto, cujus Hygiasticon utinam tam diligenter factis assequi mihi liceret, quantâ voluptate rationem valetudinis longè optimam atque suavissimam perlegi, conatibus vires addat Archiater supremus, CHRISTUS JESUS, benedictus in secula! Adjunxi, ne verbis duntaxat Tecum agam, Johan. Francisci Spiræ catastrophen mundi, cujus exempla duo hisce diebus Amicus quidam mihi misit, è quibus alterum cui rectiùs donem quàm Tibi, qui me elegantissimis tuis aliorumq; scriptis recreare non desinens ultra illa, quorum illud de Petrarcha, quod innuisti, avidè expecto, utpote quem Virum optimum & suâ ætate doctissimum à Thuano, at quanto Censore! appellari memini. Ni grave est, de catastrophe illa, ubi commodo tuo legeris, judicium tuum gravissimum intelligere velim: Sed hæc hactenus. Literas tuas ad Nobilissimos Dnn. Scholarchas curavi, operam daturus, quantum licebit, si modò causa ista ad me venerit, ne voto tuo excidas. Vale. Dabam Noribergæ ad d. 12. Calend. Sextil. 1640.

Hofmannus Richtero.

IGnosce mihi, Vir Amplissime, si brevior sum. Nam ut negotia tua id volunt. Sisto Tibi heic Candidatum nostrum duplicem, & Medicinæ & Veneris, Dn. JOH. EBNER, Noribergensem, qui ob id aperiri sibi cupit à Te fores Meditrinæ, quò apertior illi sit aditus ad adyta Veneris. Sperat autem se tantò faciliùs id impetraturum à Te, quò majoris nominis intercessorem invenit Nobil. Dn. CHRISTOPH. AGRICOLAM, Equitem &c. utriusque nostrûm Affinem honorandum. Cæterùm Reinesiana nunquid ad palatum tuum? Vix credam, sunt enim tetrica magis, nisi legentem valdè æquum invenerint. Bibliothecæ Patavinæ Tomasini nihil aliud sunt quàm Catalogus librorum, qui hinc inde in amplissimæ Urbis, quà Cœnobiis quà privatis ædibus, cum pulvere & tineis luctantur. Laura Cereta longè alia est à Laura Petrarcha. Illa non nisi Epistolas habet cothurno Sophocleo superbientes, quales erant in mea juventute Ravisii & Sol Pantheri: Hæc historiam continet amœnissimam & florentissimam duorum castè se invicem amantium, quâ per horas subsecivas incredibiliter delector. Horum si quidquam velis, tuus est,

Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.

Bene vale, Vir Amplissime, & favorem tuum mihi perenna. Scribo Altorfii XI. Cal. Novembr. 1640.

Rich-

Richterus Hofmanno.

ITa eſt, mi Hofmanne, Medicorum Excellentiſſime, occupatiſſimus ſum, ut innuis, hoc præſertim tempore Comitiorum, quibus ut non præſens interſim, etſi propter valetudinis, quam nôſti, inconſtantiam ab Ampliſſimo Senatu noſtro impetravi, nulla tamen abit ſeptimana, quin publico nomine literas illuc exarandas habeam complures: Tantum verò abeſt, ut Tu ob hanc cauſſam in tuis ad me debeas eſſe brevior, ut potiùs ejusmodi delitiis, quibus literæ tuæ nunquam non abundant, animum, gravioribus negotiis defatigatum, mirum in modum recreari ſentiam. Quod enim ille de Orationibus ait Tullianis, eò ſuaviores eſſe eas, quò ſunt longiores, idem ego de tuis epiſtolis. Lubens verò meritoque petitioni tuæ annuo, & ut Candidatus iſte duplex Johannes Ebner, quem Apollo, Medicinæ Veſtræ Pater Venusque ſtimulant, adeoq; duplici hoc nomine duabus commendationibus, Tuâ & Agricolæ, Equitis Nob. mihi laudatus, ex præſcripto Legum noſtrarum examinandum ſe, quà privatim quà publice, Vobis ſiſtat, officii ratione concedo. De Reineſio tuo hoc habeo. Modicus variarum ipſius lectionum guſtus ita ſalivam mihi movit, ut ante pleniorem ejus fruitionem, quæ per occupationes frequentiores nondum mihi contigit, eum ad Te remittere nolim. Faxo autem, ut cum DEO fiat propediem: Sed ita, ut Tu deinde ad tempus participes nos facias amoris illius caſtiſſimi, quem ex Petrarchæ hiſtoria floridiſſima mihi laudas. Gratum etiam erit, alteram illam Lauram Ceretam videre. Tu verò hanc libertatem meam vel impudentiam potiùs petendi pro amore tuo dextrè interpreteris, rogo. Illud tandem Te neſcire nolo, innotuiſſe mihi de Pathologia tua, non ita pridem edita, utpote quam nudius quintus Cornelius Marci, Antiſtes noſter venerandus, pro concione publicè laudavit, dum in hiſtoria filii, malignâ febri laborantis, τοῦ βασιλικοῦ de variolis, (quibus & ego filiam unicam decumbentem nunc habeo, graſſatur enim apud nos vehementia nunquam audita antè) quid ſint, ex illa allegavit: Ita nimirum volitas per ora Virûm: Sed ſatis inter tot avocamenta. Vale igitur quàm optimè. Noribergæ d. feſto Simonis & Judæ A. C. 1640.

Hofmannus Richtero.

REineſii Variis, Vir Ampliſſime & Conſultiſſime, tam potui carere hactenus, quàm non poſſum carere favore tuo. Non erat igitur opus excuſatione ullà, multò minùs gratiarum actione, πάντα φίλων κοινά. Quod ipſum volo dictum de Pathologia-parva & Rejectaneis meis. Utramq; enim hanc opellam præmittere volui ταῖς χρηστομαθείαις παθολογικαῖς, operi grandiuſculo, ut

intelligant ampliùs boni ſapienteſq; MUNDUM OPUS HABERE LIBRIS HOFMANNI, quantumvis ringantur & indignentur oſores mei, qui ipſi VERITATIS jurati ſunt hoſtes. Cùm enim ipſi nihil agant ſerii, ſed, otio & luxu fracti, præconceptis opinionibus adeò pertinaciter inſiſtant, ut nihil magis oderint, quàm ſi jubeantur diſcere. Hanc adeò ob cauſſam obviam quaſi venit illis Pathologia hæc parva, tantùm non ſupplex illis facta, & cum gemitu orans: Nolint porrò quoque VERITATEM quidem contemnere, DEUM ipſum autem irridere. Ita enim eſt, ut verſus vetus ait.

Εἷς Θεός ἐςι Θεῷ δ' ἐν σύμφυτον Ἀλήθεια.

Hanc in veſtigio ſubſequens ADRASTEA porrigit iisdem Rejectanea, uti agnoſcant, nullum MENDACIUM veteraſcere. Moverunt hoc ſaxum ante me optimi maximi quiq;, è quorum numero ſelegi TRIARIOS tres, quos vides, ut illi quidem pugnent pro me; ego autem invidiæ declinandæ ſpectator tantùm ſim. Eſt inter hos SONERUS olim noſter, tantò major ὑπερασπιςὴς veritatis, quantò deſpectiores ſunt velites illi pulverulenti, qui quidvis malunt, quàm legere aliquid lectione dignum: Sed & habeo privatam cauſam, cur velim illum militare pro me, quòd ſciam, amâſſe quidem illum me, reſpondiſſe autem me illi καθ' δύναμιν. Hoc audiant illi, qui ſecùs heic ſentiunt, ἀλλ' ἄλις σπουδῆς. Petrarcham, uti vides, mitto, quo uteris ſecurè, quamdiu voles. Præmoneo autem offenſurum Te ad lapidem, ubi ultra medium progreſſus fueris. Typographus enim inſigni ſcelere non turbavit tantum ordinem foliorum quorundam, ſed & integram philuram omiſit. De Poſt-curis meis literas à Rhodio habeo, eſſe ibi Colonienſem quendam, qui publicare velit. De GALENO, οὐδ' ὄναρ. Neque novum hoc mihi aut inexſpectatum. Jamdiu enim cogitans mecum hæc tempora, ſcripſi ad Amicos fore, quod in proverbio dicitur:

Ὤδινεν ὄρος, καὶ μῦν ἔτεκεν.

Accedit ad publica mala jam hoc proprium, quòd generum amiſi Iſenaci, D. Chriſtoph. Kern, qui neptem mihi reliquit, quam vellem ad Vos quamprimum tranſlatam: Sed quid faciam in Riphæis iſtis frigoribus? Tenella eſt, & ab utero colica, jam ſeptennis. DEUS miſereatur noſtri, quà publicè quà privatim. Ubi enim nos exitum nullum invenimus, habet ille infinitos. Scripſeram hæc manè: Cùm prandio ſuperveniens Candidatus noſter, Dn. Ebnerus, exhibuit mihi literas, quas ante 1 µ. dies ſcripſiſſe Te ais. Cui cùm ſignificarem, videri Te non leviter offenſum iſtâ morâ, ſanctè affirmavit: Non licuiſſe ſibi per catarrhos & alia incommoda iter facere! Quin, cùm indicerem illi tentamen in craſtinum, deprecatus eſt, tantopere recruduiſſe fluxiones propter heſternum frigus, ut opus ſibi ſit quiete & calore aliquot dierum: Feci igitur illi poteſtatem

tem eligendi diem, quem ſtatuit proximum Jovis, qui erit, cum bono DEO, 26. Novembr. Tum verò ubi θ. de Scorbuto abſolverit & typographus obſecundatus fuerit, videbimus de die promotoriali juxtà & nuptiali. Vereor etiam, ut ante Natalitia res confieri poſſit, cùm noſtris moribus poſt Adventus feſtum diem nuptias celebrare non liceat. Quo loco cùm res ſint. Spero me excuſationem inventurum ſilentii mei. Cæterùm, cùm ex his intelligam, velle Te floridiſſimo ſcripti Petrarchiani generi additas Lauræ Ceretæ epiſtolas, ecce eas tibi, ut accepi, ſine titulo. Has dum perquiro inter chartas meas, invenio tuas quoque Orationes nondum compactas, uti loquimur. Cauſa moræ eſt exſpectatio Virdungianarum ejusdem argumenti delitiarum, quas in diem eſſe affirmat Rupertus noſter, ob mutabiles N. mores. Quem in poteſtate habere Te cùm ſciam, compelle hominem quæſo, vel cum pipulo. Et quia Ruperti mentio, ſignifico Tibi, me cooperante gratiâ divinâ per hoc ſemeſtre eripuiſſe illum ex orci faucibus, non minùs quàm Orpheus olim Euridicen ſuam. Quod ſi non reſpexerit, ſpero nos per aliquot annos frui poſſe divinitùs illi conceſſis bonis. Miraris! Venit in cõvictum meũ hypochondriacus tantùm non abſolutus, nec levis metus erat ſcorbuti ad poſticum ſtantis. Verùm accuratus ille victus, quo utitur mecùm, cum pauciſſimis medicamentis, eò provexerunt illum, quò eſſe illum omnes boni gaudent. Nam fictos & pictos legatos non curamus. Rev. & Cl. Dn. Compatri meo, CORNELIO MARCI, cum ſalute mea legenda dabis Rejectanea mea, vel propter epiſtolam præliminarem, ut videat & intelligat uberiùs fortunam meam adverſam, quam VERITAS mihi conciliat. Exempla quò minùs mittam, inopia fecit. Non enim niſi pauciſſima accepi Helmſtadio, cum ſubmonitione: Non poſſe nunc plura mitti ob vias intutas. Eidem nunciabis quoq; obitum ſui Compatris, D. Kernii: Sed abrumpo. Ex prolixitate ſi tædium aliquod obrepſit, imputes Tibi. Eſt enim Tibi negotium cum homine credulo. Bene vale, Ampliſſ. & Conſultiſſime Vir. Scribo Altorfii X. Cal. Decembr. 1640.

Richterus Hofmanno.

SAl. officioſiſſimam. Cl. & Excell. Dn. D. Hofmanne, Amice plurimùm honorande. Modò Galenum tuum, quem tam diu Medicorum filii abs Te ſolo expectant, in lucem tandem edas. Soneri noſtri, Philoſophi quondam ac Medici longè acutiſſimi, memoriam tam ſanctè abs Te coli, quod candòris tui eſt, mirum, quàm me afficiat: Sed ita decet veritatis, quàm propugnas, ſectatores. De Petrarchæ Ceretæq; delitiis transmiſſis multùm Te amo, reſtituturus eas, quam primùm per occupationes graviſſimas quaſique concatenatas inſpe-

xiſſe eas, licebit: Ex literis verò tuis, ut & illis, quas libellis tuis eruditiſſimis de uſu Lienis, de uſu Cerebri, de Ichoribus, Rejectaneis, item Pathologicis, ut & Pathologiæ parvæ præmiſiſti, litem Tibi eſſe, dum VERITATI ſtudes, cum Antagoniſtis nonnullis, animadverto, quos dum egregiè ultum is ignotos mihi, (neque nôſſe meâ intereſt) vicem tuam doleo, quòd à laboribus tuis eruditiſſimis meliorem gratiam non reportas, ſed hanc fortunam novimus omnium Tui ſimilium, hoc eſt, de publico bene mereri ſatagentium: Tu verò præclarè facis, quòd generoſo ſpiritu obtrectatorum latratus contemnendo audentiùs ire contrà perſeveras. Habebit gratiam incorruptè judicans poſteritas, quam nunc viventes agere vel nolunt vel non poſſunt: Moram Candidati tui, Dn. Ebneri, non eſt, quòd excuſandam putes: Mihi enim perinde eſt, ante vel poſt ferias Natalitias ſolennia ſua peragat, modò de die, qui Vobis placuerit, maturè nos certiores reddatis, ne ad Vos veniamus imparati. De Orationibus Virdungianis jam ſæpius N. fruſtrà ſollicitavi, id quod hæredes viri optimi & cum eis Cl. Rupertus tuus, imò noſter, (nihil enim in amando eo Tibi cedere me puto) ignorant. Itaque alius quærendus eſt typographus, quem utinam jam dudum nanciſci licuiſſet: Ita deſiderio teneor monumentorum iſtorum præſtantiſſimorum. Rupertum noſtrum, quem dixi, Numinis benignitate, tuâq; ope morborum graviſſimorum invaſionibus feliciter repulſis, nunc firmiore valetudine uti, & de vitæ longævitate cum DEO bene ſperare poſſe, vehementer etiam atque etiam gaudemus, literisq; elegantioribus gratulamur animitus. Faxit Medicus ſupremus, Dominus noſter & Servator JESUS, ut ingenii illius præſtantia orbis eruditus quàm diutiſſimè fruatur! Raptim Noriberg. VI. Cal. Decembr. 1640.

Hofmannus Richtero.

QUas vides Animadverſiones meas, eas ſcito præcipitatas eſſe ab Amico quodam Belgâ, cui cenſendas miſeram. Ejus rei indicium, quòd nulla adſit dedicatio. Ejusdem rei dum nuncium Te eſſe volo (vide quàm confidenter loquar) apud Amicos, inter quos familiam ducit Rever. Dn. SAUBERTUS, rogo ſimul excuſes typographum, Virum bonum, cui ut ſcribit Schefferus Francofurtenſis, nec animadvertenti erepta è manibus fuêre exemplaria etiam illa, quæ mihi deſtinârat. Adeò diverſi eunt Galli, Itali, Britanni, Belgæ, reliqui Germani, à noſtris hominibus, qui dicunt: Mundum non indigere libris Hofmanni! Miràris noſtros! Sed hæc & alia, digna, indigna relata fortaſſis coràm. Bene & feliciter vale, mi exoptatiſſime. Scribo Altorfii 6. Idus Octob. 1641.

Richterus Hofmanno.

SAl. officiosissimam! Quòd seriùs, quàm debebam juxta ac volebam, ad acceptissimas tuas respondeo, & pro Animadversionibus in Montanum & Erastum, peritorum judicio, eruditissimis debitas gràtias persolvo, arthritidis dolores, hostis annuus, effecêre: Qui primùm pedem leviter, genu deinde graviùs, tandem manum gravissimè in sinistro latere huc usque ita afflixerunt, ut manum etiamnum occupatam malum teneat, & lentissimè atque difficillimè expelli se patiatur, quicquid etiam remediorum adhibeatur. Accessit, ne calamitas ista maneat sola, lienis affectus omnium molestissimus, arthritidem vel generans, vel sequens, vel, quod firmiter credo utrumque: Medicum igitur supremum, Servatorem nostrum, CHRISTUM JESUM, θεάνθρωπον, ut vel verbo mederi dignetur, supplex veneror. Si quid opis aut consilii suppeditare Tibi non grave est, devincies amicum virtuti tuæ non tralatitiè: Inter alia lenimenta verò libellum quoque tuum habet, in quo VERITATEM immortali nominis tui gloriâ, magno Reipublicæ honore, vindices, lectorem in admirationem rapiens, quòd non minùs Philosophus præstantissimus quàm Medicus experientissimus Aristotelem & Galenum, antiquæ eruditionis principes haut vulgariter enucleando ita in ære tuo habes, ut dubium relinquas, uter Tibi gratiam majorem debeat, illéne, quem ut plurimùm defendis, an hic, quem non rarò mones, id quod etiam in libellis tuis de usu Lienis, Cerebri & Ichoribus observavi; ita semper & ubique Tui es similis, hoc est, assertor veritatis strenuus, ad nullius authoritatem alligatus. Sed ne sutor ultra crepidam aut palpum obtrudere, quod detestor, videar, quid alii de laboribus tuis eximiis, præsertim verò de manu tua medica in Galenum judicent, quod nudius quartus depellendæ melancholiæ legisse mihi contigit, his adjungere visum est: De qua felicitate Tibi & Academiæ nostræ etiam atque etiam gratulor. Vale, &, quod facis, amare nos persevera. Dab. Noribergæ prid. Idus Novembr. A. C. 1641.

Hofmannus Richtero.

HEsternæ tuæ literæ mirificè me delectârunt, partim, quòd à morbo sensim Te convalescere nunciarent, partim, quòd instituti mei ratio, cur scribam libros, Tibi probari senserim. Quod ad valetudinem tuam, utinam aliquid in me sit, quod illi stabiliendæ serviat! Res eò processit, ut viscera omnia, præsertim lien, insigni δυσκρασίᾳ laborent, cui emendandæ quis Æsculapius sufficiat? Accedit genus vitæ περισπαστικόν, quod Græci dicunt, & quòd non patitur Te suum esse, neque apud Te, & domi tuæ, neque apud alios. Et quid non designatur in convi-

conviviis istis nostris intempestivis? vidi in proxima Promotione cum stupore, neque possum etiamnum abducere animum. Quamobrem hoc solum superest consilii mihi, quandoquidem non potes abesse conviviis, idque ratione officii, uti Te par est cautelis illis, quas Lessium Jesuitam suggesisse Tibi, meminisse potes. Quæ si malum non tollant, incredibiliter tamen lenient. Accedit, quòd ob debilem calorem ad iram pronior es, quod amarescere, ni fallor, vocat Cicero. Hanc vita omnibus modis. Nihil sub sole est, quod ita moveat humores quàm ira. Istos verò excrementitios humores quiescere satiùs erat, & per quietem concoqui, ἀλλὰ σπουδῆς ἅλις. Quod ad res meas, gaudeo equidem ex animo, persuasisse me Tibi præfatione istâ emblematicâ, (ita appello) id, quod volebam, scribere me libros non κενοδοξίᾳ motum, sed VERITATIS amore,

Εἷς Θεός ἐστι: Θεῷ δ' ἓν σύμφυτον ἈΛΗΘΕΙΑ.

Versus est nescio cujus ex veteribus, quem ita intelligo:

Unus DEUS est: DEO autem unum connaturatum VERITAS.

Qui igitur agnoscit se factum esse ad imaginem DEI, non potest aliter quàm VERITATEM omnibus modis persequi: E contrario, Mendacium odisse non minùs quàm Satanam ipsum. Utrumque cùm fecerim hactenus ex fide, quidni exspectem bonorum favorem. Sed quod sequius accidit, quid aliud dicam quàm hoc: Malos esse adeoque Diaboli socios, qui hujus consilii mei hostes se declarant? Non ego nunc descendo ad particularia, quin gratias ago DEO meo, qui bonorum numerum ita auxerit, ut necesse habeant typographi, non requirere tantùm in mea ἀνέκδοτα, sed & prelo reddere dudum edita, quod scio, quàm molestum sit complicibus Diaboli! Exempla sint tractatuli isti tres Leidæ impressi denuò: Exemplo sint Animadversiones in Montanum, quas nondum manumissos à me quasi per vim corripuit Jansonius, & sine dedicatione publicavit. Has ipsas cùm videret Francofurti certatim emi, accepit à Dn. D. Scheffero tres alios tractatus, quos sperare nos jussit proximis vernalibus. Hac ego promptitudine hominis motus veni in eas cogitationes: Quid si hic GALENUM quoque recipiat? Cùm ultrò, ipso die natali meo septuagesimo, divertit ad me N. visum GALENUM meum. Cui cùm obsecundatus essem in omnibus, ita quidem discessit, quasi vellet alia mea opera, GALENUM nollet, ob sumtuum magnitudinem, causatus apud Rupertum nostrum, triginta millia vix sufficere tanto operi! Cui ego: Eho, media pars suffecerit! Interim apud alios διαῤῥήδην professus est, se cogitare de mediis, quibus possit pervenire ad publicationem hujus operis. Quæ cùm ad animum revocârim, rogare Te volui pro amicitia, quam mihi ostentas. Compelles illum per occasionem, constituat secum maturè, quid velit aut nolit. Rationes non deerunt Tibi, & primò,

GALE-

GALENUM esse tantum autorem, qui duraturus sit, quàm diu hic mundus. Si accidat, ut intra decennium exempla omnia non vendantur, fore tamen, ut intra 20. vel 30. annos. Deinde laudabis æquitatem meam, qui non passurus sim, ut pretium nimis incendam. Pluris enim facere me nominis celebritatem, quàm nummos paucos, qui intra biennium trienniumve apud hæredes meos mansuri non sint. Hanc in rem promittes operam illi tuam, qui certò scias, si contractus incundus sit, futurum Te mihi Advocatum, unà forte cum Dn. D. Oelhafio, quem non minùs mihi favere noveris quàm Te. Tertiò exaggerabis illi famam propriam, quanti scilicet sit post codicem Græcum Venetum & Basiliensem citari Noricum, & quidem in utraque lingua! in ordine librorum tam concinno! cum notis undique conquisitis. Quartò, non esse, quòd metuat æmulos Parisienses. Certum enim esse, ut præsenti etiam dixi, nihil ibi præstitum esse quàm correctionem errorum typographorum, incertum apud me utrius exemplaris Veneti an Basil. vix certe utriusq;. Præterea habere me ex Amico, qui in re præsenti fuerit, ad dimidium quidem operis pervenisse Morellum typographum: Sed jam destitutum sumtibus hærere in luto. Si fortassis institutus ab aliquo dicat. Tanti non esse mea, quanti videri velim, qui Galeni, capitalis hostis sim: Responsio fuerit in his ipsis literis. Compertum esse Tibi, Veritatem me προτιμᾶν, ut verbum habet Arist. à qua si discedat alicubi Galenus, me tantùm MONERE. Hoc enim uteris & ME & RE consentientissimis. Hæc ego nunc volui: In quibus si peccatum quid sit, Tibi (ignosce) imputabis, qui humanitate tuâ eò me provexeris. Fortassis non debui rationes in digitos ponere? Hominibus occupatis singularia sæpè non sunt obvia. De transmisso Dieterici gratiam habeo, si præstat apud vos oratio, quæso, eme meo ære. Refundam libenter. Sic bene Tibi sit & bene valeas. Scribo Altorfii 17. Cal. Decembr. 1641.

Richterus Hofmanno.

S. P. Venerande senex. Gratulor Tibi cumprimis, quòd septuagenarius non tantùm, DEI beneficio, ita vales & vivis, sed & nuper ipso die tuo natali, quem meritò dulcissimâ elegiâ sanctè celebrâsti, de Galeni tui, quem reviviscere facis, editione cum N. conferendi occasionem nactus es, spemque nobis fecisti fore, ut quem Galli, Itali, Hollandi diu jam prensando certatim desiderârunt, postquam tuas accepi, quid enim in re tanti momenti, & cujus moram nullam nonlongam putant, eruditi, diu cessem? Cum illo, quem dixi, quasi sponte meâ, egi, & vel uno hoc ariete, quòd nullo modo lucrum & honorem peregrinis concedere fas sit, quo civem beare possimus, animum ipsius ad consensum

permovi, ita ut nullum ampliùs obstaculum supersit, quàm defectus periti Correctoris textus Græci. Hunc igitur ubi suppeditabis, mox ille specimen dabit, & Tecum contrahet. Ego cogitaturum & de hoc me dixi, & quidem eò diligentiùs, quò minùs ipse Tu, quod ille mihi significavit, vicem istam, ætatis impedimento, obire Te posse jam ipsi affirmâsti. Mihi verò unus atque alter heic succurrunt, quorum opera forsan uti licebit, quos propediem hac de re compellabo, atque utinam non frustrà aut infeliciter. Tuum erit huic quoque succurrere, & idem simul generi tuo, Cl. Dn. D. Lauxio, curandum dare, quò vel heic vel Altorphii tandem Correctorem Græcum habeamus. Hoc si effectum erit, jam contractum Tecum puta. In me certè nihil, quod ab amico expectare possis, desiderari patiar. Imò felicem me putabo, si publica promovere commoda, quod unicè amo, hac quoque in parte mihi dabitur, præsertim quum opus istud tuum non nisi cum Medicinæ, hoc est, cum mortalibus ad finem mundi interiturum haud ignorem. Et tantum de eo, quod cum Galeno tuo à me fieri voluisti. Quod ad valetudinem meam attinet, operam dabo sedulò, ut quæ de hostibus illius certissimis amicè monuisti, pro virili nunquam non cavere queam. Verissimum autem esse, quod ex Aristotele de usu Lienis, (libr. de usu Lien. cap. 23. in fin. ex lib. 7. ethic. cap. ult.) aliquando allegâsti, vel meo exemplo comprobatum ibis, nimirum οἱ μελαγχολικοὶ τὴν φύσιν ἀεὶ δέονται ἰατρείας; καὶ ἀεὶ ἐν ὀρέξει σφοδρᾷ εἰσιν: Attamen, insanas conviviorum leges, ceu Erebi portas, jam diu nos odisse planeque abhorrere scito. Et quanquam ad iram, naturâ sim proclivis, hanc tamen, ut affectum detestandum, abominor, & cum Achille apud Homerum non raró iratum me fuisse animitus doleo, licèt nunquam ita tumultuantē irâ quisquis me viderit, ut Pythagoram aliquem spondæos occinere, & me mihi restituere necesse fuerit. Primos verò motus in potestate nos non habere non nescis, uti nec illud gentium Doctoris divini: Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος· οὐ γὰρ ὃ θέλω, τοῦτο πράσσω: ἀλλ' ὃ μισῶ, τοῦτο ποιῶ cum quo tamen supplex genua flecto, ut gratia JESU CHRISTI, Domini ac Servatoris nostri, non tantum τὸ θέλειν, sed & τὸ ἐνεργεῖν largiri velit, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, cujus misericordiæ gloria sit in æternum. Nunc hoc Te rogatum volo, ut de Scheda his inclusa judicium tuum defecatum, & in quo libro Galeni tui historia ista allegata habeatur, significes, simulque Galeni verba Græco-Latina haud gravatim adscribas. Constitui enim, nisi Tu aliter sentis, remedium istud contra tophum, quem digitus medius in læva manu exigui, aut nullius ferè usus jam diu tumidus minatur perpetuum, ipse quoq; adhibere. Mitto Orationem Dieterici quam petiisti, de felicitate seculi prioris in Græcarum literarum

rum ignoratione, quod munusculum, scio, boni consules. Vale, & rescribe. Dabam Noribergæ ad d. XII. Kal. Decembr. A. C. 1641.

Hofmannus Richtero.

AMplissime Vir, Beaveras me heri per semihoram literis tuis: Cùm subitò incidit mihi unum & alterum, quod difficile faciat negotium, quod præ manibus habemus. Incidit mihi & dixi Ruperto συαςίτῳ, quòd cauto opus esse, qui velit cum illo pacisci: Imò verò, dum quis cavet, sæpe cautorem capi. Quare libenter video, Te, quasi parietem intergerinam, interponere Te inter simplicem & vafrum, & propterea gratulor bono etiam publico. Ubi eò cum DEO venerimus, nisi secùs videbitur Tibi, ut paciscendum sit, exorabo fortè Dn. D. Oelhafium, ceu scripsi, ut Tecum se conjungat. Accedit, quòd in dandis conditionibus non satis firmus est. Quid enim Hofmannus quærat Correctorem. Imò quærat ipsus apud ὁμοτέχνους Francofurti, quò confluere solet illud hominum genus de tribu Levi. Quin obeat Scholas Noribergæ, & videat, si possit inveniri adolescens, huic provinciæ aptus. Ego certè, cùm ejus ætatis essem, libenter suscepissem tale onus, ut me sustentarem, sed DEO aliter visum fuit. Sed ne heic etiam desimus ei, placet communibus operis inquirere in tale subjectum. Memini, cùm ante triennium heic esset eruditus & egregius adolescens, nunc Medicinæ Doctor D. JACOBUS ZEÆMANNUS, Neuburgensis Palatinus, sed cujus Pater nunc Ulmæ pharmocopæum agit, viso opere Galenico valdè exsultare & superaddere. O si haberemus typographum? Novi ego Marpurgi Studiosum pauperem excellenter instructum & Græcis & Latinis literis, solitarium, inimicum omnis levitatis, & quò melior Corrector non esset sub sole. Ad hunc ego, si volet Deus, scribam his diebus. Scribam etiam ad Weitzium, quod sciam, Scholam GOTHANAM semper habuisse alumnos Græcos. Interim explicet se ille, quale velit dare specimen; integrum aliquem librum, an unam philuram, qualem vidit apud me Parisiensium. Si illud velit, dicam, nullam ejus rei necessitatem esse. Jam enim habent boni viri librum de Ossibus. Si hoc, parùm illum profecturum exhibitione manci operis, sed sinamus illum uti suo consilio, ne turbemus quid. Ubi igitur indicium fecerit, ego agam, admovebo scriptioni adolescentem meum amanuensem, notas in margine adscribam, omnia agam, quæ decent Patrem facere, ut filium habeat quàm ornatissimum. Quibus verbis includo etiam ultimam correctionem. Et hæc quidem de GALENO: Locum ejusdem de caseo putrido hem Tibi! Verùm cave, utare, sine Medicorum tuorum consilio! posset enim inflammationem insignem causari, nisi purgato bene corpore adhibeatur. De victu accuratiore gratulor Tibi ex

animo. Super oratione abundè risimus ego & Rupertus. Gratias ago & habeo grates. Nullum ego Amicum novi, cujus literæ initiales M. G. Idem Rupertus multùm salutat & Te & νεογάμον Salomonem, cui ego quoq; omnia fausta. De versibus operosè me excuso. Quantumvis enim conanti nihil succurrit. Bene valete utrinq;. Scribo Altorfii XI. Cal. Decembris 1641.

Idem Eidem.

AMplissime Vir, Patrone observande. Rariora sunt colloquia nostra propter negotia decumana, quibus tantùm non obrueris quotidie. Sperabamus præteritâ septimanâ adventum tuum, ut inspiceres profectus filii tui, sed frustrà. Profectò, raræ felicitatis est hoc tempore nancisci talem, qualem à DEO Opt. Max. habes, & pium & industrium, ut duobus verbis multa complector. Sub pietate erga DEUM comprehensam volo modestiam erga homines, quà superiores inferiores, æquales, sub industria, peritiam juris hac ætate haud vulgarem fundatam ingenio juxtà & judicio minimè proletario. Quid plura dicam? Conservet illum Tibi & Nobis DEUS, faxitque, ne peregrinatio, quam instituit, aliquid mali affricet! Hæc volui occasionem præbente scripto hoc levidensi, quod ad Te mitto non alia de causa, quàm ut publicè Te obligem promovendo GALENO nostro. Tantò magis, ut autoritate tuâ absterreantur calumniatores mei, qui vociferantur: Humano sensui incomprehensibile esse, quomodo benevolentia erga illum stare possit, contra quem toties disputem, nec sine acerbitate! Tu omnium optimè nôsti, & expressi in Epistol. præliminari ipsissimis tuis verbis, quæ volo, tanquam bolum objecta medicatum draconibus istis flammivomis, ut crepent. Hoc meum factum si non displicuerit, rogo, commendes. E. sub conditionibus in præsentia initis, ut ante nundinas vernales publicet; sin, nihil obstat, quò minùs æternis tenebris damnetur totum commentum. Nihil à Te exspecto honorarii, qui instar Erebi odi mendicabula ista, qúæ hoc agunt, satis mihi serviisse, ex scientia & conscientia mea DEO & VERITATI: Si quos momorderit crambe, ut vocabunt fortè, toties recocta, illis mortalium sapientissimus, Socrates, quem æmulatur Gal. ipse EADEM DE IISDEM, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά, ut omnibus, si pote, innotescat VERITAS, & si quæ alia dici in hanc rem possunt. Optimè vale. Scribo Altorfii X. Cal. Martii 1642.

Richterus Hofmanno.

S. P. Excellentissime Medicorum. Quàm dulces lætitiæ motus sub pectore senserim, quum Ἐυαγγέλιον istud de filii mei Disputatione Juridica, quam publicè

publicè habuit, & quæ testis gravissimus de ejus vita & studiis addidisti, ex literis tuis nudius quartus mihi redditis intellexi, faciliùs cogitatione assequéris, quàm verbis exprimam. Neque ignoras vim στοργῆς illius φυσικῆς, & quòd gaudia domestica majora sint, quàm dici queat. Certè, ut impedimenta, quæ interesse me actui isti tum prohibuerunt, etiamnum tædio mihi sunt: Ita me non parùm recreat, quòd absenti tantâ fide cognoscere mihi contigit, quæ præsens audire unicè optabam. Exosculor etiam votum tuum & affectum amicissimum, argumentum amoris nunquam non memori, gratâque mente tenendum, Teq; vicissim omnibus numeris absolutâ felicitate cum tuis frui opto. Exaudiat firmumque faxit, quod uterque invicem vovemus, Numinis ter O.M. clementia incomprehensibilis. Sed quid de Relatione tua dicam historica judicii contra Galenum acti? proh fidem! tantam venustatem in sene, tantam juris judiciorumque peritiam in Medico, tantam Veritatis ἀκρίβειαν in argumento jocoso; imò in re maximè seriâ (VERITATIS inquam) tantos sales, tantas voluptates, tantas delitias. Affirmo Tibi nequaquam blandiens, (quod detestor, & res ipsa loquitur, me tacente) ut lectorem doces & delectas mirificè, ita incertum relinquis, quid in Te admirari potissimùm debeat? Eruditionis ne præstantiam, an disputandi dexteritatem, an candorem in tractandis Philosophis Medicisque summis, verique amorem inusitatum? ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν; Ita nimirum & ἐπιστήμων celebraris, περὶ πάντων & πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Quanquam verò judicium mihi de scriptis ejusmodi seculum ferentibus non sumo; multò minùs tam sufferus mihi sum, ut, quæ in Epistola præliminari mihi tribuis, vel accipiam, vel in me agnoscam; non possum tamen amorem in me tuum uberiorem, ex quo fonte ista manant, non amplecti ardentiùs, &, ut perpetim nos ita ames, optare. GALENO tuo ut orbis Literatorum gaudere tandem possit, utinam tam feliciter juvare mihi sit, quàm cupidè hactenus desideravi. Ut verò calcar equo currenti addis; ita nihil non, quod meritò cupis, & artis Medicorum interest, porrò quoque curæ mihi erit. Scriptum etiam illud tuum elegantissimum, quod misisti, ut ante nundinas vernales medicorum filii publicè videant, æstiment, edisçant, curabitur. Abest quidem peregrè nunc typographus, sed ante abitum suis etiam hanc operam mandavit, de qua plura coràm. Animus enim est proximâ septimanâ, DEO volente, ubi tam diu Spontis meæ esse mihi dabitur, ad Vos excurrere. Interim Vale γέρον αἰδεσιμώτατε. Dabam Noribergæ ad d. 4. Calend. Martii Anno τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ Dionysiano 1642.

Hofmannus Richtero.

CONor iterum pultare fores humanitatis tuæ, idque ob causam duplicem. Alteram, quia à typographo Ambstelodamensi passus sum imponi humeris meis correctionem Theophrasti; didici verò hisce diebus ex epistolis Ill. Casauboni, misisse illum correctiones ex MSS. ad Cl. HEINSIUM, quæ non apparent in Theophrasto ipsius: Rogo Te vehementer, pro tuo in bonas literas studio, sis mihi unà cum his literis interpres & Mercurius. Spondeo Tibi juxtà & illi MEA FIDE, candidè & amicè me acturum h. e. unicuique tributurum SUA. Alteram, ut datâ occasione compelles N. dicat tandem, quid velit & nolit. Sic Tibi filius unicus bene eat, & redeat, auctus virtutibus paternis plurimis.

Hoc voveo: Votis annue, CHRISTE, meis!

Bene & bene age. Scribo ipsis Id. Maji 1642.

Idem Eidem.

AMplissime & Consultissime Vir, &c. B. F. præscribo more Veteri, & tuâ veniâ subitò descendo ad narrationem. Venit superiori Solis die ad me N. noster, & habitâ oratione satis bene compositâ, duo exposuit, alterum de editione Galeni, alterum de suo quodam consilio. Quod ad prius, ajebat, Duo in primis sibi obstare, quò minùs procederet Galenus, hinc quidem immanitatem sumtuum: Illinc autem difficultatem horum temporum. Facilè enim æstimatu esse, non sufficere mille florenulos, aut thalerulos quin aliquot, quorum tamen numerum non inibat. Sed vincat utilitas & honestas: Quos emtores habebimus temporibus his Martialibus, quibus non victus tantùm gemit, sed victor quoque. Ne de intutis viis dicam, dicebat, quis vel bibliopolarum vel doctorum ita instructus est à pecunia, ut subitò exponere possit tantam summam, quanta heic requiretur? Hæc difficultas quasi alteram in sinu habet, erit Morellus Parisiensis quasi æmulus meus, deprimendo quidem nostro opere, prædicando autem suo. Hæc omnia nimis vera esse, ne ipse quidem diffitebere, mi Hofmanne. Tamen, ut aliquo modo juvem bonum tam publicum quàm privatum: Quid si opera tua omnia, quà edita, quà non edita conjungam uno alterove tomo? Hac in re tui quidem arbitrii erit disponere libros, quomodo voles: Mei autem pacisci Tecum, non in singulas philuras, quo modo nuper fecimus, sed summatim. Hæc ferè ille: Cui ego. Non possum inficias ire, vera esse omnia, quæ de negotio librario conquereris: Agnosco etiam benevolentiam tuam in æstimio laborum meorum, & cupio Tecum agere, ut honestum virum decet. Quod ut faciliùs credas, jubeo Te protinus deponere suspicionem avaritiæ omnem, si quam de

me

me concepisti, ex finistris sermonibus ingratorum quorundam hospitum, qui, *sed motos præstat componere fluctus*, quando ipsos quoque pœnitere incipit admissorum. Dabo Tibi duos honestos viros, de quorum dexteritate ne ipse quidem dubites, qui ipsi pronunciabunt de honorario mihi debito, cum quibus meo nomine ages, & literas publicas conficies de non fallendo. Hæc ego vicissim: Ille, cùm consensisset, extractis loculis, solvit mihi, ex inito pacto, quod debebat pro libellis nuper editis, de Loc. aff. & Relatione fictitia, Tibi dicata. Quibus inter nos ultro citroque actis abiit, relictâ admonitione, quam primùm conficerem indiculum laborum meorum, & quò collocatos vellem, ordine significarem. Tum verò meditari mecum cœpi, quâ ratione consulerem rebus meis, &, cum Ruperto nostro in hortum Medicum profectus, exposui illi omnia, simul consilium & operam suam requirens. Respondit ille:

- - Tuus, ô Cognate, quid optes
Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.

Addidit etiam: Vehementer probo consilium tuum de exorando Amplissimo D. Richtero, ut adsit nobis. Habet enim omnia, quæ in Amico vero requirit Muretus. Et quia duo esse oportet, cave, de alio cogites, quàm de Dilherro nostro, qui & amat Te, (quod publicè testatus est) & non minùs pollet prudentiâ cum auctoritate junctâ: Cras, inquit, adero Tibi in constituendo numerandisq; philuris: Jam, ne cœna corrumpatur, cautio est. Et video Te non ampliùs sequi me æquis passibus: Eamus igitur, inquam, etiam gressu testudineo.

Postquam epulis exemta fames J O V Æq; litatur.

Audi, inquit, mi Cognate, quid compellit Te ad numerandas philuras? ut æquum obtineam. Quod ut intelligas, ita habe. SENNERTUS olim noster, Vir profectò bonus & honestus, præterquam, quod à dedicationibus capiebat emolumentum, exigebat à typographo pro singulis philuris singulos ducatos, sed fuerint aurei Rhenenses, quod N. certò se scire putat. Cogita, sodes, Tecum, quàm ineptè, quid si dicam iniquè? res compara sit, si adolescens studio Medico dicandus cogatur duplex pretium solvere pro Institutionibus suis? alterum autori, alterum bibliopolæ? Quò minùs ego cogitare unquam potui vel de unico fl. sed accepi, vel quantum, ipsi typographi ultro dederunt, vel dimidium flor. eumque in libris, in quibus illi vicissim lucrari potuerunt. Nunc quia & fraus mihi subolet, & verò librorum satur sum; nec habeo, quibus dedicem: Cogitationes instituo de erudiendis adstitibus meis, ut iniquum petant, quò felicius habeant æquum. Pone igitur, petatur integer florenus? Atqui ego nolo? Quanquam ô! Defalcetur tantum, quantus medius Joachimicus valet. Si ne hoc quidem successum habet, fiat, quod fieri potest. Certum enim

est,

est, amitti nolle occasionem vel tantilli lucri, conjunctam cum honestissima nominis mei fama. Ridebat clarè Rupertus ad hoc ratiocinium. Ego vero seriò ago, & puto probari me posse ipsi invidiæ. Rectè subjiciebat ille, qui puto, ne ipsum quidem DEUM, qui justitiæ caput est, improbare. Mitto heic, ut & ad N. designationem omnium, quæ hactenus commentatus sum, de quibus ita statuo, Vobis quidem servire numeros philurarum, ut rectè judicare possitis de laboribus meis: Typographo etiam ad æstimandam magnitudinem uniuscujusque tomi. De quibus ita constitui, consentio quidem ut tres illi 1. 2. imprimantur in fol. de 3. dissentio. Velim enim seorsim excudi, cùm propter alia, tum propter hoc, ut qui se primùm mancipant arti, seorsim possint habere, nec deterreantur sumtibus. Sed & ideo, ut discant in primo aditu, quæ vera sunt, & possint discernere à falsis: Ita enim comparatæ sunt hæ Institutiones, ut opus habeant diversâ literâ, quarum alterâ scribantur ea, quæ per totam vitam usui sint futura, deducta quippe ex ipsa rei natura, adeoque longè dissita à metu dediscendi: Alterâ Aberrationes dictæ, quæ propriæ sunt septem illis Institutionistis, quos damno, & quorum errores si imbiberint, necessariò multa dediscant, nisi in ipso artis usu falli velint gravissimè. Hoc in præfatione tam clarè ostendo adolescentibus, ut nisi cæci esse volent ipsi, errare non possint. Sed de his aliquando præsens cum præsenti. Dicis: Quid rerum nunc agis? Scio enim Te nihil minùs posse quàm otio putrescere. Non deterritus infelici Gal. successu emendo Theophastum, in cujus Augiæ stabulum, ut Heinsius tuus vocat, hac occasione incidi. Scripsit aliquoties Scheferus, Medicus Francofurtensis, se propediem missuram mihi novam Autoris dicti editionem, iconibus pulcerrimè adornatam. Hujus fabulæ finis fuit. Mortuus est Amstelodami ille, qui prelo præerat: Typographus implorat tuam operam. Respondi, mittat effecta, visurum me, an operi par sim. Ego verò nihil hactenus vidi. Cur ergo laboras incassum? Labor in vinea Christi omnibus nobis imperatur, sed non omnibus constituuntur præmia in hac vita. Sennertus p. m. erat in occasu horum, quibus constituta sunt: Apud me totum est contrarium. Interim ita me compono, ut dicere possim,

Quàm latè patet, ah, in me tua gratia JOVA!
Ut nequeam totâ prendere mente meâ.
Nemo est me patribus natus mage tenuis unus,
Nemo est, qui nunc sit ditior atq; ego sum.
Non equidem numero positos in fœnore nummos,
Non armenta amplis conspicua agminibus,

Non

Non cistas auro tumidas circumfero & argento,
Ergo quid jactas? QUOD SATIS EST, HABEO.

Catalogum librorum imprimendorum rogo, communices cum Dn. DILHERRO, venerorq; DEUM cum voto veteri FELICITER. Ad N. scribam, arbitris Vobis seponat singula exemplaria, & mihi sex. Dabam in vigilia D. Matthæi 1642.

P. S. Item moneo, curetis, quantum potest, ut Institutiones seorsim haberi possint, & quidem ut doctrinalia aliâ literâ scribantur, aliâ aberrationes.

Idem Eidem.

B. F. Quas minabar anno, Amplissime Dn. Pro-Cancellarie, in Theophr. Animadversiones, eas σὺν Θεῷ absolvi heri. Remitto igitur Castigationes Casauboni abs Ill. Dn. Heinsio submissas, unà cum literis, de quibus statues, quod voles, vel inquam, ablegabis quâvis datâ occasione, vel reservabis usq; ad vernales proximas Francofurtenses. Neque enim in mora periculum est nullum. Cæterùm, quia tanto cum fastidio expectavi hactenus, quid velit aut nolit trico N. officiosissimè rogo, significes, mihi tribus verbis, quæ mihi supersit spes? Plura non habeo. Scribo Altorfii Propridie Cal. Decembr. 1642.

P. S. Cl. Dn. Dilherrum amicè saluto.

Richterus Hofmanno.

S. Pl. Venerande senex, Amice plurimùm honorande. Accepi, quas nudius quintus ad me dedisti, ut & adjunctas ad τὸν πάνυ Heinsium, cum castigationibus Casauboni, quas commodâ occasione curabo. Interim de tuis in Theophrastum Animadversionibus, quas absolvisti, Tibi & Theophrasto gratulor; quas quin acceptas habituri sint Medico-Philosophi præclara tua in Aristotelem & Galenum merita publica neminem dubitare sinunt. Egit cum N. Dilherrus noster, Vir usquequaque Excellentissimus, qui Te officiosè salutat. Egi & ipse cum eo ante octiduum. Sed uterq; nihil aliud responsi retulimus, quàm animum sibi esse ad Vos eundi, quamprimum per militum ferociam, quæ vias intutas reddit, licuerit. De reliquis, quæ ipsi jussu tuo significavimus, mirè vel silet, vel celat: Ad priores tuas longiores, quas in vigilia D. Matthæi de eodem negotio ad me scripsisti, cur hactenus non responderim, ex amicissimi nostri Dilherri literis, ut & quas ego ad Cl. Rupertum nostrum non ita pridem dedi, jam, spero, intellexisti. Vale, &, quod facis, nos ama. Saluta, quem dixi, Rupertum charissimum. Dabam Noribergæ III. Decembr. A. C. 1642.

Hofmannus Richtero.

NObiliss. Ampliss. & Consult. Vir, Dn. & Patr. obs. Scribo invitus, sed quia ita vult Pennalismi pater, Diabolus, obsequor. Res gesta ita habet. Turbones nostri hactenus hoc egerunt, ut invenirent, quem protruderent, tanquam hominem fœneum, Noribergensem aliquem. Invenerunt. Ortâ enim liticulâ fortuitâ inter duos consobrinos A. & P. miserunt fæcialem ad A. denunciantem. Nisi provocaret P. habiturum se illum pro INFAMI. Paruit infelix adolescens, & secutum est hodie, quod leges volunt. Verumenimverò cùm vita innocentissima A. per triennium hactenus nobiscum acta, ne dicam, species facti commiserationem mereat: Ausus sum A. T. alloqui & rogare. Exponas negotium Nobb. & Prudentiss. Dnn. Scholarchis, ut, si alia ratio non est, obtineas literas ad Senatum Academicum, quibus ille jubeatur exponere rem totam. Spes enim est d. Ampliss. Dnn. cogitaturos de restitutione in integrum d. A. Hæc ego perturbatior & stans pede in uno. B. V. Nob. & Ampl. Vir &c. Altorfii 18. Septembr. 1643.

Idem Eidem.

CUm vel tandem Institutiones hæ meæ Lindavio quasi ex captivitate aliqua diuturna, exiissent, prima mea cogitatio debuit esse & fuit, quomodo Tibi, Vir amplissime, Patronorum meorum principi, quoquo modo satisfaciam. Licet enim à studiis & laboribus tuis res ipsæ sint alienissimæ: Pertinent tamen ad Te, ratione mei, ut defendere me possis à vitilitigatoribus. Non est autem opus defensione aliâ, quàm eâ, esse me inter literatos in censu illorum, qui NON RARO MONENT, ut loquebaris olim in literis tuis ad me. Hoc officium Tibi si molestum esse dices, quòd non intelligas ista, ut modestiæ causâ prætendes fortè, respondebo, scire me & verè scire, plus Te posse hac in re quàm 100. rauci Medico-Philosophi. Accipe igitur munusculum, quod do lætâ fronte, & porrò quoque fave mihi. Cæterùm, ut ex fama publica novisse potes, quia indies magis magisq; debilitat me paralysis dextra, quod vel ex pictura hac agnoscis, unica ferè hæc cura me coquit. Quid post mortem meam futurum sit de GALENO meo? Quod enim fortassis nescis, tam invidetur mihi ejus rei fama, ut submissus fuerit manticularius, qui sectionem istam, quæ τὴν σημειωτικὴν continet, clanculum subtraxerit, ut hac ratione opus fiat mancum & inutile. Hanc ob causam, cùm evertendi mihi domum totam superveniret Rupertus noster, adeò credere noluerit, ut paulò minùs pro deliro me haberet. Hui verò! dicebam. Hem Tibi claves, ô sapiens, excute, si vis, omnes forulos, omnes arcas,

arcas, etiam illas, in quibus libri non ſunt, & experire fortunam tuam! Fecit, ſed nihil profecit, adeò ut jam non credat propriis oculis. DEUS verò meus tam bene voluit Galeno, ut ſubmiſerit vetus exemplar, è quo reſarcivi damnum. Hoc ſi evenit me vivo, quid denique fiet me mortuo? Et hoc quidem nunc temporis in ſinum tuum deponere volui, alio tempore, & cùm meliuscule habebo, fortaſſis de conſilio meo aliquid. Bene & feliciter Vale, Virorum optime. Scribo 17. Cal. Octobr. 1645. Altorfii.

Richterus Hofmanno.

S. P. Medicorum Excellentiſſime. Cum literis ſuaviſſimis etiam Inſtitutiones tuas Medicas accepi, donum rarum & eximium, cui gratiam condignam referre nequeo; interim tamen ago & habeo ampliſſimam. Sanè obruis me affectus in me tui ſignis quam plurimis luculentiſſimisque, ita, ut quomodo me vinculis iſtis extricare debeam, niſi amorem mutuum accipies, videre mihi non contingat. Ita verò eſt, mi Hofmanne, ut veriſſimè divinâſti, quidni enim fatear, aliena illa dico à meis ſtudiis & laboribus, (quanquam valetudini vitreæ non omninò forſan incongrua) non intelligo talia, nec, quòd mihi ex amore nimio tribuis, agnoſco. Defenſione etiam meâ non indiges, qui divinis ingenii tui monumentis immortalitate donatis, etiam juridicam ipſam ſuperas, & vitilitigatores tuos humi repentes, quin & proſtratos vides, audis, ſpernis. Quod ad Galenum tuum, optandum eſſet profectò, ut fortuna labori & induſtriæ tuæ immutabili reſponderet, dum adhuc mortalis inter mortales degis, ſed ταῦτ' ἐν τοῦ Θεοῦ γούνασι κεῖται, cujus providentiæ imperſcrutabili nos noſtraq; committere par eſt. Multis poſt fata juſtiſſimo DEI regimine contigit, quod in vita fuerat denegatum. Sectio verò illa Tibi clanculum ſubtracta providum magis Te reddit poſthac, & bonum factum, quod DEO propitio ex veteri exemplari, quod ille ſubmiſit, damnum reſarcire Tibi licuit, cujus tutelæ labores tuos nunquam non commendatos opto. De N. hoc habe, cùm ipſi Dedicationem tuam & Præfationem Univerſalem, quæ eruditionem & experientiam ſenilem undique ſpirant, in manus dare vellem, omnia ad Doctorem Nicolaum retuliſſe, quaſi ipſe nihil horum deſiderârit, vel quid agendum cum iis habeat, planè neſcius ſit. Accerſivi igitur Doctorem, quem dixi, humaniſſimum, qui Tui obſervantiſſimus rem ſedulò ſe curaturum recepit, id quod uberiùs ex ipſius ad Te literis intelliges. Vale ſenex venerande, & Rupertum noſtrum meo meorumq; nomine quàm diligentiſſimè ſaluta. Deproperabam Noribergæ ad d. XV. Novembr. A. C. 1645.

Georgius Nœsslerus Georgio Richtero.

AMpliſſime & Conſultiſſime Domine Pro-Cancellarie. Feci, quod mearum erat partium, & ſtudioſos noſtros ad capeſſendam primam Philoſophiæ lauream ſuperioribus diebus evocavi. *Sic mihi dictus Hylas.* Nam velut in deſerto nemo inventus fuit, qui expectationi noſtræ reſponderet, & forum, ut ſic dicam, noſtrum calefaceret. Ita hac ſeculi hieme ſtudia bonarum artium refrixerunt. Neque enim poſſum, quin hoc quoque, quicquid eſt, pignus habeam publicæ calamitatis. Quod ad Ampl. T. referre volui, ut & officii noſtri & meæ erga eam obſervantiæ ratio nobis conſtaret. Dab. XVI. Decembr. A. 1633.

Richterus Nœsslero.

EXcellentiſſime & Spectatiſſime Dn. Decane. Salutationem generalem, quam familiaris ſermo ſolet præmittere, ego, cum Symmacho ad Flavianum, impenſiùs Tibi voto optare ſtudeo quàm ſtylo dicere. Quòd verò artium liberalium ſtudioſos ad primam lauream non ita pridem evocando, ut infelix Hercules Hylam fruſtrà quæſiviſti, eſt, quòd vices ſeculi doleamus. Si enim plantulæ nos deficiunt, quæ ſpes erit aliquando de arboribus? Et ſi Philoſophiæ nemo litat, quam tamen non inſuper haberi non tantùm Academiæ, ſed etiam Reipublicæ intereſt, ecquid de ſublimioribus, quas vocant, facultatibus tandem fiet? Eſt certè defectus iſte haut poſtremum publicæ calamitatis pignus, quod etiam ſequuturam barbariem poſteris minari vidêtur. Supremus rerum arbiter avertat omen, & humaniora ſtudia à rabie Bellonæ vindicet! Interim nos, qui poſt tot miſerias patientiam diſcimus, rationes officii publicè probare perſeveremus. Id quod lubens citiùs ad tuas reſpondendo præſtitiſſem, niſi negotia publica animum ſemel iterumq; retardâſſent, per quæ etiam epiſtolam neceſſariò ſtringo compendio. Vale, Vir amiciſſime, &, quod facis, nos ama. Dab. Norib. prid. Natal. Chriſti Servatoris θεανθρώπου Anno 1633.

Nœsslerus Richtero.

S. P. Henricum Sigismundum Schillingium, Sigismundi Schillingi, olim Medicinæ D. & P. P. Lipſienſis, τοῦ ἐν ἁγίοις, filium, cùm ante menſes aliquot in Academiam hanc veniſſet, liberalis ſtatim fama excepit & Medicinæ Candidatum ſalutavit. Ex quo tempore ita etiam nobiſcum vixit, ut omnino

viſus

visus sit os populi mereri. Heri verò id nominis ipse apud me professus est, petiitque, quamprimum ad consuetas probationes admitti. Ostendi illi jussu scituq; Amplitudinis T. nobis opus esse, ut salvis auspiciis res ista geratur, eumque literis meis veluti manuducere ad Vos volebam. Neque defugit obsequium, sed periculum & molestiam itineris deprecatus facilitati meæ persuasit, ut de tua non dubitarem. Præsertim, cùm & aliis gratiam profectionis istius factam aliquando fuisse meminerim, & illi in nupero convivio Doctorali se jam innotuisse & locutum esse Amplitudini T. asseveraret, neque non de valetudine tua incerti essemus. Quapropter Amplitud. T. eâ, quâ par est, observantiâ rogo, ut pro ea, quâ pollet potestque, muneris autoritate potestatem nobis facere velit sine mora de studiis illius cognoscendi. Dabimus operam, ne comitatis atque commoditatis istius erga nos unquam Te pœniteat. Interea mitto quatuor aureos Rhenanos Amplitudini T. debitos. Deum veneror, Reipublicæ & Academiæ bono eam quàm diutissimè incolumem, aut servet, aut præstet! Dab. raptim 8. Febr. A. 1636. Altdorphii.

P. S. Nobilissimo Dn. à Blansdorf, Dn. Compatri meo colendissimo, salutem plurimam hîc adscribere fas sit.

Richterus Nœsslero.

S. P. Qui tuas mihi ante horam reddidit, præsentium lator, Henricus Sigismundus Schilling, Medicinæ Candidatus, coràm etiam à me petiit, quod Tu pro illo literis mihi acceptissimis. Quantum ex ore, charactere animi, conjicere licet, non indignus videtur, qui honores Facultatis Vestræ supremos ambiat. Et quandoquidem Legibus Universitatis nostræ parere animus ipsi est, libenter petitioni Vestræ annuo, & ut profectus ipsius secundùm præscripta Superiorum cognoscatis, ratione muneris mihi demandati concedo. Utinam verò dum Medicis Viris πολλῶν ἀντάξιοις ἄλλων, quos inter, ut scis, Te haut vulgariter amo, lætus morem gero, vicissim manum illorum propitiam experiri mihi contingat, qui arthritidis doloribus jam tertia septimana est, cùm discruciari cœpi, quos tamen non nihil diebus hisce remisisse, & lecto remoto obambulationem trium pedum nunc concedere gaudeo, ut & illud, quòd Tu quoque pristinæ sanitati restitutus diceris. DEUS clementissimus, qui Medicum creavit, faxit benignè, ut hac ipsius creaturâ nobilissimâ vel nunquam vel rarò utamur, eum verò nihilominus, ut decet, honoremus, etiam cùm valemus optimè. Quod quin & Tu, Medicus inter primos, unà mecum optes, nullus dubito. Vale, Amicorum exoptatissime, & me, quod facis, ama, remq; feliciter auspicare, quam

ut more solenni tandem bene absolvamus, & nos invicem sani lætique amplectamur, etiam atque etiam opto. Dab. Noribergæ 9. Febr. A. C. 1636.

P. S. Nobilissimus Dn. à Blansdorf, cui tuas legendas misi, pro salute adscripta gratiam habet, Teq; vicissim salvere jubet, cum hoc nuncio, neq; se ex animi sententia usquequaque valere. Virdungum nostrum lethaliter decumbere vehementer dolemus. DEUS illum diutiùs nobis commodet!

Idem Eidem.

SAlutem & felicitatem perpetuam. Excellentissime Dn. D. Nœsslere, Amicorum exoptatissime. En mitto libellum, consilium Antipodagricum, de quo non ita pridem inter nos conferebamus. Seriùs fateor, quàm putabam, sed nôsti occupationum molem, ut & illud, quod coràm fassus sum, animum hunc, si juxta Democriti sententiam à corpore in jus vocaretur, fore, ut malæ tractationis crimen vix effugiat. Quin & alia Plutarchi præcepta de tuenda bona valetudine omnium utilissima atq; optima tam circa negotiorum curas quàm alia animi in corpus regurgitantia mala sæpius à me insuper habita confiteor. Equidem τὸ θέλειν παράκειταί μοι: Τὸ δε κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν, ὐκ ἑυρίσκω, ὐ γὰρ ὃ θέλω, ποιῶ ἀγαθὸν: ἀλλ᾽ ὃ ὐ θέλω κακὸν, τῦτο πράσσω. Liberè enim Tibi & Medico & Amico ita confiteri fas est, &, nolim velim, cogor dicere, esse verissimum, nisi animus tam malè sibi consuleret, etiam corpus meliùs habiturum. Neque ignoro artis Vestræ esse etiam animo mederi, &, nisi memoria me fallit, ipse in Oratione tua elegantissima, quam nuper de nonnullis Medicorum erroribus habuisti, haud postremam animi curam in curandis morbis Medico incumbere demonstrâsti. Scio, quod cumprimis vis & voluntas Numinis utramq; paginam faciat, in cujus manu est, animum vel tranquillum reddere, vel diversis affectibus abripi, & sic corpori vel prodesse vel nocere sinere, indeq; fieri, ut qui Creatorem suum offenderit, juxta Sapientissimi Siracidis effatum, in manus Medicorum incidat. Quandoquidem verò tanta est DEI O. M. clementia, ut, iratus licèt, tamen humiliantibus se coram Majestate sua, de remediis prospexerit, & Naturæ hac fini plurima concesserit beneficia. Certè citra impietatem ea negligere non licet. Atque sic rectè post implorationem auxilii Divini ad Medici fidem atque peritiam accurrimus. Morbi historiam, qui me ante quinquennium, in Conventu Lipsiensi, primùm aggressus est, aliam nullam habeo, quàm quòd illa, quæ animus diu malè collecta concoquere nequivit, tandem frigoris injuriâ & gravissimarum lucubrationum continuatione tempore verno in corpus, & quidem in partes ejus extremas, pedis sinistri digitum majorem, eruperunt, quæ tunc per evacuantia & sanguinis missionem, aliaque topica lenientia pariter

atque

atque corroborantia ſemel depulſa, poſt annum bis & quidem multò graviùs utriusque pedis dictas extremitates invadendo rediere, id quod etiam tertio, quarto quintoque annis, mutatis vicibus, partim domi, partim in itineribus, nunc graviùs, nunc leviùs, ſæpius tempore verno & æſtivo, ſemel, hoc eſt, ante quadrimeſtre, hyemali, & altero menſe pòſt, paraxysmo recidivo, ſed ut leviore, ita & breviore, contigit. Ut plurimum cùm morbus rediit, ſemel iterumq; frigore quaſi febrili me correptum ſenſi, quo mox ceſſante, calor vehementior, nonnunquam cum capitis dolore, ſucceſſit. Num verò hæc omnia ex nimio ſanguine, an verò ex frigida pituita, vel ut mihi videtur, ex utrisque malè convenientibus oriantur, & quamnam cauſſam podagræ meæ, quam author libelli c. 6. triplicem conſtituit, potiſſimam dicere debeam, pro certo affirmare vix poſſum. Videtur tamen, ut dixi, & ſanguis & pituita conjunctim malum accerſere. Igitur quid Tibi videatur tum de libello, tum de me, DEO bene favente, curando, ut judicium tuum graviſſimum, quod ut & reliquas tuas virtutes eximias haut vulgariter amo, meritoq; plurimi facio, haut gravatim aperias, amicè rogo. Præſertim verò, quid Tibi videatur de ſcarificatione pedum, quam libelli autor toties & tantopere pag. 44. 92. 120. 127. 139. & 234. commendat, mihique tum ob commendationem iſtam diligentiorem, tum ob exemplum cujusdam ſeptuagenario majoris, qui eo ſe liberatum credidit, maximè arridet. Deinde quid exiſtimes de ſanguinis miſſione, quamprimum paroxysmus ſentitur, ejusq; iteratione. Tum etiam quid de thermarum uſu putes. Et tandem quæ inter tot remedia Autoris, ſi quid mei judicii, non indocti, omnium præcipua judices, & annon aqua illa balſami pag. 103. 116. 146. & 181. ut & altera ſudorifera pag. 113. quas ille arcanas ſibi reſervavit, & inſtar omnium commendat, aliunde haberi poſſint? Ad hæc ſi ut amor meus in Te ſingularis mihi perſuadet, reſpondere non dedignaberis, magno beneficio me Tibi, jam ante licèt devinctiſſimum, obligabis, gratumq; Amicum ſenties. Vale, mi Nœsslere, amiciſſime, & me, quod facis, amare perſevera. Dab. Noribergæ 21. Maji Anno Salutis 1636.

P. S. Reliquias podagræ nunquam diutiùs ſenſi quàm hac vice. Velim itaque remedii quid ſignifices. Hactenus quotidie manè & veſperi uſus ſum aquâ arthetica, quâ pedes locis affectis inungere ſoleo. Si quid noviſti rectius, quæſo, imperti.

Nœsslerus Richtero.

SAl. & Obſerv. Redditæ mihi ſunt litteræ tuæ nudius tertius, Ampliſſime & Conſultiſſime Vir, Dn. & Amice magne, ſed librum transmiſſum non niſi transeunte oculo legere hactenus potui. Legam autem porrò diligenter, &

Si

Si quid in arte mea possum promittere cura,
& hoc & omne bellum Tibi militabitur, ut ait Flaccus, planè pro genio hujus seculi, quo nihil nisi bellum spiramus. Utinam verò Concilium Ratisbonense an Norimbergense (dubitari enim video) pacem nobis conciliet! Angliæ quidem Regis Legatum, qui nuper nobiscum fuit,
- - - *& miseras hac tempestate Camœnas*
Respexit - - - - - -
Ratisbonam jam abiisse accepimus, eodemque, notore fratre meo, die nonâ hujus Maji proficisci voluerunt Serenissimi Electoris Brandenburgici Legati, inter quos honoris & amicitiæ Vestræ causâ nomino Nobilissimum Dn. Levinum à Knesebeck. Sed ad Te redeo, qui reliquias podagræ nunquam diutiùs sensisse ais quàm hac vice. Tumore an dolore? id non explicas, neque quæ sit aqua illa arthetica, quâ uteris. Ego Balsamum antipodagricum Crollii profuturum existimo, si manè locum affectum eo inungas. Id autore D. Horn in officinis quibusdam Noribergensibus prostat, sed optimum ibidem reperitur apud Pharmacopæum Suabacensem, qui in platea alutariorum habitat prope viduam Hetzelianam. Memini Te eo usum esse aliquando, sed multum interest, in principio an declinatione morbi medicamentum adhibeatur. Si hac ratione non cedat malum, scarificationem infra vel juxta articulum affectum fieri curabis, & ceratum diapalmæ, ut vocant, impones. Ita Te valere jubeo & festinationi ignoscere. Dab. Altorphii 23. Maji A. 1636.

P. S. Spero me intra paucos dies commendaturum Vobis novum Candidatum. Nobiliss. Dn. de Blansdorf, nisi grave est, in occasione salutatum cupio.

Richterus Nœsslero.

S. P. Mi Excellentissime & amicissime Dn. D. Nœsslere. Reliquias Podagræ, quas præter solitum diuturnas me sentire nuper scripsi, non tumoris, sed doloris esse scito; sive ex dolore potiùs sensiculi corrupti, si cum Quintiliano ita appellare licet. Verùm illo ipso die, quo tuas exarâsti, hoc est, nudius tertius pridie Novilunii Scarificationis remedio, quod suades, usus sum, neque, ut mihi hoc tempore videtur, primâ istâ vice infeliciter: Compunctiones enim persentisco remissiores, pondusq; pedum leviùs. Neque verò id frustrà, cùm cutis semel tantùm percussa tantam sanguinis copiam reddiderit, ut ego & chirurgus mirati simus. De iteratione num post octo aut quindecim dies aut lapso mense futura sit, quas vices D. Pansæ consilium sub finem, ni fallor, innuit, nihil adhuc certi habeo, sed quem DEUS successum daturus sit, videbo.
Interim

Interim pedes aquâ artheticâ inungi persevero, quæ à D. Hainlin præscripta est in hunc modum:

℞. *Elix. vit. Matth.* ℥ß.
Aq. Salv. composs. ℥ij.
Spir. Rosmar. ℥iij.
Terebinth. ℥j.

Balsamum antipodagricum Crollii non memini me antehac audivisse, multò minùs usurpâsse, nisi illud forsan sit oleum, quod heic autore D. Horn, apud Pharmacopolam Oellingerum, prostat, cujus ego nec fœtorem gravissimum nec calorem nimium tunc ferre potui. De libello isto nuper Tibi transmisso Rev. D. Saubertus hodie inaudivit, qui calculi doloribus p. t. liber nunc utroque pede ob multiplices doloris arthriticos decumbit, & quia libelli, quem dixi, copiam sibi fieri petiit, me quàm lubentissimè ipsi gratificaturum recepi. Sed hæc hactenus. Rumor de translatione Conventus Ratisbonensis Noribergam inde ortum suum habet, quòd initia febris contagiosæ ibi esse scribant. Sed quantum ex literis ipsius Cæsaris, tum etiam Senatus Ratisbonensis constat, quas nudius quintus legi, Senatus iste hunc honorem videlicet multis rationibus frustrà deprecatus est, Cæsarique locus semel electus placet. Quid verò de morbo, quem dicunt, contagioso futurum sit, dies dabit. Quicquid sit, oranda est Numinis benignitas, ut ubicunque locorum Concilium istud augustissimum habebitur, ea quæ ad pacem faciunt, seriò peragantur, bonoque cum effectu in statum Germaniæ tranquilliorem cedant. De Nobilissimo Dn. Levino à Knesebeck quod scripsisti, gratissimum fuit. Novi animum Viri candidissimum, dotesq; divinas, cujus similes si plures Conventus iste habiturus sit, feliciora longè augurari licebit, quàm quæ Phil. Melanchthon olim de Conventu Wormatiensi A. 1557. ad Seldium scripsit:

- - - ut littora surda non procellis,
Nil vadis scopulis moventur alti:
Sic non inflecti inimica corda paci
Ulla posse opera vides bonorum.

Sed DEUS nunc tandem largiatur prosperiora, cui valetudinem tuam commendo, quam impedivisse audio, quò minùs cum Legato Regis Magnæ Britanniæ, (Angliæ enim dicere per edictum Regium ampliùs non licet) nuper esse potueris. Vide igitur, ita eam cures, ut & aliis in arte omnium præstantissima diutiùs prodesse valeas. Atq; sic vale & vive Amicorum honoratissime. Dab. eâ ipsâ horâ, quâ tuas accepi 25. Maji A. 1636.

P. S. Nobiliss. Dn. à Blansdorf, qui ob capitis catharrum domi se continet,

tinet, salutem adscriptam gratissimam habet, & vicissim Te salvere plurimùm jubet.

Nœsslerus Richtero.

SAl. officiosissimam. Dedi ad Te, Amplissime & Consultissime Vir, Dn. & Amice observantissimè colende, nudius quartus, sed ita res nata est, ut heri demum, si fortè, accepisse Te putem. Statim igitur ad gratissimas tuas respondi, quamvis in partem tantùm, quà de reliquiis morbi tui opus esse videbatur; satisfacturus Tibi in solidum, ubi librum, quem legendum misisti, absolvero. Nunc quod minatus fui, Candidatum hunc artis Medicæ Tibi commendo, Teq; eâ, qua par est, observantiâ rogo, ut autoritate muneris tui potestatem nobis facias legitimis probationibus cum ipso experiundi. Nomen illi est Georgio Ludovico Kirchen, patria Kittinga, mater studiorum Lipsia & Marpurgum. Ac in Botanicis quidem & Chymicis versatissimum esse novimus, ex quo de cæteris quoque bene augurari liceat. Patrem autem habuit D. Georgium Kirchen, Poliatrum Kittingensem, p.m. qui uti ex Programmate apparet, cum Pansa tuo & aliis quatuor competitoribus A. 1606. Basileæ supremos honores accepit. Hoc igitur quoque bonum omen sit ad valetudinem tuam curandam. In quo finio, & me pariter etiam atque etiam Tibi commendo. Dab. Altorphii raptim 26. Maji A. 1636.

Richterus Nœsslero.

NÆ perseverus es Tu, Decane spectatissime, φίλων ἀγαπητῶν φίλτατε, qui quod paucis ab hinc diebus minatus es, tam citò das effectum, Georgium hunc Ludovicum Kirchen, Medicinæ Candidatum, commendans, & ut legitimis probationibus cum ipso experiari Vobis liceat, petens: Quas alteras tuas literas ante sesquihoram in curia accepi. Ego verò officii ratione illud ipsum ex caussis dictæ commendationi annexis & meritò & lubens concedo. Neq; ille patris Medici filius videtur degener, quod etiam ex sermone ipsius deprehendisse me puto. Fiat igitur, quod desideratis, & num dignus sit, quem ambit, honore, solenni more juxta legum præscripta explorate. Quod ut prosperè succedat, etiam atque etiam voveo, simulque ut omen hoc, quod auguraris, valetudini nostræ curandæ bonum sit. Quin & Tibi quoque quàm felicissima hæc omnia contingere comprecor animitus! Vale. Dab. raptim 27. Maji A. C. 1636.

Tuus ut in literis, quas antequam obsignarem, & hanc postmodum scriptionem adjungere ut contigit, ita quoq; placuit.

Nœssle-

Nœsslerus Richtero.

S. P. Rediit ad nos Candidatus noster cum litteris tuis, Amplissime & Consultissime Dn. D. Richtere, & nunc Pansa tuus cum meis ad Te redit. Nolui enim diutiùs detinere amores Vestros, cùm etiam Reverendum & Clariss. Dn. M. Sauberium ejus desiderio moveri intellexerim. Quanquam & ego amo atq; æstimo autorem non contemnendæ eruditionis, nec vulgariter in Praxi Medica versatum. Ipse autem, nisi fallor, nimis se & sua amavit, cùm medicamenta quædam tantopere extollit & celat. Veruntamen facilè nos illis carere posse & apud alios Medicos non inferiora reperiri, puto, sed an Noribergæ in Officinis prostent, dubito. Balsamum antipodagricum Crollii idem omnino præstabit, quod ille de suo promittit, eademque ratione usurpari potest. Si calorem metuas, Aqua verbasci nonnihil dilui & temperari amat. Miscetur enim nec super natat, ideoque neque oleum est, licèt & nomine apud vos vulgò potiùs quàm à Clarissimo Horn appelletur. Fœtorem autem, non est, quòd accuses, si rectè paretur. Constat Uncia an Semiuncia (neque enim satis memini) 4. baciis. Et verò fœtor, si quis est, aliâ etiam ratione corrigi atque emendari potest. Quod video fecisse D. Hainlinum in aqua illa arthetica, quam describis, non tantùm æquè calida sed odoris etiam non jucundi propter Spiritum Terebinthinæ, nisi aliorum admixtione commendetur. Quâ fini in primis Elixir vitæ Matthioli addidisse puto, quod alioquin ad cordis & cerebri adfectus eleganter intra corpus propinatur. Propediem autem ipse quoque coràm medicamenta quædam Tibi communicabo. Nunc enim spatiis exclusus iniquis festinare cogor. Ut verum fatear, ridere debui, cùm legi apud Pansam de aqua ipsius antipodagrica has laudes, quòd ea in articulos sese insinuat, eosque occupet & repleat, ne locum inveniat humor morbificus. Mirum enim quomodo non ipsa quoque hoc modo continuum in illis partibus solvendo dolorem inferat. Et cùm hæc ad præservationem, ut loquimur, spectare videantur, quid in curatione fiet, in qua potissimùm aquam illam celebrat? Tunc enim jam adest humor, & locum occupavit. Quem si medicamentum quoque affectat, cùm penetratio corporum non detur, partes illas adhuc magis divelli & dolorem augeri oportet. Ne dicam, quòd, si humoris præsentia, in curatione non impedit, quò minùs locum inveniat, aut faciat sibi medicamentum, neque hujus præsentia impedire posset in præservatione, quò minùs humor influat. Sed nolo nunc Aristarchum agere. Itaq; id quoque non nisi obiter tango, quàm inconstans & varius sit de Scarificatione pedum, itemque de venæ sectione & purgatione, quarum hanc sæpius simpliciter præmittendam, paginâ verò 122. interdum postponendam, non-

nunquam planè omittendam censet, solâ alvi lenitione contentus pag. 109. & 181. Et quàm falsus sit in φαινομένῳ illo sanguinis pituitosi, quem talem dicit post scarificationem pedum, in aqua apparere. In quo vulgo etiam Medici & Chirurgi decipiuntur sectâ venâ pedum aut manuum, ubi similiter, immissis, ut solet, in aquam cruentatam virgulis mucosum & pituitosum quid adhærescere videtur, quod nihil aliud est quàm fibræ sanguinis concreti. Præterquam quòd in scarificatione pedum sanguis, qui exit ad naturam partium illarum exanguium, quas alere debet, jam alteratus & necessariò minùs floridus est, quàm cùm in venis adhuc continetur. In reliquis ferè consentio. Itaque ut ad quæsita tua nunc respondeam; ipse quoque venæsectione & purgatione Tibi opus esse existimo. Venæsectione quidem semel in anno, tempore verno: Purgatione verò bis, Vere & Autumno. Sequatur autem Venæsectionem purgatio, sed, quæ primas vias expediant, præmittenda sunt. De solenni purgatione loquor, quam vel El. caryocostino, diaturbith, c. Rhabarb. vel alio aliquo medicamento, quod Hermodactylos recipiat, instituеs. Interea verò familiari aliquo remedio, singulis minimùm mensibus, expurgabis cruditates circa viscera collectas, antequam in venas & habitum corporis erumpant. Quod propter hypochondriacum quoque affectum negligere non debes. Qua de causa etiam studiis & lucubrationibus Te moderari convenit. Ita enim inserviendum est Reipublicæ ut diu inservire possis. De curis atque animi adfectibus parciùs Te moneo, quorum medicinam & Philosophia & Theologia Tibi facient. Hæc & alia, quæ autor habet de præservatione, Tibi confirmo, exceptis, ut intelligere potuisti, illis, quæ de scarificatione pedum tradit. Si podagra omnis à congestione esset excrementorum, quæ in parte affecta propter debilitatem concoquentis generantur, faciliùs in sententiam suam de evacuatione hac me pertraheret, quanquam sic quoque verendum est, ne pars exanguis, sanguine toties mulctata, ulteriùs debilitetur. Nunc verò, quia præcipuè ab influxu humoris alienigenæ malum illud oritur, quod, ut de aliis nihil dicam, horror & calor veluti febrilis cum capitis dolore, qui paroxysmum antecedunt, de te testantur, id quoque metuendum est, ne materia peccans per ipsam consuetudinem ad pedes trahatur. In declinatione autem paroxysmi adeoque in curatione, ad reliquias exhauriendas, Galenus ipse cucurbitulas cum scarificatione proponit 10. de compos. med. sec. loc. c. 2. Porrò initio paroxysmi si per venas fluat humor, & vires ferant, etiam sanguis semel atque iterum ex brachii venis mitti potest, gratiâ revulsionis, sicuti in præservatione tempore verno evacuationis ergo vena tunditur, ut non utrobique eadem sit hujus auxilii ratio. Quanquam cum revulsione hac evacuatio quoque conjuncta est, ut propterea semel tantùm in anno evacuatio-

nem

nem præservatoriam instituere sufficiat. Eadem autem Topica in præservatione ac curatione vix conveniunt, cùm in ipsa quoque curatione temporum articulis distinguantur. In præservatione hoc unicè agimus, ut pedes roboremus & muniamus adversus influxum: In curatione verò si dolor urgeat, ille mitigandus; materia verò ab initio repellenda, postea discutienda est, &c. De Thermis igitur, cùm in præservationem potissimùm adhibeantur, hoc quoque moneo, si adstringendi facultate simul præditæ sint, pedibus eò magis profuturas; totum autem corpus immergendum non esse, ne insensilis, quam vocant, perspiratio & evacuatio materiæ morbificæ per cutim, in qua plus, quàm credi potest, situm est, impediatur. Sed hæc hactenus. De Candidato nostro, quod voti compotes fecisti, gratias agimus, atq; ille pecuniam, quam de Legum sententia debebat, coràm Tibi persolvisse ait. Cras tentamen subibit, bono suo, ut auguror, periculo. Bene vale, Vir colendissime, & scriptioni tumultuariæ ignosce. Malui equidem festinatâ operâ observantiam quàm moroso studio solertiam Tibi meam testari. Tu, quem animi causâ amare cœpisti, porrò quoque ex animo amabis. Nunc enim constantiæ tuæ est, quod non est meriti mei. Iterum vale. Dab. Cal. ipsis Junii Anno 1636.

Idem Eidem.

S. & Off. Mitto Tibi, Amplissime & Consultissime Vir, massam pilularum de aloë rosata. Ea enim requiritur ad pilulas illas, quas in usum menstruum nuper præscripsi, neque satis scio, an sic, ut debent, paratæ inveniantur in officinis Noribergensibus: Possunt autem pilulæ illæ ex hac dosi bis parari, earumq; singulis vicibus sumi undecim aut tredecim, biduo ante novilunium manè cum jusculo. Candidatus noster perendie Disputationem Inauguralem habiturus est de Apoplexia. Expectamus, quem diem Nobilissimi Dn. Scholarchæ Actui Doctorali dicturi sint, utrùm ipsum illum D. Petro & Paulo sacrum, an alterum subsequentem. Qua de re ut cum illis agas, denuo etiam atque etiam Te rogo. Non dubitamus, quin præsentiæ suæ honorem nobis commodaturi sint, atque ubi de tempore certiores erimus, Candidatus per litteras, ut moris est, eos invitabit. Tunc plura, ut spero, coràm. Interea lege sis Anagrammata Hofmanni Tuberani, de quibus nuper. Videbis, quem ille locum Decanis, quem cognomini suo assignârit. Cui locationi nemo homo hactenus intercessit. At nunc in me cuditur faba, & tantùm non læsæ Seniorum Majestatis accusor. Tu verò, Vir Amplissime, quod facis, mihi fave, & vale. Dab. Altorphii 18. Junii Anno 1636.

Richterus Nœsslero.

Mi Clariss. & amicissime Dn. D. Næsslere &c.

S. P. Pro massa illa pilularum, quam misisti, gratias habeo, relaturus, quantum licebit, bonâ fide. Verùm pilulas istas, in usum menstruum à Te præscriptas, statim à discessu tuo, in officina Vollandi præparari curavi, & heri, pridie novilunii (citiùs enim oblitus sum, & non vacavit) manè cum jusculo sumpsi, pro quarum primo effectu est, quòd DEO gratias agam, Tibique me denuo obligatum confitear. Diem Actui Doctorali Nobilissimi Dn. Scholarchæ, cum quibus hac ipsa horâ egi, dixerunt illum ipsum, qui Divis Petro & Paulo Sacer, & Universitati nostræ festus est, ubi manè ante concionem, volente DEO, ad vos veniemus. Altero die Rector novus pro more eligetur. Faxit DEUS ut omnia dextrè cadant & succedant felicissimè! Anagrammata Hofmani Tuberani, de quibus ante hac nihil mihi innotuit, vel sola à crimine illo Læsæ Seniorum Majestatis etiam apud Rhadamanthum aut Minoem Te absolvent, alterâ licèt parte invitâ: Jus enim nostrum in invitum redditur: Quin etiam in invidum. Interim μηδ' ἄκανθα ἀμύξῃ τοὺς ἀγαθοὺς, inter quos Te numeramus meritissimò, amaturi virtutem tuam, donec Lumine adempto animam moribundo corpore fundam. Id quoq; ne nescires, volui, etiam atque etiam Te valere jubens optansque animitus. Dab. 22. Junii 1636.

Idem Eidem.

SAlve, mi Cl. Dn. D. Nœsslere, Amice honoratissime. Scripsit ad me gener meus, Dn. Iberer, Te nepoti meo ex sorore, Joanni Stamlero, apud alumnos Studioso, multò graviùs nunc quàm antehac nunquam, morbo suo comitiali laboranti, ope & auxilio, quantum licebit, ad futurum; pro quo officio tuo & affectu in meos singulari gratias Tibi habeo, & me haut vulgariter Tibi devinctum profiteor. Verùm scire quoque ex Te velim, quid Tibi videatur de remedio illo, quod Principis Palatini, Ottonis Henrici, Viduam Hilpoltsteinii, præsentissimum habere ajunt, & quâ ratione illud obtinendum putes. Nam & in hoc, si quid operâ tuâ præstiteris, mihi factum imputabo. Incidit, cùm hæc scriberem, quod non ita pridem apud Plinium legi, qui lib. 28. cap. 6. (mihi fol. 19. tom. 3.) ita memorat: *Clavum ferreum defigere, in quo loco primùm caput defixerit corruens morbo comitiali absolutorium ejus mali dicitur*: Quod an Medicis probetur & quî fieri id commodè possit, ni grave est, paucis, quæso, significa. Non desperandum omnino esse de salute hominis ejusmodi, ut ut malum sit inveteratum, legisse me memini apud Illustrissimum Josephum Scaligerum,

qui

qui lib. 1. epist. 19. de Leoniceno, Medico, ut nôsti, præstantissimo, refert, eum ab ipsis incunabulis ad 30. annum morbo comitiali adeò tentatum, ut cùm ad se redierat, pertæsus vitæ, penè sibi manus afferret. Sed post 30. annum planè eo malo defunctum, omnibus membrorum ac sensuum officiis integrum nullâ morbi suspicione, ad 94. annum pervenisse. Velim etiam remedium indicâsset, sed quia ille tacet, Tu, quæso, si quid nôsti, misero imperti, vel quid tandem putes, paucis aperi. Ego per aliquot nunc dies ob cruditates ventriculi, ut mihi quidem videtur, compressiones circa pectus sensi, non nunquam cum calore nimio semel atque iterum etiam cum gravedine capitis. Quatriduum nunc est, cum dolores istos ventriculi non tam frequentes, neque etiam tam vehementes, sed tamen aliud malum gravius, compunctiones nimirum in latere sinistro, & exinde interdum respirationis impedimenta persentisco. Nolo de pleuritide sinistri quid ominari, sed catarrhos frigidiores ex nimio cerevisiæ Bohemicæ potu, quo nunc abstineo, causam putârim; principiis tamen obstandum. Ubi Noribergam veneris, quod procul dubio hisce feriis canicularibus fiet, copiam Tui mihi facias, rogo. Vale, Dabam 19. Julii Anno 1636.

Idem Eidem.

MEministi, quid nuper, cùm heic unà essemus, ex Philippo Melanchthone, de doloribus hypochondriacis Tibi legerim, quâ descriptione ille acu, quod dicitur, res meas tetigisse mihi visus fuit. Unicum illud malè me habebat, quòd post morbi narrationem nihil de remedio addidisset. Sed ecce, dum altero die post, quàm à nobis discessisti, in vita Melanchthonis, quam Joachimus Camerarius, ut nôsti, accuratissimè descripsit, nescio quid de historia Reipublicæ nostræ, cujus multa ibi mentio, investigatum eo, in locum quendam incido, ubi & de morbo & de remedio hæc habentur, fol. 168. *Et Philippus hypochondriacis doloribus est conflictatus, quo usu herbæ chamæleontis mitigavit, ut scimus efficacitatem illius remedii eum prædicâsse.* Hæc Camerarius. Quid Tibi videatur, quæso, paucis significa. Apud Plinium hæc legi lib. 24. cap. 15. *Chamelæa similitudinem foliorum Oleæ habet. Sunt autem amara, odoratu, in petrosis, palmam altitudine non excedente. Alvum purgat, detrahit pituitam, bilemque, foliis in duabus absinthii partibus decoctis, succoque eo cum melle poto*, & quæ sequuntur. Sed exactiùs naturam atque esum herbæ scire haveo. Electuarium tuum jam bis sumpsi. Primùm illo ipso die, quo accepi ante cœnam, ubi intra horas 24. sexies me exoneravit. Deinde heri manè, quia nuper ante cœnam noctem parùm tranquillam mihi fecerat, & semel iterumque tormina cum aliquo calore. Heri verò nihil tale sensi, & tribus operationibus defunctus sum.

Cras,

Cras, volente Deo, & die Sabbati iterum ſumam manè, quia malum podagricum, quod nuper pedem dextrum invaſerat, nunc ſiniſtrum occupabit, quæ quarta invaletudo intra novem ſeptimanas quarta recidiva eſt. Utinam & ultima! Cauſam puto, quòd nudius quartus convivio interfui, tantùm non coactus, & quidem per ſex horas integras, antequam ſemel ſurgere liceret. Ab eo ſtatim mali principium ſenſi. Vivam poſthac vel ſtoicâ conſtantiâ medicè. Faxit DEUS, ut & optimè! Diſputationi Veſtræ, ne & hoc neſcias, quam Johannes Fabricius, Juvenis Ornatiſſimus, mihi dedicavit & elegantiſſimâ oratiunculâ obtulit, quâ tamen vel propter ſuavitatem epiſtolæ præfixæ ſuperſedere potuiſſet, Numine favente intereſſe conſtitui, prout ille pluribus Tibi referet. Interim cum tuis quàm optimè vale, & ſi vacat, de chamæleonte reſponde. Dab. Noriberg. 19. Aprilis A. C. 1637.

Nœsslerus Richtero.

AMpliſſime & Conſultiſſime Vir, Domine honoratiſſime. Planè non eſt ejusdem generis herba chamæleon, quâ in doloribus hypochondriacis Melanchthonem uſum fuiſſe, in vita ejus notat Camerarius, & chamelæa, quam ex Plinio deſcribis. Illa Carlina vulgò dicitur, cujus radix etiam adverſus venena celebratur. Hæc laureola alio nomine vocatur, quod laurum aſſimilat, à qua Germani etiam denominant, ſed μετὰ προσθήκης, quam honeſtè dicere non eſt. Purgandi vehementiam exprimere voluerunt, quâ inſignis eſt. Nullus autem dubito, quin Carlinæ radicibus ipſe quoque in affectu hypochondriaco bonis valetudinis tuæ rebus uti poſſis, cùm ad obſtructiones viſcerum tollendas plurimùm valeat. Sunt autem plurima etiam alia conducibilia, quæ tamen non ſtatim atque omni tempore eundem hominem juvant, nedum diverſos. Nam neque in medico neque in medicamento eſt, ſemper relevetur ut æger. Tu verò podagrâ quoque laboras, & cautio eſt, ita medicinam fieri alteri malo, ut alterius etiam ratio habeatur, quod jam antea monui. Et plura de his coràm, ubi ad nos veneris, filium, ut intelligo, adducturus. Diſputationi autem noſtræ, quam Reſpondens nomini tuo inſcripſit, quòd intereſſe cupis, deprecor. Nam neque nos tanti dignamur honore, neque ſtudia juventutis noſtræ ita ſe nunc habent, ut aures tuas mereri poſſimus. Et nôſti urere, ſi fulgore ſuo quis prægravat artes infra ſe poſitas. Interim bene vale, &, quod facis, fave. Dab. præfeſtinè Altorphii 23. April. Anno 1637.

Idem Eidem.

SAl. & observant. Bonâ omnino fide præsagiit animus, fore, ut parùm grata Tibi esset epistola Mathematici nostri. Veruntamen cùm per invaletudinem ipse scribere non possem, malui illum hoc officii fungi, quàm planè silere Musas nostras. Id quidem rectè monuit, stellam illam falsò creditam novam ipsissimam esse Venerem. De cæteris ita existimandum est, quasi in albo spatio alba extet linea. At quòd Tu de valetudine tua scribis, merum atramentum est, ut omnes nobis stellas obnubilavit. DEUS illam in solido locet! Ego quidem meliùs nunc habeo, sed nescio quàm diu! Talis enim est morbus iste, ut spem vetet inchoare longam. Orationem tuam de valore Medicorum hîc remitto, ut cum reliquiis novem quamprimum typis excudatur. Quo nomine magnam inibis gratiam apud Senatum populumque studiosorum. Ego jam dudum Tibi debeo pro honorifico testimonio, quo in Oratione ista adfectus tuus me ornavit. Quanquam verò neque eam laudem agnosco, quam in literis tuis mihi tribuis, neque libello illi opus est hederâ; tamen quia ita jubes versiculos aliquot proxime mittam, vel ipse afferam diebus his, quos feriatos habituri sumus. Non omnino præter rem erit eos præfigi & priùs audiri in cultum;

- - - nam sic quoque certior extet
gloria fœcundum rite colentis agrum.

Bene vale, Vir Amplissime, & qui has fert Kobius noster, bene ambulet! Dab. raptim 22. Martii Anno 1638.

Idem Eidem.

ACcipe, Vir Amplissime & Consultissime, promissum carmen, sed non, ut ille ait, Jambos. Quanquam hos quoque officii ratione ad Te mitto. Visum enim fuit hac arte excitare studiosos nostros ad capessendam supremam in Philosophia lauream, sive Magisterii insignia. Et omnino futurum spero, ut Candidatos nanciscar. In primis verò super Decade Orationum tuarum Academicarum aliquid panxi, sed ut ne pangerem: Autoritatem enim hanc defugio. Tuum est, qui nos amas, observantiam nostram agnoscere & ignoscere. Bene vale. Dab. Altorfii 10. Aprilis Anno 1638.

Richterus Nœsslero.

SAl. & Off. Ad binas literas Tibi, Excellentissime & amicissime Dn. D. Nœsslere, responsum debeo. Sed ad priores functus jam officio videri possum, utpote de quarum contentis coràm inter nos colloquuti sumus, antè,

quàm eas accepiſſe. Imò priùs, quàm ego eas Te dediſſe, Tu verò accepiſſe me, ſciremus. Paucis enim horis pòſt, quàm nuper mecum eſſes, Cobius noſter eas demum mihi reddidit, cauſſam neſcio quam moræ allegans; in qua tamen facilè acquieſcere potui, quia nihil aliud detrimenti ex mora iſta moratoris nobis accidit, quàm quòd Tu eas redditas credidiſti, ego verò eas exaratas tunc neſciebam: Quoad alteras igitur, quibus & carmen & Jambos mihi miſiſti, gratias Tibi agerem pro hac humanitate tua operoſiùs, ſi vel Tu eas, requireres, vel ego dignè poſſem: Ingratiſſimus tamen ſim mortalium, ſi tantum affectum tuum non demereri & divinam iſtam Muſam tuam non venerari quàm diligentiſſimè ſtuderem. Equidem non tam ſufferus mihi ſum, ut ea in me agnoſcam, quæ Tu amori nimio mihi tribuis. Non poſſum tamen non gaudere cum Hectore Næviano, tantopere me laudari à laudato Viro. Fortaſſe invenient Orationes noſtræ lectores, qui bonas horas non malè collocari exiſtimabunt, quia Te talem nactæ ſunt præconem, & fieri poteſt, ut credat poſteritas alicujus pretii noſtra eſſe, quòd à Nœsslero ita laudata ſint. Sed nôſti, quid petierit M. Tullius à L. Lucceio, hiſtoriarum ſcriptore, nimirum ut res in Conſulatu à ſe geſtas memorando leges hiſtoriæ negligeret, amorique pluſculum etiam, quàm concedit veritas, largiretur: Quæ illius epiſtola inter rariores, etiam me adoleſcentem olim nimium quantum cepit: Quanquam non ignoro, Ariſtotelem tuum in adoleſcente laudare, quod in viro reprehendendum non abſque ratione cenſet: Sed ſi hoc in amico Hiſtoriographo excuſandum putavit conſul prudentiſſimus, quis in poëta nimium iſtud amoris ſtudium reprehendet? De Jambis verò tuis quid dicam! Certè beatos puto, quibus Te inſtitore Philoſophiam virtuti & doctrinâ venalem pretio iſto comparata fas erit. Inſtitore inquam,

Cui licuit Phœbo comites junxiſſe novenas,

& qui dotium tuarum judices dubios reddis, Medicum ne peritiorem, an acutiorem Philoſophum & eloquentiorem ne Oratorem, an Poëtam elegantiorem Te pronunciare debeant. Ego ſanè Jove æquo eos judicare arbitror, qui omnia illa conjunctim in Te eximia admirantur. Quæ in aliis etiam ſingula laudem mereri poſſent non vulgarem. Sed rectius in Te quadrare ſentio, quod de Carthaginis exemplo Muſa tua melliflua nobis adaptavit. Itaque de laudibus tuis taceo, & alio novo vinculo me Tibi obſtrictum profiteor, quod nimirum etiam filii mei valetudinem non ita pridem curâſti, quod, quin porrò quoq;, ubi opus erit facturus ſis pro effectu tuo in nos amiciſſimo, injurius ſim in virtutem tuam, ſi pluribus rogare Te velim. Quin potiùs operam dabimus, ut haud ingratos abs Te amari nunquam non intelligas. Vale. Noribergæ ex hortulo, quo me animi causâ abdideram. XV. Calend. Maji 1638.

Nœssle-

Nœsslerus Richtero.

SAlutem cum obſervatione plurima. In ruborem me dediſti, Virorum Ampliſſime, literis tuis humaniſſimis, nec ſuſtineo reſpondere. Certè tenuitas vel, ſi omnino ita vis, mediocritas noſtra nunquam reſpondebit laudibus illis, quas plena manu benignitas tua in me congerit. De Candidatis non vanus fuit meus augur Apollo. Quatuor enim nomina ſua profeſſi ſunt juvenes moribus ſtudiisque commendabiles,

Johannes Ludovicus Wider/ Steina Kirchenſ. Auſtriacus.
Johan. Albertus Spieß/ Betzenſteinenſis Noricus.
Balthaſar Seuffert.
Hieronymus Geilinger, uterque Noribergenſis.

Sed hic poſtremus, quod ab alumnis requiritur, Nobiliſſimorum Dnn. Scholarcharum aſſenſum priùs impetrare debet. Eos igitur omnes & ſingulos Ampliſſime dignitati tuæ ſiſto, ac veluti de manu in manum trado, ut ſi mereri videbuntur, juſſu ſcituque Veſtro ad conſuetas probationes admittantur. Erit id nobis non ſolùm gratum, ſed & honorificum, & nos Ampliſſimæ dignitati tuæ hoc quoque nomine plurimum debebimus. Bene vale, Vir colendiſſime. Raptim è Muſeo, VI. Calend. Maji Anno 1638.

Richterus Nœsslero.

S. P. Ad Commendatitias tuas, Decane ſpectatiſſime, occupationum mole, per quam etiam aures vix ſcalpere licet, Laconicè reſpondeo. Quatuor igitur iſtis Candidatis tuis probationes conſuetas ſubeundi poteſtatem facio. Nihil enim ambigo, quin & moribus & eruditione in Philoſophiæ ſtudiis ita eos deprehenſuri ſitis, ut ad honores iſtos, quos ambiunt, ſupremos, cum laude ſint graſſaturi. Ita ſperare nos jubet, quæ de Philoſophia in limine coràm dixerunt. Ita promittit tua commendatio, quam, ut omnia tua, meritò facio plurimi. De convivii ſumptibus minuendis, quod obiter illis dixi, (bis enim Academiæ curatorum princeps jam me hac de re compellavit) quid monere potes, ut paucis aperias, rogo. Dabimus operam, ne quid invitis Vobis ſtatuatur. Vale, Vir amiciſſime. Raptim 4. Calend. Maji 1638.

Idem Eidem.

S. P. Mi amiciſſime Nœsslere, Medicorum optime honoratiſſimeq;. Calculi dolor recidivus etiam me nolentem ad ſcribendum compellit, ita tamen ut ſimul ſcriptionem breviorem, hoc eſt, non niſi neceſſariam imperet. Calculi,

Oo 2 inquam,

inquam, dolor. Ita enim latro, hactenus latitans, nudius sextus tandem è latebris suis magno cruciatu prosiliens sese prodidit: Quo viso gaudio simul atque terrore sum affectus haud vulgari. Gaudio quidem, quia tortorem meum, (figurâ & magnitudine ut granum hordei) plus albi quàm rubri coloris trahentem, manibus prehendere licuit: Terrore verò, quia plures ejusmodi carnifices sequuturos timebam. Idque non frustrà. Vix enim triduo immunis fui, cùm fragorum esu liberiore, quem tamen non nemo Medicorum suaserat, alios dolores, planè ut antea, primùm in latere sinistro, deinde infra umbilicum, tandem in Urinæ profluxu sensi: Hos enim gradus successivè magis quàm simul malum istud hactenus in me excarnificando observavit, ita ut & nunc, urinam reddens, quod unâ horâ decies vel ampliùs stillicidii instar fieri solet, ingentes cruciatus patiar. In urinis autem non tam sabulum quàm pituita conspicitur. Si quid igitur remedii habes, ut impertire digneris, rogo: Simulque, ni grave est, significes, quid Tibi videatur de illo remedio Erasmi, de quo ad Guilhelmum Copum, Medicum & Amicum suum intimum, ita scripsit: Ex quo cœperam diluere vinum aquâ ex glycyrrhizo decoctâ, mitiùs me tractavit calculus &c. quæ epistola digna mihi videtur, quam & æger & Medicus integram legant. Deinde &, de illo quid sentias, scire velim, quòd Euphormio in Satyrici sui parte prima de virga aurea, calculi hoste infensissimo pariter ac felicissimo, tantopere commendat; quâ plantâ verè aureâ ita Fibullium calculo laborantem triduo curâsse se ait, ut puduerit, tam facili remedio calculum timuisse. Si autor mihi es, non detrectabo aureum istum pulverem ad drachmam mero delibutum, vel ovo levissimè cocto permixtum, prout author iste suadet, sumere: Modò ita mihi præscribas, ut à pharmacopola pro more habere queam. Aquarum acidularum usum, antequam tuas acciperem, indies minuendo absolvi: Sed, ut verum fatear, invitus. Vix enim credi potest, quantum materiæ istius mucosæ, quæ me nunc in renibus & vesica tantopere excruciat, singulis diebus ad finem usq; aquæ istæ nobilissimæ ejecerint, ita ut injuriam illis, nisi me omnia fallunt, fieri putem, si eas mali mei caussas dicere quis velit: Quod tamen vulgo fieri solet. Sed eas semel finitas nunc repetere non licebit. Itaque denuo Te rogatum volo, ut consilio tuo porrò quoque mihi succurras. Dabo operam, ut amicum nunquam non gratum me Tibi probem. Siquid etiam de Actu Promotionis certi quid habes, num plures vel unus futurus sit, maturè, fac, sciam. Quò magis enim valetudo mea affligitur, eò plus temporis ad meditandum opus mihi erit, si modò per dolores istos meditari quicquam, officioque hac vice, ut decet, fungi licebit. Ταῦτα δ' ἐν γούνασι τοῦ Θεοῦ κεῖται. Vale, & me, quod facis, ama. Raptim Noribergæ prid. Kalend. Junii 1638.

Nœssle-

Nœsslerus Richtero.

S. P. Quâ utinam re ipsâ Te impertire possim Amplissime & colendissime Dn. D. Richtere! Equidem,

Quicquid in arte mea possum permittere curæ,

Imq; imputarem. Sed absenti Medico non plus licet, quàm liquet. Ὁ ἄριστος γὰρ ἄριστα θεραπεύει. Præsens igitur omnia rectiùs & cognoscere & curare queam. Illud certum est, non arbitrarium, dolores, quos sentis, colicos esse, vel etiam hypochondriacos, non nephriticos. Itaque disputatione illâ, an acidulæ nephriticis conveniant, nec ne, multoque magis medicamentis, quibus contra calculum usi sunt, supersedere poterant Medici Vestri. Neque illud dubium esse potest, ab acidularum potu tormina Tibi excitari, sive frigiditate suâ & abstersione ac vellicatione insigni intestinis noceant, sive hoc fiat, dum humores viscidos ac lentos intestinis adhærentes aut venis mesaraicis infarctos commovent. Ego ab utraque causa fieri existimo, præsertim cùm noctu infestet malum. Noctes enim sunt frigidiores, eoq; tempore quietem medicamenta movent potiùs, quàm promovent. Itaque autor Tibi sum, ut deinceps horis solùm matutinis bibas aquas illas, & si sponte suâ exitum non inveniant, medicamento aliquo solvente addito, viam illis commonstres, atque ita paulatim, uti fieri consuevit, ab eorum usu desistas. Hæc præsens Medicus porrò moderabitur, atque ita valetudinem tuam curabis. Faxit DEUS, ut quamprimum læto nuncio de felici successu me beare possis! In quo voto vel boni ominis causâ desino. Dab. raptim, ut vides, Altorfii 25. Maji A. 1638.

Idem Eidem.

SAl. officiosissimam. Hac horâ, quæ est sexta vespertinâ, tuas accepi, Amplissime & Consultissime Dn. D. Richtere. Itaque statim respondeo, & si consilio non est ampliùs locus, συμπάθειαν saltem meam Tibi testor. Altero enim jam calculo excreto meliùs Te habiturum

& reor, & veri si quid mens augurat, opto.

Cæterùm ita res habet. Calculi dignotio à colicis doloribus nimis quàm difficilis est, nisi ille prodeat, & suo, quod de sorice dicitur, indicio se prodat. Igitur Galenus noster in se ipso judicii aliquando falsus fuit. Quò minùs absens Medicus, aut qui semel tantùm ad ægrum viserit, certi aliquid statuere potest, præsertim si aliæ causæ interveniant, quæ ambiguum faciant judicium, ut potus acidularum. Mihi quidem hactenus alternanti potior sententia visa est, colicos esse dolores, cum quibus conflictareris. Nunc quin conjuncta sit nephritis, non magis

magis dubitare licet, quàm de Sole lucente in meridie. Acidularum potus hac ipsâ ratione Tibi profuit, quòd moverit loco & finibus propulsaverit hostem. Neque enim interea, dum illis usus es, si vel maximè cruditatum aliquid è ventriculo secum deduxerunt ad renes (horis scilicet quatuor à prandio repetitæ, nec satis temporibus divisæ) calculi isti generari potuerunt. Educta enim fuit illa ipsa quoque materia porrò per urinas. Certè satiùs est, calculos exiguos & parvos cum dolore aliquo exturbare viis laxioribus jam redditis transitu aquarum, quàm relinquere eos in corpore cum certa ægri pernicie augendos. Quo nomine neque fragorum esus accusari debet: Erasmi & Euphormionis remedium, de quo scribis, utrumque Tibi proderit; sed alterum præservationi, ut loquimur, alterum curationi magis aptum est. Nullum autem in universum alicui morbo remedium proprium ac perpetuum est. Si esset, non jam ars aliqua foret Medicinæ faciendæ,

Sed quivis medio de grege posset idem.

Si modò de medicamento aliquo vel fando audivisset. Ut Jus Vestrum, ita Medicinam variant circumstantiæ, consilioque in arena capiendo opus est. In calculo nunc purgandum est, nunc vena secanda, nunc atterendus & comminuendus calculus, nunc propellendus, nunc viæ laxandæ, nunc dolor demulcendus, nunc renum intemperies corrigenda, atque hæc omnia modò levioribus, modò vehementioribus auxiliis peragenda sunt. Ut nihil hîc certi definiri possit. Quòd si his (quod DEUS avertat!) denuo refricent dolores, evacuato jam satis corpore, enema fieri poterit ex decocto Veronicæ, additis unciis duabus aut tribus olei lumbricorum terrestrium. Hoc dolorem leniet, & vias laxabit. Tuum aliquoties oleo sive liquore (ut vocant) crystalli uteris cum jure carnis, in quo radices & folia petroselini decocta fuerint. Oleum illud crystalli à Pharmacopæo Suabacensi nancisci poteris, si in officinis publicis non prostat. Ejus quidem variæ ut præparationes, ita doses sunt. Sed decocti petroselini bonum omnino haustum sumere oportet, calidi adhuc & ventriculo vacuo horis quatuor ante prandium. Soleo eodem modo ægris meis per dies aliquot jusculum exhibere, ex hoc decocto radic. & fol. petroselini, additis & incisis iis ipsis radicibus & foliis coctis loco panis, & salis vicem, tartari crystallo, ut appellant, ad gratam usque aciditatem mixto. Quod medicamentum adversùs hypochondriacum quoq; morbum plurimùm valet. Alii ad præservationem grana sive semina quinq; lappæ majoris plusculis diebus deglutita tanquam secretum laudant. De Actu Promotionis nihil habeo, quod affirmem, unus an plures futuri sint. DEUM rogo, ut quicquid ejus dederit, Te nobis salvum & incolumem commendare velit. Dab. præfestine prid. Cal. Jun, 1638.

Richte-

Richterus Nœsslero.

S. Pl. Mi amicissime Nœsslere, Vir Excellentissime. Reipublicæ negotiis ad languorem usq; octiduo compluries occupatus ad acceptissimas tuas respondere hactenus non licuit. Quin & nunc laborum publicorum mole districtus, ex via quasi parumper divertens hæc scribo. Ita autem contigit, ut auguratus es. Ex quo tempore calculum, de quo nuper, peperi, meliùs DEI benignitate habui: Ideoque nullâ Medicinâ interea sum usus. Remedia autem abs Te significata, pro quibus gratias magnas ago, diligentissimè observabo. Illud Te nescire nolo, me hac septimanâ bis, post motum ante cœnam, pro urina sanguinem reddidisse, aut certè urinam sanguine mixtam, cui & aliquid sabuli adhæsit: Quod an ex venularum læsione aut aliunde proveniat, ignoro: Neque tantopere æstimo, quia citra dolorem fieri solet. Post cœnam, ut & noctu, item manè ante etiam & post prandium, nihil tale conspicitur, sed urina profluit, ut ex homine sano, nisi quòd interdum materiam pituitosam simul trahit, interdum etiam aliquid sabuli. DEUS dolores porrò quoque clementer avertat! Præcipuum verò, cur Te nunc interpello, mihi est, quod mea scire refert, an unum aut duos Actus Promotionis proximâ panegyri habituri sitis, quo de officii mei partibus, quantum licet, maturè cogitare possim. Hac ipsâ horâ ex filii literis intelligo, Decanum Medicinæ pro certo ipsi affirmâsse, Candidatum Vestrum venturum, & promotionem suam instituturum esse, modò per militum latrocinia liceat. Quod si fiet, ita, spero, rem peragatis, ut Candidati tui quatuor loco inferiore: Candidatus verò Medicinæ medio consistentes, Vos verò Decani duo, loco supremo pro more sedentes, unus statim post alterum Orationes vestras habeatis, ad quas ego unicâ Oratiunculâ respondendo, unâ quasi fideliâ, quod dicitur, duos parietes dealbare queam. Quo peracto Doctor Medicinæ pronunciari & ad Decanum suum in cathedram superiorem evocatus colophonem Actui suo imponere posset. Tu verò tandem Candidatis tuis honores solitos redderes, & omnia ut soles, quàm optimè & quàm pulcherrimè absolveres. Sic Candidatorum sumptibus, qui uno convivio defungi poterunt, parcetur, simulque per pauciora fiet, quod per plura fieri nulla exigit necessitas. Ut nihil nunc dicam, vix possibile fore, ut ego tot occupationibus hoc tempore obrutus, & cum valetudine vix in gratiam redire incipiens, tam brevi temporis spatio, duas Orationes, quales quales etiam, effingam. Itaque per amicitiam nostram Te rogo, ut non tantùm, quid Tibi videatur, haud gravatim mihi aperias, sed etiam, ubi Actus tuus Philosophicus, quod optâssem hac vice solus non erit, ut res eo modo, quo innui, perficiatur, efficies: De quo responsum tuum ideo quamprimum

primum expecto, quia quamdiu de Actu uno vel pluribus sum incertus, tamdiu meditari nihil possum. Aliam enim Orationem cogito, ubi Tecum duntaxat & cum Candidatis tuis Philosophiæ res mihi erit; aliam si in Medicina & Philosophia simul honorum præmia persolvenda nobis erunt. Prius autem, ut dixi, quàm certi quid sciam, verbum nullum, quod dicendum mihi erit, chartæ committere possum. Vale, & importunitatem hanc, ad quam Officii necessitas nolentem me compellit, amori meo in Te singulari tribue. Raptissimè IX. Junii 1638.

Nœsslerus Richtero.

SAlutem cum observantia plurimam! Valdè me exhilararunt literæ tuæ, Amplissime & Consultissime Dn. D. Richtere, nihilque gratius mihi accidere potuit, quàm quòd de recuperata valetudine tua scitiorem me fecisti. Hoc bonum proprium perpetuumque DEUS Tibi esse velit! Urina, quam his diebus cruentam reddidisti, licèt calculi adhuc in corpore restibilis suspicionem aliquam adferre possit, spero tamen meliora, & motui vehementiori, quo usus es, id imputare malo. Itaque in posterum Tibi cavebis. Levior autem motus proderit. De Candidato Medicinæ nihil certi Tibi affirmare possum. Decanus nihil mecum communicat. Ex Studiosis autem nostris intellexi, spem illi esse de Saubecco, nisi intuta viarum reditum ejus impediant. Si venturus est, intra paucos dies veniat, oportet. Sive autem unus Promotionis Actus futurus est, sive duo, unâ tantùm Oratione Tibi opus erit, & Magisterii actus eo modo procedet, quo definivisti. Et nunc quidem in summa festinatione tantum est. Bene vale iterum atque iterum, Vir Amplissime,

- - - omnibus è meis Amicis
Antistes mihi, si forent trecenti.

Dab. II. Junii 1638.

Richterus Nœsslero.

SAl. officiosissimam! Magnifice Dn. Rector, Amicorum ocelle, præsentium lator, Johannes Boschet, è Burgundia oriundus, qui heri Francofurto huc venit, linguarum exoticarum, Gallicæ præsertim & Italicæ, eo usque peritum se profitetur, ut privatim eas docere præsumat. Hac fini ab aliis mihi commendatum (aliàs enim nihil mihi de eo constat) Tibi quoque commendo, & ut voti compos redditus privatim linguas, quas dixi, docere queat, rógatus rogo. Interim fortasse de stipendio aliquo vel beneficio, quod vocant, communis mensæ, prout specimina, quæ promittit, merebuntur, ipsi prospicere licebit, cujus voti

voti ut compos fieri queat, Nobilissimis quoque Dn. Curatoribus per occasionem commendabitur. Vale. Dab. raptim ob festinationem hominis. Noribergæ ad d. XIII. Octobr. A. C. 1638.

Nœsslerus Richtero.

SAlut. officiosissimam! Mitto Tibi, Vir Amplissime atque colendissime, pulverem (de quo nuper) prophylacticum adversùs destillationum progeniem, dolores tuos nephriticos & podagricos. Ejus per hanc hyemem sumere potes cochleare unum alternis diebus manè, vel seorsim, quod melius est, vel cum jusculo aliquo, sed sine pane. Si lubet, saccharum etiam miscere, integrum est. Alternis verò diebus simul uti Te velim pilulis, quas in scheda descriptas vides, ne uni medicamento nimis familiariter natura assuescat. Has Norimbergæ parari curabis, cùm pulverem illum certis de causis in nostra officina fieri voluerim. Utrique autem medicamento præmitti debet electuarium lenitivum, quod ad hypochondriacam affectionem cochlearis mensurâ in principio prandii vel cœnæ sumendum anno Tibi repræsentâsse memini. Sufficit semel atque iterum eo usum esse. Postea singulis vel septimanis vel quatuordecim diebus repeti & reliquis medicamentis duobus interponi postulat. Quòd si interea in victu (ut fit) paulò indulgentiùs aliquando peccatum sit, altero statim die ad illud confugiendum erit, ne cruditates cumulentur, & omnia turbent. Atque illo die domi manendum est, & valetudo curanda. Pilulis autem & pulvere uti licet sine cura vel custodia, ut Practicorum filii loqui amant. Faxit DEUS, ut cum pristina sanitate quamprimum bonâ fide in gratiam redeas! Studiosi nostri his diebus tumultuati sunt contra novitium quendam, cujus ostium occentârunt & flagellârunt fenestras. Sed tempora tua diutiùs morari nolo. DEUM iterum iterumque precor, Te nobis firmum & valentem quantocyus redonet, & mei sic amantem quàm diutissimè servet! Dab. Altorphii 15. Decembr. A. 1638.

P. S. Post cibum à studiis & laboribus, quantum potest, abstinebis, saltem per bihorium.

Richterus Nœsslero.

SAl. officiosissimam! Magnifice Dn. Rector, Amice magno amoris & honoris cultu mihi prosequende. Gratias Tibi agerem operosiùs, si æquales pro tuis in me & filium meritis haberi unquam posse existimarem. Quod igitur licet, facio, & me Tibi ad finem usque vitæ devinctum fore lubens meritoq; profiteor. Interim tuum erit fostrum hoc qualecunque redhostimenti loco non aspernari, & significationem potiùs animi Tibi deditissimi quàm rem ipsam per-

pendere. Medicamentis abs Te præscriptis utar σὺν Θεῷ, quamprimum per occupationes hoc tempore gravissimas juxta ac plurimas, quæ me tantùm non enecant, licebit, quod hac septimanâ fore confido. DEUS benedictionem adspiret saluberrimam! Pretium pulveris, quem misisti, filio mandavi, ut à Pharmacopola sciscitetur: Nolo enim Te præter consilia etiam sumptus impendere. Vale, & me Tui amantissimum perpetim ama. Depproperabam Noribergæ ad d. 18. Decembr. A. C. 1638.

Nœsslerus Richtero.

SAl. cum observ. plurimam! Acceptissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, Vir Amplissime & Consultissime. Non ita aurum, quod misisti pro sostro. Nolo enim amicitiam nostram

puram, Juppiter, integerrimamq;
luto isto quamvis splendido, contaminari.

Sed si quid à me proficisci unquam poterit, quo amorem erga me tuum demereri liceat, id ipsum in lucro ponam. Itaque remitto pecuniam, quæ licèt animum revertendi non habuerit, fera tamen bestia esse metuit. Bene vale, Amicorum optime maxime, & si ingenuitatem nostram non contemnis, hoc Catone contentus esto. Dabam raptim Altorphii 22. Decembr. A. 1638.

Idem Eidem.

NUllus dubito, Vir Amplissime & Consultissime, quin nuperas meas unà cum adjunctis ad Nobilissimos Dnn. Scholarchas rectè acceperis. Quid de tumultu illo studiosorum nostrorum censeatis, vehementer etiam atque etiam expectamus. Tota Academia quasi sedibus suis commota μετεωρίζεται, & eventum præstolatur. Atque is demum, quicunque futurus est, utramque paginam faciet, & disciplinam publicam aut in integrũ restituet, aut funditus evertet. Omnia nostra Decreta, Pacta, Programmata in spongiam incumbent nisi executione sustineantur. Ego, quod mearum est partium, sedulò operam dabo, ne quid detrimenti res Academica patiatur, neque unquam adducar,

Invidiam ut placare velim, Virtute relictâ.

Cujus animi mei testem has literas ad Te mitto, inque hoc omine desino. Dab. Altorphii 27. Decembr. 1638.

Idem Eidem.

QUi has fert, Georgius Christophorus Dreher / Berolinensis, Vir Amplissime & Consultissime, Candidatum Juris apud Te profitebitur. Quo nomine

mine à Decano Facultatis suæ conceptis verbis Vobis commendatur. Non possum autem ego facere quin partes quoque meas explicem, eundemq; ut qui maximè, nec una de causa, Tibi commendem. Est enim meus ex Sorore nepos, vel si affectum nostrum spectes, alter filius meus. Pro filio, inquam, illum à puero ferè educavi, bonisq; literis innutrivi, ut studiorum quoq; suorum Parentem me agnoscat. Ante sexennium igitur à me discessit, Jenæ, Rostochii, Regiomonti Borussorum, nec non Lugduni Batavorum interea commoratus, donec Angliâ perlustratâ ante triennium,

Magnum iter ad patrias proficisci sedit Athenas.

Et vero jam tum in Academia illa, quæ est ad Viandrum, impetratâ publicè facultate, privatim docuit. Cæterùm ingravescente illic bello ante annum quasi huc reversus est, ut imposito tandem studiis Academicis colophone ad Rempublicam se converteret. Equidem valdè velim illum hoc patriæ statu apud nos manere, si modò idem Tibi visum fuerit, tuique consilii pondus accesserit. Neque enim tui favoris aurâ subvecti, alios nobis ventos, alios remiges quæremus. Bene vale, Vir Amplissime atque amicissime. Ego, quod scis, decumbo. Altd. 20. August. 1639.

Idem Eidem.

CUm his diebus præsens Noribergæ Tecum locutus fuerim, Amplissime & Consultissime Dn. D. Richtere, brevior nunc ero literis, nec tempora tua morabor, ne denuo in publica peccem. Non fefellit me spes mea de Candidatis primæ in Philosophia Laureæ. Professi sunt sua apud me nomina tres adolescentes, duo Noribergenses & Diaconorum Noribergensium filii, tertius Altorphinus,

Paulus Weer.
Christophorus Ayerschöttel.
Michaël Gegkius.

Eos igitur, quod bene sit, ad Te mitto, & de meliore nota commendo, ut jussu scituque tuo ad probationes & examina consueta admittantur, ac si MEREBUNTUR, honorem, quem petunt, statuto tempore consequantur. Facies hac in re, quod Autoritate juxta atque Humanitate tuâ dignum est, & nos grati esse studebimus. Bene vale, Nestor noster, Nestoreos in annos! Dab. Altorphii raptim propridie Calend. Decembr. Anno 1643.

Richterus Nœsslero.

SAl. officiosissimam! Excellentissime Nœsslere, Decane Spectatissime. Qui tales nobis nunc mittis Candidatos laureæ in Philosophia primæ, quales igitur

tur post semestre, volente DEO, abs Te expectabimus secundæ? *ἀτρέκειαν εἰπεῖν* si rogâsses, ut ad Philosophiæ honores secundos, sive summos admitterentur, non habuissem, nisi me omnia fallunt, quod denegarem. Ita perp'acuit mihi alloquium adolescentum istorum trium suavissimum, ita Oratio perpolita, ita petitionis major, ne dicam, elegantia an modestia? certè utraque singulari laudis præconio digna. Nam ex sermone primi secundum quoque & tertium æstimo, vel facie & gestibus idem promittentes. Nimirum quò pauciores sunt, eò habes præstantiores. Fiat igitur. O Amicorum decus, quod jure magis (ita enim statuo) debetur, quàm vulgari more petitur. Admitte illos ad examina consueta, &, quum ex Leonis ungve de fortitudine reliqua facilè conjicere liceat, ad honores istos gradu primos, quos legitimè ambiunt, fœliciter eos promove, & Academiam nostram, quod facis, cum emolumento ornare persevera. Ita vive, ita vale & salve. Noribergæ pridie Cal. Decembr. 1643.

Idem Eidem.

SAlutem officiosissimam! Excellentissime Vir, Amicorum Ocelle. Utinam verò fas mihi foret fortibus solatiis lenire ægritudinem tuam, in quam non ita pridem inopinatus uxoris tuæ obitus Te præcipitavit. Immò, quo fato miserabili & repentino, ceu ictu fulminis de cœlo, animum tuum tactùm, & tantùm non simul cum illa Te extinctum novi: Ita nimirum Parca illa dura etiam Costæ tuæ parca non fuit. Tentabo certè,

Si quod ego possim solando afferre levamen,
In partemq; mali veniam sæviq; doloris.

Amicis enim dolentibus, si aliter non licet, vel verbis succurrere par est: Quam amicitiæ legem mœrori tuo denegare affirmo Tibi, religio mihi sit. Neq; quod necessitudinis nostræ est, hactenus distulissem, nisi vel arthritis mea sæpius nunc recidiva, ut nôsti, & cumprimis chiragræ molestia scriptionem omnem impedivisset, vel etiam si vulneris tui gravitas maturam nimis Medicinam admisisset. Ut enim, quod rectè quidam ait, musto tempus damus, quo despumet: Sic mœsto animo ut ægritudinis fæces ejiciat, diesque paulatim leniat, quod ratio vel non sola, vel non statim potest. Amisisti scio, & condoleo Tibi, mi Nœsslere, thori vitæque sociam castissimam juxta ac dulcissimam, Conjugem optimam, œconomam fidelem, affixam domo, ut testudo solet suæ cochleæ, vegetam, plenam sanguinis, viriumque, & quæ calamitates tuas domesticas ferre Tecum, easque leviores Tibi reddere probè didicerat, quæque nihil antiquius habuit, quàm placere Tibi, animo tuo morigerari, Te amare & nunquam non in oculis ferre. Hujus indies Tibi obversatur imago; hanc in animo circumfers; hanc loque-

ris,

ris, cogitas, ſpiras; hanc votis tuis quotidie comitaris; à quo animæ tuæ dimidio Te divelli, morte ipſa Tibi eſt acerbius. Equidem ita Te hominem & maritum eſſe, eccur non ſinamus? Quin & tam ſanctum amorem tuum miramur etiam, laudamus, prædicamus, & quidem eò magis, quò plures calamitates, ut fluctus fluctum ſubſequentes caput tuum invadunt. Verùm modum lugendi requirimus, quem non Chriſtiani ſolùm, ſed & Philoſophi inculcant, ad quorum præcepta Te, Philoſophum non è multis, revocare, intempeſtivæ ſapientiæ eſſet. Hoc unum Te meminiſſe velim, non eſſe ſupremi illius Patris & Rectoris univerſi contractam manum, neque illum curam Tui filiolique tui pignoris chariſſimi poſuiſſe, ut qui Tutor eſt & Pater Viduorum Pupillorumq; ſingularis, certus, immortalis. Ad hunc oculos mentis flecte, & in hoc mæroris tui deliquio ab eo robur ſume. In numerato ille habet lacrymas tuas, & de abſtergendis eis pro clementia ſua infinita paternè cogitat. Σπλαγχνίζεται quoque eò vehementiùs, quò plura ſunt, quæ animum tuum, piâ fide ſubnixum, luctu obſuſcant, & damnis, ærumnis, calamitatibus inhorreſcere faciunt haud vulgaribus. Hujus nutui, qui omnia iſta bono tuo permittit, ſi Te totum, quod facis, ſemperq; commiſeris, nihil tam acerbum erit, in quo non æquus animus tuus ſolatium inveniat. Hoc divinioris ſapientiæ pedamento, hoc piarum conſolationum ſtatumine, animum tuum triſtitia labentem ſurrige, alliga, confirma. Memento, quòd ſtatim mihi ſuccurrebat, cùm coràm heri συμπάθειαν Tibi teſtatum ibam: Illius, inquam, quod Philippus Melanchthon, Philoſophus & Theologus omni laude & invidiâ ſuperior, ad Amicum ex obitu conjugis animo dejectum ex Regis vatidici Pſalmo præclarè monuit: IPSE (JEHOVAH) fecit nos, & non ipſi nos: Non niſi hujus providentiâ nos & naſci & denaſci, divino illo teſtimonio mirâ dexteritate, ut ſolet, demonſtrans. Neque parùm etiam dolorem tuum mitigabit ſpero, ſi cogitaveris, Penelopen tuam longè dilectiſſimam non amiſſam Tibi, ſed præmiſſam, non occidiſſe, ſed cœlo receptam eſſe, non mortuum, ſed ex mortali peregrinatione ad immortalem patriam demigrâſſe, & quam per mortem ad tempus nunc relinquere velis, nolis, neceſſe eſt, Te perpetuò recepturum, quando beata æternitas Te illi iterum conjunget, à qua nunc brevi temporis intercapedine ſejungeris. Etſi enim illa non tantùm gaudii veniens tulit, quantum abiens peperit doloris, majore tamen longè gaudio Te afficiet denuo, quàm abitus ipſius ex hoc mundo Te perturbare poteſt, cùm eam immortalitate donatam iterum aſpicies, amabis, poſſidebis æternùm. Quæ porrò ut nunquam, quàm quòd deceſſit, Te offendit, ita Te recreabit multò ſuavius & diutiùs, quàm vel animo concipere, ne dicam verbis exprimere ulli mortalium fas ſit. Hanc Tu cataſtrophen ruminari ne ceſſa. Ego verò afflictiones illas

tuas plures cogitans cum illo, quod non nemo ſcriptum reliquit, hos affectus in Te mei argumentum obſignare volo: Ut maria navigantibus periculorum frequentia contemptum eorum tandem inducit: Sic Tibi malorum ingruentium crebritas patientiam. Vale, Amicorum chariſſime, & valetudinem tuam, ſi unquam, hoc jam tempore etiam atque etiam cura. Dabam è lecto pedibus æger. Noribergæ prid. Non. Maji A. C. 1644.

Nœsslerus Richtero.

AMpliſſime & Conſultiſſime Vir, Fautor & Amice colendiſſime. Alienâ manu, ſed meâ fide commendo Tibi quàm diligentiſſimè, juvenes tres præſtantiſſimos & doctiſſimos, Sebaldum Schnellium, Lucam Fridericum Reinhardum, & Conradum Hofmannum, Noribergenſes, qui omnes & ſinguli nomina ſua apud me profeſſi ſunt, & ſupremos in Philoſophia honoribus, quos Magiſterii vocamus, cohoneſtari cupiunt futuro anniverſario Petro Paulino. Rogo itaque, ut pro muneris tui auctoritate poteſtatem mihi facias eos ad probationes conſuetas admittendi, &, ſi recto talo ſteterint, voti compotes faciendi. Volebam ipſe eos ad Te deducere, ſed valetudo me attinet domi, & neſcio, quid mali gravioris minatur. Fiat, quod Domino DEO viſum eſt. Tu verò vive & vale Neſtoreos in annos! Raptiſſime Noribergæ ex lecto 7. Junii A. 1644.

P. S. Pauci ſunt Candidati noſtri, ſed forteſq; boniq;. Ita non ex affectu, ſed judicio cenſeo.

Richterus Nœsslero.

EXcellentiſſime & Amiciſſime Virorum. Quod ante ſemeſtre, cùm primæ laureæ Candidatos mihi commendares, ominatum me memini, fore nimirum, ut, quemadmodum illos honoribus gradus primi cum primis dignos deprehendimus, ita aliquando gradu quoque ſecundo ſive ſupremo digniſſimos abs Te habituri ſimus; id nunc verè & ultra ſpem quoque, avaram licèt valdè, eveniſſe, verè Tibi affirmare poſſem. Ita me affecit metrica compellatio Snellii Juvenis doctiſſimi, cujus ſimilem à nullo Candidatorum, niſi memoria me fallit, antehac mihi auditam recordor. Et certè vel rarò vel nunquam me fefellit, quod ex ſermone unius de cæteris ferre ſoleo judicium. Fiat itaque bonis avibus, quod Te parario legitimè petunt & admittantur ad probationes conſuetas, qui tam egregia minantur ulteriùs. Cura verò ſimul valetudinem tuam afflictam quàm diligentiſſimè, cujus ſucceſſum non Tibi minùs, quàm ipſe mihi, etiam atque etiam opto, & ut uterque pro tempore conſtituto officio noſtro fungi valeamus, mente & corpore ſani Numinis clementiam devotè veneror,

ror. Vale, Amicorum grande decus. Dabam Noribergæ è Museo, in quod jam triduum est, cùm gradu testudineo repere incipio eâdem horâ, qua tuas accepi. Ad d. 7. Junii A. C. 1644.

Nœsslerus Richtero.

TRes omnino Candidatos Medicinæ habemus, Vir Amplissime & Consultissime, ut multùm jam plorare jubeamus eos, qui vix totidem Studiosos Medicinæ Palæcomen nostram possidere volunt. Tibi verò, ô & præsidium & dulce decus nostrum, uti gratum id fore nullus dubito, ita bonum omen esse cupio ad valetudinem firmam & constantem. Itaque nunc alterum hunc Candidatum M. Johannem Röderum, Noribergensem, qui heri nomen suum professus est, commendo, ut pro amplissimi muneris tui autoritate facultatem mihi concedas, eum ad consuetas probationes & examina, quæ vocant, Academica admittendi, &, si mereri videbitur, voti sui compotem faciendi. Quod si impetraverimus, magnum quidem cumulum tuis erga nos ante-beneficiis adjicies, neque nos grati, quod promisimus, animi vadimonium deseremus, aut Candidatus noster, dum memor ipse sui, memoriam hujus Obligationis deponet. Ego certè etiam Cognati mei nomine, quem comitate & commoditate morum tuorum peculiariter Tibi devinxisti, plurimum Virtuti tuæ me debiturum semper profitebor. Bene vale, &, quod facis, nos ama. Raptissimè Altorphii 9. Octobr. A. 1644.

Richterus Nœsslero.

EGo quidem nudius quintus chiragræ doloribus in manu dextra obrutus, & nudius tertius gonagrâ in finistro genu magis afflictus, lecto nunc affixus hæreo: Hanc ipsam tamen invaletudinem meam, plùs quàm annuam, & non vere tantùm, sed autumno quoque redire solitam, eò faciliùs fero, quod non tantùm promotioni publicæ filii mei unici, sed & sponsalibus, quæ singulari DEI providentiâ mox secuta sunt, Numinis benignitate interesse mihi licuit. Quin & bonum omen mihi interpretor, quod ut Ego Medicinæ vestræ auxilio nunc opus habeo, ita & ea abundante Candidatorum proventu operam nostram requirit, quàm ut Ego lubens meritoque impertio, ita felicem successum ab eadem arte vestra DEO benedicente spero. Atque sic facultatem admittendi hunc Candidatum ad examina consueta, quam petiisti, officii ratione promptissimè concedo, cum voto successus quàm felicissimi. Vale. Dabam raptissimè XI. Octobr. A. S. 1644.

Nœssle-

Nœsslerus Richtero.

SAlutem & cultum! Fui superioribus diebus Noribergæ, Vir Amplissime & Consultissime, & volui ad Te visere, sed neque negotia me dimiserunt, neque valetudo pedem domo efferre sivit. Itaque Cognatum meum delegaveram, qui officio illo fungeretur, sed eum occupationum tuarum solennia excluserunt. Quin igitur veniam jam dederis, nullus dubito. Nunc verò gratiam quoque tuam ambimus. Venit enim hic ad Te tertius Candidatus noster Christophorus Nicolai, Noribergensis, qui heri quidem Disputationem publicam, me Præside, habuit, hodie autem mihi Decano nomen dedit. Illi igitur Pro-Cancellarius quoque opus est, cujus suffragatione ad probationes consuetas dignus dignè admittatur. Quapropter eâ, quâ par est, observantiâ maximoque opere Te rogo, ut pro illo ipso munere, quod meritissimo tuo geris, ejus rei potestatem nobis facias. Eo enim beneficio nos plurimum Tibi devincies. Valetudinem tuam meliorem esse speramus. De Sponsalibus Clariss. Dn. D. filii tui ex animo utriq; Vestrûm gratulor. Sed & Dilherrum nostrum Junoni litâsse nunciatum est. Feliciter. Ego invisam priùs amo solitudinem. Have & fave decus ac præsidium nostrum. Raptim Altd. 7. Novembr. A. 1644.

Richterus Nœsslero.

SAl. officiosissimam! Cùm & tertius iste Candidatus, Christophorus Nicolai, quem dignum dignè mihi commendâsti, Vos non frustrà artem salutarem in Universitate nostra docere, perfecto testimonio comprobat, neque sine præsidiis legitimis, multo sudore sibi comparatis, ad honores istos summos nunc adspiret, sanè & in hoc Vobis lubens meritoque, quin & lætus quoque annuo, & licentiam admissionis ad probationes præscriptas officii ratione tribuo. Tibique simul de felicitate ista rariore gratulans animitus. Invaletudo mea podagrica ut frequentiùs nunc corripere me solet, ita dolores adfert leviores, neque ita diuturnos. Nimirum juxta JCtorum illud, qui gravatur in uno, sublevatur in altero. DEUS O. M. omnia pro clementia sua plùs quàm paterna porrò quoque dirigere dignetur, & quæ ipsi gloriosa, nobis salutaria, largiatur benignissimè, cujus tutelæ Te etiam atque etiam commendo. Vale & solitudinem tuam olim invisam nunc ita amare stude, ut quæ de sponsalibus tuis futuris rumor communis nudius quartus heic vulgavit, bono tuo & illius, quam in vicinia jungendam, Tibi prædicant, eveniant quàm felicissimè. Dab. Noribergæ d. Martini 1644.

Nœssle-

Nœsslerus Richtero.

SAlutem officiosissimam! Cùm Altorphii deberem, Noribergæ literas ad Te dare cogor, Vir Amplissime & Consultissime. Negotiosissimo scilicet & molestissimo in otio hîc diurnandum mihi fuit hactenus, atque interea valetudo quoque compedes injecit, ut coràm Tecum agere non liceret. Itaq; manus officium facit, atque adeò nihilominus de manu veluti in manum Tibi trado ac commendo Præstantiss. atque Eruditiss. Virum hunc Juvenem Dn. Johannem Martinum Uhl, Suinfurto-Francum, qui Medicinæ Candidatum hoc meridie apud me professus est. De quo solennia porrò Te rogo, ut pro amplissimi muneris tui autoritate potestatem mihi Collegisque meis facias, cum ad consuetas probationes admittendi. Hoc enim mereri mihi visus est, cùm Socratico more illum vidi, & valdè fallor, aut dignum se præstabit spartâ, quam ambit. Tu verò, Vir Magnifice, de nobis omnibus bene mereberis, cui me quoque ipsum quàm diligentissimè commendo. Raptim 23. Maji A. 1645.

Richterus Nœsslero.

SAlutem & officia! Amicissime Virorum, Decane spectatissime, idem cum Candidato isto præstantissimo Johanne Martino Uhl, Suinfurto-Franco, mihi, quod Tibi, accidit: Nimirum audiendo illum rectè vidi, & quod non indignus venire videatur honoribus istis, quos legitimè ambit in Medicina summis, Socratis exemplo vel cognovi, vel certè mihi persuasi. Ut igitur quà publicè, quà privatim ad examina consueta eum admittatis, & cum illo secundùm leges nostras Academicas agatis, officii ratione concedo, cum voto successus optatissimi, simul ut Tu quoque otio Tuo negotiosissimo non minùs quàm molestissimâ invaletudine liberatus ad musas tuas recreatrices ex animi sententia propediem revertaris, DEUM etiam atq; etiam venerans! Vale. Dab. in urbe, in qua & tuas dedisti. Feriâ secundâ Pentecostes. Anno Christi 1645.

Lud. Jungermannus Georg. Richtero.

S. Necessitati imputabis, Vir Magnifice, Amplissime, Consultissime, Fautor & Patrone multò maxime, quòd hisce meis insubidis literis T. Amplit. obstrepere volui, quas, si absque officio Decanatus pro tempore mihi delegato foret, vix etiam sollicitâ Oratione excusare possem. Quia verò muneris istius instinctu hasce ablegare coactus sum, prolixam T. Amplitudin. voluntatem perinde atque aliis mei Ordinis obviam mihi æque expositam fore nullus dubito, &

hac fiduciâ fretus paucis me expediendum duco. Novi Candidati res agitur, qui etiamsi coràm paucis abhinc septimanis T. Amplitud. honorificâ salutatione sese compellâsse affirmârit, simul tamen nostram commendationem à Facultate Medica desideravit. Natione Francus est, Suinfurti honestis Parentibus natus; G. C. W. Ille post nostram Universitatem in una atque altera Academia Argentorati nempe & Basileæ, aliquot annis commoratus, tandem exantlatis studiorum laboribus ad primam nostram Altorphinam rediit, à qua veluti à matre & genitrice sua gradum supremum Medicæ dignitatis petere satagit. Cùm verò sine suffragio Amplit. T. nec tentamen nec examen illi ullo modo aperiri queat, nec nostræ Facultati pro more & Legum valore hîc aliquid peragere integrum sit, autoritatem ejus & conniventiam ejus implorare debuimus. Quicquid de illo statuerit & jusserit fieri, gratum & ratum habituri. Superest tantùm suam sententiam benevolenter nobis quamprimum exponere dignetur. Quâ impetratâ post illius gratitudinem reipsâ declarandam, simul & nos antea sibi plurimùm obligatos etiam hoc officii genere obæratos reddere poterit. Ita confidimus & promittimus, pariter & Amplitud. T. nos unicè commendantes, eam feliciter ex voto & virtute sua quàm diutissimè valere jubemus. Dabam 3. Februar. Anno 1634. Altorphii Noricorum.

Richterus Jungermanno.

S. P. Clarissime & Spectatissime Dn. Decane, Amice plurimùm honorande. Bonum augurium interpretor, quòd hac ipsâ horâ, quâ medicinam valetudini meæ expecto, in re medica occupari, & cum Medicis Viris πολλῶν ἀνταξίοις ἄλλων agere mihi contingit. Faxit DEUS, qui Medicum creavit, ut quàm lubens ego operam meam Vobis impertio, tam propitiam Æsculapii manum sentiam. Candidatum istum Medicinæ, Georgium Christophorum Wolfarth, Schweinfurtensem, quem hesternis literis tuis, noctu mihi redditis, commendâsti, non ita pridem me salutâsse, suiq; consilii rationes breviter coràm exposuisse memini. Quandoquidem igitur non dubito, quin honores illos, ad quos adspirat, mereatur, officii ratione facilè concedo, ut eum ad illa, quæ leges Universitatis nostræ requirunt, admittatis. Plura nunc per artis Vestræ præcepta non licet. Vale, & cum Excellentissimis Dnn. Collegis tuis, quibus salutem & officia dico offeroq;, rem feliciter perage. Raptim è Museo 7. Februar. A. C. 1634.

Junger-

Jungermannus Richtero.

S. P. Vir Magnifice, Amplissime, Fautor, Patrone & Amice plurimùm honorande. Ratio muneris mei etiam alteras hasce ad Amplitud. T. me literas scribere coëgit, & mihi tantùm non inde notam importunitatis, sed aliter Candidati nostri rebus hoc exigentibus consulere non potui. Qui etsi utroque explorationis genere tam tentaminis quàm examinis (ut vulgò vocamus) non usquequaque nostræ expectationi & suis partibus satisfecerit, talem tamen se exhibuit, ut non prorsus à voto suo & spe gradus Doctoratus, quem constanter ambit, arcendus videatur. Superest tantum Disputatio solennis sustinenda, quæ cum ea promptitudine eloquii & facultate, quâ par est, ab illo vix probè & decenter peragi posse censeatur, nec ipse suo modulo & pede se metiri dubitet, *an non ad cursorias lectiones remitti possit*, cogitamus, idque potissimùm hac de caussa, quod res nostra Academica per tempestatem illam temporum eò redacta sit, ut nemo studiosorum in nostra Facultate reperiri queat, qui dignè opponentium vices præstare valeat. Quia verò negotium illud unicè à suffragio & arbitrio Amplissimorum Dnn. Scholarcharum pendere satis constet, rursus ad T. Amplitud. consilia & auxilia æquè ad Musarum fores semper apertas redire cogimur, eamque implorare, ut pro perspecta sua in nostram Facultatem prolixâ voluntate, autoritate & gratiâ istâ, quâ plurimùm apud Amplissimos Dnn. Scholarchas nostros pollet, interpositâ, nostro nomine pro dicto Candidato intercedere dignetur, ut lectionibus cursoriis acquiescere velint. Quo modo & ratione nos antea debitâ observantiâ sibi devinctos T. Amplit. simul & Candidatum perpetuâ gratitudine obligatum & devotum reddere poterit. Ita eam salvere & valere jubemus, & magni muneris sui onera feliciter & diu in emolumentum & votum Universitatis nostræ sustinere precamur. Dab. 17. Februar. Anno 1634. Altorphii Noricor.

Richterus Jungermanno.

S. P. Clarissime & Spectatissime Dn. Decane, Amice plurimùm honorande. Quòd de lectione cursoria Candidati istius, qui has Tibi reddet, nomine Facultatis Vestræ petiisti, Nobilissimis Dnn. Scholarchis retuli, & quidem præsente Clarissimo Dn. D. Nœsslero. Quamvis igitur Leges nostræ Disputationem pro gradu supremo haut facilè intermitti velint, tamen Amplissimi Dnn. Curatores pro tempore in hoc casu, ex caussis allegatis, lectionem istam cursoriam permittunt, quod etiam antehac in Facultate Juridica factum memini. Plura coràm referet Collega tuus, Amicus noster honorandus, quem dixi, quam ob

caussam responsum brevius hoc abrumpo. Vale. Dabam d. 20. Februar. Anno 1634.

Jungermannus Richtero.

S. P. Etsi, Vir Magnifice, Nobilissime, Ampliss. Fautor & Patrone seriò honorande, virtutis & dignitatis observantior sim, quàm ut Magnif. tuam velim ullis commissionibus aut negotiis obsolefieri, aut quasi profanari; cùm tamen boni Academici ratio non postponenda urgeat, pariterque ille, cujus res agitur, instet, eam hisce literis interpellare coactus sum. Nempe Magnif. tuæ, tanquam magno Mecænati, conciliabo Clientem, scilicet Virum virtute & literis præstantissimum, Dn. JOHANNEM GERLACHIUM, REUTLINGENSEM, qui ad continuandum studium Medicum, postquam aliquot Germaniæ Academias visitaverit, in nostra quoque plus quàm per annuum spatium commoratus fuit, satisque amplam virtutis & eruditionis opinionem & famam apud omnes retulit. Nunc autem nomen suum apud me pro tempore Facultatis nostræ Decanum professus ad utramque explorationem, quæ vulgò tentaminis & examinis nomine indigitatur, & Disputationem publicam absq; Hercule vel Præside habendam, admitti postulat. Quia verò sine T. Magnif. calculo & suffragio id nullo modo fieri poterit, illum pro more Academico consueto hanc adire jussimus, eamque seriò rogamus, ut petitioni suæ annuere dignetur, pro quo beneficio T. Magnif. eum aliàs sibi devotum & mancipatum, æquè ac nostram Facultatem, arctiùs, imò & in æternum devincire poterit. Hisce bene valeat! Dabam Altorphii 18. Jun. Anno 1637.

Richterus Jungermanno.

S. P. Excellentissime & Spectatissime Dn. Decane, Amice plurimùm honorande. Præstantissimæ artis Vestræ Candidatum Dn. Johannem Gerlachium, Reutlingensem, virtutis atque literarum nomine commendatissimum, non indignum judico, cui facultas, quam uterque petiistis, concedatur, sistendi nimirum se explorationibus quâ publicis quâ privatis, quibus se ad honores artis, quam laudavi, summos jure meritoque adspirare testatum eat. Lubens itaque & officii ratione, & pro meo amore singulari, quibus Vos artemque Vestram omni laude majorem complector, Vobis annuo, utq; omnia peragatis quàm optimè quamque felicissimè, animitus voveo. Vale, cum Clarissimis Dn. Collegis tuis, Amicis nostris honoratissimis, plurimùm salve. Dab. raptim Norimbergæ 20. Junii A. C. 1637.

Junger-

Jungermannus Richtero.

Salutem & observantiam! Venit ad Magnific. T. Vir Amplissime & Consultissime, Fautor & Mecænas observandiss. Epistola hæc mea, utinam eandem publicis & serioribus rebus minùs detentam ostendat. Venit autem caussâ & instinctu præsentis Juvenis, Præstantissimi & Doctissimi Dn. PAULI FREHERI, Noribergensis, cujus Parentis magnum nomen à proprio splendore, simul atque à Camerariana cognatione satis innotescit, qui postquam annos ab hinc aliquot in hac Universitate Altorphina in studio Medico peregit, etiam peregrinationem Italicam ob conversationem doctiorum ibidem adjungere voluit, unde ad nos reversus, nomen suum Doctoralibus honoribus insigniendum apud me pro tempore Decano professus est, simul ac gratiam & suffragium T. Magnific. ad utramque tentaminis & examinis explorationem Facultatis Medicæ nostræ sustinendam observanter & submissè petiit. Hîc autem ut illius concessu speremus nos impetrabiles fore, facit & impellit perspecta ejusdem comitas & solita benevolentia, quæ tam publicè quàm privatim crebra & insignis in nostram Universitatem esse solet. Omitto reliqua humanitatis officia, quibus omnibus exploratis non dubitabimus, quòd benignè adeuntem excipiet, hærentem audiet, abiturum cum gratia & benignitate dimittet, nobisque ea, quæ petimus, concedet. Id quod in debitam meritorum prædicationem & Magnif. T. erga nos favorem solitum referemus. Ita eam DEUS ter: opt. max. omni felicitate & gloriâ florentem rebus Academicis diutissimè interesse & præesse sinat! Bene & feliciter valeat, Dabam 13. Novembr. Anno 1638. Altorphii Noricorum.

Richterus Jungermanno.

Salutem & Officia. Excellentissime Dn. Decane, Amice plurimùm honorande. Virtus & eruditio illius, quem mihi commendâsti, Candidati Medicinæ Præstantissimi, Pauli Freheri, dubitare me non sinunt, quin dignus ille sit, qui, ad supremos artis Vestræ nobilissimæ honores aspirans, voti sui compos reddatur. Neq; degenerabit, opinor, Juvenis eximius ab illa celebritatis gloria, quam utriusque Parentis familia laudatissima, Freherorum dico & Camerariorum, jam diu quasi propriam magis magisq; ad posteros suos propagavit. Dulcis etiam mihi est memoria amicitiæ singularis, quam cum Patre ipsius, Jurisconsulto haud è multis, olim habui suavissimam. Licentiam igitur, quàm uterque petiistis, lubens meritoque Vobis concedo, & omnia quàm felicissimè evenire etiam atque etiam opto! Plura addere publicorum negotiorum impe-

dimenia, quibus ob Conventum Statuum circuli Franconici nunc distineor, prohibent. Vale. Dab. raptim Norібergæ ad d. XIV. Novembr. A. C. 1638.

Georg. Phil. Harsdörfferus Georg Richtero.

EXcellentisſime Vir. Excellentiæ T. novisſimum ſtudiorum meorum argumentum offero, ratus litteras ut Imperia iisdem, quibus partæ ſunt, artibus ſervari; indefeſſa quippe induſtria quotidianâ exercitationum accesſione &, quod primum eſt, rectis conſiliis. De his *interrogare Sapientem* (Ebræorum verbo) *dimidia ſapientia eſt*, & tuum judicium, quod omnium maximum eſt, mihi erit inſtar omnium. Vale, &, quid de his videbitur, expone lubens. 8. Aprilis 1640.

Richterus Harsdörffero.

S. P. Nobilisſime Vir. Remitto Catonem tuum Noricum, quem illâ ipsâ horâ accepi, quâ chirurgus venam mihi ſecabat. Ergo in tempore; quo animum in φλεβοτομίᾳ, quod fieri debere ajunt Medicorum filii, recreare licuit. Etſi enim caſus iſte Catonis noſtri, quem laudas, dum memoria recolitur, non niſi triſtitiam movere poteſt: Perjucunda tamen eſt illius ἀποθέωσις. Quam dum per centonem ita compoſuiſti, majore dicam diligentiâ, an dexteritate? utrâq; certè non parùm lectoris animum delectas. Ita nimirum, dum viros immortalitate dignos mori prohibes, ipſe ad immortalitatem pulchrè graſſaris. Unicum eſt, de quo moneri debes; defuncti inquam, Collegas, in reſtauratione Gymnaſii Ægidiani, nondum fuiſſe illos, quos memoras; quod facilè emendabis. Vale, &, quod facis, amare nos perſevera. E Muſeo 11. Aprilis 1640.

Mich. Virdungus Georg. Richtero.

S. P. Sæpe imperium cepi ad Te ſcribendi, Magnifice, Amplisſime & Conſultisſime Dn. Procancellarie, ex quo ſcilicet è Legatione Norimbergam Te retuliſti: Sed calamum ſcripturientem represſit rumor ingratus, qui de valetudine tua infeſtiore me non ſemel percusſit. Nunc verò, quum eam in melius iſſe confidam, malui, fretus tuâ erga me benevolentiâ, ſemel hanc interpellandi tuas occupationes aleam ſubire, quàm diutiùs torqueri. Sed & nimis quàm durum telum eſt Necesſitas, quæ haſce literas expresſit. Utimur enim hîc, Amplisſime Domine, (quod Te minimè fugit) gravisſimo, ac fermè in his quoque locis,

locis, ubi nunquam ea, quæ alibi, vilitas est, inaudito, per tot jam menses, annonæ incendio, sive potiùs pænè comburimur. De nobis Academicis potissimum loquor: Nam Civium complures adeò malum hoc non sentiunt, ut inde potiùs ditescant, illi nempe, qui verbis Nazianzeni γεωργοῦσι τὰς συμφοράς. Hi enim tales nunc verè auream messem metunt, gallinæ scilicet illius albæ filii. Nos pulli miseri, nati infelicibus ovis, esurimus, sitimus, reculis & fortunulis nostris evertimur, deniq; τὸ κύκνειον jamjam ᾄδομεν. Ego certè eò jam redactum me sentio, ut quomodo diutiùs rei meæ familiaris miserrimas hasce reliquias tuear, non videam. Olim enim, quum adhuc de pleno promebatur minùs ejusmodi damnis angebar, adeoq; centum, immò & ducentos florenos in annos singulos hîc de meo, utcunque frugaliter viverem, expungi, modò non, spe futurorum, fusq; deq; habebam. Hoc verò tempore, quum nullus omnino annus (excepto duntaxat uno) ex quo Professorem hîc egi, de meo non aliquid abraserit, ingentibusq; sim insuper ictus infortuniis, quo me vertam? aut quidnam inceptem, quò extremam à me meisq; inopiam propulsem? A frugalitate (dixerit fortasse quispiam) auxilium petas. Et quis Frugalitati magis hactenus hîc litavit? Victu cultuque propemodum ludibrium aliis debemus. Nec tamen hac indignitate valdè excrucior: Jamdudum enim didici ἐπ' οὐδενὶ ξενίζεσθαι, ex quo sum Pila atque lusus, ludicrumq; Fortunæ. Illud magis me torquet, quòd, quum ἡμετέρων στέργειν & Natura & DEUS ipse in Sacrosanctis Oraculis nos jubeat; quomodo non meos, si quid mihi acciderit, in summis miseriis hîc sim relicturus, non videam. Siquidem (ut nunc quidem res sese habent) nullius Sutoris orphanorum & viduæ non melior hîc est conditio, quàm alicujus Professoris affectuum, qui moriens, unde se sui deinceps alant, non reliquerit. Et quomodo relinquat, cujus (pænè dixerim) sanguinem omnes quotidie exsorbeant? Hæc non sine ingenti dolore ad Te, Amplissime Domine, scribo: (ac, rogo, ignoscas huic meæ sive libertati, sive audaciæ, quâ utinam uti non cogerer!) Scribo autem ea de caussa, ut T. Ampl. pro singulari illo suo erga me, quem non semel expromsit, affectu & favore, si quæ dabitur occasio, apud Magnificos ac Nobilissimos hujus Universitatis Curatores, Dominos & Patronos meos plurimùm observandos, caussam meam agat, utque ipsorum Amppl. hoc durissimo & difficillimo tempore meis meorumq; necessitatibus subsidio aliquo extraordinario, pro more suæ munificentiæ, succurrant, quàm humillimè ac demisissimè etiam atque etiam me rogare indicet, etiam ostensis hisce, si ita opus est, literis. Quod si impetràro; procul dubio & DEUS Opt. Max. largissimus compensator omnis ejusmodi beneficentiæ, & Fama publica quoq; in posterum id comprobabunt. Te, Patrone magne, etiam atq. etiam obtestor

obtestor obsecroque, ut meam meorumque incolumitatem commendatam Tibi habeas. Bene ac feliciter vale & vive cum tuis, O & præsidium & dulce decus meum! Altorphii Nonis Juniis Anno cIɔ Iɔc XXXIII.

Richterus Virdungo.

S. P. Clarissime & Præstantissime Dn. Virdunge. Quòd non statim literis tuis acceptissimis rescripsi, occupationibus meis, quas hinc cognoscere potes, adscribas, velim. Neq; priùs etiam volebam, quàm certi quid de eo, quod petiisti, impetrarem. Quamvis enim statim, postquam illas accepi, caussam tuam egi quàm diligentissimè, tamen heri demum percepi, decretum jam esse, ut floreni oo. Tibi persolvantur. Tuum nunc erit, significare, Altorfii, an heic & per quem eos accipere velis, & hoc, quicquid sit levaminis, pro tempore boni consulere. Quod neq; citiùs neq; plus obtinui, summæ difficultates, quibus Respublica funestissimi belli diuturnitate laborat, impedimento sunt. Per militum stipendia, & quæ bellum, bestia insatiabilis, quotidie exigit, absumit, devorat, tandem fit, ut nihil carius nunc constet, quàm pecunia. Sed quid facias, ubi ferendum, quod fati necessitas, sive DEUS potiùs, non mutandum, imponit. Quod fortunam, mi Virdunge, novercam experiris, quam tamen benignissimam matrem habere dignus es, etiam atque etiam συμπαθῶς doleo. Et utinam cum voluntate facultas mihi esset remedendi: Operam darem, qualem ab amicissimo desiderare posses.

Verùm macte Tu istius animi, & adversùs fortunæ sinisteritatem obdura, non Stoicâ aliqua ἀναισθησίᾳ, sed τὴν τοῦ Χριστοῦ εἰκόνα ob oculos ponendo, ad quem non aliâ ratione propiùs accesseris, quàm ferendis tot malis. Sed illud porrò de bonæ mentis tuæ sorore cogitanti mihi succurrit, quòd Berneggerus tuus, in fine anni præterlapsi, Orationem funebrem de laudibus GUSTAVI, Regis SUECORUM habuit, eamq; Illustrissimo Militiæ Ipsius Duci, Gustavo Horn, dedicavit, & sine dubio caput unctius inde retulit: Quod exemplum alii quoq; imitati sunt, suasq; laudationes Illustrissimo Dn. Axelio Oxenstiern, &c. inscripserunt. Quid si igitur & Tu ingenii tui felicissimi fœtum aliquem præclarum ederes, atq; sic Viris istis Principibus, literatorum amantissimis, innotesceres? Mihi tam liberè monenti ignosce, & de me animum Tui amantissimum certò Tibi persuade. Atq; sic vale, Vir præclarissime, meliori fortunâ dignissime, & literis tuis cum pietate rariore eruditionem exquisitissimam spirantibus, me, quæso, sæpius exhilara. Vix enim credis, ut me occupationibus gravissimis nonnunquam tantum non succumbentem, deliciæ ejusmodi erigant. Vale iterum, & me ama. Dab. Norimbergæ V. Calend. Julii A. C. 1633.

Virdun-

Virdungus Richtero.

S. P. Difficile est, Magnifice Dn. Pro-Cancellarie, ut verbis exprimam, quantam perceperim lætitiam legendo tuas literas; in quibus ipsæ Musæ loqui, ipse Humanitatis Genius spirare mihi visus est. Felicem verò nostram Academiam, quæ his infelicibus temporibus talem nacta προστάτην! Sed & me quoque, utut alias infelicissimum, tanto talique Patrono jam felicem! A quo quum omni prædicatione majus beneficium modò acceperim; quomodo condignas agere gratias me posse sperem, qui tanti mensuram meriti vix satis animo capiam? Itaq; ad vota confugio, ac DEUM Ter Opt. Max. supplex animitus veneror, ut & Tibi, Patrone benignissime, pro hac tua prothymia ac benignitate, quâ me commendâsti Superioribus, meamq; tam sollicitè caussam egisti, & ipsis Nobilissimis ac Prudentissimis hujus Universitatis Curatoribus, &c. pro isthac munificentia, quâ penè extremis meis necessitatibus, hoc difficillimo tempore, subveniendum esse decreverunt, salutaria ac prosperrima quæque perpetuò affluere, adeoque bonorum omnium copiâ circumfluere Vos velit: Utque ἐκ τῶν τρικυμιῶν hujus calamitosissimi belli προσορμίζεσθαι Reipublicæ & universæ Germaniæ quamprimum contingat. Fiat, fiat! Cæterùm de Consilio &c. quod, Amplissime Domine ac Fautor æternùm observande, amicissimè adjungis, ac rebus meis consultum is, sic habe: Jamdudum Musas meas tale quippiam parturiisse (scit præter alios Gronovius noster, cui ante sesquiannum animum meum de hac re aperui) sed metu periculi deterritus. Sunt certè bellorum casus mirabiles, atq; istæ nubes, quæ etiam procul à nobis coguntur, nemo scit, ubi nimbos suos rupturæ sint: Nos autem hîc, propter infirmitatem Opidi, prædatorias etiam manus perhorrescimus. Si igitur tale quid rursus; profectò fraudi capitali mihi meisq; foret, ubi quid tale panxisse convincerer. Videbo igitur priùs, quorsum hæc præsentia fluant, & tunc, pro re nata, Consilium capiam. Habeo enim in mundo quædam, quæ si istorum Procerum alicui, Præfatione additâ, inscribam, fortasse (si non sit ἄμουσος) favorem ejus promerear. Tuæ verò Ampl. pro tam propenso Summatibus quoq; istis mea studia, commendandi studio, maximas, ut par est, ago habeoq; gratias. Signum enim clarissimum singularis erga me favoris hîc etiam dedisti. Porrò Orationem Dn. Berneggeri heri primùm mihi videre ac legere contigit; demirorque adeò, quòd superiore hieme, quum alia quædam mihi mitteret, eam non simul miserit. Cæterùm epistolam extendo, parùm memor occupationum tuarum gravissimarum. Quare vale & ignosce. Raptim, Altorphii IV. Cal. Julias Anno cIↃ IↃcXXXIII.

Richterus Virdungo.

S. P. Clariſſime & Præſtantiſſime Dn. Virdunge, Amice haut è multis. Non meritis meis, ſed virtuti tuæ tribuam, oportet, quòd homo gratiſſimus, omni dico virtutum genere condecoratus, pro qualicunq; iſto meo officio, tantas mihi gratias agis. Certè in tuæ ſpem gratiæ, ô Virdunge Eruditiſſime, qui majora longè promereris, non hoc tantùm, ſed omne militabo bellum. DEUS Opt. Max. ὃς παιδεύει, ὃν ἀγαπᾷ, omnia Tibi Tuisq; quam feliciſſimè evenire velit, vel, ut iterum cum Apoſtolo loquar, εἰς ἀγαθὸν σὺν ἅπαντα συνεργεῖν faciat. Teq; nobis & melioribus literis quàm diutiſſimè ſoſpitem conſervet. Huic Patientiæ ſequeſtro Optimo fidere, certumq; ab illo auxilium etiam in difficultatibus maximis expectare, fraudi nunquam erit. Sui enim amantes, ut nôſti, deſeruiſſe neſcit. Rationes tuæ, cur, turbulento hoc rerum ſtatu, animi ſenſa in publicum edere intempeſtivum, & non absq; periculo ducis, non leves, fateor, ſunt, neq; eas omnino vanas puto.

Berneggerum Virum πολιτικώτατον forſan locus fortem reddidit. Sed quid ſi boni illi, qui rebus ejusmodi ſe non immiſcent, apud hoſtes ejusdem habeantur juris, ut alii, aut certè citra reſpectum tractentur. Securiùs autem, credo, in publicum ſcriberes, ſi juſſu & authoritate Ampliſſimi Senatus noſtri munito Tibi eſſe liceret, de quo forſan brevi plura. De Gronovio noſtro, jam aliquot menſes ſunt, cùm nihil vel vidi vel audivi. In Legatione mea Heilbronnenſi unicum Epiſtolium, cum carmine elegantiſſimo, in obitum Volcameri, heu! quanti qualisq; Viri, ab eo accepi, cui tunc reſpondere publicè dies noctesq; occupatiſſimus non valebam. Si Tecum nunc vivit, plurimâ ſalute juvenem doctiſſimum impertias, rogo. Pecuniæ ſummam - - filia tua à me accepit, quam Nobiliſſimus Dn. Ulricus Grundherr, Scholarcha Primarius, Tui amantiſſimus, ſtatim perſolvit. Deus filiam, quam dixi, ſalvam ad Te reducat, cujus providentiæ benigniſſimæ Te Tuosq; etiam atq; etiam commendo. Vale, & literis tuis me beare ne, quæſo, deſine. Dab. raptim Norib. prid. feſti noſtri Academici, Divis Petro & Paulo Sacri, quod utinam DEUS aliquando priſtina ſolennitate & lætitiâ celebrandum nobis concedat! Anno 1633.

Idem Eidem.

S. P. Meminiſti, Vir Clariſſime, ut non ita pridem, aurem Tibi vellicaverim, de apotheoſi aliqua, ſive id genus alio ſcripto publicè edendo, quo Regis in cœlo nunc triumphantis honor illuſtrior reddatur, & Reipublicæ noſtræ Pietas, cum nominis Tui fama & rei domeſticæ ſublevamine, pluribus innoteſcat.

Quod

Quod tunc ſponte meâ, ut amicus Tui amantiſſimus, feci, id nunc Superiorum juſſu facio. Interea enim Senatus-Conſultum accepi, quo Nobiliſſimi Dnn. Scholarchæ jubentes, ut per me Tibi ſignificent, placere Inclyto Senatui, ut quidem Reſpublica Argentinenſis per Berneggerum ſuum officio illo functa eſt, ita & per tuum præconium publicè conſtet, noſtram quoque Rempublicam nulli in hoc curriculo Pietatis cedere. De animo tuo promptiſſimo, & quin omnium optimè hoc effectum dare poſſis, nulli dubitamus: Præſertim cùm jam ſpecimen hujus rei dederis maximè egregium, in laudatione illa tua funebri, omni laude majore Volcamero Noſtro, Senatus Principi τῷ μακαρίτῃ, dictâ: Ubi tandem Germaniæ, Patriæ dulciſſimæ, faciem, proh dolor! deformitate nunquam ſatis deplorandâ maculatam, tam graviter depingis, ut dubium lectorem relinquas, pietatem, an eruditionem, dexteritatem judicii, an ingenii acumen, in Te mirari magis debeat. O utinam vel illud Lanoy, Gallorum Ducis laudatiſſimi, à Te allegatum omnium animis infixum ſederet, fieri nimirum, ut dum pro Religione bella gerimus, religionis obliviſcamur. Perge, quæſo, Virdunge Præſtantiſſime, ſignum hoc aliis tollere, & quæ ad Pacem faciunt, inculcare ne deſine, quod nemini cordato, ne dicam Chriſtiano, poſt tot annorum bella civilia, intempeſtivum videri poterit. Nôſti illud Servatoris, DEI filii: *μακάριοι οἱ εἰρηνοποιοί.* Mihi à Republica mandatum eſt, ut proximâ ſeptimanâ, volente DEO, Francofurtum Legatus eam, ubi Status Confœderati inter alia etiam de mediis Pacis deliberabunt. Ita enim Illuſtriſſimus Vir, Axelius Oxenſtiern, Conventum ad d. 22. Julii indixit, quem DEUS, Pater Pacis, felicem eſſe jubeat! Sed verendum forſan, quod Salvianus, author Divinus, inquit: *Ideò fit, ut ipſa Pax contra nos ſit, quia ſic agitur a nobis, ne expediat rem accipere, quâ deteriores ſumus.* Faciamus tamen nos, quod noſtri eſt officii, & DEO ſucceſſum precibus commendemus. Quæ in Jambis tuis & de Concordia ante annos 25., me audiente, perorando fulminâſti, acu, quod dicitur, rem tetigiſti, Vate ipſâ Caſſandrâ verior. Vale, Literarum decus eximium, & ad binas nunc meas (ecce Creditorem rigidum) reſcribe. Me abſente Uxor curabit, ut tuæ mihi reddantur. Heinſii Panegyricum Regi Maximo dictum, item quæ Valentinus Andreæ, de Reſtitutione Reip. Chriſtianæ in Germania nuper edidit, an videris, neſcio. Certè intereſt Tua vidiſſe, ut & Erycii Puteani Stateram Belli & Pacis ad J. Woverium noviter ſcriptum, quâ inducias Belgicas prudentiſſimè expendit. Vale iterum, & nos ama. Dab. Norib. III. Id. Jul. A. C. 1633.

Virdungus Richtero.

S. P. Non meis, Magnifice Dn. Patrone, sed tuis potiùs occupationibus tribuas, rogo, quòd ad nuperas tuas hactenus non rescripsi. Quum enim à summo mane in ipsam usque noctem tot tantisque distineri Te negotiis, complurium relatu, cognoverim; improbus profectò, non solùm importunus sim, si molestiarum tuarum molem temerè meis quoque ineptiis oneratum eam. Verùm enimverò das me in ruborem summâ prorsus hac & singulari humanitate, quâ meas ultrò, tanto præsertim cum honore verborum elicitas. Rescribam igitur, sed ut ad occupatum paucis. Ac primùm de Senatus-Consulto, quo mihi injungitur ἀποθεώσις, vel tale, quippiam memoriæ Regis GUSTAVI ADOLPHI &c. totum me cohorruisse, quum, quæ scribis, legi. Quid enim post HEINSIOS, BERNEGGEROS, FREINSHEMIOS & similes, nisi ludibrium, debebo omnibus? Quanquam Heinsii Panegyricum, item Valentini Andreæ Consilium & Puteani Stateram &c. nondum vidi, nec hic me nancisci posse arbitror; ac proinde rogo, si ea scripta ad manum Tibi sunt, eorum copiam ad paucos dies facias. Cæterùm desino putare, me posse justas excusationis caussas afferre, quum eam rem tantopere & Tibi, Amplissime Dn. Pro-Cancellarie, & Inclyto quoque ac Prudentissimo Senatui cordi esse intelligam. A vobis enim ratio exigetur: Me obsequium fortassis excusaverit. Accingar igitur huic operæ, σὺν Θεῷ, simul ac necessariis ad id quibusdam instructus fuero. Porrò quòd meam Laudatiunculam funebrem, &c. tantis fers laudibus; in eo quoque, Vir & Fautor summe, omnem penè modum humanitatis excedis. Neque enim ad id fastigium unquam vel ausim aspirare, in quo me collocatum is. Etenim, ut alia taceam, longa desidies (cujus caussam sustinet tot annorum languor & infelicitas) me tantùm non loqui dedocuit: At Tu etiam ærumnis meis ita συμπαχεῖς, eâque verborum dulcedine dolorem meum permulces, ut equidem flens hunc tuum in me meosq; affectum (qui nisi in pectus verâ Pietate fervens cadere nequit) exosculatus sim. O quàm hodie pauca supersint hoc genus λείψανα χρυσοῦ αἰῶνος! Ex hac tamen nota nuper eripuit nobis illa somni homicida soror inter cæteros Reverendum & optimum Virum Dn. M. Ritterum Ecclesiasten, &c. eà in me ac meos prothymiâ, sed & erga omnes probos, quantum ipsius vires paterentur, benignitate (quod quidem in superiori æstate apud ipsum hospitatus non sine admiratione complures animadverti) ut ictus superiori hieme tristi nuntio ejus obitûs, non secùs ac fratrem germanum vel etiam Parentem luxerim, & adhuc lugeam. Te verò, Patrone incomparabilis, DEUS Ter-Opt. Max. quàm diutissimè salvum, incolumem florentemq; Rei-publicæ

publicæ bonisq; omnibus conservet, ac Legationem hanc tuam maximi momenti fo[illegible]net & sospitet! Eas, redeas ad nos quàm prosperrimè, quamq; maxime c[illegible] sententia omnibus confectis, ô ET PRÆSIDIUM, ET DULCE DECUS MEUM! B. V. Altorphl XVI. Julii Anno cIↄ Iↄc XXXIII.

Idem Eidem.

S. P. Remitto hîc, Amplissime & Consultissime Vir, Domine & Patrone æter[illegible]ùm observande, quæ misisti nuper scripta adminiculandæ Oratiunculæ meæ, cum maxima quidem gratiarum actione. Siquidem Heinsii ille Panegyri[illegible]s prorsus Heinsium, id est, dæmonium hominis spirans, magno mihi usui in nonn[illegible]llis fuit, ut ipse procul dubiò jam animadvertisti ex Oratiuncula, quam superiore septimanâ Nobilissimo & Consultissimo Doctori Oelhafio, &c. hîc dedi. Serius ad eam pangendam animum appuli, propter terrores illos bellicos, à quibus diu nulla nobis septimana vacua & immunis hîc fuit. Plura jam, propter catarrhum & tussim recrudescentes vix possum: Et constitueram ipse propediem Noribergam excurrere, ac coràm cætera. Vereor, ne frustrà, ob valetudinem cuivis auræ tristiori obnoxiam. Etenim isti, quos modò dixi, πρόδρομοι apud me ferè sunt ὀρθοπνοίας ac dirissimarum suffocationum, quibus minimo minus aliquoties jam interii, nisi valetudinem malè cogitantem quàm diligentissimè tuear. Eapropter rogo, me etiam Magnifico & munifico meo Patrono, Nobil. & Strenuo Viro Dn. à Blansdorf, &c. diligenter excuses, quem, ut & cæteros meos ibi Patronos & Amicos magnos, quàm officiosissimè saluto. Bene & feliciter vale, Patrone colendissime, ac salve ab eo, qui Tibi ætatem tuis beneficiis devinctus est. Altorphii V. Non. Octob. 1633.

Idem Eidem.

S. P. Mitto hîc, Nobilissimo & Consultissimo Dn. D. Oelhafio, quam nuper hîc ei petenti promisi, Oratiunculam meam de Concordia, &c. Catarrhus & tussis me adhuc domi attinent: Sed, ut spero, propediem commo[illegible]r ero; & tunc, si tempestas, arriserit, & per Harpagos istos, quibus nihil est sanctum, lic[illegible]erit, ipse excurram Noribergam, & præsentium gustabo humanitatem, &c. Bene & feliciter vale, Patrone magne, & salutem quàm officiosissimam [illegible] me Nobilissimo Viro Dn. à Blansdorf, cæterisq; meis εὐεργέταις. Raptissimè Alto[illegible]phii Non. Octob. Anno 1633.

Richterus Virdungo.

S. P. Clarissime Dn. Virdunge. Nolim, vitio mihi vertas, quòd hactenus nihil responsi ad binas tuas dedi. Per occupationes enim à reditu nondum libero mihi esse licuit. Heinsii Panegyricum & alia non eo animo communicavi, ut remitteres. Tantum abest, ut ullam gratiam mihi debeas. *Orationem* tuam *de Laudibus Gustavi Magni* legi, eamque remitto, de qua, si liberè dico, quod sentio & debeo, & Heinsium & Berneggerum, & id genus alios rerum ejusmodi æstimatores præstantissimos in testimonium vocare non vereor. Seculum feret Oratio illa tua, in qua nemini, quos hactenus vidisse mihi contigit, cessisse Te, omnes, qui legent vel audient, verè perhibebunt. Illud unicum mirari quis posset, quòd ut vitam, non ita etiam mortem Gustavi prædicâsti, cùm tamen non minùs moriendo, quàm vivendo, Heros ille noster Alexandro superior extiterit, utpote, qui, in prælio fortissimè pugnans victoriamq; praeclarissimam reportans, genere mortis, quod Imperatorem decet, occubuit, cùm hic lecto affixus vel fato vel veneno extinctus sit. Ut taceam nunc supremum illum & perfectissimum amoris Christiani gradum, ad quem, dum animam pro fratribus expiravit, pertingere Regi nostro datum. Sed Tu, pro judicio tuo defecato, statues, quod visum fuerit.

Recitatio autem istius Orationis tuæ, volente DEO, ex Sententia Nobiliss. Dnn. Scholarcharum, fieri posset die VI. Novembris, quo ante annum Rex Inclytissimus vitam cum morte commutavit, eumq; diem nigro notandum lapillo omnibus bonis luctuosum fecit. Cui actui recitationis etiam nonnulli ex Ordine Senatorio, cum Dnn. Scholarchis, una mecum, ἐὰν ὁ κύριος θέλῃ, intererunt. Fortassis etiam Nobiliss. Dn. à Blansdorf, comitem habebimus, cui salutationes tuæ sunt acceptissimæ, qui Te ex animi sententia valere etiam atq; etiam optat, tuumq; adventum habebit in deliciis. Vale, Virdunge literatissime, & nos, ut facis, ama. Dab. raptim d. 16. Octob. A. C. 1633.

Virdungus Richtero.

AMplissime & Consultissime Dn. Pro-Cancellarie, Dn Benefactor plurimùm observande. Appetit jam dies VI. Novembris, quem Oratiunculæ meæ hîc recitandæ publicè nuperis tuis destinabas: Idq; tempus sollicito mihi de his, quæ fluunt, imprudenti propemodum obrepsit. Etenim novis aliis super alia de cladibus navis percussus; quid agerem, admodum hæsitabam: Sed & adhuc hæsito. Cæterùm hæc fortasse, quæ sparguntur, aut falsa aut minora sunt vero, sicut pleraq; in hisce talibus Fama solet inflare. Quid igitur Tui consilii

fibi sit, rogo, me quamprimum edoceas. Ego enim, si omnino sedet, ut proximè recitem, non reluctabor. B. V. Raptissimè Prid. Cal. Nov. Anno 1633.

Richterus Virdungo.

S. Clarissime Dn. Virdunge. Ita est, ut scribis, pleraq;, quæ sparguntur de cladibus navis, aut falsa sunt, aut minora vero. Quamvis enim in Silesia res minus prosperè successerint, non ita tamen in arcto sunt, ut ideo, quod pietas & officii ratio postulant, intermittere debeamus. Non est igitur, quod de recitatione Orationis tuæ, ad proximum d. VI. Novemb. dubitetis, quas laudes etiam hostes ipsi justissimas agnoscunt, adeò, ut Roma ipsa non siluerit. Ex mandato igitur Nobilissimorum Dnn. Scholarcharum, actum, quem dixi, recitationis, prædicto die, celebrabitis, quo die, ut & sequentibus duobus Mercurii, hîc & per totam Provinciam Noricam Supplicationes per Senatus-Consultum decretæ sunt. Faxit Jova, ut omnia bene & feliciter succedant eveniantq;! Quòd autem recitationi tuæ non interesse possumus, Supplicationes istæ in causa sunt, quas Amplissimus Senatus solenniter vult peragi. Oratio autem post recitationem statim publicè edi debet. Id quod jussu superiorum Te celare non debui, & ad proximas tuas respondere volui. Dn. à Blansdorf, ante octiduum Francofurtum abiit. Vale. Dab. raptissimè 2. Nov. 1633.

Virdungus Richtero.

S. P. Literæ T. Ampl. mihi modò redditæ sunt, id est, circa horam noctis octavam, à vestro tabellario, qui se in itinere spoliatum queritur, & statim urget responsum. Quò minùs igitur mandato superiorum de habenda ad diem dictum VI. hujus mensis Oratione pareatur, per me non stabit. Illud tamen T. A. celare non possum, hæc Nova &c. Usq; adeò non neminem hîc meorum Collegarum perculisse, ut propemodum perniciem & Opido & Universitati è recitatione, &c. ominaretur. Τότε μοιχάνδ. Sed DEUS malefaciat istis Novellatoribus, qui mendaciorum has tubas inflant! Nam quin omnia, quæ geruntur, nobis in alia ista specula notiora sint, quàm cuiquam ex hoc genus rumigerulis, ne dubitare quidem fas puto. Cras igitur Dn. Rectori hîc indicium faciam de voluntate & jussu Superiorum, ut officio pio ad constitutum tempus fungamur.

Hæc, volui, nescia ne essent T. Ampl. B. V. Raptissimè. Postridie Cal. Novembr. Anno 1633.

Idem

Idem Eidem.

S. P. Parui, Magnifice & Consultissime Vir, Domine & Patrone æternùm observande, mandato Superiorum, adeoque hodie, post preces matutinas finitas, Orationem, &c. habui, frequenti Auditorio. Quam quidem Orationem etiam illi plausu exceperunt, qui eam haberi priùs valdè noluerant, ob periculum scilicet, quod inde & Opido & Universitati ominabantur. Restat, ut, quoniam quamprimum typis subjicienda vobis videtur, circumspiciamus Patronum idoneum, cui eam dedicemus. Si mentem T. Amplitudinis ex prioribus aliquot Epistolis satis perspexi; auctor eris, nisi fallor, ut Illustrissimo Oxenstiernio vel Hornio, vel utrinque. Quod mihi T. A. dederit consilii, id libenter sequar, seu potiùs tanquam oraculo editam vocem excipiam. Bene & feliciter vale & vive, Amplissime & Consultissime Dn. Patrone optimè merite, meq; tuo favore porrò complectere. Raptissimè Altorphii VI. Novemb. A. 1633.

Richterus Virdungo.

S. P. Non dubito, Virdunge Eloquentissime, Amice plurimùm honorande, quin Oratio tua etiam illorum plausu excepta sit, qui eam haberi priùs valdè noluére: Quia eximio eloquii nitore ita Te auditorum animis insinuare nôsti, ut nemo sit, qui invitus licèt, tamen nolens volens nervis Eloquentiæ tuæ haut vulgaris, moveri se non sentiat. Programma non minùs quàm Oratio Majestati rerum est conveniens, gravitate sensuum, verborum proprietate, & dexteritate judicii Virdungo dignum. Patroni electio, cui eam dedices, tui est arbitrii, neq; prudentia tua quid consilii mei eget. Te ipsum igitur, hoc est, Consultorem optimum sequere, cujus sententia etiam Nobiliss. Dnn. Scholarchis non displicet. Vale, &, quod facis, nos ama. Dab. VIII. Novembris A. C. 1633.

Virdungus Richtero.

S. P. Mitto hîc, Amplissime & Consultissime Vir, Domine & Patrone summè observande, duo exemplaria Oratiunculæ meæ; quarum alterum compactum Serenissimo Principi, &c. per occasionem offerendum erit. Quum verò caussam inscribendæ ejus Celsitudini Orationis satis loquatur epistola dedicatoria; dubito, annon supervacuum sit aliâ insuper scriptâ epistolâ a me bellicis ipsius occupationibus &c. obstrepi.

Quicquid tamen tuæ Ampl. in hac re visum fuerit, faciam. Interim ut inter curas tuas gravissimas hoc quoque meum negocium curæ Tibi habeas, quò

quò scilicet Celsissimi Principis hac dedicatione animum promereamur, gratiamque ineamus, à Tua Ampl. quàm enixissimè etiam atque etiam peto precorque, ac meam meorumque incolumitatem simul commendo. Bene & feliciter vale. Altorphii Eid. Decembr. Anno cIɔ Iɔc XXXIII.

Richterus Virdungo.

S. P. Clarissime atque Eloquentissime Dn. Virdunge, Amice inter literatos charissime, inter charissimos literatissime. Quanam fati mei sinisteritate fieri dicam, ut ad singulas literas tuas, auro contrà chariores, singillatim, quòd debeo & volo, respondere mihi non liceat. Binas enim iterum abs Te accepi, priusquam ad priores rescripsi. Videtur quidem vulgare Tullio, & non admittendum, occupationum multitudine raritatem literarum excusare. Sed quid faciam? ἀπρίκιαν ἀπών, nolim velim ego, ad vulgi illud cogor confugere: Quandoquidem difficultatibus publicæ occupationis ita constringor, ut nec mei meorumq; curam habere concedatur. Unde etiam fit, ut nec corpus nec animus ex voto semper valeat. Non itaq; de silentio meo grave suspicaberis, præsertim cùm etiam, dum differenda aliquantisper responsio mihi est, Tui tamen nunquam oliviscar, & quæ è re tua atque Academiæ videntur, petendo, monendo, urgendo efficere, & pro Vobis quasi excubando omnem ἰυκαιρίαν (quæ utramq; paginam facit) observare non cessem. Atq; sic rebus Vestris intentus, Alexandrum tuum novantiquum (ut ὕστερον πρότερον Ὁμηρικῶς ad tuas respondeam) Serenissimo Principi statim, acceptis literis tuis, ita offerri curavi, ut spes sit, gratiam inde ad Te redundaturam, quam mereris. Neq; intermittam etiam alios Ἥρωας isto munere tuo ceu proxeneta afficere, & animi tui dotes præclarissimas, quas vel Oratio illa, Tulliano segmentata auro, satis superq; prodit, ex abundanti tamen commendare. Interea temporum oportunitates præstolando de successu bene præsumendum existimo. Pro exemplari mihi transmisso gratiam habeo: Atq; unà Tecum supervacuum puto, occupatissimum Belli Ducem, præter dedicationem, etiam aliâ epistolâ scriptâ fatigare. Quantum ad priores tuas, retulerunt mihi Academiæ querelarum legati, quàm grave Vobis sit, vectigal istud novum solvendum. Quem statum Vestrum, heu deplorandum, Tu quoque nitore literarum ita illuminâsti, ut quicquid explicat affatus tuus, id noster quodammodo visat affectus. Probè novi, Virdunge literarum decus eximium, quàm non ulteriùs gravari mereamini, sed remedio potiùs atq; allevamento indigeatis. At utinam pro affectu erga Academiam rem, uti vultis, effectam dare possim. Certè non ita avidè quicquam à me desiderabitis unquam, ut ego promptissimè semper gratificari Vobis gestio. Sed heic iterum

Sophoclis illud tenendum; καιρὸς γὰρ πάντων γνώμην ἴσχει. Attamen eò usque profecimus, ut literæ Universitatis in Senatu lectæ ad deliberandum datæ sint, ita, ut de sententia, quam optatis, bene sperare ausim: Equidem Respublica quæ Academiam suam amare nunquam desinet, duro necessitatis telo, ita compellitur, ut pro tempore & ejusmodi inconsueta & tam indistinctè præter votum à suis efflagitare necesse habeat. Operam tamen, spero, dabit, ut Vos oneri ferendo impares libertate Vestrâ fruamini, cui fini caussam Vestram agere porrò quoq; pro virili annitar. Atq; hæc ad tuas literas.

Nunc, quid Gronovius noster nuper Bremâ ad me scripserit, percipe. *Virdungus*, inquit, *an valeat & vivat, cupio cognoscere; cujus literario alloquio me viduatum, post discessum meum, gravissimè fero.* Hactenus ille. Tu valetudinem tuam diligenter cura & vale. Noribergæ d. 23. Decembr. A. C. 1633.

Virdungus Richtero.

SAlutem ac felicem novum hunc Annum animitùs precor. Amplissime & Consultissime Dn. Procancellarie, Dn. Fautor & Patrone æternùm observande, diutiùs, quàm vellem, ad proximas tuas silui; in quibus tamen, ob singularem earum & humanitatem & elegantiam, χαρίτων ἔαρ, vel in ipsa bruma λάμπειν pulcherrimeque ridere mihi visum est. Cæterùm adeò, ut has aliquot septimanas omnia his in locis infesta fuere latrociniis, ut, nisi summa urgente necessitate, aliquid Noribergam mittere, vel illuc ituro committere, temerarium duxerim. Plures enim uno tempore spoliatos non meminimus, ac ne tum quidem, quum hostes visceribus nostris inhærerent. Nam sanè & Tillius & Holkius, quantumvis hostes, magis à maleficiis suos hic continuerunt, mitiùsq; & humaniùs nobiscum egerunt, quàm isti nostri, si DEO placet, custodes. Quæ quidem effrænis militum licentia, vereor, ne tandem in eorum quoque exitium erumpat, qui nunc fortasse alienis damnis malisque (sic est enim ingenium hominum) minus anguntur. Etenim, ut res optimè cadat; Saguntina aut Numantina fames ex desolatione agrorum nos hîc & alibi locorum manebit, si diutiùs hæc manserint. Absque bobus enim equisq; quinam agri coli poterunt? At hi ut & cætera omnia cum pulvisculo quotidie eripiuntur miseris colonis. Quid? quod metuendum, ne Canes isti, qui nunc adeò sævi infestique sunt, quà viatoribus quà agricolis, tandem ubi nihil ampliùs in agris, quod invadant, invenerint, μῦθον aperiant de Actæone, & in ipsos suos dominos famelici dentes afferant? At enim de hisce viderint, quorum ea cura est, ac quibus coram Tribunali Dei de tot innocentibus spoliatis caussa dicenda erit, &c. Opto autem, ut tandem his malis finem afferat hostis è vicinia exactus: Quod quidem jamjamq; fu-u-

futurum plærique sperant. Tibi porrò, Magnifice Dn. Patrone, quas condignas gratias agam pro hac eximia singulariq; & in Academiam, & in me quoq; indignum immerentemque faventia ac prothymia? Verumenimvero quum, quicquid dixero, minùs futurum sit tuis erga nos meritis; parcam in præsentiarum verbis, DEUM Opt. Max. interim animitùs venerans, ut Te, nostrum Sospitatorem, sospitem florentemque, cum Tuis quàm diutissimè conservet! Quam verò in partem à Serenissimo Principe accepta sit nostra Oratiuncula, nihil dum audivi; & si quid; scripsisses procul dubio. De Gronovii nostri erga me affectu lætor. Diu nescivi, ubinam locorum ageret. Rogo, si Tua Ampl. ipsi scripserit, à me quàm amicissimè salutet. Sed & salutem officiosissimam adscribo, tum aliis meis illic Fautoribus & Benefactoribus, tum præsertim Nobilissimo & Strenuo Viro Dn. Johanni à Blansdorf, &c. Patrono ac Mæcenati meo munificentissimo, cum precatione itidem felicis novi anni: De quo tamen, an Noribergam redierit, aut ubinam nunc agat, proximis literis certiorem me, rogo, T. A. faciat. Bene ac feliciter vale, Amplissime Domine, & his ignosce. Raptim Altorphii XIII. Januarii A. cIɔ Iɔc XXXIV.

Richterus Virdungo.

S. P. Hodieq; expecto, Virdunge Clarissime, ut læti boniq; quid ab illis, quibus Alexandri Nov-antiqui dedicationem commendavi, accipiam, quò te exhilarare tandem possim. Vix credis, quam mora ista me discruciet, quæ etiam causa est, cur ad proximas tuas respondere hactenus noluerim, ne me fumos Tibi vendere putes. Verùm occasiones singulas porrò quoq; aucupari non desinam, donec ab occupatissimi Principis εὐεργεσίᾳ aliquid in Te redundarē faciam. Inter alios proxenetas etiam Nobilissimus Dn. à Blansdorf, operam suam pollicitus est, qui etiamnum Augustæ hæret, & exemplar, quod ipsi transmisi, acceptissimum habuit. Militum effrænem licentiam, quam Tu, pictor, Apelle sagacior, vivis coloribus expressisti, deplorare potiùs quàm corrigere licet, præsertim, cùm maxima pars stipendia non accipiant. Utinam præsagium tuum vatis alioquin non vani, de fabula Actæonis in vanum abiret! Sed virga hæc est DEI, per quem *ideò fit, ut Pax contra nos sit, quia sic à nobis agitur* (quæ olim Salviani querela fuit) *ne expediat rem accipere, quâ deteriores sumus. Nequaquam* enim, eodem teste, *uti meremur prosperis, quia non corrigimur adversis.* Rogamus itaq; Filium DEI, qui per Spiritum suum corda hominum nova creare potis est, ut nostri tandem misereatur, & animos verbo suo obedientes reddat, quò per gratiam ipsius scribere nobis liceat, quod magnus ille Thuanus ante XXXVI. ad Sofredum Calignonem, Navarræ Cancellarium, exaravit

his verbis: *Raptim ex Musaeolo nostro VII. Idus Octobr. Anno R. S. cIↃ IↃ XCVIII. quo Pax post atrocissimi & plusquam civilis belli decennium, insperato DEI beneficio, universa Galliae restituta est.* O utinam sic quoque Germaniæ nostræ: Ἤμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν, & opis indulget ἀπὸ τῆς μηχανῆς. Fiat, fiat! His inclusas nudius tertius à Gronovio nostro accepi. Si quid responsi dabis, ad me mittas, & curabo. Vale, & nos, quod facis, ama. Raptim VII. Id. Februar. A.C. cIↃ IↃc XXXIV.

Virdungus Richtero.

S. P. Quod inter curas tuas occupationesque gravissimas, Ampliss. & Consultissime Dn. Procancellarie, Fautor & Patrone magne, tantopere curæ habes negotium meum; sentio quàm eo quoque nomine sim tibi devinctus. Nisi enim valdè Tibi incolumitas mea (huc enim redacti sumus) cordi esset, id nequaquam faceres. Cæterùm assentior tuæ Ampl. captandum esse tempus, nihilque tentandum, nisi quum aptè poterit tempestiveq; tentari, in tantis præsertim occupationibus pro salute communi excubantis Serenissimi Principis. Quem quidem Principem, quum vi apertâ non possint, vereor, ne dolis circumventum eant nunc adversarii. Quis enim in Historicis adeò hospes, ut, qui ludum similem luserunt olim, eum fugiant? Quis, inquam, nescit vel Zopyrum illum, qui Babylonios, vel Mithridatem, qui Datamen; vel Sextum Tarquinium, qui Gabinos; vel denique (ut alios taceam) majorum ævo Sphanzen illum Palæologum, qui Syrgiannem Andronico juniori, Imperatori Græco, rebellem, hoc genus histrioniâ in fraudem illexerunt? At nunc etiam de interitu illius, quem innui, vulpionis rumor dissipatur. Si verus, agnosco DEI manum adversus impios. Sin; tantò magis cavendum, quantò plures fabricas faciunt adversarii. Ac de publicis quidem hactenus. De meis verò privatim rebus; sunt eæ quidem rursus valdè in arcto, ob gravissimum isthoc ac nimis quàm diuturnum annonæ incendium, quo penitus comburimur, valetudine interim quoque (namque per hasce complures septimanas catarrhus aliaq; symptomata non parùm me in languorem dederunt) utut eam curem, infesta. Cæterùm quum paternam DEI Opt. Max. pro me ac meis curam hactenus semper excubuisse senserim; non est, ne nunc quidem, cur animum despondeam, aut cur immensæ atque inexhaustæ ejus bonitati ac misericordiæ diffidam. Bene ac feliciter vale, Magnifice & Amplissime Domine, Fautor & Benefactor æternum observande, & hisce languidâ manu exaratis ignosce. Altorphii V. Cal. Mart. Anno cIↃ IↃc XXXIV.

P. S. Magnifico & Nobiliss. Viro Dn. à Blansdorf, Mœcenati meo benignis-

nignissimo, plurimam & officiosam salutem adscribo; ut & cæteris illic Fautoribus meis & Benefactoribus. Inclusas hasce rogo, T. A. per occasionem ad Gronovium curet &c.

Richterus Virdungo.

S. P. Clarissime Dn. Virdunge. Ab eo tempore, quo author Tibi fui dedicationis Alexandri tui Nov-antiqui, non destiti curæ habere, ne Te consilii amici pœniteret, sed res tuo commodo prosperè eveniret. Illud non undequaq; voto respondere & post moram satis longam, non tantum, quantum ego sperabam, & Tu mereris, Tibi contingere, doleo. De technis hostium est quidem, quòd solicitè timeamus, & exemplis à Te allegatis cauti esse discamus. Verùm, quod die XV. Februarii Egræ Fridlandium, militiæ imperatorem supremum vi & clam è medio sublatum fama vulgavit, non fabula vana, sed historia est verissima, per testes αὐτόπ]ας καὶ ἀξιοπίστους ante triduum denuo confirmata, adeò, ut dubitare de hac metamorphosi ampliùs non liceat. Qui Ælium Sejanum & alios ejus farinæ in antiquis & recentioribus historiarum monumentis cogitat, non adeò fortunæ hoc ludibrium, vel ἔκδικον potiùs ὄμμα τοῦ θεοῦ, mirabitur. Providentiam & vindictam divinam piâ devotione agnoscere atq; vereri nos, fas est. DEUS, cujus nutu etiam pessima quæq; fidelibus in bonum vergunt, miseræ Germaniæ nostræ intestinis bellis ad supremum usque spiritum conquassatæ tandem misereatur ex gratia per Filium unigenitum, qui Patris iram solus avertere novit! Ejus tutelæ Te Tuosq; commendo. Vale, & valetudinem tuam eò diligentiùs cura, quò majorib. & frequentioribus infestationibus hoc anni tempore est exposita. Raptim Cal. Martii A. cIↄ Iↄc XXXIV.

P. S. Dn. à Blansdorf, &c. Augustâ nondum rediit. Tuas ad Gronovium curabo.

Virdungus Richtero.

S. P. Sic est, ut scribis, Amplissime Patrone. Hodie nullus, vel perexiguus certè, honor habetur literis, à quibus tamen verus omnis honor: Nam sine iis quæ fama diurnet? Mihi tamen animus iste in me tuus carior antiquiorque est quovis donativo. Quamvis igitur rerum nunc mearum, postquam spes isthæc ex parte nos fefellit, valdè satagam in hac dirissima jam non caritate, sed fame: Tamen animo non succumbam. Vivit enim DEUS, qui fortassis, unde minimè jam spero, facem salutis allucebit. Sed & Seneca mihi aurem pervellit, hoc suo dicto sanè quàm magnifico:

Si totam mihi ex omnibus metallis, quæ quum maximè depromimus, pecu-

niam proferas, si in medium projicias, quicquid thesauri tegunt, avaritiâ iterum sub terras referente quæ malè egesserat; omnem istam congeriem dignam non putem, quæ frontem viri boni contrahat. Hæc ille cap. 33. lib. tertii de Ira, quæ utinam hodie animis imbibant illi, quibus Mammon DEUS est, & omnia præ divitiis vilent & sordent! At enim quanta sit clementia, vel ὑψηλοφρονεῖν vel ἠλπικέναι (sicut Apostolus loquitur) ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι, præter alios innumeros Fridlandius nunc quoque iste præbet exemplum; qui exstructis in altum opibus, adeoq; aureis follibus incubans, non nisi Regna, credo, jam somniabat. Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete: Et ut cogatis atque corruatis divitias, omne fas abrumpite. Miscete cuncta, rapite in exitium omnia! Cæterùm pacemne an bellum ejus interitus nobis portendat, DEUS novit: DEUS summè misericors tandem nostri misereatur! Teq;, Vir & Fautor summe, propitius cum Tuis conservet! B. V. Raptim Altorphii III. Nonas Martias Anno cIↄ Iↄc XXXIV.

Richterus Virdungo.

S. P. Vicem tuam, Clarissime Dn. Virdunge, Amice omni cultu & amore dignissime, dum remuneratio ista militaris nec voto nostro nec meritis tuis respondet, animitùs doleo. Sed tamen ex hoc ipso dolore nostro illud boni provenire lætor, quòd Te tam piè, cordatè atq; generosè sinisteritatem illam seculi fortunæq; injurias injustissimas ferre video. Virtutem etiam tuam magis splendescere facis, quòd non tantùm cum Divino Apostolo, καὶ περισσεύειν καὶ ὑστερεῖσθαι nôsti, sed etiam sapientissimorum unà cum exemplis inculcando, aliis quoq; imitationis signum tollis. Ita nimirum animus, piâ in DEUM fide munitus, iniquis fortunæ casibus mutari nescit, eodemque semper vultu constans virtuti suæ se involvit. Macte donativo isto, ô Virdunge præstantissime, non à Principe aliquo, sed Spiritus Sancti gratiâ divinitus Tibi concesso, & aliunde facem salutis sperare ne desine. Nobilissimo Dn. à Blansdorf, qui apud Serenissimum Principem caussam tuam commendaturum se recepit, nudius tertius, quid obtinueris, scripsi. Non cessabimus pro virili in commodum tuum vigilare ulteriùs. De casu Fridlandii prudenter judicas, meq; adstipulatorem habes. DEUS tyrannorum Dominus omnipotens ab aliorum quoq; hostium furoribus clementer nos vindicet, Teq;, Amice exoptatissime, cum Tuis benignissimè conservet! Vale. Raptim Norib. prid. Non. Martii Anno cIↄ Iↄc XXXIV.

Virdun-

Virdungus Richtero.

S. P. Amplissime & laudatissime Dn. Pro-Cancellarie, Domine Fautor & Patrone æternùm observande, quum omnes & curas & cogitationes tuas in publica salute defigas, perquam invitus facio, ut eas privatis meis negotiis obturbem, nedum onerem. Verumenimvero hæc res, quæ me ad scribendum modò impellit, non tam ad me nonnullosque Collegas meos, & alios quosdam Academicos privatim quàm publicè ad omnes pertinere videtur. Siquidem omnium, ni fallor, interest, vel FIDEM PUBLICE DATAM SERVARI, vel MALEFICIUM PRO BENEFICIO BENE IN PUBLICUM MERITIS NON REPONI. Cæterùm quoniam, quicquid id est negotii, jam pridem Tuæ Ampl. innotuisse arbitror, ex quo scilicet ad Nobilissimum & Prudentissimum Senatum Noribergensem &c. de eo Universitas nostra supplex perscripsit; in pauca conferam, adeoque plæraque tantùm perstringam. Ante biennium igitur, quùm adventu hostilium Ducum & copiarum summè periclitaretur istud Opidum: Oratu meorum, qui tunc hîc substiterant, Collegarum ipsiusq; Rectoris, qui tunc erat, M. Georgii Mauritii, p. m. literas publico nomine supplices, binas quidem (si rectè memini) ad HOLKIUM, ternas verò ad TILLIUM, diversis temporibus exaravi, quibus salutem & incolumitatem non solùm Universitatis, sed & ipsius Opidi summopere illis commendavi. Hisce literis satis humanè ac benevolè illi rescripserunt, seque in gratiam Universitatis ipsi Opido parcere velle tunc ostenderunt. Quod quidem reipsâ mox præstiterunt, adeò quidem, ut cum nullo Noricæ ditionis Opido mitiùs humaniusq; actum fuerit: Quamvis secundo hostium adventu ALTRINGERUM, convocatis in Arcem Opidi decurionibus, dixisse constet, eos, quòd, recipiendo contra TILLII interdictum præsidio militum, fidem eo nomine datam violâssent, metuisse, ut omnes omnino Opidani simul cum conjugibus ac liberis contrucidarentur, ipsumq; Opidum, à suis militibus direptum, incenderetur. Cæterùm tunc quoque in honorem Universitatis delicti ejus Opidanis gratia facta est, navante tunc (ut aliàs quoque) eximiam, præter alios, operam Clarissimo optimoq; Virorum, Dn. D. LUDWELL. Quo quidem ingenti merito obstricti Decuriones promiserunt nobis (res est notissima, adeò, ut vix quenquam illorum, qui tunc hîc fuerunt, eam fugere existimem) sese, quòd salutem hujus Opidi & suam & suorum soli, secundùm DEUM, Universitati ferrent acceptam, ab omnibus erogationibus, expensis & sumtibus bellicis immunes nos habituros, illisq; oneribus sese solos cum civibus Opidi succubituros &c. Atq; ea quidem de re, præter jus commune, satis jam paullò antè cautum fuerat Academicis

demicis Interdicto feverissimo ipsius hostilium copiarum Summi Ductoris TILLII, qui capite sanxerat, si quis ullo vel sumtu vel quocunq; alio pressuræ concussionisque genere vexâsset, gravâssetque civem ullum Universitatis, nedum Professorem. At enim, dummodo miseris Professoribus, & vix animam præ inopia (plærisque certè) modò trahentibus insultetur, & quicquid calamitates, quà publicæ, quà privatæ reliquum fecerunt sanguinis, ærumnosis & infelicibus exsorbeatur, hæc & id genus alia cum summo dedecore & labe honest tis publicæ facienda sunt scilicet! Quid? quòd hac ratione efficiunt, ut jam egenorum & stipem quotidianam rogantium eam, quam hactenus, rationem h bere plærique prorsus nequeamus. Nam quod ad me quidem attinet, eò jam alias quoq; redactus sum, ut ne quidem me ac meos, quamvis novarum vestium valdè indigentes, vestire hoc tempore possim, nedum ut centena aliquot capita meo pane ampliùs pro virili alere queam. Et horum quidem mendicantium à summo mane usque in ipsam noctem propè continuis clamoribus obstrepimur & inquietamur. Neque enim recedunt antè, quàm id, quod petunt, importunitate suâ extorserint. Equidem (ut & alii quidam meorum Collegarum) certam septimanæ diem & horam illis constitui, quando quidem mecum bene agitur, quum novem vel decem batziorum panis in catervatim tunc affluentes distribuendus sufficit: Sed nihilosecius tamen per totam septimanam ab iisdem & turbamur & exhaurimur. Quæ quidem non idcirco refero, quòd me fame præsertim contabescentibus etiam supra vires subvenisse, pro mea parte, pœniteat: (absit hæc à me impietas; ac sum per DEI gratiam, si quis alius, ad misericordiam pronus ac propensus.) Sed ut incitem hujus loci incolarum, exceptis paucis, etiam hac in parte, mores à Christana pietate & caritate nimis quam alienos. Etenim quum eorum non pauci in his aliorum miseriis sese collocupletârint, adeoq; largè illis suppetat, quod dent pauperibus, nihil omnino dant. Hinc isthoc quoque onus in jam antè ad incitas redactos & extremam inopiam anhelantes Professorum plerosq; & Academicorum propè solos incubuit. Deniq; (ut paucis absolvam) non jus non æquitas, non honestas, non famæ ac fidei memoria, non cura saltim publicæ, imposterum salutis apud quosdam hîc ampliùs locum habere videntur. Etenim ἀχαρισία, ἀδικία, πλεονεξία, cæterisq; vitiis penè omnibus, vel cum ipsis paganorum Ethnicorumque deterrimis certatur. Hæc non sine ingenti dolore, plurimisque cum lacrymis, ita scripsi. Te verò, Magnifice Patrone, Fautorq; ac Benefactor æternùm observande, nunc quoque (quod ipsum etiam summopere doleo) sollicitum habere cogor, omnibusque precibus quærere & obsecrare, ut literis Universitatis iterum nunc de eadem re ad Superiores missis pro more tuo suffragari velis. Quod procul dubio DEO OPT.

OPT. MAX. gratum erit: Cujus ira, vereor, ne adversùs hunc locum accensa sit. Nam si prævalebit hæc quoq; iniquitas, forsan nostris auribus insonabit vox COELESTIS, MIGREMUS HINC, &c. Bene & feliciter vale, Patrone incomparabilis, & Christianæ pietatis exemplar; meamque & meorum incolumitatem Tibi porrò cordi esse patere. Altorphii 12. April. Anno 1634.

Richterus Virdungo.

S. P. Literas tuas, Virdunge Clarissime, in quibus tum Academiæ vicem sinistram ad lacrymas usq; & ipse doles, & alios dolere facis, tum verò opidanorum mores non agrestes tantum, sed infidos planè & nefarios, vivis coloribus depingis, Nobilissimi Dnn. Duum-Viri & Scholarchæ, quibus exhibui, cum admiratione & non absq; συμπαθείᾳ legerunt. Quamvis verò alteræ, quas Academia ad Inclytum Senatum dedit, per nescio quæ impedimenta, publicè hactenus nondum lectæ sint, ex eo tamen, quod tuæ jam illud, quod dixi, effecerunt, de remedio & successu, quem optatis, bene spero. Et quia brevi ad Vos, ad promotionem Doctoralem, ut vocamus, excurrendum nobis erit, coràm, volente DEO, plura etiam hac de re peragemus. Quod interim, prodromi loco, & ne ex diuturniore silentio in negligentiæ suspicionem inciderem, ad Te exarare volui. Vale. Dab. Cal. Martii A. cIↄ IↄcXXXIV.

Virdungus Richtero.

S. P. Amplissime & Laudatissime Dn. Pro-Cancellarie, Fautor & Patrone summâ observantiâ colende. En literas, de quib. nuper coràm, ad Mœcenatem meum optimè meritum merentemque Blansdorfium! citius scribere volui, & certè debui: Sed terrores isti Panici calamum scripturientem represserunt hactenus. Nunc quoque obsessâ Ratisponâ, mirè animis hîc pendemus. Sed & vereor, si bellum ducitur, ne spes de adventu Patroni illius mei incomparabilis decollet. Quis enim prudens itineri sese committat, insessis & infessis penè omnibus viis? De liberalitate tamen ejus spem minimè abjicio. Mitto hîc simul Criticas quasdam notulas cujusdam mei Auditoris, adolescentis boni & eruditi, in quibus equidem judicium supra ætatem admiratus sum. Est ille bonus, sicut dixi, bonisq; prognatus, Pater Consiliarius Illust. Comitum à Leonstein, avus Advocatus Reipublicæ Swinfurtensis & Nobilitatis Franconicæ; Avia materna è gente Füreria, uxor D. Busereuti, sed iniquitate fortunæ etiam eò redactus, ut sine Patronorum subsidio telam suorum studiorum pertexere non possit. Optat igitur Tuæ Ampl. innotescere: Quo fine hæc ipsius Critica misi, ut ex illis, tanquam ex unguibus, Leonem æstimares. Rogo etiam, si quæ

occasio ipsius studia adjuvandi affulserit; morem illum tuum, qui mihi jam videtur Tuæ Ampl. in naturam vertisse, serves, in literarum ac virtutis cultoribus tuendis ornandisq;, ac præsertim ejusmodi ingeniis, quæ frugem præ aliis, si gratia Numinis aspirârit, factura videntur. Ipse quidem jam se studio Jurisprudentiæ consecratum it: Ad quod nactus est præclarum Instrumentum, partem Bibliothecæ paternæ. Sed enim sine aliis quoque pennis volare ei difficile fuerit, hoc est, sine sumptibus idoneis. Nuper mihi quidem dixit, si ad alia subsidia, quorum sibi jam spes sit facta, accederet stipendium à mercatore aliquo Norico, tunc se, σὺν Θεῷ, cæptum opus exædificaturum. Cæterùm an tale aliquod stipendium indipisci possit, ignoro. Tu, Magnifice Patrone, dispicies: Cui ipsum, utpote auditorem meum, jam ab aliquot annis longè diligentissimum, etiam atque etiam commendo. Bene & feliciter vale, Amplissime Domine, & hisce raptim exaratis ignosce. Altorphii V. Cal. Junias Anno 1634.

Richterus Virdungo.

S. P. Quòd literarum istarum Criticarum, Virdunge Excellentissime, quas elegantissimi ingenii juvenis, Christophorus Adamus Rupertus, ad Te dedit, lectorem me esse voluisti, gratissimum mihi accidit. Mirum enim quàm me, publicis curis distentum, amœniores ejusmodi Musæ delectent, capiantque. Et cùm jam aliquot dies molestissima arthritis ingenti dolorum cumulo lecto me affixum tenuerit, ægritudinis reliquias (Numinis enim gratiâ eò usq; convalui, ut gressus tantùm adhuc mihi sit infirmus) lectione talium elegantiarum, ceu suavissimâ medicinâ, depellere volupe mihi est. Utinam verò fas mihi foret, tam promptè rariora ejusmodi ingenia fovere, quàm ex animo illis faveo, & conatus eorum honestissimos utilissimosq; promovere cupio. Non enim me latet, quantum Respublica pariter atque Academia de illis sibi polliceri debeat, qui non illotis manibus ad altiora studia adspirant, sed non nisi debita cum reverentia, hoc est, animo humanioribus studiis probè imbuto, sublimiores illas scientias, easq; inter cum primis Jurisprudentiam nostram, reginam cæterarum, accedere student. Gratulandum itaq; publicis commodis censeo, quando tam felices ingeniorum cultus provenire videmus, omniq; animi contentione eò magis annitendum, ne ad literarum decus necessariis cultores illi destituti marcescant, quò plures hodie sunt, qui curam istam eruditionis solidioris omnium maximè necessariam insuper habent, eamq; vel honorificam minùs vel parùm utilem perversâ censurâ autumant. Ab illis ego, divisum imperium habens, Philologos linguarumq; peritiores semper Academiarum fulcra luminaq; judicavi. Neq; me judicii illius etiamnum pœnitet, cujus autores habeo non quidem

quidem numero multos, attamen dexteritate gravissimos. Quapropter persuasum habeatis, velim, me seriò operam daturum, quò istius, quem commendâsti, juvenis egregii, quem etiam, ob Parentes olim mihi cognitos, amo studia optimè cœpta commodè allevari queant. Equidem de mercatorum stipendiis, quòd innuis, nihil est, quod speremus, pleraq; enim, & potiùs omnia, Theologiæ Studiosis destinari solent. Non intermittam tamen, pro virili σὺν Θεῷ, aliunde prospicere. Literas tuas ad Blansdorfium curavi, idem, si quid responsi nactus fuero, effectum daturus. Nuncius ille de soluta obsidione Ratisponensi suavis potiùs quàm certus huc usque fuit. Non nihil tamen levamenti obsessis contigisse affirmatur. Faxit DEUS misericordiarum, ut incendium illud nobis proximum, citò & feliciter restinguatur, ne flammæ latiùs evolantes periculum nobis, quorum res nunc agitur, accersant. Vale, Virdunge clarissime, & inter mala tempora bona vota servare ne cessa. Dab. prid. Calend. Jun. A. C. cIↃ IↃc XXXIV.

Virdungus Richtero.

S. P. Amplissime & Consultissime Dn. Pro-Cancellarie, Dn. Patrone æternùm observande. Languor è defluxione &c. etiamnum me habebat: Nec tamen scriptiunculam istam ad Dn. Blansdorfium, Mœcenatem meum benignissimum, diutiùs differre potui, ne forsan animi ingrati suspicionem longiore silentio incurrerem. Rogo igitur, si quæ paulò tutior occasio affulserit, hasce literas ipsi transmittendas cures. Id tamen fortasse tam citò fieri non poterit. Omnia enim latrociniis infesta etiam hîc apud nos sunt. O misera Germania, quæ conversa es in speluncam latronum! Sed jam plorando fessi sumus. Bene & feliciter vale, Amplissime Dn. Patrone optimè merite, meq; tuo favore porrò dignare. Raptim. Eidib. Quintilib. Anno 1634.

Idem Eidem.

S. P. Non dubito, quin mireris, Amplissime Pro-Cancellarie, Patrone æternùm observande, quod tamdiu nihil à me literarum. Sed præterquam quòd mihi occupationes tuas, quibus, scio, quàm distinearis, temerè interpellare religio fuit, eadem semper cantando tuam Ampl. obtundere suppudebat. Quid enim in hac tristitia ac diritate temporum nisi triste ac lectu ingratum quisquam scripserit? Et verò is rerum status, post deditam nuper Ratisbonam, hîc nos exceperat, ut terroribus, aliis super alios, ingruentibus, quodammodo terra, mare, cœlum in nos irruere viderentur, jamjam tantâ malorum mole opprimendos, nisi Divino auxilio, ut jam sæpe, res sufflaminatæ fuissent. At nunc, spe

Pacis (utinam fidæ firmæq;) rursus oblatâ, paullulum respirare incipimus, si modò per morbos aliasq; calamitates, quà publicas qua privatas, liceat. Me quidem appetens etiam multarum rerum indiga Hiems valdè nunc excruciat, loculis incendio hoc sævissimo juxta ac pertinacissimo annonæ penitùs exhaustis, atq; ære insuper alieno conflato, ob crebras præsertim infirmitates ægrotationesq; meas ac meorum, è quibus uxor adhuc in morbo cubat. Nescio autem, quo pacto fiat, ut semel hîc incenta alimentorum cæterorumq; utensilium pretia vix unquam remittantur. Ea est vel loci hujus infelicitas, vel incolarum potiùs πλεονεξία: Quos quidem veluti canes à corio uncto, sic semel gustatâ lucri immoderati injustique dulcedine absterrere ægerrimè possis, ut non suo ingenio utantur. Quare T. Ampl. quàm enixissimè etiam atque etiam rogo obtestorque, ut, quamprimum se obtulerit occasio, caussam meam agat apud Nobilissimos Prudentissimosq; hujus Universitatis Curatores, quò necessitatibus meis subsidio aliquo extraordinario (quod jam ante annum, aut tale quippiam, hic in arce Opidi mihi promitti memini) modò subveniant. Equidem in angustiis hisce ærarii, quàm diu potui, ipsorum Amplitudinibus peperci, partim ipsas necessitates frugalitate restringendo, partim labantes meas fortunulas aliorum ope ac liberalitate fulciendo. Cæterùm nunc, extremâ urgente necessitate, quum, quò me vertam, prorsus non habeam, ad Ipsorum Amplitudinum opem auxiliumq; confugere cogor; quod, Te Patrone, spero mihi non defuturum. Faxit DEUS Opt. Max. ut tandem, malis istis exitialibus Fame, Peste Belloq; Civili sepultis, Pax longè exoptatissima rursus, unaque sæculum aureum miserrimæ & infelicissimæ huic nostræ Germaniæ quamprimum illuceat, nec ampliùs viscera sua, excedenda & exurenda stygibus istis furiisq; bellicis præbeat! Idem cœleste numen animitùs veneror, ut Te, Magnifice Patrone cum Tuis omnibus salvum sospitemque conservet! Bene ac feliciter vale. Raptim Altorphii III. Non. Octob. Anno cIↃ IↃcXXXIV.

P. S. Nobilissimo ac Strenuo Viro Dn. à Blansdorf, salutem officiosissimam adscribo, ubi ubi est.

Richterus Virdungo.

S. P. Tantum non ad ruborem usq; me pudet, me ad proximas tuas nondum respondisse. Sed quid facias, tot tantisq; impedimentis tempore hoc exulceratissimo nunquam non distractus. In ære tuo me esse, fateor, &, vel ob hanc ingenuitatem, æquiorem Te, mihi spero. Atque eò magis quidem, quia silendo hactenus caussam tamen tuam egi, ut petiisti, ita ut spes sit, Te & hac vice & in hac penuria pecuniarum publicarum maximâ voti compotem futurum.

Id

Id quodne nescires raptissimè volui. De Blansdorfio nostro plura ex ipsius literis inclusis cognoscas. Vale & nos amare persevera; quod fieri putabo, cum literis tuis, semper mihi acceptissimis, insuper habitâ raritate meâ, beare me perrexeris. VIII. Cal. Novemb. Anno cIↃ IↃc XXXIV.

Virdungus Richtero.

S. P. Amplissime & Consultissime Dn. Pro-Cancellarie, Fautor & Patrone summè observande. In procinctu erant nostri ad Vos ituri, cùm stilus mihi in manu. Quare festinationi harum ignoscas, rogo. Cæterùm Tuæ Amplit. immortales ago habeoque gratias. Rursus enim maximum sinceri & constantis erga me favoris amorisq; dedisti, caussam meam adeò diligenter apud Universitatis hujus Curatores agendo. Etenim, licèt in summa rei nummariæ difficultate spem prosperi successus facis; Ita quidem DEUS faxit! Nam quò me in tantis hisce angustiis aliàs vertam, prorsus non habeo. Venit heri ad me auditor meus Christophorus Adamus Rupertus, diligentissimus & pro captu ætatis doctissimus juvenis, quem superiori æstate Tuæ Ampl. commendavi. Is se, prope flens, à quodam suo consalaneo, in odium ingens Amplissimi & Nobilissimi cujusdam sui Patroni, calumniis vocatum de sua incolumitate summè periclitari querebatur. Obsecrabat igitur, ut earum calumniarum ipsum purgarem apud Magnificum Nobilissimum ac Prudentissimum Virum Dn. Christophorum Fürerum &c. Reipub Duum-Virum; ad cujus auxilium, tanquam ad sacram anchoram, in hac extrema sua necessitate confugere cogatur. Esse autem criminibus hisce se petitum: I. quòd esset studiorum suorum negligens. II. quòd prodigus & profusus III. quòd licèt omnis doctrinæ rudis, nihilominus Thrasonem ageret &c. Ad quæ ego nunc breviter: Primùm testificor, me jam per aliquot annos auditorem magis sedulum magisq; assiduum non habuisse II. De prodigentia miror illi objectum, quum, quod prodigeret, prorsus non habuerit. III. de ejus in studiis hisce, ad quæ natus & factus est, profectu vel Tuam Ampl. testem laudare possum: Ex paucis enim illis scriptiunculis, quas nuper mihi, puto, tanquam ex ungue leonem, cognosci potuisse. Deniq; si ex omnibus hîc mihi aliquis esset Successor in Professione futurus destinandus; non alium nominarem. Thrasonicam autem illius jactantiam nullam unquam audivi, quùm potiùs summam & singularem apud me modestiam meique, tanquam Præceptoris sui, reverentiam præ sese semper tulerit. Hæc ego, ut Veritati testimonium perhiberem, & ut falsis criminibus circumventum sublevarem: Quæ ad Ipsum Magnificum & Nobilissimum meum Patronum Dn.

Duum-Virum scripsissem, nisi occupationes ejus, in salute Reip. defixas, temerè interpellare veritus essem. Etenim, ut ait Poëta:

- - nisi tempore dextro,
Verba per attentas non ibunt Cæsaris aures.

Te verò, Amplissime Dn. Pro-Cancellarie, rogo pro illo affectu, quo omnia bene nata ingenia, & præsertim, quæ frugem jam fecerunt, prosequeris, ejus patrocinium, datâ occasione, suscipias, ac si res ita poposcerit, vel hasce literas magno Illi Patrono meo legendas des. Bene & feliciter vale, & ut initio scripsi, festinationi ignosce. Altorphii 27. Octob. Anno 1634.

Richterus Virdungo.

S. P. Nudius tertius spem Tibi feci, Clarissime Dn. Virdunge, fore, ut & hac vice voti compos fieres. Spem illam haut vanam esse, nunc Tibi nuncio. Annuerunt enim tandem Nobilissimi, Dnn. Curatores petitioni nostræ, eosq; inter cum primis Amplissimus Dn. Grundherr, qui πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, virtuti atque eruditioni tuæ haut vulgariter favet. Significabis igitur, ubi & cui subsidium illud tuo nomine persolvi velis. De auditore tuo, non è multis, quod rogâsti, operam dabo, ut & ille innocentiam suam contra calumnias invidorum, quibus patulæ sunt mortalium aures, defensam gaudere possit. Tuas ad Blansdorfiium curavi. Vale, Virorum optime, & nos ama. Raptim Noribergæ V. Cal. Novemb. A. C. CIↃ IↃCXXXIV.

Idem Eidem.

S. P. Clarissime Dn. Virdunge, Amice omni studio & honore mihi complectende. Subsidium pecuniarum, quod Nobiliss. Dn. Grundherr publico nomine persolvit, Filia tua, harum latrix, accepit. Faxit DEUS, ut illa securè ad Te redeat, & hoc, quicquid est levaminis, Tibi Tuisq; prosperè eveniat! Gratia mihi debetur nulla, qui pro commodis tuis utinam tantum efficere possim, quantum Virtus & Eruditio tua merentur, & ego velim. Pro virili nunquam non, favente DEO, me habebis promptissimum. Priores tuas, quibus famam N. contra calumnias invidi cujusdam commendâsti, Nobiliss. Dn. Fürero, Duum-Viro Magnifico, ut petiisti, legendas dedi, qui nihil sinistri vel de moribus vel de studiis auditoris istius tui doctissimi hactenùs se audivisse dixit. Gratum autem habuit testimonium istud tuum haut vulgare, cujus exemplum poscenti communicavi, caussam etiam istam apud Nobilissimos Dnn. Curatores agere, datâ occasione, non intermittam, operam daturus, ne innocentia atq; veritas,

veritas, invidiæ telis expositæ, indefensæ relinquantur, aut juvenis ad magna na- ci commodis officiatur. Vale. Dab. III. Cal. Nov. A. C. cIↃ IↃc XXXIV.

Virdungus Richtero.

S. P. Verba mihi desunt in præsentiarum, Amplissime & Consultissime Vir, Dn. Fautor & benefactor æternùm observande, quibus & pro tuis in me maximis meritis, & pro singulari Nobilissimorum & Prudentissimorum hujus Universitatis Curatorum beneficentia gratias condignas agam. Cæterùm id quidem fiet alio tempore uberiùs. Nunc enim tempus me non habuisse scribendi, ex filia ista mea cognosces; cui ut subsidium illud extraordinarium &c. tradi jubeas ad me perferendum, rogo. Plura ex ipsa. Nunc enim, nostris cum præsidio proficiscentibus, & in ipso articulo profectionis oppressus, abrumpere cogor. Bene & feliciter vale, Patrone optimè merite. Raptissimè. Altorphii 29. Oct. Anno 1634.

Idem Eidem.

S. P. Amplissime Vir, Fautor & Benefactor summè observande, citiùs ad tuas debui, sed ob terrores Panicos partim, partim ob valetudinem fluxionibus infestam, per hos aliquot dies, vix meæ spontis fui. Primùm igitur nuntio, filiam meam salvam cum subsidio illo ad me rediisse: Quo nomine DEO Opt. Max. summas, ut debeo, gratias ago. Ejus enim manifestâ ope è latronum manibus evasit, non solùm in itu, sed etiam in reditu. Quod verò meâ caussâ tantum annisus es, Magnifice Patrone, sentio, quantum Tibi eo nomine debeam; ut & Magnifico Nobilissimoq; Viro Dn. Udalrico Grundherro, Patrono meo optimè, non semel de me merito; cujus paternam pro me curam nunc quoq; vel in primis excubuisse, è proximis tuis cognovi. Cæterùm quùm tantis beneficiis, ut antiquo verbo utar, redhostiendis minimè par sim futurus, licèt totum me Vobis impendam; DEUM Vobis delego debitorem, qui procul dubio hanc Vestram beneficentiam largè, suo tempore, remunerabit. Bene & feliciter vale, Amplissime Patrone, & harum festinationi (lator enim in ipso momento rursus me oppresserat) ignosce. Raptissimè. Altorphii VII. Novembr. Anno 1634.

P. S. Nobilissimo ac Strenuo Viro, Dn. à Blansdorf, officiosissimam salutem ascribo. Utinam vel tantillum temporis suppeteret ad ei scribendum: Sed proximè.

Idem

Idem Eidem.

S. P. Non dubito, Ampliſſime & Conſultiſſime Domine Pro-Cancellarie, Fautor & Benefactor æternùm obſervande, quin maximis & graviſſimis in hoc perturbatiſſimo ſtatu rerum diſtinearis occupationibus. Quò magis, ignoſcas, oro, quòd in tali tempore Conſilium à T. Ampl. expetam meis rebus: Quod certè, niſi ſummâ urgente neceſſitate, nunc non facerem. Imminent hoſtes rurſus hiſce Noricæ ditionis Opidis: Jamque de dedito Hersbrucco rumor hîc ſparſus, verus ne an falſus, neſcio. Quidam tamen eos, ut meliùs reſiſtant hoſti, vicinum montem occupâſſe ajunt: Sed certè verendum eſt, ne propediem omne nobis, præſertim Noribergam, iter intercludatur. DEUS noſtri miſereatur: Teq; Patrone optimè merite, ac Rempublicam noſq; propitius conſervet? Bene ac feliciter vale. Raptim Altorphii 25. Feb. A. clↃ IↃcXXXIV.

P. S. Magnificum ac Nobiliſſimum meum Mœcenatem Blansdorfium officioſiſſimè reſaluto, ſimulq; indico, me, quamvis ſedulò inquiſiverim, non potuiſſe ejus ad me literas, (quibus ad proximas meas ſeſe reſcripſiſſe, & neſcio cui huc iter facienti ad me perferendas dediſſe ſignificari mihi juſſit) eruere aut indagare ullo modo.

Richterus Virdungo.

S. P. Clariſſime Dn. Virdunge. Inter alia, quæ calamitoſiſſimis hiſce temporibus animum meum affligunt, haut minimum illud eſt, quòd Academiam ita languere video, neq; remedium ſufficiens humanitus invenire queo. Verùm ubi deſinit auxilium humanum, præſto futurum credimus divinum, id quod Tibi & toti Academiæ ex animo comprecor. Quod ad inclytæ Academiæ literas humaniſsimas non ita pridem, manu tuâ exaratas, & ſic hac quoque ratione mihi longè acceptiſsimas, nondum hactenus reſcripſi, nolim vel negligentiæ vel oblivioni imputetis. Abſit talis erga Matrem venerandam filiæ haut degeneris impietas. Quin, poſtquam, quæ petiiſtis, ex parte impetrata animadverti, de reliquo verò etiam, quamprimum fieri poterit, promiſſionem accepi, de reſponſione verborum, ubi res quodammodo loqueretur, non adeò laborandum, mihi eſſe putavi: Præſertim ſemel iterumq; à ſcriptione, quam cogitaveram, aliarum occupationum impedimentis revocatus. Interea tamen in meis ad Reverend. Dn. D. König, quaſi prodromum præmiſi. Vale, Virdunge amiciſsime, &, quod facis, nos ama. Dab. Noribergæ 2. Martii 1635.

Virdun-

Virdungus Richtero.

S. P. D. Amplisſime & Conſultisſime Dn. Pro-Cancellarie, Patrone ſummè obſervande. Exprimere verbis non poſſum, quantum me commôrint & eximia hæc ac ſingularis Tuæ Ampl. in matrem Univerſitatem Pietas, & erga me, quamvis immerentem, benevolentia ſimul & beneficentia: Quæ quidem omnia è literis, heri mihi circa nonam nocturnam redditis, non ſine lacrymis præ gaudio manantibus recognovi. DEUS Tibi benefaciat, Vir & Fautor ac Benefactor ſumme, ut & Nobilisſimo ac Prudentisſimo Viro, Dn. Ulrico Grundherro, &c. Curatori hujus Academiæ optimè merito merentique: A quibus equidem Domum hanc Muſarum, ne prorſus corruat, ſecumque Rempublicam trahat, pænè ſolis hoc miſerrimo tempore fulciri arbitror. Cæterùm de publicis alio tempore. Nunc filiam hanc meam mitto, ut reliquum ſalarii petat. Bene & feliciter Vale, Magnifice Patrone, & harum feſtinationi ignoſce. Altorphii IV. Martii Anno 1635.

Idem Eidem.

S. P. Diu diſtuli ad Te ſcribere, Amplisſime & Conſultisſime Dn. Pro-Cancellarie, Fautor ac Benefactor æternùm obſervande, præter alias cauſſas, quòd ipſe quamprimum illuc ad Vos excurrere decreveram, ſi vel tantillum mihi commeatum dediſſet valetudo. Sed, præter catarrhos, quibus velut asſignatus ſum, ea ſubinde me ſymptomata exceperunt, ut tam imbecillum cauſſariumque corpuſculum crudo huic & immiti, qui nos hactenus nimium quantum exercuit, aëri, ſine præſentiſſimo vitæ periculo, committere nequiverim. Nunc quoque diutina hæc αἱμοῤῥοΐς ita me in languorem dederat, ut vix hisce exarandis ſufficerem. Interea tamen mala ingraveſcunt, & inopia me & familiam in dies acriùs urget. Quò me igitur vertam? Hîc enim è pumice citiùs aquam expreſſerim, quàm à quoquam incolarum, in hisce ſummis plærorumq; omnium difficultatibus & anguſtiis, quicquam nummorum: Frumentum verò, vel farinam vel panem denique, niſi repræſentatis nummis, nemo daturus eſt. Unde igitur vitam mihi meisq; prorogem, niſi illinc ſubvenitur? Etenim ſpero, me eam Reipublicæ Noribergenſi (præfiſcini dixerim) cùm aliàs tum ſuperiori præſertim hieme fidem præſtitiſſe, ut cum meis perire non debeam. Cæterùm de hoc coràm, ſi DEUS volet. Te interim, Magnifice Patrone, quibus poſſum precibus, quâq; debeo obſervantiâ, per omnia ſacra rogo obſecroque, ne meam cauſſam (impudens ſum, qui toties T. A. fatigem, ſed ignoſcas, oro, ſupremæ neceſſitati) rurſus apud Superiores agas, ne ab ipſorum Ampp. in hisce verè fe-

ralibus angustiis deserar ac dejuver. Plura præ infirmitate vix possum, nisi ut salutem meam meorumq; quàm diligentissimè Tuæ Ampl. etiam atque etiam commendem. Si, quale spero & opto, responsum accepero, quamprimum filiam meam (dummodo paullò tutior videatur occasio) illuc mittam. Omnino tutius erit per cambium. Sed hactenus neminem hîc reperire potui, qui id mihi officii præstaret. Bene & feliciter vale. Altorphii Non. Jun. A. 1635.

P. S. Nobiliss. Blansdorfio, Patrono meo optimè merito, plurimam & officiosissimam salutem ascribo.

Idem Eidem.

S. P. Magnifice Dn. Pro-Cancellarie, Fautor ac Benefactor æternùm observande. Valdè animi pendeo, quorsum hæc præsentia fluant, vel potiùs quorsum tandem erumpant. Adhuc enim hirudines istæ loco huic inhærent, & si quid reliquum est sanguinis, miseris incolis accolisq; exsorbent. Quod si diutiùs fit; vereor, ne plærisq;, (præsertim qui non sunt dardanarii) re cum pulvisculo ablatâ, solum vertendum sit. Nam finis aliud atque aliud poscendi ab ipsis non fit, (ut heri ipse mihi Dn. Præfectus conquestus est) quum jam maxima pars & Opidanorum & agrestium ad incitas sit redacta. Prorsus eveniunt, quæ metueram. Superiori enim hieme, quum hæc ipsa futura prospicerem, magnopere contendi, ne hostile frænum, inconsultu injussuq; Superiorum, reciperetur, neve committeretur, ut hinc quoq; intercluso commeatu civitas Noribergensis ad Augustanam famem redigeretur. Quæ quidem res magnam apud non nullos invidiam mihi conflavit. Adeò enim stulti erant quidam, ut in sua manu fore dicerent, jugum, quod tunc subîssent, simulac vellent, hoc est, quum importato frumento sibi prospexissent, excutere: Quos jam stultorum magister eventus coarguit. Cæterùm de hisce & aliis rebus coràm aliquando meliùs, si DEUS voluerit, ac si valetudo, adhuc malè cogitans, ac velut in vinculis me etiamnum habens, illuc ad Te excurrere me permiserit. Interea pudet me totiesq; Tibi molestiam exhibere. Sed ignoscas, Te rogo, ultimis planè, quæ me hoc ætatis circumstant & urgent, premuntq;, miseriis. Equidem fortunam novercantem ab ineunte ætate, nescio an supra plærosq; mortalium expertus sum: Sed tamen, quantumvis mihi irata, alimenta tamen semper præbuit: Nunc senectâ, morbis miseriisq; fractâ, ea quoq; deesse incipiunt? Bene & feliciter vale. Raptim Altorphii die Laurentii, Anno 1635.

P. S. Nobilissimum Dn. Blansdorfium quàm officiosissimè saluto. Retulit mihi ante XIV. dies filia, quam Noribergam, negotii causâ, miseram, illum

tunc

tunc malè valuiſſe: Sed περὶ ῥαϊσμοῦ ſpem eò concepi firmiorem, quòd interim nihil audivi.

Richterus Virdungo.

S. P. Clariſſ. Dn. Virdunge, Amice exoptatiſſime. Vix credes, quàm ipſe mihi ſuccenſeam, tuamq; vicem cumprimis doleam ex animo, quòd ad ternas tuas literas acceptiſſimas hactenus neque reſpondere, neque id, quod petis, vel potiùs jure tuo poſtulas, & ego etiam atque etiam cupio, effectum dare potui. Reipublicæ ex diuturno bello inteſtino admodum langueſcentis calamitatis quaſi ſecundinæ, & exinde occupationes graviſſimæ pariter atque frequentiſſimæ, quæ me dies noctesq; mancipem habent, huc usque, quod volui, impetrare prohibuerunt. Et quamvis literas tuas ſingulas aliis legendas dederim, ipſeq; cauſam tuam coràm egerim pro virili, voti tamen, ut antea, compos hac vice nondum fieri potui, ſed aliquantiſper adhuc moram ſolutionis æquo animo ferendam ſignificatum mihi fuit. At, inquis, venter caret auribus, & res ad incitas redactæ omnem moram reſpuunt. Scio & fateor, doleoq; vicem iſtam acerbiſſimam animitùs. Sed eadem, ſi non graviora, etiam heic obſtant publicè, præſertim hoc tempore, quo ſolutionem tot mille aureorum vi pacis, quam ſcis, Imperii heri demum exſolvi oportuit. Non deſinam tamen, mi Virdunge, pro Te laborare ampliùs, quantum & quotiescunq; licuerit. Interim è re tua eſſe putârim, ſi ipſe quoque, quantum egeas ad alios, perſcripſeris: Tùm & ego, quicquid mearum partium, imò virium erit, porrò quoque lubentiſſimè addam, id quod per harum latorem, qui me nunc tertiò interpellat, reſpondere Tibi volui debuiq;. Vale, & de animi hujus erga Te promptitudine nunquam dubita. Raptim d. 23. Auguſti Anno 1635.

Idem Eidem.

S. P. Meminiſti, puto, Clariſſ. Dn. Virdunge, me, cùm non ita pridem coràm Altorfii confabularemur, inter alia mentionem feciſſe, meditationum mearum ſacrarum, quibus exulceratiſſimis noſtris temporibus animum hunc, ob calamitates multiplices, haut parùm nonnunquam ex immenſa triſtitia vacillantem erigere curæ mihi eſt, & petiiſſe, ut conatus iſtos qualescunq;, quos, multorum pietate atque eruditione præſtantiſſimorum Virorum ſuaſu, publicè edi permiſi, ſaltem ex parte perlegere & judicium tuum, quod, pro dexteritate & candore probè mihi cognito, meritò maximi ſemper feci, paucis aperire velis. Ecce igitur pagellas iſtas impreſſas (plures enim, quia typographi opera lentè procedit, nondum habeo) cum titulo & partitione libelli manuſcriptis, quæ

omnia, ut quando commodum Tibi erit, inſpicere haut graveris, & vel uno alteroq; diſticho unà excudendo, quid Tibi videatur, ſignifices, pro amicitia noſtra, quâ haut vulgariter mihi gaudeo, etiam atque etiam rogatum Te volo. A me nihil deſiderabis, quod non pro virili effectum dare geſtiam. Ex autoribus partitioni bonâ fide adſcriptis perſpicies, præter ſtudium colligendi nihil ferè meum eſſe, ſed omnia maximam partem Virorum antiquo-recentiorum, quà publicè, quà privatim de Eccleſia præclariſſimè meritorum. Unde nihil eſt, quòd præter conatum promovendæ pietatis vel tantillum gloriolæ exinde mihi arrogem, multò minùs aliud quicquam vulgo more aucuper. Mundi immundi iſta ſunt, à quibus me alieniſſimum eſſe unicè exopto. Vale, & ſi quid reſpondere placuerit, faſciculum iſtum unà remitte. Vale. Noribergæ pridie Idus Octobr. A. C. 1635.

Virdungus Richtero.

S. P. Ampliſſime & Conſultiſſime Domine Pro-Cancellarie, Fautor & Benefactor æternùm obſervande, remitto hîc pagellas impreſſas Tuæ Pietatis. Ita enim jure appellem; quæ me quidem animitùs affecit. En hujus mei affectus teſtes verſiculos, quos in languore hoc meo natos, rogo, boni conſulas. Rurſus enim valetudo fluxionibus infeſta miſerè maleq; me habet. Ἀλλὰ μηδαμῶς ἐκκακητεόν. Τοῖς γὰρ ἀγαπῶσι τὸν Θεόν, nôſti cætera. Bene vale. Altorphii XIX. Octobr. Anno 1635.

P. S. Saluto quàm officioſiſſimè Nobiliſſimum Blansdorfium, cæteroſq; Fautores & εὐεργέτας,

Idem Eidem.

IN AMPLISSIMI ET CONSULTISSIMI VIRI

DN. GEORGII RICHTERI, &c.

DIGESTA PIETATIS &c.

QUum, RICHTERE, doces ſpirantia fundere vota,
Et diæ motu mentis adire Deum:
Utq; animos puros accendat Numinis ardor.
Quod juſſit ſanctas pondus habere preces:
Arma, quibus Furiasq; fuget, dentesq; retundat
Tartareos, animæ ſuggeris, ecce, piæ:

Quia

Quin petere astra doces vectam sublimibus alis,
Dum Mundus praeceps in Phlegethonta ruit.

Idem Eidem.

SAlutem & quàm felicissimum hunc annum novum, id est, εἰϱλώην βαθύπλουτον animitùs precor. Amplissime & Consultissime Dn. Pro-Cancellarie, Fautor & Patrone plurimùm observande, & corporis & animi ægritudine urgebar etiamnum: Attamen quia paullulùm, quàm superioribus diebus commodior videbar, scriptionem istam ad Tuam Amplit. diutiùs differre non potui. Utinam verò hæc cum ætate ingravescens mea valetudo non nunc prorsus imparem me faceret oneri isti, quod extra ordinem mihi imponitur, corrigendarum Orationum singulis (si fieri possit) septimanis hîc Altorphii habendarum! Fuit quidem tempus, quum adhuc juvenis & validus Herculem imitari possem in Augiæ stabulo purgando. Nam me aliquando à meridie usque in mediam noctem corrigendæ, nescio cui, Orationi assidere memini, tantum (salvo honore) stercoris exhauriendum fuit. Quæ res me senem nunc & invalidum in hac perpetua gravedine capitis, tussi sævissimâ, catarrhis suffocativis, orthopnœâ aliisq; symptomatis, (quibus nuper λειποθυμία quoq; accessit) procul dubiò ad mortem daret. Sed & hisce nugis impeditus Professioni meæ Historico-politicæ litare & sacrificare omnino non possem. Quanta verò hujus Professionis sit dignitas simul & difficultas, judices fero totius Europæ doctissimos & clarissimos Viros. Nec Te, Vir Amplissime, fugit hoc ipsum, qui præsertim Lugduni Batav. D. Heinsio operam dederas. Eorundem de me & Commentariolo meo in Taciti I. Agricolam (quem novis Accessionibus locupletatum, si idoneum typographum nactus fuero, cum aliis scriptiunculis iterum publicare paro) judicia, quò minùs hîc expromam, verecundiâ præpedior. Accedit huc, quòd istud extraordinarium onus non mearum partium est, sed Oratoriæ Professoris, quæ provincia ante multos annos à me in M. Mauritium ac dehinc in ejus generum translata fuit. Huic verò sufficere debet, quòd obtrudi mihi passus sum ante quadriennium vel circiter munus concinnandorum Programmatum, onerosius profectò quàm fructuosius, & ad illius Professionem item magis quàm ad meam pertinens. Nec tamen vel ipsum, vel quemcunque alium meorum Collegarum tam iniquum esse arbitror, ut suæ Professionis commoda sibi fruenda, mihi verò tantummodo incommoda deleganda putet. Quòd si alius excusat valetudinem oculorum & senectutem, quanto justiùs ego: qui morbis, miseriis, ætate fractus intra hos novem menses adeò hebescere oculis cœpi, ut ad

lucernam ampliùs, nisi prorsus excoecare me velim, studere non possim. Sed & interdiu paullò minutiores characteres nimium quantum facessunt negotii legenti. Itaq; penè dimidia pars librorum meorum mihi facta est inutilis, nisi fortè specillum aliquod nactus fuero, quod hîc aliqua ex parte subvenerit. Jam & post unius & triginta annorum servitium, quidni ἄνεσιν aliquam potiùs merear quàm novi oneris cum præsenti periculo vitæ meæ impositionem? Dardanarii nostri id moliuntur, ut Professores eos, quos jam antè ad incitas redegerunt, omnibus suis reculis & fortunulis eversos ad extremam mendicitatem redigant. Cæterùm de hac barbarie quorundam Opidanorum alius & apud alios erit conquerendi locus. Interea si quæ rursus vis bellica ingruerit, (quod, nisi pax maturè coëat, profectò metuendum est) quærant sibi alios deprecatores quàm eos, in quorum gratiam bis huic Opido parcitum fuisse, nisi omnium, quos coelum tegit, ingratissimi simul & impudentissimi haberi volunt, diffiteri non possunt, & quos beneficio ab ipsis hostibus concesso per summum nefas spoliatum nunc eunt. Cæterùm me longiùs, quàm vellem, summus animi dolor, & qui ante duas septimanas in hac mea infirmitate, jacturâ vitæ, mihi pænissimè constitit, evexit. Redeo igitur ad Rhetorculos nostros, quos ut è Dn. Rectore & Tydæo his diebus accepi, (his enim pleriq; eorum quà publice, quà privatim operam dant) discere priùs oportet Grammaticè, ac dehinc Latinè scribere, quàm ad Eloquentiæ hoc studium & stadium aspirent: Alioquin hæ recitationes Oratiuncularum ab aliis compositarum plus habituræ sunt pompæ quàm usus. Cæterùm hæc, ut dixi, mea curatio non est, & quibus possum precibus onus, sub quo succumbam, necesse est, etiam atque etiam deprecor. B. V. Altorphii III. Non Januar. Anno æræ Christianæ vulgari 1636.

P. S. Salutem & felicem novum annum precor etiam Nobiliss. Dn. Blandorfio, cæterisq; illis Patronis & Fautoribus meis.

Richterus Virdungo.

SAlutem & in CHRISTO pacem, hoc est, malorum medicinam cunctorum bonorumq; omnium fontem, hoc anno Tibi contingere, perpetimq; fluere etiam atque etiam opto atque comprecor. Clarissime Dn. Virdunge, Amicorum exoptatissime. Quot & quantis rationibus officium illud directionis, quod Nobilissimi Dnn. Scholarchæ, juventuti Academicæ in habendis Oratiunculis, quas vocant, circularibus necessarium pariter atque fructuosum arbitrantur, deprecatum iveris, ex literis tuis, III. Non. Januarii ad me datis, intellexi, ad quas, ut volebam, citiùs respondere labores concatenati prohibuerunt: Quam quidem excusationem meam solennem nôsti, & pro tua in amicitiam nostram

nostram æquitate valere finis. Non est autem, quòd quicquam molestiæ ex illa, quam dixi, directione posthac metuas. Nemo enim est, qui non excusatione istâ tuâ justissimâ lubens meritoq; acquiescat. Neq; animus fuit Nobilissimis Dnn. Curatoribus vel tantillum oneris novi Tibi imponere, quem tantopere de Academia nostra meritum quovis modo potiùs levatum atque honoratum unicè cupiunt. Multò minùs Professioni tuæ Historico-politicæ omnium, fatemur, gravissimæ atque laudatissimæ vel hac vel aliâ quacunque ratione remoras objicere volunt. Omni igitur hujus rei solicitudine liber, in utramq;, quod dicitur, aurem dormies, & spartam, quam nactus es, ornare perseverabis. Porrò, quo successu caussam Universitatis dilectus gener, Dn. Iberer contra Dardanarios vestros, homines ut imperitos, ita injustissimos, heic egerit, ad Magnif. Dn. Rectorem rescripsi, simulq; obitum Schwenteri τοῦ μακαρίτου & ex eo jacturam Universitatis haut vulgarem deploravi, quo Te nunc brevitatis ergo remitto. Vale, Virdunge præstantissime, & nos, quod facis, ama. Raptim Noribergæ XIV. Calend. Februar. A. C. 1636.

P. S. Literas & salutationes tuas mutuas ad Nobiliss. Dn. à Blansdorf, & me hinc inde, ut solemus, communicavimus, & perquam gratas habuimus.

Virdungus Richtero.

S. P. Magnifice & Consultissime Dn. Pro-Cancellarie, Dn. Fautor & Patrone æternùm observande. Cum suffocationibus longè teterrimis per has aliquot septimanas colluctatus & in asperrimo frigore cum summa pænè rerum omnium inopia conflictatus valdè etiamnum languebam. Rogo igitur, huic meæ breviloquentiæ ignoscas, & ut filiæ meæ, ob hoc ipsum à me Norimbergam missæ, salarium labentis trimestris numeretur, pro more tuæ erga me benignitatis allabores. Idem spero facturos Dominos Patronos meos ibi Nobilissimos & Amplissimos Dn. Scholarchas, &c. ut ne in tam necessario tempore deserar. Quo enim miseriarum redactus sim cum meis, filia indicabit, & plena studii voluntas mihi semper ostensa fuit. Bene & feliciter vale, Fautor optimè merite, & hisce languenti manu exaratis ignosce. Altorphii 25. Febr. A. 1636.

P. S. Salutem officiosissimam Nobilissimo Dn. Blansdorfio cæterisq; Mæcenatibus meis adscribo.

Richterus Virdungo.

S. P. Clarissime Dn. Virdunge, Amicorum charissime pariter ac optime. Salarium Tibi debitum filia tua jam accepit, & spes est, fore, ut posthac Inclytæ

clytæ Universitati certi reditus annui assignentur, quò singulis trimestribus salaria vestra rectius accipiatis: Quod Senatusconsultum ad optatum effectum perduci DEUS faxit! Suffocationes tuæ & arthritis mea, quæ iterum aliquot septimanas lecto me affixit, utinam exularent apud Indos! CHRISTUS JESUS, ἀρχίατρος Opt. max. mentem utriq; conservet sanam in corpore sano! Digesta meæ Pietatis, quæ filiæ tuæ dedi, ut pro amore tuo in DEUM singulari grata habeas, rogarem, nisi jam antè de animo tuo, tum in argumentum libelli, tum in me Tibi addictissimum constaret, idq; vel ex carmine isto tuo, cujus gratia me Tibi obligatum profiteor, quo libellum istum honorâsti, in partitione Class. 6. cap. 29. videbis, quanti Orationes tuas faciam de annona, quas cum reliquis tuis omnibus, ut & carmina tua cuncta denuò publico dones, velim. Vale, & nos, quod facis, ama. Raptim 27. Febr. 1636.

P.S. Salutem Nobiliss. Dn. à Blansdorf adscriptam, hodie nunciari curabo, à quo interim mutuam adscribo, quia de hoc animi illius nullus dubito.

Virdungus Richtero.

S. P. Amplissime & Consultissime Vir, Fautor ac Benefactor æternùm observande, maximas ob missum muneris superiori septimanâ librum non uno nomine mihi longè gratissimum, & quem jure contra aurum æstimem, gratias Tuæ Ampl. & ago, & habeo. Sed & pro cætera tua in me benignitate (cujus, quoquò me verto, vestigia agnosco & exosculor) ecquando referam gratiam? Nunquam, ut vereor; nisi animum hunc Tuæ Ampl. devotissimum in solutum accipis. Optârim tamen quamprimum hujus mei in Te affectûs & observantiæ publicè testificandæ occasionem & facultatem dari, & quidem, si typographum aliquem idoneum, qui suo sumptu mea excuderet, nancisci possem; rem minimè procrastinarem. An verò Noribergæ sit hoc tempore, quem eo nomine sollicitare possim, me latet. Halbmayerus enim ante quadriennium, aut præter propter, id promiserat: Sed mox interventu armorum res impedita est: Et paullò pòst, ipso morte intercepto, cum hærede per M. Brunonem frustrà ante biennium eadem de re actum fuisse intellexi. Unde factum ut ne fidem quidem, quam dederam Nobilissimo Blansdorfio de Commentario meo &c. ipsi inscripto rursus publicando, adhuc liberare potuerim: Quod tamen nomen etiam expungere, idq; quamprimum animo ardeo. Eheu, Martem Musis nostris infestum! Sed quid publicam Aten in hoc accuso; nec privatim de valetudine potiùs mea conqueror, quæ me ex homine pænè cadaver reddidit hactenus. DEUS misereatur, & Te, Amplissime ac laudatissime Dn. Pro-Cancellarie, arthritide tuâ (cui ex animo συμπάσχω) liberatum à morbis deinceps, cæterisq; malis

malis immunem Reipublicæ Scholæq; nostræ bono quàm diutissimè sospitem florentemq; conservet! Bene & feliciter vale. Altorphii IV. Non. Mart. Anno 1636.

P. S. Quàm salvè, quæso, nobis agit Nobilissimus ac de me optimè meritus Patronus ille meus, quem suprà nominavi. Metuo enim, ne & ipse Hygeîam hoc anni tempore parùm habeat fautricem ob catarrhos &c. qui me quidem, DEI beneficio, nunc minùs infestant & suffocant; sed δυσπνοία tamen adhuc, præsertim nocturno tempore, valdè urget & angit, ut interdiu quoq; non parùm hinc langueam.

Idem Eidem.

S. P. Mitto hîc, Amplissime & Consultissime Dn. Pro-Cancellarie, Fautor ac Benefactor æternùm observande, Præfationem Commentariolo meo in Taciti Agricolam (si idem Tuæ Amplit. videtur) præfigendam. Siquidem, id Mæcenati meo optimè merito Magnifico Dn. Blansdorfio dudum pollicitus, fidem meam nondum liberâsse, nec nomen istud expunxisse, valdè doleo. Cæterùm hæc temporum potiùs culpa est quàm mea vel cujusquam alterius. Quid autem Dümlero animi sit, & an, inspecto libro, permaneat in sententia, suis sumptibus eum imprimendi, &c. cupio, quamprimum certior fieri. Porrò, si placet, eum prælo subjici, Titulo Commentarii adjicienda erunt hæc verba: AB AUCTORE, NUPER RECOGNITUS AUCTUSq;. De Poëmatis Orationibusq; scribam alio tempore, quum in melius ire ceperit valetudo. Nam & asthma & gravedo capitis adhuc valdè me in languorem dabant: Sed & ægritudo animi non parùm urgebat corpus, ob & morbum uxoris, & summam rerum domesticarum difficultatem, & importunitatem præsertim eorum, quibus hîc Altorphii ex necessariis caussis adhuc debeo. Quum enim antehac semper curârim, ut apud eos mihi esset fides, adeoq; Genium meum meorumq; potiùs defraudârim, quàm ut non quamprimum æs alienum luerem; nunc idem à me in hisce summis rerum omnium difficultatibus putant fieri debere, quum sim exhaustus nummisq; destitutus. Quòd si igitur res ferrent Munificentissimi mei Patroni Nobilissimi Dn. à Blansdorfen/ut huic meæ jamjam deficienti lucernulæ (sicut nuper humanissimè rursus promisit) oleum propediem infundere posset, tantumnon à limine mortis ab ipso me reducendum arbitrarer. At enim nimis-quam impudens sim, si quid contra commodum ejus: Et tamen (heu quàm durum telum es necessitas!) frontem perfricare cogor, ac rogare, ut Tua Ampl. suas quoq; preces meis apud ipsum jungere dignetur,

tur. Bene & feliciter vale, Amplissime Dn. & hisce languidâ manu exaratis ignosce. Raptim Altorphii III. Nonas Julias Anno 1636.

P. S. Num illîc quoque immite & turbidum cœlum? Hic continuæ ferè tempestates per aliquot jam dies noctesq; sævierunt. Etiam proximo die Veneris inter continuum cœli fragorem grando dejecta est prodigiosæ magnitudinis.

Richterus Virdungo.

S. P. Commentarium tuum in Taciti Agricolam, Virdunge Clarissime, Dümlero typographo inspiciendum dederam, antequam tuas cum præfatione ad Nobilissimum Dn. à Blansdorf, accepi. Ille prædecessoris sui Halbmayeri dissimilis, nescio quid excusationis prætendit, quò minus librum hoc tempore suis sumptibus imprimere possit. Tandem verò nervum, hoc est, pecuniam & impensas necessarias sibi deesse haut obscurè fassus est, adeò quidem, ut typographiam omnem mox relicturum se dixerit, quandoquidem hoc belli tempore literæ, & quicquid eruditionem literatorum sapit, frigere videamus. Nolui itaq; homini obtrudere, quod neq; voluntatis neq; virium ipsius esse deprehendi, sed, illo relicto, cum alio, nempe cum Wolfgango Endtero, egi, qui & animum & vires de literatorum libris & per hos de bono publico bene merendi habet, is librum hac ipsâ horâ vespertinâ à me accepit, &, eo inspecto, paucos intra dies, quid sibi videatur, se mihi relaturum, promisit, hoc addito, nihil nisi ministrorum manus sibi deesse, ita ut ante hyemem vix initium facere possit. Quam moram nisi gravem habiturus es, non puto Viri boni operam nobis defuturam. Ubi igitur post dictam inspectionem certi quid statuerit, statim significabo. Interim epistolam tuam pariter ac præfationem Nobilissimo Dn. Mæcenati, quem dixi, legendas misi, cum quo etiam pridie, antequam tuæ mihi fuerunt redditæ, de statu rerum tuarum pluribus contuli; qui non tantùm, pro suo erga Te amore singulari, bonæ mentis tuæ sororem & fortunam novercantem animitùs dolet, sed etiam pro liberalitate sua erga virtutem tuam atque eruditionem omni laude sublimiorem, florenos quinquaginta Tibi persolvet. Et quidem nunc statim per Nobilissimum Dn. Pömerum, Præfectum Oppidanum, ad quem ideo hasce literas inclusas exarari curavit, quibus redditis, summam illam pecuniæ citra moram accipies. De hoc igitur oleo lucernulæ tuæ nunc infuso, ut modestissimâ elegantiâ & modestiâ elegantissimâ tuâ utar, etiam atque etiam Tibi gratulor. Neque dubito, quin plura additurus sit Evergetes maximus, ubi liber publicum videbit. Hanc enim summam promiserat, antequam tuas, ut dixi, acciperem, mihiq; affirmavit, nisi & ipse hoc tempore præter solitum

tum aliis teneretur, ac Bellonæ injuriâ reditibus suis bonam partem careret, se etiamnunc statim plura additurum fuisse. Tu hoc spe fretus illud, quod ipse nunc donat, pro tempore boni consules, & ampliùs quid porrò quoq; σὺν Θεῷ exspectabis. Vale, mi amicissime Dn. Virdunge, & à Dn. Patrono laudatissimo plurimùm salve, tuamq́, & uxoris valetudinem cura. Dabam occupatissimus 6. Julii Anno 1636.

P. S. Et jam heic ab eo tempore, quo Altorfio discessimus, continuos ferè imbres habuimus, & aliquoties magno misceri murmure cœlum incepit, non tamen ut apud Vos, commistâ grandine. Hodie verò, ut & heri, major cœli serenitas affulsit. Quam clementiæ divinæ indicem porrò quoq; nobis concedat Numinis benignitas. Cui καὶ οἱ ἄνεμοι καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούους.

Virdungus Richtero.

SAlve, Amplissime & Consultissime Dn. Pro-Cancellarie, Fautor ac Benefactor æternùm observande. O gratas mireq́; opportunas literas Tuæ Amplitudinis, quas nudius quintus, appetente jam nocte, accepi, tunc quidem, quum mei illud Euripidis lamentarentur: ἐπ' ἄκραν ἥκομεν κακῶν χαμμήν. Idcirco quasi cœlo missam sospitatricem mihi meisq́; epistolam illam, simulq́; constantissimam hanc & Nobiliss. Blansdorfii & Tuæ Ampl. erga me benevolentiam benignitatemq́; flens propè exosculatus sum. Deus Vobis, Patroni optimè meriti Evergetæq́; incomparabiles pro hac invicta vestra in afflictos miserosq́; pietate, benefaciat! Interim non minùs conciliatori Tibi, Vir Amplissime, quàm datori hujus muneris obstrictum me esse, sentio. Nam & cura ista ac labor, quem ob novam editionem Commentarioli mei cepisti, quem erga me sine fuco affectùm, quamque in amore constantiam spirat! Deus Opt. Max. cœptis aspiret, ut tandem fœtus iste meus, qualis qualis, lucē aspiciat, ne culpæ & quidem non unius reus agar ab illis, qui temporum excusationem hactenus non admiserunt. Cæterùm de hoc plura, quum, quæ, inspecto libro, sit Dn. Endteri voluntas, ampliùs cognôro. Interim vale quàm felicissime, Vir summe, Fautorumq́; columen, & hisce à nondum valente scriptis ignoscas, rogo. Raptissimè Altorphii III. Idus Julias. Anno 1636.

P. S. Uxor mea adhuc in morbo cubat: Sed spero ῥαϊσμὸν, quòd febris incipiat paroxysmis & temporibus variare. Hisce diebus ingens nos terror hîc afflarat adventantium ex diversis partibus, ut ajebant, Polonorum. Is rumor jam penè evanuit, ajuntq́;, eos iter retrò convertisse. Faxit Deus, ut bonâ fide nos illos aqud J. Cæsarem Tenchteros & Usipetes imitemur. Cæterùm Vobis hæc procul dubio exploratoria sunt.

Richterus Virdungo.

S. P. Nulla abs Te, mi Clariss. Dn. Virdunge, pro illo qualicunq; officiolo, quod apud Nobilissim. Dn. nostrum à Blansdorffen / Tibi præstiti, mihi gratia debetur. Multò enim plura ac majora virtuti tuæ & debeo, & in tuæ spem gratiæ debere cupio. Ipse etiam, quem dixi, Vir laudatissimus absq; mea interpellatione sponte suâ, quæ ipsius virtus est maximè insignis, amorem in Te suum testatum ire gestit, quòd quidem pluribus Tibi assererem, nî ipse animum Viri Magnifici candidissimum cognitum satis atque perspectum haberes. De libro tuo denuò edendo cum typographo Endtero ulteriùs egi, qui operam suam Tibi pollicitus est, &, post nundinas Lipsienses circa Festum Michaëlis initium se facturum, recepit, ita quidem, ut circa alteras, quas Lipsia, sub auspicium anni novi, celebrat nundinas, absoluturum se opus σὺν Θεῷ speret. Dixit etiam mihi, se propediem forsan Hagenhusam iturum, quòd ubi fiat, Te ἐν παρόδῳ compellabit, & eadem de re coràm Tecum conferet. Quod ne nescires, volui. Vale & à Nobiliss. Dn. à Blansdorf, plurimum salve, qui Te, quòd hac vice ad tuas non responderit, excusatum se haberi rogat, proximè ad Te scripturus. Raptissimè inter occupationes quamplurimas. Noribergæ XVI. Julii Anno 1636.

P.S. Poloni, quos rumor fuit, Rhenum transiisse, & Franconiam petere, retrò cessisse dicuntur, unde etiam terror injectus cessit. Tenchteri & Usipetes, quos Cæsar prædandi frumentandiq; caussâ & Rhenum & Mosam transiisse scribit, haud ineptè cum illis abs Te comparantur. Sed fabulæ, quæ eadem mutatis agitur personis, catastrophen lætiorem concedat DEUS, Imperator omnium supremus, cujus tutelæ Te Tuosq; commendo.

Virdungus Richtero.

S. P. Amplissime & Consultissime Vir, Fautor ac Patrone summè observande. Convênit me ante aliquot dies hàc transiens Dn. Endterus, primoq; ex me quæsivit, an recepissem Commentarium meum in Vitam J. Agricolæ? Negavi. Tum ille, sese modò verba fecisse cum Universitatis typographo Scherffio, ut ejus operâ, suis verò impensis, imprimeretur ille liber, quem adhuc apud Tuam Ampl. hærere existimet. Illum verò nescio quæ prætexentem abnuisse. Permirum hoc mihi visum de illo, qui præsertim toties ante hac operam suam ultrò obtulerat. Cæterùm ex præsente postea cognovi, eum planè propter & infirmitatem valetudinis & solitudinem quoque, ex quo semigravit à genero suo M. Brunone, huic provinciæ imparem futurum. Sed & adjiciebat, Correctores probos Dn. Endtero non deesse putare, & præsertim Matthæum quendam,

quendam, qui pulchrè manum meam calleat, usui esse posse. De hoc igitur ejus responso ut certiorem Tuam Amplit. perq; eam Dn. Endterum facerem uno alteroq; verbulo, visum. Alioquin optatissimum mihi fuisset, ut hic Altorphii Dn. Endteri impensis excuderetur ille liber, quod ipse correctioni aliorum ultimam veluti manum addere quivissem. Bene & feliciter vale, Ampliss. Patrone, & festinationi ignosce. Raptissimè Altorphii die 12. Augusti. Anno 1636.

Idem Eidem.

S. P. In ruborem me dedisti, Vir Amplissime, Fautor ac Benefactor æternùm observande, istos nescio quos pullos adeò largè lauteq; remunerando. Gratias igitur maximas ago habeoq; pro isto Cretico anthosmia, quo vires languentis etiamnum non parùm refici sentio, dum panem intingo. Ipse quid pro hoc & innumeris aliis tuis beneficiis nisi verba Tuæ Ampl. rependam?

Nam frustra officiis contra certare laborem:
Semper erunt meritis inferiora tuis.

DEUM igitur Tibi, Patrone optimè merite, debitorem delego: Is Te quàm diutissime incolumem florentemq; servet, omnibusq; bonis augeat Reipublicæ & Universitatis, bonorumq; omnium bono! Raptim Altorphii pridie Calend. Septembr. Anno 1636.

Richterus Virdungo.

S. P. Ad binas Tibi, Virdunge Clarissime, responsum debeo, ideoq; lentum deprecarer nomen, nisi officia non amicitiæ negligentiâ, sed obstrepentibus curis retardari nôsses. Atque hoc cùm probè scias, mirari mihi contigit, cur silentium meum, & quod mihi comisisti negotium Endterianum pullis tuis expugnandum putâris, & quasi galli cantu stertentem me excitare. An verò *δώροισίν τ' ἀγανοῖσιν ἔπεσί τε μειλιχίοισι* permovere me voluisti, non ignarus, quòd *δῶρα θεοὺς πείθει καὶ αἰδοίους βασιλῆας*? sed falleris, si me cum Philosopho illo trahis, qui, teste Senecâ, omnium dulcissimum accipere esse putavit. Quin potiùs illud mihi arridere persuasum Tibi esse debebat: *μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν*, quod non tantùm Philosophorum Phœnix, Aristoteles, sed etiam, juxta D. Pauli testimonium, quod B. Lucas refert, ipsa Patris Sapientia dixit. Quicquid sit, in ære tuo me esse sentio, tantum abest, ut, qui pullos dedisti, pro tantillo vini accepto gratiam ullam debeas, quam mihi non tam agere quàm referre curæ erit. Sed ad rem. Librum tuum Dn. Endterus ut primùm recepit, post nundinas Lipsienses (quarum successus *ἐν γούνασι Θεοῦ*) imprimet, quam operam Scherfium vestrum, cui ille sumptus & alia necessaria lubens suppeditaret,

peditaret, respuere, unà cum illo miror. Sed quid facias cum sene moroso. [illegible]peram dabit Endterus, ut & heic, quam fieri potest, liber emen[illegible]atissimus [illegible]deat. De mea opella nihil habeo, quod pollicear. Significatum enim mihi [illegible] est semel atque iterum, fore, ut non obstante excusatione meâ Reipublicæ nomine ad Conventum Ratisponensem abeundum mihi sit, quod mul[illegible]s d[illegible] c[illegible] grave mihi accidit. Si DEO & Senatui ita videretur, mallem nunc domi [illegible]re. Sed hæc hactenus inter occupationes plurimas. Tu interim vale, & me, quod facis, ama. Dab. Norib. Cal. Septemb. A. C. 1636.

Idem Eidem.

CLarissime Dn. Virdunge, Amice inter paucos, annum hunc novum Tibi Tuisq; ex animi sententia quàm felicissimè exoriri atque procedere. Teq; nunquam non εὐπραττεῖν & valere, etiam atque etiam voveo, quod votum firmum faxit CHRISTUS JESUS θεάνθρωπος, nostri caussâ in tempore nat[illegible], qui ab æterno erat, hodieq; est, & in æternum erit apud Patrem DEUM, DEUS benedictus in secula! Cum hoc voto proæmiali nescire Te nolo, Virdunge charissime, Endterum & nudius tertius & nunc hac ipsâ horâ de Tacito tuo apud me quæsivisse, num librum ad manus habeam; velle enim se jam facere initium, & editionem, quam antehac semel iterumq; recepit, citra remoras ulteriores procurare. Ut igitur exemplar quam primum hodiè vel cras ad nos mittas, rogatum Te per nos cupit, quod quin facturus sis, nullus dubito. Vale, & valetudinem tuam, quam non ita pridem afflictam cognovi, & dolui, di[illegible]genter cura. Raptim postridie Calend. Januar. A. C. 1637.

Virdungus Richtero.

S. P. Amplissime & Consultissime Vir, Fautor ac Benefactor æternùm observande, exosculatus literas, quas à Tua Amplit. III. Nonar. Januar. noctu primâ face accepi, statim rescripsissem, si per valetudinem aliaq; impedimenta licuisset. Cæterùm pro voto illo tum orthodoxo & pio, tum non tralatitios in me favoris igniculos jaciente, ecquid aliud reponam quàm votum monetâ percussum simili? Nempe ut Σωτὴρ ille κόσμου μονώτατος ὁ ὢν πᾶσι πάντα, καὶ Θεὸς ἐπὶ πάντων ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, propitius Te conservet, ὦ σεβάσμιον κάρα, non in hunc modò, quem cum maximè ingredimur & auspicamur annum; sed in omnes, quotquot DEUS dabit, secuturos; nec solùm conservet, sed & bonis omnibus augeat, quà temporalibus, quà spiritualibus sive sempiternis! Porrò Commentariolum in Agricolæ vitam pridie, quam tuas acceperam, M. Felwingero, Alumnorum inspectori, itidem à me nomine Dn. Endteri

illum

illum reposcenti jam dederam, qui & confestim se, adjunctis suis literis, Noribergam ad ipsum typographum transmissurum ostendit. Quin igitur tempori librum cum Præfatione ad Nobiliss. Dn. à Blansdorf, &c. ille acceperit, nullus ambigo. I[illegible]ra per orthopnœam vix possum, quæ nunquam pertinaciùs quàm per hos aliquot menses contumax adversùs omne remedium, noctu diuq;, sine ulla pænè intermissione, me vexavit, ut de aliis symptomatis taceam. DEUS misereatur! cujus gratiæ T. Amplit. cum suis ex animo commendo. Altorphii VI. Eidus Januarii Anno æræ vulgaris 1637.

P. S. Hisce scriptis, venit ad me Inspector, & quid Tuæ Ampl. de Præfatione ad Nobiliss. Blansdorfium videretur, ut primo loco poneretur &c. exposuit: quod omnino ipse quoque approbo.

Richterus Virdungo.

S. P. Pro votivo pignore tuo, ὦ θαυμάσιον κάρα, affectus tui in me indice longè mihi acceptissimo citiùs Tibi gratias dixissem, si, quoties Amicorum literis respondere cupio, arbitrii mei essem. Reipublicæ enim dum servimus, liberis nobis esse non licet, quanquam hæc demum vera libertas est, quemadmodum regnare est servire DEO. Quæ animi mei promptitudo cùm Tibi, amico haut è multis, probè satis, ut opinor, constet, non est, quòd de moræ excusatione admodum laborem, quam nec virtus tua à nobis postulat. Ut verò literis tuis jucundissimis perlectis statim grates debitas habui, ita nunc ago, quas possum maximas relaturus, quotiescunque occasio tulerit. Interim ut vota nostra mutua confirmet Filius DEI καρδιογνώστης, clementiam illius divinam devotè obsecramur! Typographi operæ jam cœptæ in excudendo Agricola tuo (quidni ita appellem, utpote qui Tibi non minùs quàm vel Tacito suo debet) sedulò atque rectè procedunt, quod ut porrò quoque fiat, pro virili curabimus. Sed hæc ad tuas. Nunc aliud Te velim. Scripsit ad nos eruditissimus juvenis, Christophorus Adamus Rupertus, & de nescio quibus conqueritur sycophantis, seq; non eleganter minùs quàm cordatè ab illis maculis purgat, quas candori suo adspergi inaudivit. Eum cùm Tu antehac, & ob rariorem humanioris eruditionis profectum, & ob morum integritatem haud frustrà commendaris, nolim virtutes ipsius herbescentes sinistro ventorum afflatu detrimenti quid pati. Si quid igitur de actionibus istis, contra quas in foro Academico, ut audio, reus se defendit, Tibi constat, ut bonâ fide, quâ soles omnia, paucis, ubi vacat, certiores nos reddas, rogo. Neque dubito, quin autoritate tuâ, ubi opus erit, adjuvare velis illum, cujus innocentiam antehac assertam ivisti haut tralatitiè. Nos querentem, quantum licuit, responsione animavimus. Vale, Literarum Decus Clarissimum,

mum, & eum, qui ſe amore in Te vinci non patitur, ama. Noribergæ XXVIII. Januar. A. C. 1637.

Virdungus Richtero.

S. P. Ignoſce, Te obſecro, Magnifice Dn. Pro-Cancellarie, Fautor & Benefactor æternùm obſervande, quòd ſcribendi vel potiùs reſcribendi ad T. A. nuperas officio tam diu deſim. Valetudo enim per has aliquot ſeptimanas ita me non uno genere excarnificavit viresq; afflixit, ut vix huic tantulo epiſtolio ſcribellando ſatis etiamnum ſim. Ago autem habeoq; gratias Tuæ Amplit. quas animo concipere poſſum, maximas, quòd tantæ curæ Tibi eſſe pateris editionem Commentarioli mei in Agricolam Taciti, in quo tamen imprimendo neſcio quousq; progreſſus ſit typographus, aut quando ſeſe putat abſoluturum. Rogo igitur, ut Dn. Endterus uno alteroq; verbo id mihi indicet. Interim, ne bellum recrudeſcat in his locis, valdè metuo; & φόβητρα quædam ſparguntur. DEUS noſtri miſereatur! B. V. Raptiſſimè Altorphii 10. Martii Anno 1637.

Idem Eidem.

SAl. officioſiſſimam. Magnifice & Ampliſſime Dn. Pro-Cancellarie, Fautor & Benefactor æternùm obſervande, aſſiduis meorum querimoniis ac lamentationibus incenſus, quamvis æger ac vix animam trahens, tandem ſtylum arripui, ut ipſorum potiùs voluntati quàm meæ morem gererem. Ego enim, ſi omnino ſtat Superioribus, ut in iſta Contributione eodem loco ac jure habeamur è numero Profeſſorum, & qui è quæſtu aliquo opidano rem faciunt, & qui ſalariis vix ſuis famem propulſant, atq; inſuper morbis miſeriisq; adflicti miſericordiâ alienâ indigent; nihil contrà amplius hiſcendum arbitror. At illi, nec mentem hanc eſſe Nobiliſſimi & Prudentiſſimi Senatus Noribergenſis contendunt, &, Tuæ Ampl. erga me favore freti, facilè hoc onus longè nobis hoc tempore graviſſimum, Te deprecatore, amolitum iri confidunt. Expreſſerunt igitur tandem his & ſimilibus aures meas cum gemitu lamentisq; obtundendo, ut vim verecundiæ meæ inferrem, tuæq; Amplitudini, (cujus parcere debebam graviſſimis occupationibus) quantumvis invitus, moleſtiæ oneriq; eſſem. Rogo igitur, ut datâ occaſione (ſi modò ſpes ulla aliquid impetrandi ſupereſt) apud Summatum aliquem T. Ampl. in hoc negotio mihi adeſſe dignetur. In primis autem favere mihi arbitror Magnificum, Nobiliſſimum & Prudentiſſimum Virum Dn. Fürerum &c. Duum-Virum, qui & συμπάθειαν erga me ſuam, ut his diebus retulit mihi Dn. Iberer, nuper quum eſſet Noribergæ, pluribus declaravit. Sive igitur ipſo, ſive quibus aliis è numero Procerum ſuffragantibus T. A.

ſperat

ſperat aliquid obtineri poſſe, ut meam meorumq; ſalutem & incolumitatem per occaſionem iis quàm diligentiſſimè commendet, enixiſſimè etiam atque etiam oro. Hæc vix præter cæteram valetudinem longè miſerrimam etiam catarrho & tuſſi ſæviſſimâ vexatus. Bene & feliciter vale, Vir & Patrone ſumme. Altorphii 20. Aprilis Anno 1637.

Richterus Virdungo.

SAlut. & Officia. Mi Clariſſime Dn. Virdunge. Dolorum meorum cumulum, quo me arthritis vaga, comitante malo hypochondriaco, ante bimeſtre excarnificare cœpit, (ne hæc calamitas eſſet ſola) haut parùm mihi auxit, quòd & Te invaletudine affligi, & iniquo contributionis onere premi, ſemel iterumq; intellexi, tum quòd ad ſcriptionis officium ineptus ad priores tuas reſpondere hactenus nondum potui, ſed ut malorum iſtorum remedia ἐν γούνασι τοῦ Θεοῦ, ita Numinis clementiam pro ſtatu utriusq; feliciore ſupplex veneror. Heſternas tuas, quamprimum accepi, ſtatim ad Nobiliſſimum Dn. Fürerum, Senatus Principem, quem non fruſtrà Fautorem ſingularem laudas, cum commendatitiis meis miſi, ſicq; cauſſam tuam egi, uti actam vellem, ſi ipſe Patrono ad illud, quodvis obtinendum, indigerem. Et quanquam cauſſa eſt planè odioſa, & ob Senatusconſultum nobis contrarium, vix ac ne vix quidem moderatio aliqua hoc tempore ſperanda, tamen rationes, quas pro Te allegavi, non omnino absque effectu fore, confido. Præſertim, cùm Fautor iſte ſummus, heros incomparabilis, & heri veſpere, cum tuas illi miſi, & hodie manè, antequam in Senatum iret, per amanuenſem, quem Tui obſervantiſſimum nôſti, mihi ſignificavit, ſe diligenter rem curaturum. Faxit DEUS, ut læto eum ſucceſſu, quem ſingulis momentis nunciari mihi nunc expecto. Et forſan audiemus Senatum annuiſſe, antequam harum lator hinc diſcedat. Sin minùs, ut primâ occaſione, quid decretum ſit, reſciſcas, curabo. Ob Senatusconſultum enim, quod dixi, hoc negotium non niſi in Senatu expediri poteſt. in quo & tuæ, credo, & quas ego Romano more, hoc eſt, optimo, adjunxi, legentur. Hæc interim ne neſcires, volui. Pro Agricola Tuo Taciti nuper mihi miſſo gratiam habeo maximam, nunquam non referre quum licebit promptiſſimus. Vale, Virdunge chariſſime, & valetudinem tuam cura diligenter. Raptim è lecto, cui me morborum reliquiæ pertinaciores hodieq, affixum tenent. Noribergæ XXII. April. A. C. 1637.

Virdungus Richtero.

SAlutem & Officium. Invitiſſimus hæc ad T. Amplit. ſcribo, tum ob occupationes tuas graviſſimas, tum quòd mihi ſemivivo nec manus nec mens ap-

posita sit ad scribendum. Ante horam ab Archigrammateo rursus schedulam accepi, quâ contributione &c. pro mea portione rursus exigor. Interim morbus pertinaciter sæviens ita me afflixit, ut de me jam conclamatum crederem, ac de pio ex hac vita miserrima discessu magis quàm ulla alia de re sollicitus essem. Mei verò interim nihil omisêre, nec ulli pretio parserunt, ut mihi vitam prorogarent: Unde adeò exhaustus sum, ut nec æs alienum, quod per hanc valetudinem contraxi, magna ex parte luere possim, nec contributionem istam persolvere. Rogo igitur, quod si omnino spes ista, quò minùs exigar &c. decollavit, ut certiores hujus meæ necessitatis & ipse, & alii mei Patroni summâ observantiâ colendi, per Tuam Ampl. vel hisce, quamvis incomtis literis missis reddantur, quô subsidium pecuniarium decernatur. Id ego precibus pro Ampp. ipsorum incolumitate fundendis in hoc periculosissimo statu, & cœteris grati animi testimoniis pro viribus, si DEUS Opt. Max. vitam concesserit, nisi declarâro, ipse me luce indignum judicavero. Bene & feliciter vale, & vive, ô & præsidium, & grande decus meum; hisq; ab ægroto vel semi-animi potiùs profectis ignosce. Altorphii XII. Junii Anno 1637.

Richterus Virdungo.

NOn abs re fuit, mi Virdunge Clarissime, quòd contra exactionem contributionis, quâ opidani de novo gravatum Te ire volunt, querelam tuam reiterâsti. Ita enim factum, ut ad literas tuas denuo ad me scriptas, quâ cum occasione heri causam istam tuam æquissimam Nobilissimis Dominis Septemviris iterum commendavi, Dn. Præfectus mandatum Tibi tuisq; parcendi (hactenus dilatum audio) vel nunc acceperit, vel certè cras accepturus sit. Qua de re planè certum Te esse volo, sicq; omnino posthac molestiæ istius Te securum esse jubeo, ita quidem, ut erga Præfectum ipsum literas istas Amplissimi Senatus tutò pro Te allegare, citra ullum metum possis. Quod superest, valetudinem tuam afflictissimam curabis diligenter, quâ Te vel elegantiorum literarum bono, quàm optimè quamq; diutissimè frui animitus etiam atq; etiam Deum veneror. Vale igitur feliciter, &, quod facis, nos ama. Dabantur inter plurimas occupationes raptim Noribergæ XV. Junii A. C. 1637.

Virdungus Richtero.

S. P. Quantopere me nudius quartus confuderit nuncius de obitu Mæcenatis mei omni prædicatione majoris, vix est, ut verbis ullo modo exprimam. O verè nuncium horribilem! cui tantò magis & inhorrui, & ingemui, quòd nullus omnino de adversa ejus valetudine rumor præcesserat. Itaq; inexpectato ejus malo,

malo, prorsus ut fulguritus, obstupui. Sed de illo quidem bene actum judico, imò verò optimè, cui, ut omnino speramus, piè defuncto

- *atherea jam splendet gloria Lucis.*

Nos alia ex aliis fata manent miseros. Nam quod ad me attinet, cui non mors optabilior videatur tali vitâ? Si vita dicenda est tam diu infelicem animam inter tormenta trahere. Veruntamen Dei Opt. Max. immensâ bonitate & misericordiâ ita sum fretus, ut sperem, me meis mox redonandum, quamvis à plærisq; omnibus conclamatum, præsertim tam diuturno & adversùs omnia, quæ hactenus adhibui, remedia contumaci morbo. Bilis exundans omnes has creavit ærumnas mihi, ut nuper Tuæ Amplit. amanuensi referre memini. Tuam verò, Vir summe & Fautor incomparabilis, in me ac meos humanitatem ac benevolentiam singularem qui satis prædicem? Qui proximè, quum hîc Altorphii esses, planè paternum in nos animum expromseris: Idcirco adhuc lacrymantes identidem ego & uxor reminiscimur tantorum meritorum, quantis & tunc & sæpe aliàs nos cumulâsti, libenterq; fatemur, si Parentes nostri reviviscerent, plura ac majora ab eorum erga nos benevolentia exspectare vix potuisse. Quare minimè dubitamus, quin ubi primùm commoda occasio, caussam nostram apud Superiores iterum acturus sis. In ista longinquitate gravissimi morbi, non me fugiunt summæ angustiæ ærarii: Sed quò in his summis meis miseriis aliorsum confugiam? præsertim spe tam benignè ultro ostensâ. Deus Vobis benefaciat, Viri & Patroni summi, ob hunc paternum, quem toties expertus sum, erga me ac meos affectum! Bene ac feliciter vale, Magnifice Patrone, & ægrâ manu exaratis ignosce. Altorphii 17. Julii 1637.

Richterus Virdungo.

SAlutem officiosissimam. Quantum vulnus inopinatus Blansdorfii nostri (heu! non ampliùs nostri) obitus animo tuo, Virdunge amicissime, inflixerit, facilè cogitabit, qui, quàm charus ipsi fueris, quod omnes novimus, non ignorat. Audivimus hac de re testimonium in funebri concione publicum. Et certè Patronum atq; Benefactorem amisisti haut vulgarem. Sed vivit DEUS O. M. qui illum Tibi dedit, alium defuncti loco vel ex lapide suscitare potens. Feramus igitur, quod mutare nefas, & DEO vias nostras commendemus, ipse faciet. Apud hæredum, quos ille scripsit, Matrem heroinam Generosam & Illustrem Dominam Kevenhülleriam, Matronam sine pari, impetravi, ut ex bonis defuncti quinquaginta florenos numerari Tibi consenserit, quos jam per dictos hæredes filios, qui heri ob ritum depositionis, quam vocant, Altorphium se contulerunt, ut audio, accepisti. Sed & hoc Te celare non debeo, quod amicus qui-

dam in aurem mihi insusurravit, ultra florenos istos quinquaginta, etiam aliud honorarium expectandum Tibi fore, si defuncto p. m. solenni Oratione sive edi tantùm cures, parentaveris, & illustrium hæredum nomini inscripseris: De quo quid animi Tibi sit, certiorem me reddes. Si ita visum Tibi fuerit, & tantum per vires invalidas licebit, illa, quæ de vita defuncti ad hanc rem pertinent, citra moram ad Te mittentur. Nudius tertius literas à Gronovio, juvene literatissimo, accepi, qui Te salvere plurimùm jubet, & nunc Lugduni Batavorum editionem Epistolarum Casauboni, Viri incomparabilis, singulari studio curat. Scribit, se nuper literas ad Te dedisse, & promittit diatriben suam in P. Papirii Statii Sylvas, quæ ante mensem ex officina exiit, tuumq; Commentarium repetitæ lectionis in vitam Julii Agricolæ videre satagit. Si exemplar Tibi ad manus est, curabo, ut accipiat. Vale, & Salve cum Tuis, & valetudinem tuam cura diligenter. Dab. Noribergæ d. Festo Jacobi A. C. 1637.

Virdungus Richtero.

SAlutem officiosissimam. Ego verò, Magnifice Patrone, etsi perinfirmus adhuc, paullò tamen inpræsentiarum, quàm hactenus, commodior & meliusculus cupio quamprimum nomen istud expungere, ut scilicet memoriæ defuncti Mæcenatis optimè meriti diutiùs ne debeam, funebrem istam laudationem. Eapropter, quæ de genere, de patria, ac parentibus, vitaq; mortui huc pertinent, quamprimum mihi mitti desidero. Interim Tuæ Amplitudini gratias ago habeoq;, quas animo concipere possum, maximas pro hoc planè paterno in me meosq; affectu, meritisq; maximis & plurimis. O fidem, constantiam, benignitatem in fovendo amiculo miram, vel potiùs hisce temporibus inusitatam; cujus, quoquò me verto vestigia agnosco & exosculor! Sed desino laudes in os Tibi. Animum tamen meum Tibi notum esse confido. Deus Opt. Max. Te salvum, sospitemq; quàm diutissimè conservet, ὦ σεβάσμιον κάρα! Raptim Altorfii 27. Jul. Anno 1637.

Richterus Virdungo.

QUæ de vita, Parentibus, genere & patria Nobilissimi Dn. Blansdorfii, τοῦ μακαρείτου, ad laudationem illius funebrem, desideras, Virdunge amicissime, nunc demum mitto, non tam meâ quàm illorum morâ, à quibus hæc petenda fuerunt. Tu, quantum per valetudinem licebit, rem perficies, hæredibus testamento scriptis, quos nuper dixi, haud dubiè gratissimum, neq; Tibi infructuosum. Ad quem finem opera nostra in posterum quoq; Tibi non deerit. De animi mei promptitudine non committam, ut quicquam dubitare Tibi liceat,

ceat,

ceat. Fasciculus tuus ad Gronovium curabitur. Vale, raptim Norimbergæ pridie Julias Sextiles A. C. 1637.

Virdungus Richtero.

S. P. Mitto hîc, Magnifice Dn. Patrone, literas Dn. Gronovii, quas superiori septimanâ demum mihi redditas & subinde missas ad Clarissimum Dn. Rittershusium, ad quem maximè pertinere videbantur, ante biduum recepi. Ubi tamdiu hæsitârint, (nam ante tres septimanas de iis aliquid inaudieram) ignoro. Cupit autem (ut videbis) quam primum sibi rescribi. Sed hoc (ut spero) mox præstabit ipse D. Rittershusius, modò per valetudinem possit: Nam & ipse graviter jacuit per hosce complures dies. Me autem diuturna valetudo ita afflixit, ut hisce quatuordecim, & quod excurrit, diebus non homo mihi visus sim, sed cadaver, adeò morbus recruduerat! Itaq; petitionem illam de iis, quæ ad genus vitamq; benignissimi illius τῦ ἐν μακαρείταις Patroni mei Nobilissimi Dn. Blansdorfii pertinent, huc mihi mittendi iterare supersedi. Cæterùm suo tempore & ipsius memoriæ & voluntati Illustrium hæredum litabitur. Bene & feliciter vale, Vir Amplissime, Patrone summè observande, & hisce ægrâ etiamnum manu exaratis ignosce. Altorphii XIV. Augusti Anno 1637.

Richterus Virdungo.

S. P. Quæ nuper de necessariis ad parentationem τῦ ἐν ἁγίοις Blansdorfii aliorum morâ mittere non potui, nunc tandem mitto, utpote quæ heri demum accepi: Et quidem illo modo theologico, quo in concione funebri heic sunt prolata. Plura hæredes Illustres nec ad manus habent, nec sciunt. Tu pro dexteritate tua parentationem adornabis, & quid piè defunctum deceat vel non, facilè videbis: Quod ut commodâ valetudine perficias, diuq; salvus cum Tuis vivas, animitus opto. Gronovii literas heic iterum mitto, qui propediem, spero, accipiet quæ Clariss. Dn Rittershusius & Tu ad eum misistis. Curata enim à nobis sunt diligenter. Vale Noribergæ raptim XVII. Augusti A. C. 1637.

Virdungus Richtero.

SAlutem officiosissimam. Ignosce, Te obsecro, Amplissime & Consultissime Vir, Fautor ac Benefactor summe observande, harum literarum brevitati. Nocte enim superiori inter cruciatus & anhelitus gravissimos perpetuis vigiliis actâ, adeò me debilitatum sentio, ut longioribus exarandis par non sim. Quod superest igitur, quam enixissimè etiam atque etiam rogo, ut hisce inclusas simul ac commodum videbitur, meo nomine Nobilissimo Amplissimoq; Dn. Grund-

herro, Scholarchæ & Trium-Viro offerendas cures, eiq; negotium & salutem meam meorumq; quàm diligentissimè commendes. Plura jam non possum. Proximè igitur. Interim vale quàm optimè, Patrone optimè merite. Altorphii. Kal. Septembr. 1637.

Richterus Virdungo.

S. P. Clarissime & amicissime Dn. Virdunge. Ad literas tuas, quibus subsidium tuum annuum petiisti, priùs quàm re ipsâ gratificari Tibi liceret, respondere hactenus nolui, ne verbis duntaxat Tecum agere viderer, ubi facto opus esset. Occupationum etiam molestissimarum impedimenta, quæ jam antè nôsti, illud, quod nolebam, quò minùs etiam, etiamsi voluissem, potuerim, obstiterunt. Interea non intermisi, quoties licuit, causam tuam commendare, idq; tamdiu, donec tandem subsidium illud impetrârim, cujus moram, etiam quoad Dominos nostros, non tam voluntati quàm facultati imputabis. De salario & tuo mox sequuturo spes mihi facta simul. Non est igitur, quòd corporis invaletudinem animi ægritudine auctum eas; quin spera, dum spiras, & in Deo confidere, quod facis, quæcunq; etiam facies in contrarium apparere videatur, strenuè persevera. Ego certè nullam occasionem Te tuosq; commendandi intermitto, illudq; Tibi assevero, & Dominos Duumviros & Dominos Scholarchas Nobilissimos Vobis constanter favere juxtà, atque rebus vestris afflictis condolere haut vulgariter. Neque intermittent illud ipsum porrò quoque pro virili facto contestari. Vale, &, quantum per valetudinem licet, quam etiam atq; etiam Te curare volo, quid de parentatione Blansdorfii sperandum nobis sit, significa. Raptim Norib. XXVI. Octobr. A. C. 1637.

Jacobus Bruno Georg. Richtero.

SAlutem, pacem & gratiam Domini nostri JESU CHRISTI perennem! Eunt ad Te, Vir Amplissime, Consultissime atque Excellentissime, faustis, quod opto, vialibus, septem primæ laureæ Philosophicæ Candidati, juvenes ornatissimi. Quorum unus, qui Orator electus, hoc, quod literis hisce officiosè observanterq; rogaturus sum, omnium nomine modestè petet. Et quæ mea in singularem tuam erga ordinem nostrum humanitatem & benevolentiam est fiducia, orando exorabit. Serò quidem illi veniunt, &, uti vulgò dici solet, post festum: Verùm neque meâ neque illorum ipsorum culpâ. Nôsti, Vir faventissime, quæ tubæ, qui armorum strepitus nos interpellârint, eo ipso tempore, quando ad honores hosce petendos invitare debuissem moribus & eruditione com-

commendabiles adolescentes? Quàm non uno vento agitata, conquassata, & tantum non decumanis fluctibus & procellis obruta Academiæ hujus navicula? In qua cùm starem, sæpe mihi tanquam infelici naviculario in mentem venit illud Pindari: λήξαντος οὔρου, ἐν χρόνῳ μεταβολαί, destituto vento secundo, quantas & fortunæ & temporum videmus mutationes. Nunc quæ sint tempora, qui venti, mihi, homini in pacis artibus inque Musarum circulis occupato, non adeò notum est. Neque meum esse arbitror hæc curiosè rimari, quin potiùs omnem, quæ nocere possit, fortunam, omnes motus & procellas à magna illa inclytæ Reipubl. Noricæ navi atque cymbulâ hac sua Academia votis humilibus ardentibusque deprecabor. Interea tamen cùm desideria optimorum adolescentum mihi nota essent, & pridem cogitarem de illo Themistii Philosophi & Oratoris Euphradæ, qui in Oratione pro gloria Philosoph. Constantii Augusti ita ad Senatum: *Num si debito Vos defraudare velim, jure mihi Philosophi nomen tribuere videbor?* Lentum quàm malum nomen videri malui: Et de consilio & consensu Spectatissimi Ordinis nostri, ante duarum hebdomadarum dies, eos, qui suo merito sperare possent, ad petendos dictos honores invitavi. Et hi quidem adolescentes, more usitato, per Clariss. Collegii nostri testes mihi commendati; quos & Tibi, Vir Eminentissime, de meliore nota commendo, enixè orans & obsecrans, ut non modò benignè eos audias, sed & mihi potestatem tribuas, quâ ad consueta examina admitti, audiri &, si recto steterint talo, Baccularii creari & publicè renunciari possint. Pro quo beneficio Tibi, Vir Magnifice, Clariss. Dnn. Collegarum nomine gratitudinem, observantiam & cultum sanctè polliceor. Vale, Vir humanissime, & petitioni huic meæ pondus inesse jube. Dabantur Altorphii d. 2. Februarii Anno post Chr. natum 1632.

Richterus Brunoni.

SAl. & pacem à Domino nostro JESU CHRISTO, θεανθρώπῳ. Septem istos juvenes ornatissimos, quos, ob morum honestatem & liberalium artium studia indefessa, ut Candidatos primæ Philosophiæ Laureæ mihi commendâsti, Vir Spectabilis, à prandio hodie audivi, priùs enim per negotia Reipublicæ non licuit. Eorum vota & literæ tuæ & ipsi illi coràm luculenter mihi declarârunt, & quidem sat citò, quia bene satis. Eò autem lubentiùs desiderio vestro satisfaciam, quò majorem laudem merentur, qui inter Bellonæ turbas pertinacissimas Musarum dignitatem sartam tectam conservare annituntur, quod etiam media inter tympanorum murmura licere, Tu aliis signum tollendo demonstrare persevera. Audaciùs enim contrà ire decet, cùm Martis nepotes bonis literis vel vim inferre vel interitum minari animadvertimus. Gaudeant illi armorum strepitus,

pitus, DEI fiduciâ fretis & in muneris statione permanentibus, laus sua & præmia σὺν Θεῷ nunquam non constabunt. Ut igitur juvenum, quos dixi, conatibus honestis adsis, in profectus eorum cum Clarissimis Collegis tuis examine consueto inquiras, & ubi dignos eos deprehenderitis, primam Philosophiæ Lauream, &, quæ eam comitantur, prærogativas illis tribuas, atque sic Philosophiæ Baccularios publicè eos renuncies, vigore muneris, ab Amplissimo Reipubl. Senatu & Academiæ Curatoribus mihi demandati, potestatem Tibi facio, non dubitans, quin quæ Leges Academicæ requirunt, & Tu, Vir humanissime, ex officio observaturus sis, & illi examinandi re ipsâ demonstraturi. Vale, Dabam Noribergæ d. 3. Februarii A. C. 1632.

Bruno Richtero.

SAlutem cum observantia & officiis debitis. Etsi nunc quoque satis audacter facere videor, Vir Amplissime & Consultissime, Pro-Cancellarie dignissime, Domine & Fautor honoratissime, quòd literulis meis Te interpello: Tamen dum & tempus & officii ratio admonet, ut in publ. negotio opem & benevolentiam tuam rursus implorem, mihi propter catenatas occupationes tuas intempestivo interpellatori veniam dabis, spero. Ipsi quatuordecim dies sunt, quando pro more ad petendos summos in Philosophia honores publicè affixo programmate invitabam adolescentes & juvenes modestos & eruditos, qui insignem MAGISTERII titulum & honorem illum suo merito ambire famamque illam publ. cum laude sustinere possent. Et eam quidem in spem commendati mihi à Clariss. atque Doctissimis Dnn. Collegis meis tredecim hi juvenes, quorum unus & sua & reliquorum competitorum vota & desideria Tibi, Vir Eminentissime, eâ, quâ par est, reverentiâ & modestiâ exponet, quorum hæc summa est, ut benignè mihi concedas, quo omnes & singuli hi juvenes ad consuetas probationes & examina admitti, &, si recto steterint talo, testimonio publico ornari, & Philosophiæ Magistri renunciari ritu solenni possint. Quæ ipsa jam mea quoque est officiosa petitio, in primis cùm de plerisque mihi constet, eos cum magna laude personam hanc ornaturos. In aliquibus mediocritas satis fecerit, quam fortassis satis parati sunt, qui ad Christi Prophetarum & Apostolorum Sapientiam diviniorem illam & sublimiorem indefesso cursu pergant. Utrisque facilem Te præbebis, Vir Excellentissime, & quæ singularis tua erga Ordinem nostrum est humanitas & benevolentia, optato responso nos beabis. Quam fidem benevolentiam Tuam juvenes isti gratâ mente agnoscent & deprædicabunt: Quin & Ordinem Philosophicum novo beneficio Tibi devincies. Vale, Vir faventissime, Reipublicæ, Patriæ Musisque Altorphinis diu

diu superstes. Dabam in Museo d. 26. Maji Anno post Christum natum 1632. Altorphii.

Richterus Brunoni.

S. P. Ex hesternis literis tuis, ut &, quæ juvenes isti 14. modestiæ atque eruditionis laude commendati per oratorem doctum & disertum coràm apud me perorârunt, quid à me petatis, luculenter intellexi. Isti voto vestro ego & ex munere mihi demandato, & pro meo in Philosophiam amore haut vulgari lubens meritoque annuo, & quidem non absque admiratione cum gaudio quodam conjuncta, quòd Numinis providentiâ singulari, ut ego quidem arbitror, accidit, ut inter tot damna bellorum publica, quæ doctos cum indoctis diminuunt valdè atque consumunt, tantus tamen Candidatorum numerus sese offerat, quantum ego, ullo pacis tempore, in Athenæo nostro non memini. Neq; fortassis frustrà erit, quòd nuperorum Baculariorum laurea prima ad tempus per crudeles Martis nepotes dilata nunc Magistrorum laureâ supremâ aucta reddatur duplo, ita nimirum omni animi contentione Minervæ alumnos niti decet, ut quod temporis morâ Musarum honori deesse videri potuisset, quantitate novâ quasi resarciendo adimpleatur. Non possum igitur non petitioni tuæ honestissimæ deferre, ac proinde Tibi, Vir Præstantissime, potestatem facio, ut cum Clarissimis Dnn. Collegis tuis, Philosophis, Viris mihi amicissimis, in juvenum istorum 14., quos dixi, studia pietatis atque Philosophiæ modo, quo par est, & leges nostræ Academicæ præscribunt, inquiratis, &, si eos dignos supremis humaniorum artium honoribus deprehenderitis, in publicum ad capessenda meritorum præmia consueto tempore sistatis: Quod ut feliciter & absque Bellonæ remora in honorem DEI Ter Opt. Max. & Ecclesiæ atque Reipubl. emolumentum, ut & Candidatis istis omnibus & singulis prosperè eveniat, atque pulchrè succedat, etiam atque etiam ex animo voveo! Vale Amice acceptissime. Noribergæ d. 28. Maji Anno Christi 1632.

Bruno Richtero.

SAl. & pacem Domini nostri JESU CHRISTI! Salvos ad nos rediisse captivos captivasque reliquos, excepto unico Dn. D. Nœsslero, Pro-Rectore Magnifico, cujus reditum tot bonorum desideria exoptant, ex nuperis generi dilecti literis Te jam antè certiorem factum existimo, Vir Amplissime, Fautor honoratissime. Redierunt illi & corpore & mente, quæ nostra erant vota, salvi: Sanè præsentissimo Dei præsidio eas munitas & servatas fuisse prorsus mihi persuadeo; sine quo si fuissent miseræ, nescio quid non perpetrâssent impurissimi isti nebulones. DEO itaq; immortali immortales agimus gratias, qui ex unguibus

harpiarum istarum nos eripuit, in quos qui deveniunt, aut sanguine aut grandi lytro suam luunt innocentiam, vel potiùs culpam illam, quâ DEUM nobis reddidimus infensum. Diu est, quòd hiantes isti corvi per mediam Germaniam, patriam nostram dulcissimam, artium quondam nutriculam celebratissimam, volantes, sanguine & lacrimis pauperum pascuntur. quorum vindex erit DEUS. De Pro-Rectore nostro nihil audimus præter ea, quæ prodigiosæ, ut cum Poëta loquar, vel potiùs dubiæ fidei N. perscripsit: Dn. D. Nœsslerum opinione nostrâ mitiùs tractari. Tubicinum caduceum salvum Noribergam rediisse speramus, modò juris gentium gnara fuerit gens barbara & inmanis. Sed fortassis plus satis de his, quæ Tibi, Vir optime, lectu ingrata & mihi memoratu luctuosa sunt. Unicum restat, Vir faventissime, quod nunc etiam atque etiam Te rogo sciscitorve: Ignosce liberiùs interpellanti. Appetit, quod nôsti, tempus, quando mihi non modò de argumento oratiunculæ, sed etiam de aliis ad solennitatem renunciationis Magistrorum futurorum cogitandum est. Et quia tot nunc interpellant milites, nec locus, nec tempus, alius panegyri destinatum, satis nobis commodare videntur, tribus, quæso, verbis ad me perscribi jube, quid hac de re Nobilissimi Scholarchæ captent consilii. Retulit mihi hodie Dn. D. Dinnerus, & reliqui JCti, etiam in sua Facultate honores summos petere vel potiùs suo merito expectare duos Viros præstantissimos Dn. Baumgertnerum & Dn. Schillerum U. J. Candidatos qui antehac in probationibus inque Disputatione inaugurali bene stetisse dicuntur. Utramque renunciationem ubi & quando fieri velint Domini nostri Magnifici, ut me edoceas, rogo. Teque, Vir Eminentissime, cum tota Domo divinæ protectioni fideliter commendo. Dabam in Museo d. 17. Junii Anno 1632.

Idem Eidem.

Εὐημερεῖν!

PRodierunt tandem in lucem panegyrica nostra, Vir Amplissime & Consultissime, Fautor & Promotor æternùm colende, & ni fallit opinio, ἄνευ σφαλμάτων τυπογραφικῶν. Id enim operam mecum dedit Rev. Dn. D. König/ Compater meus honorandus. Non dubito tua, Vir Eminentissime, & hujus quoq; felici sidere! De meis quid sperandum vel metuendum, nondum constat. Fortè Themis obliquis metuebitur hirquis, cui tamen longæ Deæ à me nunquam malè! Vivunt interdum Doctores, qui in luce Academica versari non patiuntur Magistellum, nisi ἀνδράποδον, quem pro arbitrio, si possunt, tractant & premunt. Sed enimvero hæc premenda tantisper alto animo, donec in nervum erumpat livor, ubi palàm testabor, si opus fuerit Θεοῦ συμμαρτυρήσαντος καὶ συνειδή-

συναθλήταις μου, hac editione nihil aliud quæsivisse, quàm ut adolescentes studiosi haberent proceleusma sive incitamentum, Evergetæ verò mei gratæ mentis hostimentum vel potiùs debiti mei syngrapham. Quæ in præfatione vel Epistola dedicatoria mea ad complendam paginam addita sunt, neminem, nisi judicem valdè iniquum, offendere poterunt. Generalia sunt, nihil ad Titium vel Sempronium. Nemo est ni fallor, ex omnibus Dnn. Professoribus Publicis (dicam sine livore) qui tam tenue habeat salarium quàm ego in pari cum aliis labore. Impar tamen ad ferendum annonæ excandescentiam. Nisi odiosa foret Magnificis Dnn. Duum-Viris cantilena vel petitio, Te intercessore, Vir faventissime, tentarem aliquid libello supplice, fortassis justâ condolentiâ, si non aliâ causâ moti vel subsidii vel auctarii loco aliquid darent. Qua in re propediem, cùm in urbem venero, tuo mihi opus erit consilio. Certè antehac utrumque, in primis Magn. & Nobiliss. Dn. Andream Im Hof, Patronum habui faventem optimè. Fortassis & operâ Nobiliss. Dn. Pömeri, qui est à Secretis Duum-Viralibus &c. eruditissimus ipse eruditorum Fautor, aliquid impetrarem. Si fert occasio & patientia Procerum illorum benevolâ intercessione juva, en fidem! non feceris immemori. De redemptione λύτρου nostri penè despero, non tamen desperante Consultiss. Viro Dn. D. Agricolâ, qui, ni fallor, amotis arbitris & periculi vel damni ejusdem sociis, sibi, si potest, vigilabit. Verùm non permittent inclyti Domini nostri, ut excludamur, quibus fortè constat de sententia Serenissimi Regis gloriosissimæ memoriæ Herois &c. pro rata nos participaturos de futuro hoc, si quod sperandum iterum commodo. Sed quid hisce jam Te detineo, Vir optime? Vale diu patriæ Tuisque meisq; superstes! Altorphii in Museo d. 26. Januarii Anno 1633.

Idem Eidem.

SAlutem cum observantia debita. Adamum Staden / juvenem ingenuum eruditumque, qui has Tibi, Vir Magnifice, Domine & Patrone meritissime, exhibet, vel Parentis in arte sua celeberrimi, nomine diligis, scio: Ut autem eundem & suo merito ames, si opus est hoc rogare, vehementer etiam atque etiam rogo. Neque enim ille paternam solùm artem, sed & nostras egregiè didicit, ded itque nudius tertius specimen publicæ eruditionis haut contemnendæ. Exinde de Parentis & Patronorum, ni fallor, consilio ad facultatem Juridicam aspirat. In quo conatu cum stipendio Nobiliss. Dnn. nostrorum indigeat, Tu, quæso, Vir eximie, verbo, si fert occasio, adolescentem in spem meliorem natum juva, quò non modò honestissimus Parens ex reliqua sobole in hoc præcipuè Senii delicias, sed & Respubl. vel Scholæ aliquando sibi habeant Organon salutare.

 Ego,

Ego, ut intelligis, eundem valdè amo, dignumque optimorum Virorum amore judico, ideoque & Tibi ipsum tanquam meum commendo. In materiis, uti vides ad castra Tulliana, idque ex præscripto Legum Dominorum nostrorum, transimus, sed ita, ne desertores Lycei Aristotelici videri possimus. Ideoque quicquid Clarissimi Virorum D. Scherbius, Giphanius, Piccartus, vel potiùs quicquid erudita Græcia in hoc genere condidit, grata συζυγίᾳ in usum γνησίως philosophantium conjungimus. Probavit hoc meum studium non nemo in hac Universitate Doctor, quod mirabar. In quo tamen judicio etiam atque etiam videndum, ne, quæ Medicorum aliàs cura est, in oculis meis humor sit, qui majora mihi mea exhibeat, quàm revera sint. At enim hac bonâ conscientiâ fretus testor, me nullo alio consilio hæc suscepisse, quàm ut salivam moverem adolescentiæ studiosæ meisque auditoribus, quibus ex officio, &, ut dixi, ex Lege Ciceronis officia interpretor; utque relictis putidis Scholasticorum lacunis & turbidis recentiorum nonnullorum rivulis, ad limpidum Philosophiæ castæ fontem per laudatas dicendi artes assurgeret. Hoc meum votum, cui ut par sim, Deum ex animo veneror. Sed enim & hoc nunc mihi cogitandum, quomodo Tibi, Vir eximie, Inclytisque Reipubl. Noricæ Patribus ex debito vel saltem facultate meâ redhostiam. Fecissem primo die, nisi ruminanti mihi beneficium in tempore exhibitum ex die in diem videretur majus. Videbo tamen, an aliquid præstare possim tantis meritis non omnino indignum. Salsâ molâ litandum, sithus domi non fuerit, facetiarum Magister me pridem docuit. Si gratiam Gratiæ & Musæ denegaverint, muginabor, quod in triviis blatit Menalcas, modò agnoverint Evergetæ, me nunquam fuisse ingratum. Vota secunda optimæ viduæ G. ut verè secunda sint & Sponso & Sponsæ, ex animo precor. Nisi enim præsagium fallit, rata erunt ex parte contrahentium suffragioque eorum, quorum interest consentire. Vale, Vir eminentissime, quemque semel amare cœpisti, ampliùs patrocinio dignari ne desine. Salvento, quotquot in domo vel extra eandem mihi studiisque meis favent. Altorphii dabam festinans in Museo d. 14. Octobr. Anno 1633.

Idem Eidem.

SAl. cum observantia. Diu cogitavi de argumento, quo commodè Magnificis & Munificentissimis Dominis nostris gratias agerem, & sub manu erat σύγκρισις vel comparatio duorum magnorum Principum, Gustavi Erici avi cum Gustavo Magno nepote, utrique victoriosi & gloriosi. Memineram enim me legere in Saxonia Chytræi, at cujus Viri! lib. 9. singulari DEI ductu priorem illum in patria hoc egisse, quod posterior in Germania &c. Et hanc quidem comme-

commemorationem, non tamen sine T. A. consilio, prædictis honoratissimis Dominis meis inscripsissem. At enim sunt causæ, quæ in isto me proposito impediunt. Ne verò necessarium gratitudinis officium neglexisse viderer, bucolicum χαριστήριον hostimenti loco exhibeo. Placuit enim Cl. Dn. Virdungo meo, cujus fides & eruditio Tibi, mihi aliisque satis perspecta, nisi forte aliquid datum affectui. Me enim ut filium amat candidè & constanter. Utut verò fuerit pinguius hac tempestate hostimentum, promi non potest ex fundo ὀλιγοκαλάει, ex quo, ut Ennius quondam scripsit, ipsa egreditur calamitas. Imò, quod tristia signant præsagia, ingreditur. Quæ, ni fallor, ratio est, quare prædictus Dn. Virdungus hactenus de tua Oratione nihil responderit. Sibi, ut colligo, & Universitati valdè metuit. An verò frustrà hoc? cùm adeo ipsi hostes Herois illius gloriosissimi virtutes non sine præconio agnoverint? sic sumus homines ridente herâ fortunâ securi nimis, novercante meticulosi. Quanquam nunquam isti nostro bona mens desit, & in multis aliis vidi, quàm arctè teneat illud Socraticum: Non moveri. Stateram Eryci Puteani reddidit, egitque gratias plurimas, quam unà cum versiculis meis accipies. Et horum quidem si plura exemplaria pro amicis, qui non abhorrent, admitteres, darem libens. Epithalamia Dn. Sponso (quem plurimùm cum dilecta gaudere jubeo) tempestivè mittentur, dabo operam, ne quis sit in mora. Faveat DEUS votis secundis! Dn. Wolffg. Francum, qui est à Secretis Academicis per literas rogavi, ut versiculos meos cum Epistola Magnif. Senatorum Ordini exhibeat. Fecerit haut dubiè libens, cùm mihi meisq; totus faveat. Spero alios me & in posterum benignos habiturum Magnif. Dnn. nostros propter Te Mecœnatem, imò Parentem. Quem, ut & Nobiliss. Dnn. Ordinem DEUS conservet incolumes, donet vitam prolixam, & felicem consiliorum successum! Vale, Vir faventissime, divinis auspiciis cum tota domo incolumis &c. Dabam festinans in Museo 3. Non. Novembr. Anno Christi 1633. Altorphii.

Idem Eidem.

S. P. D. Amplissime Dn. Pro-Cancellarie, ipsi vix quatuor dies sunt, cùm seriis Te negotiis devinctum coràm interpellarem. Ecce Tibi denuò meæ, me ipso minùs verecundæ, interpellant literæ. Tua certè humanitate invitatæ ad Te crebrò ire gestiunt, etiamsi scribendi argumentum novum non sit præter illud, quod de inopia mea pridem Tibi innotuit. Equidem de propensissima Dominorum nostrorum voluntate nullus dubito, quam adeò mitissimâ responsione ad nuperam petitionem meam declarârunt, tamen ne memoria ipsorum propter contiguas easque difficilimas occupationes effluam, tuâ adhuc intercessione mihi

opus est. Nôrunt ipsi, qualia nunc, proh dolor! sint tempora, quamque cur[illegible] mihi supellex; imò quanta in fundo meo calamitas! Agnoscunt Sapienti[illegible] Philosophi nostri oraculum ἀδύνατον, ἢ οὐ ῥᾴδιον καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα. Prudentissimo itaque consilio suffragioque benigno, post varias miseri[illegible] & curas meas, antevertent, spero, confidoque. ne in mentem mihi veni[illegible] Oveni Guntheri, Philosophi Aristotelicæ quondam Professoris in Academia Julia: *Cùm aliarum Facultatum Professoribus de affluentia rerum omnium tam vitæ usum cultumque continentium, quàm personarum dignitatem illustrantium affatim prospectum sit, solius Philosophiæ cultoribus ita tenuis deputatus est victus, ut lautiore conditione stipularum lectrices, aut testas & ollas divaricatis cruribus totam torquendo culinis celebrantes vivere videantur, quam qui animi vigore foras eminentes veritatis & justitiæ perquirendo momenta rei cujusq; optima in vita ponunt fundamenta, nec aliud quicquam contendunt, laborant, &c. ut ignorantiæ & pravitatis evulsis radicibus sibimetipsi restituatur homo. Unde paulatim literas negligi, paullò pòst scholis, omnino excludi, & unà cum illis, quidquid est uspiam in universa humanitate, præclarum existimatur, collabi continget.* Hæc quidem Vir ille doctissimus haud paullò confidentiùs pro veritate locutus. Mihi quidem αὐτάρκεια præclara semper visa virtus est; sed tamen necessitate cogente unà cum aliis adversùs famem, quâ non potest atrocior esse hostis ullus, arma movenda, non quidem ferrea, sed placida & philosophica, qualibus & ipsa se vinci, patitur humanitas. Et ita quidem vinci Tibi, Vir eminentissime, & ipsis Nobi[illegible]ss. Dominis nostris honorificum erit, & ad æternam famam gloriosum. Vale Reipublicæ & Universitati incolumis, semperq; fœlix, Vir faventissime, & calidæ magis, quàm eruditæ scriptioni ignosce. Altorphii VII. Calend Maji Anno Christi 1634.

Idem Eidem.

ANnare & perennare feliciter! Veteris formulæ votum hoc in ipso plurimorum malorum, quà publicorum, quà privatorum quasi incendio per gratiam & misericordiam altissimi repeto; quæque odiosa, dira, tristia, infortunata, deprecor. Grata verò læta, salutaria, amica, Tibi, Vir Consultissime, Patrone honoratissime, tuisque imò omnibus omnino Ordinibus DEO gratis, Ecclesiæ, Reipublicæ, Scholis ex toto corde opto & precor! Pridem hoc fecissem coràm (eram enim nuper in urbe) si tempus quod propter festinantes comites solstitiumque hyemale vix uni & alteri negotiolo expediendo vel efficiendo sufficiebat, permisisset. Abusus utique fuissem iterum tuâ humanitate, quâ occupatissimus ipse semper me sæpe interpellatorem intempestivum non solùm admittere,

tere, ſed & indignum omni officio dignari conſuevisti. Quam quidem facilitatem & benevolentiam tuam, Vir optime, erga me ſingularem tacitus ruminor, meamque ipſe interdum audaciam indecoram damno. Ante bimeſtre venerant mihi literæ nomine Nobiliſſ. Dnn. Scholarcharum ad me perſcriptæ, quibus evocabar in urbem. Quando verò eo ipſo tempore nos Altdorfenſes in præſentiſſimo verſabamur periculo, ita ut civium alii trucidarentur, alii caperentur, veniam emanſionis & moræ humiliter precabar. Quam excuſationem uti literis & verbis certiorem me reddidit Rev. Dn. M. Cornelius, Compater meus honorandus, non modò approbârunt Inclyti Domini noſtri, ſed & conſilium de mea perſona mutârunt. Venerant eodem tempore mihi literæ Lipſiâ ab amico, qui inter alia in negotio pacis publicæ quam tot- labentia ventis. folia nuntçiârunt hactenus, de diffidentia mea mecum expoſtulaverat, neſcio quid de Illuſtriſſimi cujusdam Principis fide præfatus omnia de pace rata & transacta confirmans. Utinam verò! Mihi profectò nuncium de pace aliquid monſtri alere videtur. Non propter eos, quorum fides perſpecta; ſed propter alios, qui tantisper hac προφάσει uti videntur, donec in diutina & magnifica deliberatione inque veterno plerisq; conſilium deficiat & pecunia. Quid ergò facturi? An quod aucupes, qui, poſtquam incautas & cantu dulci allectas in naſſam aviculas conſtrictas detinent, eas non dimittunt, ſed enecant? Idque cum ſarcasmo, quali uſus accipiter in apologo apud Heſiodum, Poëtam & veterem & ſapientem, cùm luſciniam curvis unguibus correptam necaret. Certè ſæpe mihi in mentem venit artis cujusdam, quam graphicè depingit D. Chytræus, Vir de patria mea & plerisque aliis provinciis egregiè meritus, in epiſt. ad Illuſtriſſ. & Eloquentiſſimum Wenceslaum à Budowiz, Legatum Cæſareum &c. ita ſcribens: *Hiſpanus Belgas, inſtitutâ per ſpem pacificatione, Coloniæ ingentibus copiis in ordinem redigere ſatagit. Opitulares ſociis magis, quàm hoſtibus, moleſti ſunt. Status ſunt ſtatuæ: Civitates plebis inconſulta impetu agitantur, omnia perturbationum & iræ DEI plena:* Quæ verba niſi ad ſua tempora retuliſſet prudentiſſimus autor, vaticinium noſtrorum fuiſſe dicerem. Quantumvis hoc omnino dicendum, mundum mutatis perſonis exercere hiſtrioniam. Sed manum de tabula, ne mihi homini Scholaſtico objiciatur illud: Tu verò cucurbitas pinge, quandoquidem horum nihil ſcis. Precor Principem pacis æternum, Dominum & Redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum, ut ipſe ſuam nobis largiatur pacem, quam mundus dare nequit, utque mentes noſtras per ſpiritum ſanctum ad beatam migrationem ex turbulentiſſimo hoc mundi ſalo præparet, inque fiducia illa recta confirmet! Vale & ſalve, Vir honoratiſſime, Altorfii ſcribeb. Anno Chriſti 1635. V. Idus Januar.

Richte-

Richterus Brunoni.

S. P. Eruditiſſime Dn. M. Bruno. Quòd non ita pridem, cùm heic eſſes, me inſalutato diſceſſeris, excuſationem tuam facilè accipio. Præſertim, quum quicquid tunc prætermiſſum videri poterat, nunc abundè ſatis, & quaſi cum fœnore, quod bona nomina ſolent, literis tuis mihi longè acceptiſſimis præſtiteris. Atque ita quidem, ut gratiam me Tibi debere lubens meritoque agnoſcam: Tum pro voto illo tuo amiciſſimo, tum pro adjunctis Exercitiis iſtis Academicis, quæ virtutis atque diligentiæ veſtræ teſtimonia gratiſſimorum xeniorum inſtar habeo: Tum verò & pro illo, quod ex D. Chytræo tam prudenter & appoſitè attuliſti. Quod tantum abeſt, ut pro Scholaſtici hominis ſive effato ſive conſilio accipi debeat, ut optandum potiùs ſit, talibus monitis Scholaſticis, hoc eſt, ſapientiſſimis, locum, quem merentur, in aulis atque Rebuspublicis concedi. Certè non tam frequenter vapularemus publicè. Ut nunc taceam Heſiodum tuum, cujus Alcæum πλεῖστον ἐν ἀνθρώποις κλέος ἐστίν, & qui, teſte Pindaro, ante alios Sophiâ præſtantior omnes, vel ut ipſe ἔχων σοφίης, dulcius ſuaviusque ſuâ linguâ ἀνθρώποις μέτρον. Tu, quæſo, cum tui ſimilibus Viris optimis atque literatisſimis in amore ipſo erga nos perſevera, & ejusmodi literis, quæ utile dulci miſcent, animum hunc beare ne deſiſte: Id quod pro virili demereri nunquam non ſtudebimus. Niſi graveris, velim Epiſtolam illam D. Chytræi, ubi extet, ſignifices, ut integram legere posſim. Ex particula enim illa, quam allegâſti, ut ex ungue leonem agnoſco, & autorem, cùm iſta ſcriberet, laurum manducâſſe exiſtimo, ita vates fuit nequaquam vanus noſtri hujus temporis, proh dolor! exulceratisſimi, quo ἕτερος ἑτέρου πόλιν ἐξαλαπάξει. Agnoſcis Aſcræana, ad quæ ſalivam mihi moviſti, αἴνῳ illo accipitris & luſciniæ ad hodiernum imperii ſtatum accommodatisſimo, cujus lectio ut delectat; ita experientia pungit. Sed Tu vale, & Virtuti tuæ ulteriùs quoque Te involve. Dabam Norib. X. Calend. Februar. Anno 1635. quem Tibi, tuisque, ut & toti Academiæ quàm felicisſimum comprecor, animitus optans, ut pace per Principem pacis, CHRISTUM JESUM, DEI Filium, Dominum ac Servatorem noſtrum, tandem reſtitutâ, Academiam ſalvam atque florentem & vos omnes exultantes, videre nobis contingat! O utinam, Utinam! Vale iterum, Amice exoptatisſime, & ſalve.

Bruno Richtero.

S. P. D. Redditæ mihi heri veſpere à tabellario literæ tuæ, Vir Magnifice & Conſultisſime, Domine & Patrone honoratisſime, ad quas nunc quidem reſpon-

reſponderem prolixiùs, modò abiturientium feſtinatio permitteret. Præcipuum fuerit de locorum Epiſtol. D. David Chytræi. Habui in excerptis meis editæ aliàs Hanoviæ Anno 1614. in Octav. Quarum quidem uſuram mihi conceſſit Dn. Tydæus, Collega honorandus, qui illum ipſum librum pro theſauro habet, quique dono pridem me dignatus caro & grato, nimirum Orationibus illuſtribus de Carolo V. Ferdinando, Maximili. II. & plærisque aliis Heroibus & Principib. Megapolitanis, quà Viris quà Fœminis &c. Epiſtolæ illæ curâ filii Davidis editæ Hanoviæ, Anno, quo dixi. Eſtque illa ad Wenceslaum à Budowiz in medio cum reſponſoria erudita ejusdem Illuſtriſſimi Legati. Hæc habui jam reſpondere feſtinans, ubi tamen non poſſum non pro favore & propenſiſſima tua erga me voluntate & benevolentia gratias agere maximas, Vir eminentiſſime, quem, plurimorum beneficiorum memor reverenter colam, dum vivam ἡσυχάζων καὶ πράττειν τὰ ἴδια. Vale, Vir omnium optimè. Altorfii Anno 1635. d. 29. Jan.

Idem Eidem.

AMpliſſime Conſultiſſimeque Dn. Pro-Cancellarie, Fautor honoratiſſime, Evergeta bene merentiſſime &c. Cùm Alexander ille Magnus ad Lampſacem urbem animo hoſtili & implacato accederet, Anaximenem, Virum ſapientem, prudenti conſilio eundem à Patriæ ſuæ excidio avertiſſe accepimus. Imminere nunc exitio noſtro audimus non quidem hoſtes, ſed amicos, (tales enim haberi volunt) decuriones & cives opidi hujus, qui ipſi toties totiesq; Academicorum ope & conſilio adverſùs hoſtem uſi, ſi non omnino ſalvi evaſerunt, mitiorem tamen ſemper hoſtem experti ſunt, hi, inquam, tot beneficiorum immemores beneficium immortali cum laude nobis ab Illuſtri & Generoſo copiarum Bavaricarum Duce WAHLIO conceſſum, ſumma cum injuria præripere acriter contendunt. Qua de re cùm literæ noſtræ ad Inclytum Senatum Noribergenſem, tum ipſe Tibi, Vir Eminentiſſime, dilectus referet Dn. Ibererus, gener. Rogamus itaque, Patrone faventiſſime, ut nunc quoque nobis Anaximenes ſis, id eſt, conſilio fideli adſis & intercedas, ne quid horum per ob- & ſubreptionem poſſit accuſatio. Et quando pridem plerique noſtrûm per Dardanarios iſtos ad mendacitatem redacti, Paratius, quæſumus, eſſe digneris, ut finito propediem ſemeſtri ſalarium, & quod aliquibus Dnn. Profeſſorum reſtat repræſentetur. Quod quidem beneficium, ſi reliquis iisque maximis, quibus obſtrictos nos ſibi reddidit T. Amplit. adjunxerit, gratiam nobis debitam, in primis verò votum ſincerum piumque pro felici Anni hujus, quem auſpicati ſumus, ſucceſſu offerimus. Vale, Vir faventiſſime, & petitioni huic ge-

minæ nostræ pondus inesse jube. Dabantur Altorphii d. 18. Januar. Anno Christi 1636.

Richterus Brunoni.

SAl. & Offic. Magnifice Dn. Rector, Amice plurimùm honorande. Nihil opus fuit, in Academiæ postulatis æquissimis, Anaximenem illum, cujus exemplum allegâsti, imitari, qui, referente Pausaniâ, patriam Lampsacem contra hostis Alexandri Magni sævitiam vafro consilio, hoc est, contrarium illius petendo, quod Rex iratus jurejurando minatus fuerat, ab interitu vindicavit. Ipse enim Senatus noster Inclytissimus ejusque Viri principes, quibus caussam vestram prudenter commendâstis, postquam literas Universitatis à genero charissimo, Dn. Iberero, debitâ fide atque diligentiâ oblatas perlegerunt, facilè petitionibus vestris annuêre, votique compotes Vos reddere æquum judicârunt. Id quod ex literis Amplissimi Senatus pleniùs intelligetis, &, quem dixi, gener haut frustrà à Vobis ablegatus pluribus referet. Est igitur, quòd de successu isto DEO agamus gratias, & Academiæ nostræ gratulemur, etiam atq; etiam optantes, ut Numen Favonium istum constanter spirare sinat, & quod bene decretum est, bono cum effectu perfici largiatur! Sed ecce, dum læta hæc scribimus, tristis advenit nuncius de casu Schwenteri, heu! non ampliùs nostri, repentino; quem paulò post obitum uxoris, geminorum puerperæ, & infante altero denato, prius, quàm in lucem edito, decessisse, magno cum dolore cognovimus. Quis enim fatum hoc triste funeris triplicis non doleat? Quis jacturam Viri istius in linguis orientalibus & Mathematum scientiâ verè incomparabilis, & ad miraculum usque docti non lugeat? παχύδερμ☉ sit, oportet, qui vulnus hoc Academiæ non sentiat, non æstimet, non exhorrescat. Sed ita rerum humanarum sors est, miscentur tristia lætis, & quæ sæpe minimè putamus, eveniunt insperata: Fruuntur autem illorum animæ nunc beatitudine æternâ. Confirmemus ergo & nos animos nostros perpetuitate rerum divinarum, ad quam adspiramus æternitatis alumni, cujus illi jam Candidati facti sunt, & Rectorem omnis Universitatis omnium supremum, DEUM Opt. Max. rogemus, ut salutari remedio damnum hoc nostrum resarcire non dedignetur, cujus providentiæ M. T. cum Universitate, Anno hoc novo & plurimis cum DEO sequuturis, animitùs commendatam volo. Vale Dab. Norib. d. 19. Januar. A. C. 1636.

Bruno Richtero.

S. Observantiamque cum officiis debitis! Amplissime & Consultissime Dn. Pro-Cancellarie, Fautor & Patrone plurimùm colende, Effectu (quod unicè

unicè proximis & optaveramus & rogaveramus literis) non consilii modò Anaximeni apud Pausan. Elic. 2. recepto, caussam nostram in Senatu Nobilissimo Urbis defensam ad votum, imò supra votum, & Tibi & nobis multùm gratulamur. Quæ res quoque feliciter vertit Dn. Ibero nostro, in hoc negocio parario: Sed enim infelices nos, orbatos Collegâ & Compatre, imò, quod gratus profiteor, Præceptore bene merito, quem in promotione ad honores Academicos laudatorem, in nuptiis meis γαμοστόλον, inque vita & munere cùm publico tum privato fidum Parastatam habueram. Qui annos aliquam-multos Academiam hanc publicè privatimque docendo celebraverat ornaveratq;. Ideoq; quem Tu Amicum, Vir honoratissime, nos lugemus ut Collegam & Parentem SCHWENTERUM, heu! quondam nostrum. Enimverò

Felices reputo nostros, vereq; beatos
In Domino vitam qui posuere suam.

Aurem vellunt casus isti, ut colligentes reculas ipsi quoque de migratione in cœlestem Academiam cogitemus, quod Tu quidem, Vir optime, piè non minùs quàm sapienter mones. Nobilissimum Scholarcharum Ordinem casus iste & decessus Viri celeberrimi haud dubiè valdè commovit, ideo in primis, quòd non facilè habituri in posterum Virum, qui utramq; Spartam (Orientalium linguarum & Matheseos Professionem) pari felicitate ornaverit. Precamur verò æternum & sapientissimum bonorum ordinum omnium autorem & conservatorem, ut misereatur nostri, & hanc Universitatem cum Inclyta Republ. Norica salvam & florentem post tot & publicos & privatos casus & clades præstet, conservet, tueatur! Vale, Vir faventissime, & præfestinæ & ineruditæ scriptioni huic & nuperæ per humanitatem tuam singularem ignosce. Dabam Altdorphii 20. Januarii A. Chr. 1636.

Idem Eidem.

MAgnifice & Consultissime Dn. Pro-Cancellarie, Patrone plurimùm suspiciende. Quatuor Candidatos nostros supremam Philosophiæ laurum ritè prensantes, Guolfgang-Jacobum & Georg. Christoph. Mülleros, fratres Germanos, Noricos, & illum quidem Opidi Cantorem: Nec non Danielem Wülfferum & Johannem Fabricium, Norimberg. à Cl. Dnn. Collegis de meliore, quod ajunt, nota mihi commendatos, Tibi jam de eadem etiam atq; etiam commendo, rogoq;, ut pro innata humanitate tua non modò benignè illos audias, sed & mihi cœterisq; Dnn. Collegis meis potestatem facias, ex legum præscripto censurâ haud paullò accuratiore mores eruditionemque eorum explorandi: Et si digni deprehensi fuerint, supremos iisdem in Philosophia honores

nores conferendi. Quod quidem pluribus nunc verbis rogarem, si fas esset, Tibi, Viro in multiplicibus & ad patriæ salutem pertinentibus negotiis occupatissimo, odioso multiloquio obstrepere aut interpellare. Plura pro me dicat ipsius caussæ nostræ honestas, quæ quidem Te nunquam habuerit Patronum benevolentiorem æquioremque. In recenti memoria est, ut alia nunc taceam, gratâq; commemoratione nostrâ dignissimum testimonium luculentum & publicum tuum, quo non ita pridem in Disput. quadam Philosophica, quanti studia artium, quæ bonorum fontes sunt, ipse facias, admirandâ humanitate ostendere dignatus fueras. Et quidem illi ipsi Fabricio nostro, qui ad T. Magn. lubens libensq; venit orator &, de quo non dubito, exorator. De cujus, ut & cœterorum Competitorum studiis & moribus (ut hoc quoque breviter addam) ex multis argumentis bene spero. Instar omnium illud sit, quòd in eximio virtutis amore & studio non vanum & insubidum imperitæ multitudinis judicium, multò minùs proprium, quod, teste Philosopho, nunquam ἀδέκαστον esse solet, sequi, sed eorum censuræ se submittere gestiant, quos DEUS ordinum bonorum autor & conservator per Magistratum prudentem arbitros constituit, ut ita accedente alieni & publici testimonii authoritate, conscientiam virtutis suæ confirment, animumque ad uberiorem ejus cultum accendant atque inflamment. Quem commendabilem Candidatorum nostrorum conatum uberrimumque honoris Academici fructum, ut pro summa humanitate tua, benignâ concessione promoveas, & meo & Dnn. Collegarum nomine denuo obtestor. A quibus officiosè & unicè salutatus bene feliciterq; Vale. Dabam in Museo Altdorphii XI. Calend. Junii Anno à Christo nato 1637.

Richterus Brunoni.

SAlutem & officia amicissima. Quòd & Tu, Spectabilis Dn. Decane, Vir amicissime, literis acceptissimis Romano more, hoc est, optimo commendâsti, & Candidati isti Philosophiæ per oratorem Fabricium eleganti Oratiunculâ apud nos ambiverunt, ut nimirum per officium nostrum ipsis liceat ad capessendos Philosophiæ honores supremos, quà privatim quà publicè examinandos se sistere, id sane tale est, quod & ipsa caussæ honestas & juvenum istorum virtus atque diligentia apud quemvis etiam μισόσοφον, si non facilè, saltem jure tandem meritoque suo exorare queant. Ut nihil nunc dicam de meo erga Philosophiam amore singulari, haut temerè olim, ut puto, mihi concepto, cujus studii jucundissimi usum frequentiorem etiamsi nunc ob Reipublicæ curas perquam molestas quasi sequestrare, & inter Philosophos, occasione datâ, balbutire me oportet; attamen Philosophiam & cultores ejus strenuos constanter amare, adjuvare

adjuvare seriò, atque pro virili exornatum ire nunquam nisi cum vita desinam. Non igitur concedo tantum lubentissimè, quod vultis, sed etiam, ut omnia ritè rectéq; peracta eveniant, quàm felicissimè animitùs voveo. Atque utinam plures omni tempore existerent, qui acetum in pectore haberent, & Philosophiæ ac humaniorum literarum fructum incredibilem probè perpendentes majori cum affectu atque industria manuductrici isti ad virtutum atque scientiarum sublimiorum apices feliciùs attingendos, vel ætatis flore litarent. Sed ita nôsti mores hodiernos, h. e. omnium pessimos, ut de majori parte eorum, qui studiosi audire volunt, optandum potiùs quàm sperandum, quod dixi, videatur. Nos tamen favere perseverabimus illis, paucissimis licèt, atque rarissimis, qui meliorem potiùs quàm majorem partem sequendam sibi ducunt, idque exemplo Tui & Collegarum tuorum, Philosophorum Clarissimorum, quos Amicos honoratissimos unà tecum & salvere & valere peramanter jubeo. Raptim Noribergæ in usu aquarum acidularum, quas nudius tertius bibere cœpi. X. Calend. Junii A. C. 1637.

Bruno Richtero.

MAgnifice Ampliss. & Cons. Vir, Fautor atq; Patrone honoratissime. Etsi in gravioribus pro salute Reip. subeundis occupationibus Amplit. tuæ obrepere mihi religio est; tamen in honesto muneris, quo nunc fungor, negotio quoq; studiosæ juventutis ornamenta provehere debeo cupioq;, veniam mihi datum iri, confido. Ita profectò mihi nota singularis Ampl. tuæ erga Ordinem nostrum, ut & Candidatos nostros est benevolentia, erga illos etiam, qui primam sapientiæ vel diligentiæ lauream petunt. Unus & alter præteriit annus, quando nulli hîc creati Baccalaurei. An hoc præter votum & institutum majorum, qui ex sententia Themistoclis negârunt, diem festum esse posse sine profesto! Nunc quod bonũ, quod & utile sit & honorificum omnibus γνησίως philosophantibus! Evocati denuo mihique commendati proximis diebus à Cll. Dnn. Collegis de meliore nota quatuor isti adolescentes ingenui, Candidati nostri, Johannes Rôderus, Melchior Ferberus, Lucas Fridericus Reinhartus, & qui apud Amplit. tuam orator erit Christophorus Stephani, Norimbergenses. Hos omnes & singulos Tuæ rursus Magnific. & Ampl. de manu, quod dicitur, in manum commendo, enixeq; rogo, ut non modo illos benignè audiat, sed & potestatem mihi tribuat, ut propediem ad consuetas probationes cùm morum tum diligentiæ admitti, & si, quod speramus, meritis suis honorem istum æquaverint, præmio & testimonio public. ornari & Baccalaurei renunciari, alii verò ad honestam æmulationem accendi atque inflammari possint. Quod beneficium prolixiore sermone

mone Te rogarem, Vir Amplissime, si de propensissima voluntate tua fas esset dubitare. Bene feliciterque vale, & nos meritorum tuorum memores constanter amare & fovere perge, Altorfii prid. Non. Debembr. Anno Æræ Christianæ 1639.

Richterus Brunoni.

S. P. Clariss. & Spectatissime Dn. Decane, Amice pl. honorande. Bonum fatum interpretor, quòd adolescentes isti quatuor, quos mihi commendâsti, tuis auspiciis prima Philosophiæ præmia à nonnullis hactenus insuper habita, ne dicam neglecta, ambire nihil dubitant, & ab aliorum fastu (ita enim arbitror) secessionem facere non verentur. Has dico honorum Academicorum primitias, quas, ut nôsti, & à nobis alibi fuit inculcatum, etiam olim Viri Nobiles & Barones non parùm ad gloriam nominis sui facere existimârunt. Non possum igitur non laudare illorum propositum, eoque lubentiùs petitioni vestræ annuo, quò rariùs illam audire hucusque mihi contigit. Sistant igitur se Ordini vestro ad probationes legum nostrarum tabulis præscriptas usuque receptas, & si merentur, de quo nullus dubito, primâ Philosophiæ laureâ, quam ritè ambiunt, publicè condecorentur. Certè, si omnes ita in examine stabunt, quemadmodum oratoris, qui verba apud me fecit, facundia spem fecisse videtur, brevi ad altiora non inféliciter progredienter. Faxit DEUS, ut omnia quàm felicissimè peragatis! Vale. Dab. Norib. Non. Decembr. A. Chr. 1639.

Bruno Richtero.

MAgnifice, Amplissime & Consultissime Dn. Pro-Cancellarie, Patrone honoratissime. Peractâ renunciatione Baccalaureorum solenni nostrâ, pro benigne-tributa potestate promotoriali gratias ago habeoque maximas. Pecuniola ex promotione Amplit. Tuæ debita ad filium Joh. Georgium pervenit, qui in proxima disput. publ. habita benè stetit; Et quod ingenuè, remoto omni palpo, scribo, multorum exspectationem superavit, in difficili illa & minimè protrita materia, quà theses quà corollaria secutus ille duces peritos & fideles ad alia feliciter progredietur. Ita Præses artium supremus fortunet cætera ipsius studia, ut eximium aliquando virtutis & gloriæ habeas hæredem, longis parasangis ὑπὲρ ἐσκαμμένον mores & moras eorum, quos affixo, ut vides, Programmate seriò & sine contumelia adhibito proprio exemplo inhortari, & officii commonefacere debuimus. Est enim adolescentia nostra admodum prona ad temeritatem, quâ inferiora contemni, superiora verò cupidissime desiderari & adfectari animadvertimus. Quamvis nonnullos inopia, alios aliæ caussæ ex-

cusare

cusare possint exulceratissimo hoc rerum statu, vel potiùs συῤῥάξει malorum, ex bello illo civili diutino proficiscentium. Quibus ut Clementissimus DEUS sanis Magnatum consiliis repagula opponat, nocentissimum bellum vanasque contentiones omnes sapiat, pacemque ingenuam reducat, animitùs more Christiano precor, labente anno veteri, & imminente novo, quem ut arbiter temporum cœlestis Tibi quoque, totique domui, & quicunque, studiis nostris favent, felicissimum largiatur. ! Dabam in Museo ipsis genethliis Dominicis Anno Sal. H. M. DC. XXXIX.

Idem Eidem.

AMplissime Dn. Pro-Cancellarie, Fautor & Patrone ætatem colende. Gravis quidem interdum debitoribus, æqua tamen vox est, censore Senecâ, & jure Gentium introducta: Solve, quod debes. Quisquis enim temerè recusat data reddere, in censum impiorum refertur à Psalte regio: Sed tamen longè maxima debitorum est differentia. Nonnulli suâ culpâ luxu & intemperie æs alienum contraxerunt, quo per moram crescente exonerare se ampliùs nequeunt. Alii non tam suâ quàm aliorum culpâ, vi, fraude, infortunio aliquo aut temporis injuriâ obærati, meliores vitæ dies curis, quantumvis vanis, impendunt, ut ante annos seniumque canescant. Horum, nisi fallor, caussa olim ab Athenarum principe & legislatore sapientissimo σεισάχθεια introducta legitur. Cùm itaque & ego ante septennium captivitate, & priorum temporum injuriâ, quibus supra modum auctis rerum preciis, salarii mei auctarium non impetraveram, in extremas difficultates pervenissem, Te & aliis summis Viris & Patronis ab Inclyto Nobilissimoque Senatu Norimbergensi σεισάχθειαν & mutuum quidem CC. fl. impetravi. Et quamquam data obligatione refusionem debiti spondere jussus fueram; perspiciebat tamen facilè tum Amplit. & reliqui Proceres & Patroni Magnifici honoratissimique eâ quasi versurâ me non liberatum, sed vinctum iri arctiùs, secundùm illud Plutarchi de vitando ære alieno: ἅπαξ ἐνεληθεὶς semel involutus vel obæratus μένει χρεώστης διὰ παντὸς pro ære gratitudinem & fidem in officio, Te benignissimo interprete, se exspectare testabuntur. Quam uti spero, pro virili mea præstiti exhibito carmine Eucharisticó, ut mea ferebat ingenii hebetudo & tenuitas. Quamquam autem isto officio tenui nequaquam satisfactum plerisque Patronis scio; tamen non putabam hisce temporibus aliquâ interpellatione novas curas & tormenta, ita locuti sunt veteres, mihi injectum iri. Debere enim admoneri, nec esse, unde des, insepulta mors est, inquit pater Scaliger. Accidit tamen præteritis diebus, cùm eram in urbe pro salute filiorum meorum sollicitus & supplex; Nobilissimus Vir, N. N. per Dn. Francum, qui

qui est à rationibus Tutelaribus, & isto quoque nomine debitorem me interpellabat. Aut igitur honoratissimus ille Vir ignarus est eorum, quæ gesta & promissa fuerant, aut quidam malè animatus afflicto afflictionem augere non dubitat. Est profectò mihi alia & satis magna calamitas ex infelici meo conjugio. Post obitum enim socrus meæ nulla mihi alia relicta hæreditas quàm lis intricatissima cum Creditoribus, quæ adhuc pendet, utque clementissimus Deus ex illa quoq; me liberet, sæpe ardentissimis suspiriis eundem veneror. Sed enim conjugium est illa crucis Schola & Academia, quæ iniquitatem & stultitiam nostram corrigit, & in qua nemo satis se didicisse putet, ut canit optimus nostri seculi Poëta Stigelius. Interea, cùm in ista perturbatione nesciam, quid agendum vel respondendum sive Nobilissimo illi Viro, sive aliis Proceribus Magnificis, ad tuam Ampl. supplex denuo confugio, eandemque etiam atque etiam rogo, ut consilio suo me juvet. Dn. Francus supplices literas ad totum Inclytum Senatum exarandas dixit, quòd propter multas caussas consultum jam non videtur. Magnifici quidem Dn. Grundherri, Proto-Scholarchæ & Patroni summi patrocinium non despero, ad cujus Magnif. supplices literas dedissem, sed non præcipitandæ cogitationes meæ sæpe insubidæ. Quin potiùs à T. Ampl. salutare aliquod exspecto, cujus ut indicium faciat per amanuensem Salomonem amore mihi junctum, vel ad me vel ad Dn. generum Ibererum, (qui horum inscius non est) adhuc omni reverentiâ peto. Et quamquam nunc temporis neque pro hoc neque pro aliis tuis meritis, Vir faventissime, hostimentum dignum habeam, dabo tamen operam, ut intelligas, homini grato non frustrà exhibita talia. Bene feliciterq; vale, Patrone, cum tota domo. Altdorphii 3. Non. Martias Anno 1640.

Richterus Brunoni.

S. P. Clariss. Dn. M. Bruno, Amice honorande. Quòd tardiùs Tibi respondeo, publicarum occupationum moles, quæ me, hoc tempore publicorum apud nos Conventuum, quasi circumvallatum tenent, efficit. Sed nôsti illud vulgi, sat scitò, si sat bene. Neque meum erga Te Tuique similes animum ignoras. Bene autem satis negotium tuum æris alieni mihi commendatum curâsse me existimo, quando hodie commodâ datâ occasione apud Nobilissimos Dominos Duumviros impetravi, ut pro tempore & hoc rerum tuarum statu, quem eleganter depinxisti, solutionis interpellatione afflictionibus Tuis parcatur. Eruditio tua & diligentia, quam inculcavi, non parùm commendationi meæ addidit. Tuum erit, promptitudinem Tuam bene merendi de juventute Academica, porrò quoque testatum ire, & benevolentiam istam Nobilissimorum Dominorum

norum noſtrorum omni animi contentione & induſtriâ conſervare. Plura volente Deo coram. Interim Vale. Dab. raptim 14. Martii A. C. 1640.

Bruno Richtero.

MAgnifice, Ampliſſime & Conſultiſſime Dn. Pro-Cancellarie, Patrone, Fautor & Evergeta honoratiſſime. In moderato & commendabili honoris ſtudio duo præcipuè notanda, pridem docuerunt eruditi. Unum eſt, ut honor iſte proficiſcatur à Viris honoratis & intelligentibus, qui non ſolùm ipſi in laude vixerunt, ſed & probè noverunt, quid diſtent æra lupinis. Ita Hector apud Nævium ſe à cordato vel laudato Viro laudari lætabatur. Alterum eſt, ut virtus & merita honorati honorantis teſtimonio reſpondeant, & mens illius iſto quaſi autoramento ad præclariora magis magisque incendatur & inflammetur. Eſt enim honor non ſolùm γλυκὺς φρενὸς καρπὸς, ſed & ἐλατὸς μοισᾶν δόσις, qui ingenuos, quà viros quà juvenes, ad honeſtam æmulationem mirificè excitet, ſtimuletque, teſte caſtiſſimo & ſapientiſſimo vatum Pindaro in inſigni Oda, quâ Diagoram Rhodium (de cujus obitu mira refert Gellius) tunc temporis Olympionicam celebrat. Utrumque obſervâſſe mihi videntur eruditi hi & morum probitate commendabiles Octo juvenes & Candidati noſtri, quando, non ſuâ, ſed laudatiſſimorum Virorum & Collegarum Clariſſimorum commendatione & teſtimonio freti nomina Candidatoria apud me profeſſi ſunt. Pridem ſemetipſos ſtudio & virtute, quantum potuerunt, commendabiles fecerant. Singulis, opinor, hæc præſtituta fuit meta, licèt fortaſſis non unà & ſimplici iverint viâ. Ita enim fert fortunæ vel conditionis humanæ ratio, nonnullis ὁμαλὴ vel plana, aliis contra τραχεῖα καὶ δυσπορευτὴ ἐστι aſpera & anguſtior, ut eſt apud Themiſtium Euphradam. Reſtat, ut ampliùs audiantur cùm in morum tum ingenii probationibus. Sed quî fieri hoc poſſet ſine ſpeciali tua conceſſione? Rogo itaque officioſè, ut benignè eos vel unum cœterorum nomine non ſolùm audias, ſed & poteſtatem mihi tribuas indicendi examen quà privatum quà publicum. Cætera, ad honores omnium & ſingulorum, ſi recto ſteterint talo, pertinentia futurâ panegyri; (quod propitius volet Chriſtus!) præſens præſentem orabo, &, quod confido, per notam mihi humanitatem tuam, exorabo. Interea bene & feliciterque vale, Vir honoratiſſime, Patrone πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, &, ſi meremur, huic curæ meæ tum Candidatorum noſtrorum petitioni pondus ineſſe jube, à Cll. Dnn. Collegis meis plurimùm ſalvere juſſus, quos unà mecum nova hac vel iteratâ beneficiorum acceſſione multum Tibi devincies. Altorfii IV. Idus Maji A. C. 1640.

Richterus Brunoni.

S. P. Clariss. & Spectatissime Dn. Decane, Amice honorande. Ob dolores arthriticos, qui me hoc tempore lecto affixum magis magisq; excruciant, λακωνίζειν apud Te cogor. Itaq; tribus, quod dicitur, verbis defungendo respondeo, h. e. petitioni tuæ æquissimæ, officii ratione, lubens meritoque annuo, & ut Candidatos istos octo, quos mihi commendâsti, omnes & singulos ad examina consueta quà publica quà privata, pro consequendis Philosophiæ honoribus supremis, admittatis, concedo; Deum Opt. Max. submissè venerans, ut labores vestros faustos & felices esse jubeat, & successum largiatur optatissimum! Vale & Collegas Tuos, Viros Excellentissimos & Clarissimos, Amicos nostros plurimùm honorandos, amicissimis verbis saluta. Dab. Noribergæ XIII. Maji A. C. 1640.

Bruno Richtero.

MAgnifice, Amplissime & Consultissime Dn. Pro-Cancellarie, Patrone honoratissime. Quæcunque hoc anni tempore Christian[illegible]more optare & precari solemus benefactoribus, ea, ut Tibi tuisque cœlesti θεανθρώπου gratiâ & misericordiâ cumulatissimè eveniant, Collegæ unà mecum animitùs optant & precantur. Cùm pridem ante ferias natalitias Domini in Consilio Nobilissimorum Scholarcharum officium inspectorium, quod vocant, Noricum eâ integritate & modo, quo hactenus eò functus fuerat Consultissimus Dn. D. Kobius, nostro denuo Ordini decretum, intellexerunt Collegæ mei ad maturam ejus decreti promulgationem tuâ, Patrone faventissime, benevolentiâ & æquitate nobis opus esse, quam ut Ordini nostro & iis, quorum interest, benignè tribuas, etiam atque etiam rogamus. Imò confidimus, nunquam illam nobis defuturam propter singularem tuum amorem erga inferiora ista nostra studia, quæ sine docentium dignitate salva esse nequeunt. Scimus quidem experientiâ edocti officium istud satis molestum & invidiosum esse, in quo fortassis calumnia speranda pro lucro; tamen Ordinis publici causâ ista talia interdum ferenda, permanendum in statione, neque committendum, ut quidquam dignitati Ordinis nostri decedat. In qua caussa justa cùm pridem ipsum quoque Dn. D. Kobium assertorem constantissimum habuerimus, eo nomine meritò ipsi gratias agimus speramusque, eundem ne nunc quidem nobis adversarium futurum, sed amicum permansurum: Quod nos quoque à Zygomachia & vana contentione alieni certò promittimus. Deumque Ter Opt. Max. bonorum ordinum conservatorem precamur, ut Spiritu suo sancto nos regat atque gubernet, Teque Univer-

Universitatis Patronum meritissimum plures annos alios incolumem conservet, ut salutaribus consiliis plures Ordines cumprimis docentium & discentium heic juves, & ornes ad gloriam nominis divini & incrementum Reipublicæ & Ecclesiæ Christianæ! Dabantur Altorphii d. 9. Januarii A. O. R. 1642.

Idem Eidem.

MAgnifice, Amplissime & Consultissime Vir, Dn. & Patrone æternùm colende. Piè & sapienter ut omnia, Siracides συγγραφεὺς πανάρετος, ut Isidoro & aliis quibusdam Ecclesiæ Christi patribus dictus fuit, alicubi sic scribit: *In manu DEI ita gubernatio terræ est, ut det nobis bonos & salutares Magistratus & Cancellarium laude dignum:* Beatus Lutherus ita reddidit: **Das Regiment auf Erden stehet in Gottes Händen / der gibt zu Zeiten einen richtigen Regenten / und einen löblichen Cantzler.** Quod dictum si uspiam locorum & temporum fidem invenit apud mortales, certè temporibus hisce turbatissimis Inclytus Magistratus noster, Senatores & Scholarchæ nobilissimi, & Tu Vir honoratissime, Pro-Cancellarius eorundem vivo & prælustri exemplo comprobatis. Ut enim, divinâ benedictione cura, favor & benevolentia illorum in fovendis & ornandis bonarum literarum cultoribus toti mundo notus: Ita Tu quoque, Evergeta benignissime, licèt crebrò sævissimis hostibus interpellantibus dolore arthritico & Lithiasi, solicitam bene de bonis literis eorundemque cultoribus merendi curam nunquam deponis. Quin ἀπὸ τῆς κλίνης, μόλις τὼ χεῖρε καὶ πόδε ἀνεχόμενος εἰς τὴν διασκοπὴν τῶν γραμμάτων, cùm neque pedes neque manus satisfacere possunt officium; mens tamen Divina tua & vivida ea struit & celebrat, quæ vix alii possent τὸ σῶμα ἐῤῥωμένως καὶ τὴν τύχην εὐδαιμόνως διαβιώσαντες. Testor intercessiones crebras, testor alteram istam orationem panegyricarum tuarum decadem, quam δόσει καλῇ τε φίλῃ τε, me quoque honorare voluisti. Ἐνεχύρασμα interpretor & veluti tesseram quandam pristinæ istius benevolentiæ & amoris, quo me persequi tot nunc annos pergis, Patrone honoratissime. Utinam tandem digno aliquo officio vel hostimento demereri vel prosequi possim benignas istas & humanas tuas Gratias meritorumque tuorum cumulum! Adsunt exercitia moralia nostra, sed quid isti panni ad tuam purpuram? Veritus, ita me summa veritas amet! ut nunc quidem temporis ista talia grata esse possent Tibi cœterisque Patronis meis summis, quibus vitam debeo & omnia. Ideoque Amico pridem ex consuetudine studiorum mihi charo inscripsi, exemplo Dn. Antecessoris & aliorum. Quia verò tuâ jam dedicatione quasi erecto, sed illustri signo ostendis, quid faciendum nobis obscurioribus, in posterum tua sequi conabor vestigia, sed gressu & suc-

cessu prorsus dispari. Tua enim ubique Tibi æqualis suavis & jucunda sine anfractibus defluit oratio, habetque δείνωσιν quandam & rerum & verborum in omnibus, in quibus ego sudoque diu, frustraq; laboro. Et ut nunc quidem candidè Tibi exponam meas ineptias, publicè disputare cogito de nova materia, ut videri possit: De Usu nempe & abusu doctrinæ civilis vel morum Aristotelis in Theologia, aliisque scientiis, modò non inutile hoc visum Inclytis Dominis nostris & tuæ Amplit. Ansam mihi pridem præbuerat Nobilissimus & Amplissimus Vir Dn. Wolffgangus Jacobus Pömerus, patriæ, quod nôsti, & gentis suæ decus, eruditorum eruditissimus ipse Fautor, & Patronus meus meorumque non è multis, cùm, pro singulari erga doctos benevolentia, me, licèt nullâ doctrinâ clarum, mensâ suâ dignaretur. Et in his quidem cœterisque studiis omnibus tuo me favore & patrocinio fideliter commendo, nec non filios meos, quorum salus ita mihi cordi, ut Tibi unici tui: Quem ut lætum salvum & florentem ipse lætus & fœlix ad patrios lares reducem brevi videas, foveas, ornes, animitus opto! Et ita Te omnibus animi & corporis & fortunæ bonis beatum cœlitus æternùm salvere & valere jubeo. Et rogo tandem, ut inconditæ scriptioni, quam, remotâ adulatione, testor fidem! veritas & gratitudo expressit, ignoscas. Altorphii VII. Calend. Majas A. O. R. M. DC. XLIV.

Idem Eidem.

MAgnifice, Amplissime & Consultissime Dn. Pro-Cancellarie. Cùm panegyres & promotiones Academicæ non ideo solùm institutæ credantur, ut literarum & artium conservetur dignitas: Verùm etiam ut summi Promotoris & Musagetæ cœlestis celebretur benignitas: Lætor utique & ipse mihi gratulor in officio isto meo, & nunc quidem rigente brumâ, cœlitus tributam occasionem ornandi studia public. & celebrandi bonitatem Divinam erga hanc Universitatem prorsus singularem. Hunc enim in finem geminum ante paucos dies à Clariss. Dnn. Collegis meis commendati mihi quatuor adolescentes honesti,

Johannes Conradus Dürr /
Samuel Spörl/ } Norimbergenses.
Johannes Scultetus,
Cornelius Bruno, Altorfi filius natu major.

Omnes & singuli Inclyti Senatus & Magistratus benignissimi Alumni. Et hos quidem omnes & singulos Magnificentiæ tuæ rursus tanquam de manu in manum commendo, formulâ mihi consuetâ, h. e. brevi & restrictâ, ne de propensa tua in me benevolentia dubitare videar: Cumq; in bona, quod dicitur, causa tria verba sufficiant: Audi, quæso, nos benignè, ut soles, mihique jam Decano

Decano cum Dnn. Collegis, potestatem tribue, inquirendi in mores & profectus eorundem, ut, si digni, ornentur publico testimonio & renuncientur Baccalaurei. Pro quo beneficio & aliis meritis tuis animum perpetuò memorem & gratum offerimus. Bene feliciterque vale, Vir honoratissime, nosque amare & favere studiis istis perge. Altorphii postridie Cal. Decemb. A. M. DC. XLIV.

Phil. Carolus Georg. Richtero.

VIr Nobilis & Amplissime. Jam eò fortunarum latus videbar, ex quo spectabili huic functioni sum auctoratus: Ut & me modicè habere, & Matri viduæ graviter ex paupertate & senecta laboranti, medicam manum addere possem. Sed ea temporum est asperitas, ut salarium omne meum sal & mensa (quod ajunt) deglutiant: Nec fuerit hactenus, unde vel togam compararem. Petam auctionem? Onerabo Conscriptos: Qui cujusmodi assueverint pleriq; didactris, nôrunt illi, qui numerare discipulos maluerunt quàm operosè informare, petam quadringentos? & quod excurrat? nec tum certa meta. Quis enim tempori omnia abligurienti calculum ponat? meo exemplo fidem facio, cui δὶς καὶ τρὶς jam convictus exasperatur. Iterum atque iterum lacessendi erunt Parentes, quos videbor mendicando priùs fatigare quàm docendo. Et quis non intelligat, quicquid meo demenso ponderis accesserit, institutionis decessurum auctoritati. Quamobrem cùm benevolus ille Patronus Dn. J. K. singulari quadam in studia mea propensione & viduam matrem συμπαθεία convictum tolerabili hostimento indulserit. Videtur sanè DEUS ipse meis hoc modo rebus consultum, & Conscriptorum simul Collegii nostri alacritatem conservatam voluisse: En facili tot monitionibus remissuram. Veruntamen consilium omne Ampl. VV. &, qui in rem haud invitus consulere videbatur, Reverendo Dn. M. Sauberto permitto, Vale, Vir Nobilissime.

Idem Eidem.

OCulus in sceptro, princeps decus Noribergensis Reipublicæ, Excellentissime Dn. Doctor, & belli ea & pacis artibus inclyta jam dudum regina, si tam Fortunæ quàm Virtutis filia fuisset. Rem literariam contemplemur: Quàm bene prospectum, novo jam consilio juventuti, (quæ præsidii à natura minusculum accepit) ne tener ille robur Virtutis & bonæ spei fidejussor, incultu atque socordiâ torpesceret, sed ad gloriam Disciplinæ viâ grassaretur: Recens collegium sive προσχόλιον intelligo, ubi suis relicta studiis pueritia: Ne videantur pru-

dentissimi Patres Naturam arguere, quæ hanc ætatem imbecillem esse jussit, & intempestivâ semente sapientiæ nondum præparatum ingenium corrumpere: Et ut semel dicam, eo nutriendo perducatur adolescentia, ut bonam frugem libertatis maturis postmodum viribus ferre possit, quod de Romanis Historicus loquitur. Locum spectas? in solitudine est, ubi nemo interpellare possit cogitationum ludum dulcissimâ libertate errantium. Hîc plantaria quietis illud pabulum, & ab aura puriore velut inspiratio novæ vitæ. Tempus studiorum? matutinum est, ut nimirum tempora somni arctiora sint quàm noctis, velut in castris Alexandri apud Curtium. Cura ea, & Prudentia Magnifici Dnn. Scholarchæ Dn. Christophori Füreri, cui posteritas æternitatis obelisco parentabit. DEUS illud terris diu commodet! Acta hîc D. Augusti æquet, annos vincat: Quàm diu inter mortales erit, nihil ex domo sua mortale esse sentiat: Curionem Reipublicæ filium longâ fide approbet, & antè illum Consortem Patris quàm successorem accipiat: Sera & nepotibus demum nostris dies nota sit, quâ illum gens suo cœlo asserat! Salus Te sospitet, magne Fautor, cujus faventi calculo mihi quoque ad hanc provinciam vocatio.

Consultissime Bartoli nepotum
Quot sunt, quotque fuère Consulares:
Gratias Tibi maximas Philippus
Agit pessimus omnium Poëtas.
Quantò Tu optimus omnium Patronus.

Compositis accuratè rationibus acceptandum duxi hoc munus; nec enim

ἀπόβλητ' ἐςὶ θεῶν ἐρικύδεα δῶρα,
ὅσσα κεν αὐτοὶ δῶσιν.

assuevi pædagogio à multis jam annis: Nec ulla statio locorum, ubi hujus muneris ferias egerim. Et verè quàm vellem cum Comico, etiam noctu bonis ingeniis mos sit operam dari. De familia notus mihi Consultissimus Vir Dn. D. Tuschelin / Nor. Reipublicæ Consiliarius, cujus Exc. cognitus meus Parens p. m. ejusdem Aulæ Neoburgicæ adscriptitius. Patria Neoburgum, quæ multis in pueritia beneficiis vectigalem me sibi reddidit. Inde literarum causâ Lavingam perveni, emensus ferè sexennium in Illustri Collegio: Donec *tales quales*, (ita Jesuitas vocatos memini) reformationem plenis velis in pomeria invexerunt. Quanta tum fuga bonarum mentium? Augustam mihi mox animus festinabat, quæ ob multa præstita commoda latum sibi apud me memoriæ spatium constituit. Quadriennium nunc abiit, cùm inde Altorfium me recepi: Ubi adhuc, DEI munere, modicus incolatus. Quæ quidem hoc nomine recenseo, ut nubem demam calumniis, quæ me Jesuiticæ societatis discipulum arguerunt.

Quòd

Quòd si itaq; Magnificis & Amplissimis Dn. Curionibus gratiosis meis Mecænatibus animus est, operam in hoc Collegio meam qualemcunq; accensere: Ecce offero me Excellentissime Dn. D. & tuæ in primis Excellentiæ, quæ comes mihi fuit, viam ad hoc mare nescienti. Vale, Vir Excellentissime Altorfii III. Cal. Sextil. Anno ERA CHRIST. 1622.

Richterus Carolo.

S. P. Ut Theseus olim, cùm vinculis exutus primùm solem aspexit, eâ exundantis lætitiæ magnitudine obrutus fuit, quæ pectoris dedignata latebras, etiam candida foris prominuit. Sic Tu Carole,

Cujus artibus Deæ novem
Tinxere pectus, labia Phœbus polluit,
Frontemq́, dia Palladis struxit manus,

nos beâsti literis tuis, cùm operam tuam erudiendæ juventuti nostræ recepisti. DEUS, omnium, quæ extant, Pater conditorq; expendens

- - *quid conveniat nobis rebusq́, sit utile nostris,*

honestis cœptis bene faveat, & pro jucundis, quod Poëtæ votum est, aptissima quæq; tribuat! Tuum nunc erit σὺν Θεῷ ad diem Lunæ Te hîc sistere, & altero mane ingeniis discipulorum explorandis adesse, ubi & de aliis, quæ ad institutum nostrum adhuc reliqua sunt, ut & de itinere, quod scis, honorario certior fies. Interea de successore idoneo, quo priorum Mecænatum tuorum exæstuantes fortassis animos aptitudine suâ placare possit, seriò cogitabis. Atros invidorum dentes, quæ hujus seculi labes est & macula, non est, quòd pertimescas: Nôsti Tullii illud: Si laboramus, quis erit tam invidus, ut alienæ modum statuat industriæ: Terentius Chremes novum vicinum

Fodere aut arare, aut aliquid ferre deniq,

non voluit, verùm sibi, non aliis nocens. Nunquam virtuti tam bene fuit, quin eam multa comitarentur adversa, invidia, calumniæ, insectationes, & illa toties Appio celebrata Canina facundia: Nam ut eos, qui in luce Solis ambulant, umbra comes: Sic virtutem invidia sequitur, quod ideò addo, ut videas, quibus armis adversùs malevolos illos boni nominis obtrectatores concertandum Tibi sit, nimirum conscientiâ recti & virtutis perseverantiâ. Et quanquam patulæ sunt mortalium aures πρὸς τὸ ῥᾳδίως πιστεύειν τῇ διαβολῇ, ex Historici tamen sententia relinquendum rumoribus tempus, quo senescant plerunq; innocentes, recenti invidiæ impares. Sed abrumpere me cogunt fures temporum. Vale, & ad diem constitutam expectatus veni. Dab. Noribergæ IV. Non. Sextil. Anno 1622.

Carolus

Carolus Richtero.

S. P. Ita meis rebus Te laſſas, Vir magne: Qui antè in laborum, quos Reip. clavus vendicat, graviſſimo nexu. Gemina ad me ſcriptio, benevola, bene longa, & quæ ſiniſtram legentis manum implebat, ut eſt apud Senecam. Subnaſcens manè, cùm vix aurora roſeum quatiens lacertum Cœlo inequitâſſet, (indulge Apuleji verbo) lator ad me cum ſalute & miſſa

defeſſus tamen omnibus medullis.

Verè pedamentum es jacentibus Muſis καὶ πελώριος ἕρκος, quæ ferent olim pennâ metuente ſolvi. In Collegio laxatum mihi locum, gratulor: Debitas gratias fide & induſtriâ exſolvam, & *macram* illam ſpem (ut adoleſcentiam Perſius nuncupat) medicâ manu roborabo:

- - - ὅτι κεν κεφαλῇ Κρονίων κατανεύσῃ.

Dignitarium iter Magnifici & gratioſi Mecænatis mei procedere, avidè percipio: Non ego in mora: Quin Jovis quadrigas, Comici ſuaſu, inſcendam, ut præſtò ſim. Vernaculis interim Muſis ita providebo, ut plantentur, rigentur, & oleum illud miſericordiæ (ut Caroli V. emortuati verbo utar) denſo imbre impluat. Reliquum eſt, ut in craſtinum me ſiſtam: Quod faxo,

- - ἦ μὲν τοῦτο φίλον μακάρεσσι θεοῖσι.

Vale, Vir Excellentiſſime: Nec inclementer habe meam in ſcriptione confidentiam, pudorem meum ipſa T. E. ordiendo ſolvit. Altorfii III. Non. Sextil. Anno ERA CHR. 1622.

Procurrit hoc ipſo νῦν ex typis mea Canicula, cujus T. E. offero exemplar. De Oratione nihil ſuppetit, niſi typis denuò commendem: Quod grave mihi. Ita miſer ſum, ſi ſalutem ſpectes argentariam, cui hodie fermè iter non niſi ad jam Opulentos V. magne Fautor. Alterum exemplar Magnifico Dn. Scholarchæ libatum.

Richterus Carolo.

S. P. Heri ad auſpicium Scholæ &c, quod præmittendum erit, examen diſcipulorum Te evocavi. Nunc hoc addendum eſt, ut, quando quidem itineri, quod ſcis, honorario certus de novo dies conſtitutus eſt VI. nimirum aut ad ſummum VII. hujus menſis, non tantùm die Lunæ Te heic ſiſtas, ſed etiam ita res tuas Altorfii diſponas, quò minùs remora aliqua ab itinere, quod acceleratur, Te avocet, aut diſtrictum teneat. Nam rectâ priusquam Altorfium redire poſſis, abeundum Tibi erit. Interea autem, ne negotium ſcholæ quaſi pro derelicto habeatur, aut ulteriori morâ detrimenti aliquid capiat, juſſu Ampliſſimi &c. Dn. Fü-

Dn. Füreri M. Arnoldum Hausmannum die Lunæ Tecum adduces, qui, dum Tu Viennâ redeas, vices tuas in erudienda juventute nostra aget. Hujus ne nescius esses, per peculiarem hunc nuncium significandum Tibi fuit. Vale ac salve cum Arnoldo, & uterq; certò venite. Raptim Noribergæ III. Non. Sextil. Anno 1622.

Carolus Richtero.

S. P. *Viam qui nescit ad mare, amnem comitem quærat*, Plauti mei consilium est. Statum Collegii nostri avarè sitio, Amplissime Vir: Quæ causa mihi literarii hujus ad Te itineris, verum Atlantem, cujus humeris ista moles innititur. Cœptum esse propitio DEO idoneis auctoribus, cognovi: De reliquo conjectura judicat. Equidem de successu quasi sponsor est erectus Discipulorum animus, & ad frugem cum quadam contentione festinatio. Nec de Præceptore cura, si facilior sit in consilium quàm progressionem. Certus & à divino illo Sole radius, cui cordi pueritia, ne velut monstrum adolescat, astu & vitio priùs robusta quàm ætate. Nos quod attinet, hæremus adhuc Viennæ, mensem jam integrum emensi. Quid si vineam nobis pro ænea statua in monumentum edecument lagenarii isti incolæ? Paradisus utiq; Germaniæ hæc regio, si tam clementem Martem quàm Bacchum & Cererem sentiret. Sed quid mirum frequenti milite inquietari? Babylonios putes, quibus temperantia summi Boni injuria. Ut heliotropium facie est semper ad solem obversâ: Sic gens ista ad lagenam. Nova scribo: Regem hîc videmus Macedoniæ, sed exulem, cujus purpuram & auguralia sordes & obscuritas commutârunt. Fortunam ejus qui spectat, cogitet huic & ad se liberum iter esse: Neminem eò provexit, ut non tantùm illi minaretur, quantum permiserat. Epigramma mihi expressit;

De Te diversas in partes scinditur Aula:
Est, qui Te Regem dicat, & esse neget.
Si Rex es: Tecum lusit fortuna, tridentem
Neptuno, & fulmen qua rapere ausa Jovi:
Sceptra Dionysii tabula ferulæq; fuerunt:
Et docuit pueros Rex elementa miser.
Rex non es? Tua Te ludit præsumtio vana:
Estq; opus hellebori sensibus asse tuis.
Sis quicunque, mea est, Macedo, sententia: Non es
Magnus Alexander, sed Minor esse potes.

Comitia urget Cæsar finem facturus lachrymis Imperii: O festinent & Princi-

pes Augustalis fastigii Candidati Electores! Ut tandem *ulcera* si non penitus convaluerint, *serpere desinant*: In primis verò ærufcatores, quorum domos variis lapis gentis alienæ construxit, infelici cespite luant! De Halberstadiensi sparsus fermè rumor: Nimirum temeritas ubi primum impetum effudit, velut quædam animalia, amisso aculeo, torpet. At Hispanus (nisi ista mihi illusio, quæ conficere bellum solet fama) machæram & clypeum validè in Germaniam instruit. Quis uspiam fluvius est, quem non recipiat hoc mare! Quem non satiat avaræ illæ fauces. Utut felicitas aspiret, tamen ad ultimum temeritati non sufficit, ait Persa apud Historicum. De Generoso Dn. N. an[illegible] squalet adhuc inter custodias, magno familiæ luctu: Cui utinam Cæsar sit, quod Alexander Dario, qui matrem, conjugem liberosq;, *nisi quod sine ipso erant, captas esse non sensit.* Verùm pluribus tuam Excell. onerare indignum arbitror, & avocat me ad spectaculum Legatio à Porta Ottomanica, jamjam hic appulsura. Vale, Vir Amplissime, cum honoratissima familia, diu sospes Reipublicæ, & fac, benevolentiâ & amore tuo ulteriùs fruar. Viennæ a. d. XII. Septemb. A. C. 1622.

Idem Eidem.

S. P. Primus ecce miles, Vir Consultissime, Tibi se offert, qui ex Equo nostro prosilit. Scripsit hoc octiduo Dissertatiunculam de Laudibus Poeseos, spiritu, quod judicat Cl. noster Virdungus, Musis non indigno; eam Tuæ Amplitudinis limatissimo judicio subjicit, juxtaq;, quod ager non ingratus solet, munus offert. Hinc sequetur agmen reliquum, si minùs pari felicitate, tamen diligentiâ eâdem, & prout cuiq; *Dives ille Evangelicus* contulit. Citius non debebant, ne viderentur literas suas, ut Satiricus inquit, ambitioni donare, & cruda adhuc studia in publicum propellere. Ernestum illum amat mecum Cl. noster Virdungus, & bene ominatur, fore Virum ἐκ τῶν πολλῶν sanè studia quæq; gravissima ingenii acie pervidet, conciliaturus Collegio nostro decus & immortalem famam, si quidem hæc *juventus bene prospereq; deflorescat.* Eum Tuæ Amplitudini observanter commendo certâ fide, nisi quicquam aliud, tamen quantum Poëta potest, persolvet, nimirum *monumentum ære perennius.* Vale, Vir Amplissime, & meæ confidentiæ ignosce. Altorfii Cal. Novembr. Anno Gratiæ M. DC. XXIV.

Richterus Carolo.

S. P. Cessavi hactenus ad literas Tuas, Carole doctissime, respondere, non oblivione, multò minùs negligentiâ, sed occupationibus crebrioribus detentus, & quia invitus peccavi, etiam apud judicem Cassianum, spero, veniam mere-

merebor. De primitiis publicis, quas Ernesti tui ingenium non è multis, ut ager fel[illegible], Te cultore in Academicorum cœtu protulit, utriq; Vestrûm etiam atque etiam gratulor, & Te vel tali discipulo celebrem, illum verò tanto Præceptore beatum prædico, ambosq́; fidelitatis atq; diligentiæ fructus uberiores indies magis magisq; carpere exopto. De Poëſcos divinitate atq; præſtantia judicium mihi non ſumo, utut mihi ex amore nimio deferas, ſed ſacra illa religioso ſilentio veneror, myſtasq; pro virili colo. Atq; hoc mihi credas, velim, nimium in modum ex lectione diſſertatiunculæ iſtius me delectatum fuiſſe, quam voluptatem, rogo, mihi faciatis perennem: Neque enim dubito, quin reliqui Ernesti commilitones, quibus ille ſignum tollit, utili humano generi æmulatione, eadem veſtigia premere geſtiant, quorum votis Jehova faveat! Morſus furioſorum quorundam, quos inaudivi, audacter, quod facitis, contemnere perſeverate, & quod virtutis eſt, frigidas ejusmodi calumnias ſpernendo, etiamſi patulæ ſint mortalium aures, generoſitatem Veſtram declarare ne deſiſtite, triumphabit tandem mens conſcia recti, & invidiam virtus opprimet. Sed ceſſo memorem monere, vel etiam coram Roſcio geſticulare. Spiritus Altiſſimi præclaros conatus veſtros in bonum publicum ſecundet! Vale, mi humaniſſime Dn. Carole, & cum toto Collegio tuo felix vive. Noribergæ 19. Nov. 1624.

Michaël Conrad. Erneſtus Georg. Richtero.

DIſſertatiunculam noſtram de Heliconis laudibus typis nunc exſcriptam ad Te mitto, Vir Excellentiſſime & Ampliſſime: Minùs fortaſſe dignam, quæ cenſuram tuam ſubiret, niſi ipſa vaticinaretur ſibi hæc, Excellentiam tuam velut in transitu libaturam. Cujus utinam amoris mei præmium illud mihi DEUS ferat, ut deterſo adulationum fuco intelligas, quàm tnm fortunam in Te tuam, tum eruditionem & virtutes veneror. Cui cum infinitis nominibus omnia, tum etiam Muſarum gratiâ debeo, quas Tu tam familiariter in ſecretum admittis, ut noſtræ etiam de illis meditationes ad Te ire non dubitarent. Gaudeo, quod judicium tuum expertus ſum: Cui ſi probabor, non temerè ſpem concipiam alicujus famæ: Si improbabor, fructum capiam benevolæ correctionis. Erunt, qui carpent, imò corripient, non corrigent, ſi quid peccatum eſt, imò ſi quid non peccatum: Ut ſcilicet ſuæ medelam deſidiæ alienis culpis faciant. Tu verò Vir Ampliſſime, quem doctrinæ excellentia verum in alienis dijudicandis facit, ſine affectus ullius ſuſpicione confirmare ſententiam rectè ſentientis potes, vel opinionem damnare perperam conjectantis. Quod Te rogo, & ſalvere jubeo, magnum Noribergæ decus XVII. Cal. Decembr. 1624.

Richterus Ernesto.

S. P. Perplacuit Oratio tua, Erneste ornatissime, quâ Poëseos [illegible] atque præstantiam non cordatè minùs quàm masculè vindicasti, ex [illegible] tum Poetarum chorum in ære tuo habes, quod ne ipse quidem Scaliger, [illegible] æstimator harum rerum summus, si viveret, credo, negatarus esset. M[illegible] hac ingenii & diligentiæ laude, & hanc virtutis atque literarum viam [illegible] severa, de præmio, quod Te manet, haut vulgari, certus. Est quidem [illegible] hominum severitas, ut non mala tantùm Poësis displiceat, sed ipsa [illegible] la, multoq; graviùs videtur, & πολιτικώτερον, forum aleatorum cal[illegible] libera verba vinculis includere non necessariis. Verùm contemne[illegible] steritas ista seculi, quo optima plurimis non placent. Multò minus [illegible] mniis lividorum quorundam cedendum, quin contrà eundum audentius, [illegible] pus rumoribus relinquendum, quo, ut est apud Tacitum, senescant inno[illegible], recenti invidiæ impares. Doctorem atque ductorem habes egreg[illegible] pum Carolum, Virum doctissimum, quem, ut facis, venerare & seque[illegible] commilitonibus signum tollere perge. Neque conatibus vestris pro[illegible] reliqua Academiæ lumina sese subtrahent, de quo vel Clarissimi Virdu[illegible] plausus publicus fidem facit. Ego si quid pro tenuitate mea possum, pro virili operam dabo, ne amici officium in me desiderari possit, de quo Vos ce[illegible] jubeo. Interea Exercitiis vestris, quæ non voluptati tantùm, sed & u[illegible] sunt, & meritò in secretiorem familiaritatem admittuntur, bene cœpt[illegible] facere, ne cessate. Vale & Commilitones tuos pl. salve. Raptim N[illegible] 19. Novembr. 1624.

Martin. Ruarus Georg. Richtero.

S. P. à DEO Patre & Domino nostro Jesu Christo. Quibus [illegible] cium meum, quod ante superiorem hiemem susceperam, No[illegible] reditu vel potiùs accessione factâ peregerim, & quantâ animorum, certè [illegible] rum μετ' εὐμενῶς φωνῆς sim receptus Altorphii, ex Cobio Te nostro jam h[illegible] dici: Quomodo verò Argentinam pervenerim, & quâ ibi fort[illegible] utar, nobilissimo Burgsdorfio, alumni mei germano, ante sesquim[illegible] psi, eumq; rogavi, ut Tecum illa communicare vellet. Non est igitur, quo [illegible] rerum Tibi mearum statu ampliùs significem, nisi actum agere velim, [illegible] fortassè sit, illud ne his quidem literis audeo committere, quæ cùm in[illegible] hominum manibus vexandæ sint, antequam ad tuas perting[illegible], facilè nob[illegible]

peâre

perire possent, aut nullâ aut nimiâ alicujus curâ. Ratio studiorum meorum eadem est, quæ pridem, nisi quòd in Hebræis nunc plusculum esse soleam, non exiguâ hoc cum molestia, quod ea quæ olim didiceram, longinquitate temporis obliterata, de integro cogar in memoria ut ita dicam insculpere, idq; magistro nemine. Is enim, cujus ad hoc studium opera publico stipendio conducta est, tantummodò circa quædam elementa mihi trita versatur, & in his etiam tanquam compedes recoctus (tardipedem veriùs dixeris) ipso anni quadrante vix cubitum ullum processit. Sperabam, cùm primùm huc venirem, multis me non inutilem fore, quod in tanta hominum frequentia vix defuturi viderentur, qui meâ opellâ in iis rebus, quibus Altorphii potissimùm vacabam, juvari vellent: Sed ea spes ferè decollat, ut mores hosce video, nisi quòd eam insigni cupiditate rem promovendi communem erigam, & obstinatione quadam animi sustentem. Animadverti quidem, non satis hîc esse tutum πολυπραγμονεῖν, aut alieni, ut quidam interpretantur, officii satagere: Quam in rem fabulam narrabo, Tu assem para; imò historiam, non fabulam. Fuit hîc quidam Joachimus Everhardus, Philosophiæ Magister, quem Tibi quoque de facie non ignotum credo, cùm Altorphii vixerit, & in cathedra aliquando publicè apparuerit: Is divino, ut ipse ait spiritu afflatus à d. X. Cal. Augusti Juliani in templum, quod vocant cathedrale, venit, cumq; baculo in pulpitum Cantoris ter excusso audientiam sibi fecisset, eo tempore, quo concionator pro suggestu verba jamjam facturus erat, clarâ voce populo testatus est, missum à Deo se legatum habere, quæ pro salute eorum nunciaret: Eratq;, ut postea comperi, Magistratum, Sacerdotes & plebem liberè perstricturus, vitiisq; passim grassantibus cauterium adacturus, atq; adeò pœnam quoque præsentissimam, nisi pacem à Deo precibus & emendatione vitæ impetrarent, comminaturus. Sed quidam è circumfusa turba correptum è templo ad ædes Consulis abduxerunt, cùm ille nihilò seciùs per plateas inter confertam plebem civitatis morbos liberrimâ voce proscinderet, cumq; Consulem domi non invenissent, in turrim custodiæ nomine, quæ tamen à carcere non multum aberat, compegerunt. Ego captivum non semel visitavi, ut turbatæ mentis notas, quas vulgo ferebant, deprehenderem: Sed nullum vestigium inveni, quod alium mihi faceret hominem, quàm pridem cognoveram. Ipse verò nihil, nisi divino se imperio fecisse, constanter asseverabat, quamvis interim, quâ ratione illud acceperit, ne caussam in carcere deteriorem sibi redderet, aperire nemini vellet. Nec temerè se facinus tantum ausum ajebat. Utpote quod aliquot antè diebus, imò mense integro maturâ deliberatione pensaverit & post multas ad DEUM preces novato iteratoq; jussu demum sit aggressus. Egerunt cum illo Senatores & Concionatores aliquoties, voluerun tq; libenter molestum prophe-

prophetam, (sic enim à nonnullis vocari audio) à suis manibus bona cu[illegible] dimittere: Sed cùm ille tergiversaretur, & Cæsarem, Pauli, ut ajebat, [illegible] exemplo, appellaret, ac ne carcere quidem, nisi civitate sibi pe[illegible], [illegible] interdicto primùm, ne quis ei cibum præberet amplius, f[illegible] exp[illegible] lium Musarum suarum repetivit, nullo tum quidem duriori imp[illegible] suâ opinione jam immunis à metu; post paucos tamen dies e[illegible], ut mihi videtur, religiosi lictores irreligiosi correxerunt, qui pe[illegible] medium currui, ante illius ædes adducto, imposuerunt, & extra [illegible] Argentinensis avexerunt. Habes fabulæ catastrophen, quam Tu vel [illegible] vel verso pollice, prout libuerit, istic excipere potes: Ego judicium meum [illegible] dere malo, nec in illos audeo scribere, qui proscribere possunt. Tu [illegible], si bene rem geris, tantò magis gaudebo, si id aliquando ex tuis ipsius [illegible] vero, quas tamen, non ut debitum exigo, sed ut munus ad otium & com[illegible] tatem tuam remitto. Id tamen si fieri possit, ante ver proximum, ut e[illegible] sciscam, opto, quo apud Vos pretio ad minimum vivatur, & an non [illegible] tio, quâ Bona mens sororem suam sustentare possit: Hoc igitur vel ad [illegible] Noribergenses nostros perscribas, velim. Optimo Viro, Caspari [illegible], contubernali tuo salutem & Amorem à me nuncia, aut hunc confirma p[illegible]. Tibi si qua possim gratificari, lubens fecero: Si nihil possum, Tu nih[illegible] affectum meum agnosce, & Vale, eruditissime mi Richtere, pr. Non. S[illegible] Juliani anno æræ Dionysianæ 1615. Argent. in ædib. M. Adam, Fo[illegible] Classici.

Idem Eidem.

S. P. Si in dono, cùm non præstatur, reprehensio quidem nulla est, [illegible] tamen laus inest, cùm præstatur, quemadmodum ex Mariano d[illegible] refers: Tu certè, amicissime Richtere nec reprehendi potes, q[illegible] me exarandas aliquandiu distuleris, & nunc, cùm exaras, laudem exim[illegible] me promereris; eas enim non ut debitum exegeram, sed tanquam m[illegible] otium & commoditatem tuam remiseram. Vellem munus ἀντίδωρ[illegible] ad Te simile; in quo parva quidem laus est, cùm præstatur, siquidem, [illegible] ritò sit, gratiæ non apponitur; reprehensio tamen non parva, cùm o[illegible]: Nec vellem modò, sed & possem in tanta rerum novarum segete, q[illegible] soli luxurie vehementer hornò succrevit, & cùm lactescere primum [illegible] jam aristis flavescentibus horret, & falcem messorum propediem ex[illegible]. Vo[illegible] runtamen cùm in tanta locorum intercapedine semper incertus esse [illegible] eo tempore, quo Lugdunum hæ literæ venient, ibidem certo sis [illegible],

non

non au[illegible] [illegible] loquacibus omnia committere, quæ vel Tu scire velles, vel ego scriberem: Ne tamen desiderium tuum penitus destitutum, nonnulla prout in [illegible], suspenso vestigio perstringam, quasi gallus per prunas ingredi[illegible] in nostrate Proverbio: sequar verò literarum tuarum ductum. Plura Te [illegible] itinere meo exspectâsse, quàm scripserim. At illa Te partim ex No[illegible]torfio quærere jusseram, partim ex Cobii literis rescivisse, suspi[illegible] miror, si, cùm de reditu meo certiorem Te fecerit, non etiam addide[illegible] pauca, quibus nec ipsimet plura referre velim. Ea tamen nunc habe: Scilicet i[illegible]isse me & rediisse satis utrumq; commodè partim pedibus, partim equo, quem in reditu mihi comparaveram: Salvos & incolumes reperisse omnes eos, quos volebam, & sic etiam reliquisse, quanquam invitos; cupiebant enim, ut qui maximè istis me attinere & sufficere Scholæ suæ Rectori, qui in Academias Gallicas Germanicasq; non tam Medicinæ quam domi pulchrè hausit, quanquam & hujus sanè, sed magis tamen tituli pileiq; solennis caussâ recogitat. Plura nunc non addo de itinere, & fortassis ex Cobio coràm disces, si modò istuc, ut speras, ablegabitur: De Everhardo verò illo, de quo superioribus literis scripseram, [illegible]ud ampliùs. Videri mihi, postquam altiùs inquisivi, illum, quo se afflatum jactabat, non Christi Spiritum, sed Zelum quendam Phineæ, de quo est apud Mosen in Numeris, fuisse. Cùm enim, præter epidemica malorum irritamenta, populus hîc præcipuâ lætissimi soli fiduciâ plurimùm otio se dedat, & ex eo, quod nihil agit, malè nonnunquam agere discat, in stupra & adulteria profusus: Vir bonus Everhardus id inde solùm manare putans, quod haud satis severè in noxios animadverteretur, cùm in quasdam Mosis rigidiores leges incidisset, nescio, quo animi instinctu (nam externum visum, quod primitùs augurabar, ipsemet non agnoscit) nimis, ut opinor, calidè minas & in Magistratum concepit, qui gladio rubiginem permitteret, & in concionatores, qui maledictis in Magistratum propterea non fulminarent. Quæris fortassis, quo eventu? quo successu? Eventus sine proventu: Recessus pro successu. Cogitur enim hactenus ab urbe exulare, adeoq; cùm semel rediisset, timore defunctus, iterum à lictoribus de improviso avectus fuit. Concionatores quidem ex eo haud paulò graviùs de suggestis eundem Mosis rigorem nunc intonant, licèt hoc ab Everhardo didicisse videri nolint: Quo profectu, nondum satis liquet. Ego quidem jam diu nullam vel Altorphio vel Noribergâ epistolam accepi, quod valdè miror: Ultimas ad me dederunt Piccartus & Virdungus, quibus multa immeritò mihi tribuuntur. Caspar ille tuus (si modò tui nomen adhuc eum habere pateris) ad nos venit eo ferè tempore, quo jam aliundè intellexeram, quàm parùm fideliter contubernium tuum & promissa sua deseruisset: Itaq; seriò cum homine Tui caussâ

egi,

egi, qui licèt haud ſatis utilem tuam ſibi operam fuiſſe, aut etiam eſſe potuiſſe (ignoſces hoc mihi illius verba narranti) quereretur, honeſtis ſe tamen conditionibus Tecum transacturum pollicebatur, aut ſi Tu nullas admitteres, integrum, quod ab initio Tibi conſtituiſſet, precium depenſurum eſſe. An futurus ſit, neſcio: Voveo quidem, & id nuper etiam literis ad eum datis u[illegible]ſi. Cùm enim hic in diſciplina Viri cujusdam literatiſſimi, Juſti Kypii amici ſui ac mei, aliquandiu vixiſſet, primum quidem Baſileam ad petendam Juris lauream, ſed poſtea quaſi pœnitens conſilii cum eodem Marpurgum, unde luculentiorem ſibi famam ſperabat, profectus eſt, atq; inde paucos ante dies Diſputationem pro Doctoris gradu habitam, ad me miſit, addiditq;, nunc quidem in patriam ſe t[illegible]ere, ſed Marpurgum circa IV. Non. Julii Juliani ad inducendum capiti tiaram reverſurum eſſe. Quid priùs mirer, neſcio, confidentiam hominis, an fortunam: Vix certè credidiſſem, Marpurgenſes tam faciles his fore, idq. illi va[illegible] eram, ſed vanus, ut apparet, augur, quia laurum non comederam. Multum ſanè Tibi debet ille, ſi à tua inſtitutione tam brevi tempore ad tam aug[illegible]los [illegible] aſcendit: Multum etiam Kypio, qui ſuâ eum eruditione, quantum potuit, adjuvit ſedulò, & auctoritate ſuâ, quâ plurimùm pollet, Marpurgenſibus commendavit: Nec nihil fortaſſis mihi, qui & præfationem Diſputationis, quam vides, confeci, præter cothurnum quatuor ultimarum linearum, huic pedi non ſatis aptum, allocutionem, præterea Jureconſultorum in ambiendo honore, prologum & epilogum recitandum, cùm Diſputatio haberetur, ipſam denique Orationem in ſolenni renunciatione habendam, quam fortaſſis aliquando videbis cum typis deſcribetur. Eſt autem de hæreticis capitali ſupplicio non afficiendis. Sed hæc Tibi dicta puta, qui mihi lapis eatenus eſto, quamquam veriùs aliàs gem[illegible] nominandus. Miraris Tu fortaſſis meam quoque facilitatem: Sed quid faciam? ita teneram habeo frontem, ut contra pervicaces preces durare nequeam. Imò ut ſcias, Tui quoq; cauſsâ hominem mihi nonnihil devincire volui, ut tanto plus haberem in eum juris ad urgendam fidem Tibi datam. Meum quidem ex [illegible] eſt hactenus ex immenſo labore compendium, præter ſtyli ſi fortaſſis ab exercitatione profectum. Donavit heic mihi Caſauboni Exercitationes contra Baronium, quæ duobus florenis noſtratibus veneunt, & Politiani Epiſtolas, cùm eas atramento conſpurcâſſet, tanquam ſibi inutiles reliquit. Promiſerat tamen, ſe mihi donarium Marpurgo curaturum, adeoq; novem nuper florenos numerari juſſerat per ſartorem ſuum, cui jam antea ære ſe alieno ad quadringentos quaſi florenos obligavit, ſed illius juſſus eventum adhuc exſpecto, & non admodum quidem requirerem, ſi modo id, quod ſanctè mihi recepit, præſtiterit, ut fratri meo Joachimo, cui res jam ad incitas pœnè redibit, de conditione honeſta pro-

profpiceret. Spem Tibi de patriciis difcipulis factam, de qua etiam Cafpar ille nonnihil retulerat, decollâffe, tam diu Tecum doleo, quàm diu non aliâ fimilis vel melior fe Tibi oftenderit. Mihi quidem hîc non malè multa fuccederent, nifi, nefcio, quid obftaret, quod calculos fcitè pofitos non parùm conturbat. Nuper difcipulus meus à tutoribus domum quàm primùm redire juffus eft, ob cauffam, quæ literis non exprimitur, fed mihi tamen, nifi fortaffis gravedine laboro, non nihil fubolet. Cùm autem ante triduum de difceffu meo fignificâffem cuidam Profeffori Viro, in quo candorem præcipuè laudare, injuria eruditionis fuerit, nifi vulgatior hujus laus illius raritati precium feciffet: Is, ut eft mei fupra modum ftudiofus, poft dolorem, quem hoc meo fermone caperet, confilium mihi fuum aperuit, quod jam pridem de me (quod fine jactantia dictum velim) ad publicam profeffionem evehendo cepiffet, fi modò aliquandiu pedem hîc figerem, aut ad manum fibi, primo quoque loco vacante, forem. Offerebat etiam juffu Theologi itidem Profefforis Comitem mihi quendam Carinthium illuftri loco oriundum, cujus aufpiciis Italiam interea luftrare poffem, idq; non fine ftipendio ampliffimo. Nihilominus adhuc ipfe trepido, nec ad fpei tam blandientis auram antennas audeo folvere, five quòd ipfe naturâ timidior tranquillo quoque mari tempeftatem metuo, five, quòd non defint fortaffis in cœlo præfagia turbinis fidera, quæ cymbam meam in portu terroribus alligant. Hactenus quidem omnium primum id mihi fedet, ut, quoniam hunc adolefcentem itineri tam periculofo folum committere nequeo, in Marchiam ipfum comiter, ubi confilium, quod dicitur, in arena, inftar gladiatoris, capiam, an cum hoc eodem difcipulo Lugdunum ad Vos ablegari mihi contingat, an Argentoratum bonis avibus reverti poffim, an Parentibus ad non minùs me fplendidas in patria conditiones vocantibus obfequi debeam, an denique ad illius Scholæ, de qua fuprà, fafces, fi nemini fortaffis alii commiffi fint, redire, femelq; tandem cum fato meo transigere velim. Ubicunq; futurus fim, Te, mi eruditiffime Richtere, nunquam celabo, id modò mihi conftet, ubi meæ Te literæ invenire debeant in pofterum: Ut autem ad me tam incerto confilio vagantem tuæ priùs tutò pertingant, optimum factu videtur, fi eas ad Joachimum fratrem meum Roftochium mittas; ad illum autem rectiffimè deferentur, fi eas Hamburgenfi cuidam mercatori Melchiori ab Huda transmittas. De Commentario Soneri τῦ μακαρίτη in Ariftotelis Metaphyfica propediem edendo per-mihi-gratum, quod fcribis fuit: Veruntamen cùm optimi Viri fama, propter opiniones quasdam philofophicas, hoc tempore præter æquum laborare ceperit, cavendum erit, ne levi occafione crabrones irritentur. Nollem equidem alienæ manus injuriam ad caftrandum tanti Viri laborem, imò nec ad caftigandum accedere; Sed tamen

cùm nonnulla, quantum memini; ſatis ibi periculoſè, &, ſi mihi judicium hîc ſumere debeam, paulò magis peripateticè quàm Chriſtianè diſputentur, invidiæ declinandæ optimum mihi videretur, ſi præfatione modeſtâ ſcopus authoris detegeretur, qui, ut nos ſcimus, minimè fuit religionis Chriſtianæ dogmata convellere, quod perverſi quidam illius voluntatis interpretes autumant, ſed oſtendere, quid & quantum de ſummis rerum cauſſis, ipſoq; primo ente, naturæ lumine, Philoſophorum Coryphæo Ariſtoteli conſtiterit, aut nobis in illius veſtigio hærentibus conſtare poſſit. Sed videor mihi γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας: Quaſi Tu pro tua prudentia non multò me meliùs hæc & videre & providere poſſis. Dominus Jeſus, ἐν ᾧ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, Spiritu ſuo nos regat, ut & intelligamus, quæ vera ſunt, & faciamus, quæ ſunt optima, cui Te, mi amiciſſime Richtere, ex animo commendo. Argentorati a.d. III. Non. Maji Juliani. Anno æræ Dionys. 1616.

Georg. Güttlerus Georg. Richtero.

PIetatem i. e. Lucem in tenebris. Jam dudum, iterum iterumq;, mi Amice, malum nomen apud Te audio, ut qui migrârim fidei datæ memoriam, nec cum nugis meis Tibi me ſtiterim. Culpâ caſtum me eſſe, citra ruborem non dixerim, & quòd probibendis cerulis miniatulis (nôſti antiqui judicii ſecretum ſuffragium) obtendam, præter fatalem ignaviam meam nihil habeo, quæ uſu ita me ſuum fecit, ut vix tandem triſtis imperii pauſam exorare potuerim, &, deſidiæ ſomno paululùm excuſſo, narrare ſomnia Sabinorum, qui olim dicti ea ſomniare, quæ volunt. Cùm à vobis primò digrederemur, formicino gradu promovimus. Ventus enim nobis non ſatis benevolus & aſſiduis pluviis terra aqua facta erat, ut (abſint Philoſophi, qui nec pugnam nec puritatem elementorum admittunt oculis obviam) conſpirâſſe in moram noſtram Elementa viderentur. Soluta tamen eſt, contumaciam fatalem, urbium & munimentorum ſepes contigua, quæ à Bono noſtro Deo poſita Hiſpanum oſtraciſmo pepulit, & æterni imperii (ne vetus verbum pereat) ſpem non floribus, ſed maturis fructibus oſtendit. Exemplum deſperatæ neceſſitatis, quæ, abdicatâ purpuræ veneratione, docet calcare Regum minas, & ridere mortem, quam quidam terribilem exiſtimant, cùm ad cœlos ſit certiſſimus aditus & extra damnatas inſulas, ubi fluctus ſine pauſa & tempeſtates perpetes, portus. Fuêre & alia quæ voluptatem fermè Epicuream afferent; Belgæ infrunitâ fronte negabant Benzium noſtrum, ad eam, quam promere ipſis videbatur, ætatem, oberrare in caſtris Muſarum poſſe, & virgineum intacto ſervare in corpore florem; cùm ille, ut ipſius fert ingenium,

paulò

paulò religiosiùs adfirmaret, hoc tulit responsi sive oraculi plus quàm Apollinis, permolendis (nôsti Comici illud) aliorum uxoribus ætatem ipsum contrivisse. Non ero prolixus in nugis recensendis, quæ quotidie plus quàm Africâ monstrorum fertilitate se offerebant. Adjiciam hoc. Cùm Bredæ in Illustrissimorum Nassoviorum proavita arce oberraremus, Barones N. cum prodigo pietatis præfecto (nôsti & veterem dictionis indolem) nos oppressêre, unde turmatim movimus & Selandiâ, Flandriâ, (quam ego superiore suâ parte iram Martis, ob miseram & miseriâ miseriorem vastitatem, Poëtica licentiâ dicerem) visâ, plùs quàm satis, cum Gallo nauclero, quos ego si lapides, ferrum, plumbum, stipites dicerem, in imperitiam ipsorum peccarem, in Angliam favente Cœlo & terrâ, non stultitiæ, sed miseriæ nostræ appulimus, quòd Regnum absolutissimæ felicitatis, (quam vulgus opinatur) dicerem, nisi odium laboris & luxuriæ, gemina Germana soror superbia, maculam quandam inurerent. In alta enim pace & exactionum Angli, (quæ aliàs rem Europæ cum pulvisculo liguriunt) securi in utrumq; oculum sedulò stertunt, Ventris sacrifici, & tot unguentis, vestimentorumq; quasi militaribus copiis variegati & delibuti, per omnem ætatem animam agunt. O miseram Necotianam, (Tabact)quam tota provincia olet, ut existimares Fato constitutum OPTIMUM ET SINE OMNI FRAUDE, ET FASTU REGEM, qui conniventibus oculis has omnes curas despiceret, & Symbolici Lemmatis sui, Beati pacifici, memor, hoc magno conatu ageret, ne quâ nubeculâ solem voluptatis Anglicæ interciperet. Fortè anquiris de Christiana Fide & Vita; in privatam Jovis diphteram non inquiro, quam nobis spectare nefas, illis, nescio, an liceat, qui, per annos plùs quàm centum nihil aliud quàm DEUM occultum explicantes, lites serunt & metunt. Bataviam nôsti, ubi orare existimarem & piè vivere plurimùm plurimos, nisi nihil aliud olerent, quàm lucrum mercatorum, de quibus quid concilia sancta, & Dii, qui moriuntur, Pontifices dicant, in promptu Tibi est. Certum & hoc mihi in vasto Oceano & portubus, quos salutare datum est, nihil visum navium nisi Batavarum, qui honestâ quasi custodiâ mundi divitias possident. Sed extra oleas curro. In Anglia Rex pius, quid de cæteris proceribus dicam, non habeo. Hoc ipsus coràm vidi. Cùm ægrotos tangeret, (gentilitium Anglorum & Gallorum Regum miraculorum donum) neque adessent omnes momento, qui manum & munificentiam Regiam ambirent, & aulici exclusos cuperent Regem jussisse, ut plures coràm sisterent; in mensa devotè orari vidi Episcopos tres coràm astantes ex veteri, si rectè puto, instituto; cùm illis plurimum sermonem miscuit, non cum Ducibus & Comitibus, qui barbaricâ supplicatione tanquam Deum colunt, sed antiquos hos ritus non visus est attendere, testor fidem, occurrit in ipso Regis

cubiculo illud Comici mortuo ad ſepulcrum jocum dictum eſſe; vultus ipſe plùs quàm Euclid. & Ariſtotelicis demonſtrationibus arguit Regem planè harum rerum, quæ in oculos incurrunt, minimè curioſum. Miſertus ſum animitus, quam ob cauſam vitâ exutum cuperent, & toties novis machinis tentarent, cùm prima hominis facies à crimine ſatis & odio defendere poſſet. Hoc tamen non poſſum augurari, quî fiat, quòd eos, qui Jeſum Dominum noſtrum ſocii & ſanctorum audiunt, plùs quàm vatiniano odio proſequatur. Epiſcopum unum novi ſanè modeſtum, qui & ipſe non abnuit, poſſe Civem bonum eſſe, qui non Chriſtianus bonus, ſtat tamen verbum Regis. Quid porrò dicam in Anglia, literas domo noſtrâ habuimus: Non in Bataviam, ſed Galliam continuato itinere ire juſſi ſumus. Pax conclamata eſt, quod proclama Galli plùs quàm bellum timere ſoliti ſunt. Rediimus hodie cœlo, terrâ, mari, faventibus, omnibus incolumibus, niſi quòd natu major Nothafft valetudinem tabaco decoxit, & Medicorum opem inclamat, qui antea exiſtimabat fruſtrà Medicos conditos, qui ebibunt ſuccos & pecuniam mortalibus. Eſt & alia res, ſed ſeria, quam Te volo, primò, ut quæras, an Lambertus, linguæ Gallicæ Magiſter, meas acceperit, ſecundò, ut ſuppellectilem librariam meam curæ habeas, hoc modo, ſi Bonaventura Elzevir Francofurto quid librorum meorum Argentinâ ad ſe miſſorum detulit, ut ſedulò compactos & contra injuriam cœli & terræ defenſos mihi ſiſtas. Et Bruxellis ſiſtas cum literis deſtinatis in das Wirthshaus zu den 3. Römern (ſeyn 3. Weingläſer) ipſe Dominus Bonaventura, qui cætera, quæ ipſi in negotiis dederam, rectiſſimè curavit, & experientiam librorum mittendorum habet, & hæc curabit. Miſiſſemus pecuniam, ſed literas eâ prodi poſſe exiſtimabamus. Literas ad me dabis, ſed Bruxellas, ut dixi, deſtinatas, ubi, ſi quæ voles ſciſcitari, ad Te perſcribam. Quid mirabiliarii tui Norici fecerint, ſcripſerint, non curo. Hoc tamen animitus mihi Tibi imprecor, ut Domini gratiam & juſtitiam operemur hilares, ſed cum timore. Quæſo, fac, ut compareat in negotiis meis & faciendis & feſtinandis opera tua. Jurare juſſi non ſumus, imò prohibiti, ſed quinquagenarium Ethnicorum juramentum puta, me vivere Tibi ſemper amicum, imò & mori & pietati, de qua utinam & ter utinam non diſputaremus, ſed ipſam faceremus, conſuleretur rectiùs rebus humanis, quæ ſi animam haberent, jam agerent. FILIUS ENIM HOMINIS CUM VENIET, VIX REPERIET FIDEM. O utinam ego Te ſoſpitem & corpore & animo vernantem & florentem, quod an & ubi ſit futurum, non liquet. Hoc tamen abundè me tuum totum ac mancupio emtum ſemper ſolidè ſobrieq; amicum, quod DEUS novit, quo teſte hæc ſcribo. Uliſſingæ 9. Maji Anno 1616.

Idem

Idem Eidem.

O Inanes, mi Richtere, Ennii verbo, ſperes meas, quibus non inſtar amantum ſomniando, ſed vigilando Te amplexabar, imò & de rebus quibusdam exertim fabulabar: Quæ autem calamitas ſpei meæ animum abſtulerit, nondum animus obſcævat. Bruxellis enim dum hæreo, nullibi compares; dum Lovanium excurro, neque ibi mica Richteri. Quicquid ſit cauſæ, penes me calamitas eſt, quæ effronte pervicaciâ inclementer hac vice me habuit, & tui inſpiciendi copiam non dedit. Tune inquis Lovanii? ego verò ſum, mi Amice, dum literas domo meâ & alteras habeam; invitiſſimus enim in Galliam per hunc æſtum exerro; ſed jam habeo, & cras invitis Muſis, Gratiis, ſed Deo, crede, benevolente præcipitare iter cogor, & inviſere meos Germanos, quos inibi comperio, hodie epotâ mente & Maſſici montibus plebiſcitum tribunitium condidiſſe, ne quis audiatur Gallorum linguâ, niſi convicium paſcere & pecuniam ſuam jugulatam cupiat. Ibo tamen & Lovanio relicto, ubi fermè ob Sophismatum nubem; quâ bonas artes & præcipuè Theologiam obnubunt, mei memoriam amiſi, audiam, quid dici velint Galli, & quod palmarium, ſuis turbonibus decernant. Ubi futurus ſim & larem meum habiturus, præter DEUM noviſſe neminem. Ubi Lutetiam pervenero, inſtitutis in animo conſiliis & argumentis quid decernam, quod ad Te primâ occaſione ſedulò perſcribam. Jam ampliùs non garriam, & Comici verbo Te jubeo valere, atq; adjuvare, ut Te juvet ſalus. Viſne, ut verboſâ gratiarum actione aures tuas obtundam? non credo, Te velle, ut migrem amicitiæ leges, & promtitudinem tuam in rebus meis procurandis apud Te commemorem, præſertim cùm paria facere, imò quod in rem tuam eſt, impigrè capeſſere cordicitus amem. Bonaventuræ tamen Elzevirio amiciſſimam ſalutem, velim, nuncies, & pro ea, quam in res noſtras ſumſit, opera gratias agere. Quod apud nos ipſi eſt reliquum, curabimus, ut per mercatorem noſtrum nundinis autumnalibus ſatisfiat. Sed audi, quid noſtra hoſpita emolitur furiarum, illáne affirmare venefica audet, nos conduxiſſe cubicula. Crede hoc mihi & fidei quam nunquam violavero, nunquam id à nobis factum, nunquam in mente nobis fuiſſe: Quæ enim neceſſitas hoc à nobis exigeret. Nonne hoſpes ipſe nobis cubiculum curare cogitur, qui nos paſcit? quam ob cauſam argentum inutiliter domo egurgitaremus. Non ea nobis mens, etſi redire per fata licuiſſet in Dn. Conradi ædibus ſatis loci habuiſſemus: 36. florenos exigit, non omnia ejus cubicula toto anno tanti æſtimarem: Non ego ita fungus, ut rem ſic curatam cupiam. Audi porrò, ipſa cum Cameras vacuefaceremus, & ſuppellectilem domo efferri vellemus, dicebat, non opus eſſe, in inferiore ædis

parte satis loci, donec asportare in patriam aut quò vellemus, liceret. Quæso, mi Richtere, hanc causam meam & meorum suscipias, nec vetulæ ludum absentem me fieri patere, ô si liceat coràm adesse, quàm fortè parùm grata sacrilegissima audiret, sed digna nefariâ machinatione, quæ famam meam ludificari audet. Non hic mos meus est, Annos aliquot inter peregrina Musarum emporia combussi, omnem pecuniam, quam debui, cum ramento redegi incolumem: Neque, cùm abirem à Vobis, aurum nostrum omne occupatum erat, poteram (si voluissem, quod debere illi mulieri triobolari) expungere nomen, neq; suppellectilem opponere pignori; scripsi etiam ad Dn. Bonaventuram, ut fratrem in nostrum auxilium, gnarum harum rerum, asciscat, & nundinis autumnalibus mercatori reculas nostras sistat: Spero enim hanc rem bona cum gratia à Vobis decidi posse. O quàm hæ lites meo stomacho non ita, ut Theosophis quibusdam, conveniunt, quos Besoldus in Theatro sistet in Hercule suo, nisi in spongiam jusserit venustissimam partem incumbere. Quid Joves patriæ è sublimi machina murmurent, averem scire, & si literis Lutetiam ad Dnn. Fürnberg/ sympatriotas tuos, meorum nobilium nomini literis inscriptis crederes, procul dubio volupe mihi esset. Gallinam hæc scripsisse, credo, credes, ita in summo animi & corporis calore effudi: Necesse tamen est, ut præterea nostri Lamberti nomine quid attexam. Ille Lovanii parumper egit, & in Germaniam ire parat; nôsti hominem bonum & diligentem, qui literis tuis Altorfii se juvari posse confidit, quæso, hanc operam vicariam sumas, & apud aliquem, qui rem ipsius juvare velit, & possit, sedulò juves, & literas tabellario Antverpiensi credas, ille ab ipso exiget, & feliciter utetur. Facies certè & diligenter, uti ego confido: Non credo, Epistolam meam lautitiem aliquam olere posse; exaruit enim & ambusta à sole vapescit, & Lovanii præter Puteanum credo homines lapides loqui, non verba. Priscianus omnibus exemplis miserè publicitùs vapulat, nec nisi Brutiani manu medicina fieri posse videtur. Græcas literas ne per transennam quidem viderunt. Jurisprudentiam nostram tot portentosis nescio, quorum nebulonum commentariis onerant, ut Elephanti ab India vix ferant, disputationes habent satis crebras, sed nihil ibi, quod Papinianum aut Africanum oleat; unus tamen atq; alter est, qui Wesenbeccium velit legisse videri. Lovanii 26. Junii Anno 1616.

Ignosce festinanti, nec relegere licuit, ita præcipitanda rerum mearum cura. Salvere jube meis meorumq; verbis omnes BONOS, quos novimus, amavimus, imò amamus.

J. Cella-

J. Cellarius Georg. Richtero.

S. P. Nec ſuccenſeo Tibi propterea, mi RICHTERE, nec communi noſtro Amico EHRNREUTERO hanc felicitatem invideo, quòd doctiſſimis tuis literis ipſum ante dies plusculos beâris, me neglexeris. Dandum erit hoc affectui, quo in illum, nec fortaſſis absq; cauſſa ferris paulò ardentiori: Secùs enim unà fideliâ duos parietes dealbâſſes, calomoq; tunc Lutetiam cogitanti vel lineolam unam & alteram Muſis meis conſecrandam imperâſſes. Ego fidei datæ memor Tibi nuncio nos & ſoſpites Pariſios perveniſſe, & ſubſtituros hîc ad feſtum usque Paſchatos. Rex pridem ad aulam rediit. Habemus & MORNÆUM (quantum Virum!) è Comitiis Rothomagenſibus iſthâc reducem: Cujus præſentiam ego quidem haud permutarem cum vel Regis vel Reginæ. Hoſpitium idem excipiet nos in craſtinum, ubi Tu ÖLHAFIO nuper bene fuiſſe ajebas. Noribergæ intra mænia urbis nata eſſe, gemellorum XVI. paria Dn. REMUS ſcribit, idq; non niſi VII. hebdomadarum ſpatio. Unde noſtros bene ominari dicit. Academia Altorphina tribus Profeſſoribus aucta eſt, Dn. Chriſtiano Matthiâ, Theologo, Gieſsâ accerſito; Georgio Nœsslero, Medico; & Petro Saxonio, Mathematico. Fac, ut habeam catalogum ſive indicem Privilegiorum Nationi German. Aureliæ conceſſorum; neq; omnium tamen, ſed præcipuorum. Bene vale & Salve cum familiaribus tuis utriusq; ſexus tam ex meis quàm ex ÖRTELIIS meis Tui amantiſſimis, quorum natu minor has Tibi commendat, quas includam, Avaricum Byturig. curandas. Raptim Lutetiæ poſtrid. idus Januar. 1618. ſecundùm faſtos Julianos.

Idem Eidem.

S. P. Præcellentiſſime & Eruditiſſime Dn. Richtere, Amice ſingularis. Non à mea quidem deſtinatione, ſed defectu hominis fidei probatæ factum credas, quòd argentum tuum tardiùs accepiſti, id quod tamen vel jam tandem Tibi rectè traditum eſſe, nullus dubito, de quo certior fieri cupio primâ quaq; occaſione. Quanquam verò tuæ me dehinc Lutetiæ non ſunt offenſuræ, tamen quin reſpondeas, & Heinſianas cum aliis ſubmittas, nihil impedit. Habes operam paratam Dn. Chriſt. Boſchii, qui officii nihil in ſe deſiderari patietur. Perinde autem fuerit, ſive literas tuas Londini ſeu Ambſtelrodami inveniam. Matura id, Te obſecro, quantum potes. Nos perendie diſcedemus. Andreas Baier nobiscum eſt in hunc diem, abiturus tamen & ipſe poſt bihorium: Is Pariſios ingrediens,

grediens, &, in hospitio ad signum crucis ferreæ divertens, equum reddidit puero cuidam sibi nec deinceps viso, nec videndo fortè in posterum; eâ causâ, quòd se missum asserebat ab eo homine, ad quem equus pertineret, quemq; ipse verò nomine appellabat. Si quid doli commissum est, indignè fero oscitantiam civis nostri. Neque puto tamen tuum hîc versari, quod averruncare velit Averruncus, sive damnum, sive periculum. Quicquid fuerit, fac, ut sciam. Bene vale cum Nobilissimis convictoribus tuis & familia universa, quos salvere singulos & florere cupimus, mei Örtelii & ego, neq; tenuit Pellerus. Lutetiæ XIV. Cal. Maji 1618. Ignosce, quæso, festinationi.

Idem Eidem.

S. P. Præcellentissime & Amicissime Dn. RICHTERE. Tandem valediximus Angliæ, posteaquam Regem & Carolum, ejus filium, infixo utriusq; dextræ osculo salutavimus. Neq; verò Archiepiscopum Spatatensem, Virum nulli pietate & modestiâ secundum, præterivimus, neq, magnum illum Regni Cancellarium, eloquentiæ laude planè incomparabilem. Deum testor, mi Richtere, me in isto Europæ angulo nullos invenisse homines, nullos, inquam, sed profectò meras GRATIAS. Fallitur & fallit, si quis aliam Phœbi & Musarum sedem sibi fingit. Nunquam audivi omnis generis instrumenta Musica doctiùs pulsari, quàm à Nymphis Londinensibus. Heu quàm abitus isthinc mihi fuit gravis & difficilis. Sed ferenda sunt, quæ mutari non possunt, etiamsi premant. Discessimus ergo ex aula III. Eidus Junias, Caletumq repetivimus, unde fossam freti Britannici spatio trihorii cum dimidia superavimus, indignante quidem Neptuno, sed favente nobis aliqua ex parte Aëolo. Hac horâ, ut filum abrumpam, (sic me summa cogit temporis angustia & literarum scribendarum multitudo) quâ Antverpiam ingredior, tuæ mihi ut eruditissimæ & humanissimæ, ita longè jucundissimæ per Mercurialem quendam offeruntur, unà cum epistola Præsidis Cambericensis, Dn. ANTONII FABRI, Viri summi. Gratam præstitisti operam, dum ad HEINSIUM & BERTIUM scripsisti, ego munere meo fungar non apud illos tantùm, sed & coram MEURSIO & SCRIVERIO. Fezerus, civis noster, & ipse contrario itinere Angliam modò petit, habitâ priùs Disputatione Doctorali Basileæ, quam mihi exhibuit. Resalutant Te tuasq; puellas cum Nobilissimis Dnn. Landschadiis ORTELII mei, quibus Salutis vestræ dictio fuit longè acceptissima. Pellerus quoque noster Vos salutat centies millies. Alter mensis elabetur, antequam in Galliam revertemur. Baierus pridem abiit in patriam, cujus mater nupsit Linckio, Archigrammatæo Werdensi, (sive scribæ potiùs suburbii istius, ne quid loquar insolentius)

Noso-

Nosocomii jam Magistro designato. Pomerus quoq; ex Anglia in Belgium sese contulit, rei mutari, ut ajunt, operam daturus: Cùm Oxoniam venissemus, narratum nobis fuit, ipsum paucis antè diebus urbe egressum rectâ viâ Londinum properâsse; ubi tamen reditum nostrum aliquandiu, quanquam frustrà, præstolatus est. Speramus, nos fruituros ejus adspectu apud Batavos. Bene vale, imò bene Vos VALETE ac SALVETE, quotquot supra nominavi, à CELLARIO VESTRO, qui hæc raptim Antverpiæ prid. Joh. Bapt. Stylo Juliano. 1618.

Idem Eidem.

S. P. Clarissime & Charissime Richtere. Quo momento tuas Lugduni Gallorum XVI. Cal. Octobr. datas accipio, ecce eodem Tibi respondeo. Frustrà autem es, Amice candidissime, si speras, Te de minimis Rerum Belgicarum, ne dum maximis medioxumisq;, certiorem fieri posse unâ epistolâ. Dies citiùs me deficiet quàm oratio, si vel obiter Tibi illa saltem recensere velim, quæ de eruditione & virtute tua inter me & Proceres Academiæ Batavæ ultrò citroq; acta sint, SCRIVERIUM dico, HEINSIUM, CUNÆUM, MEURSIUM, JACHÆUM, BERTIUM & NERÆUM, hospitem meum, aliosq;, quorum nomina haud succurrunt properanti, ut RUARUM taceam & infinitos isthic magno numero degentes, Tibi olim nec ignotos nec ingratos. Dn. Bertius, à quo literas has habeto, hîc Lutetiæ hærebat, cùm Tu Nymphis suis Aureolis valediceres. Ego vicem illius doleo. Brevi actum erit de omnibus qui detectâ jam prodigiosâ Arminij (nôsti sectam) factione ad infamiam propemodum redacti sunt. Vidistine picturam illam currûs Arminiani? Illic venator quidam primas, noster verò hîc secundas tenet, eheu! Sed, quod restat, nam abrumpere filum cogor, Te salvere & honores JCti Tibi felices esse jubent unà mecum mei Ortelii, adolescentes bonæ notæ & affectu peregregiè facientes. Bene vale. Raptim Lutetiæ die D. Thomæ sacro 1618.

Idem Eidem.

GEmino Te mactabo gaudio, mi Cl. Dn. RICHTERE. Hinc seorsim Tibi mitto hasce HEINSI nostri literas. Alteras enim à Dn. BERTIO vel paulo antè accepisti, vel eodem accepturus es fasciculo, gemino tamen involucro. Nihil addo, præterquam me hoc ipsum scribere Aureliæ eâ horâ, quâ ingressi sumus urbem, imò, ne quid Tibi mentiar, momento. Simul autem is, qui litteras meas capit, iter suscipit Lutetiam. Quare nihil aliud exspectabis quam salutem perquam officiosissimam à meis Orteliis & Pellero, qui

nobiscum adhuc strenuè proficiscitur: Probo dictum. Hodie XXVII. milliaria commodè perfecimus, nihil obstante viâ inviâ propemodum B. V. Ex altera, quam agnoscis, patria tua. Ipso festo Nativit. secundùm fastos Gregor. 1618.

Cras Lari tuo sacrificabimus.

Matth. Zuberus Georg. Richtero.

SAlve, Nobilissime & Consultissime Dn. D. RICHTERE, per hoc mihi solenne & familiare salutationis signum &, quam mitto, Dedicationem, placido suscipe vultu, VIR & DOCTOR EXCELLENTISSIME, Domine ac Promotor exoptatissime. Hujus verò mei erga Nobilissimam T. Excellentiam & Claritatem cultûs & affectûs caussa est princeps fiduciæ magnitudo, quâ omnes bonos ac literatos prosequeris: Cur ergò excluderer ego numero ab universali, qui fortè in eo, ratione venerationis, primis æquandus sum? Audivit haud dubiè Nobilissima T. Excellentia de me recepto ad tempus in numerum Municipum sive Adsessorum, donec probatis & perspectis m eis moribus altiùs promoverer: Interea verò solis mihi heic vivendum esse Musis ac Dedicationibus, quas sæpe invitus foràs do, propterea quòd perpauci sint, qui Musas & earum cultores (Poëtas) honorent. Pleriq; mihi materias, quæ magnô constant è typographica officina, aut illectas, aut alias remittunt inhonoratas: LL. Dd. semper & singuli erga me fuêre benigni, nec oleum facilè aut operam perdidi, quanquam alius alio liberalior fuit & benevolentior. De T. Nobilissima Excellentia non dubito. Scit enim ea, quantum sit pretium typographi, & quid Laureatas deceat Musas. Quibus vale, Juris & Justitiæ Sacerdos sanctissime, & votis meis, κατὰ τὸ δυνατόν σου æquus succurre, & plures per tuam Suadam mellifluam mihi Patronos redde.

Sic Tibi restituat, quæ toto insumpseris anno,
O decus Eunomies, unicus ara Cliens.

Dabam Noribergæ 15. April. 1621. ex ædibus Martini Demlingi, Aurifabri.

Idem Eidem.

QUàm miseranda sit mea, Nobiliss. & Cl. Dn. D. INSPECTOR DIGNISSIME, conditio, plæræq; meæ dictant Præfationes. En novam habes, eamq; miram. Rogo autem, immò obsecro, hac epistolâ, ut facundâ tuâ intercessione apud Nobiliss. & Ampliss. Dn. Fürerum meam agas caussam, quò ordinariam consequar lectionem & stipendium accipiam auctius. Ex eo enim tempore, quo cæpi extraordinarius apud Vos esse Lector, nescio, Fatóne an Invidiâ

Invidiâ aliorum schola mea privata fuerit collapsa: Certè collapsa est, nec sperat instaurari posse. Quocirca seriam porrò mei habete rationem, siquidem Vobis satisfaciam meâ institutione: Tantillo enim stipendio alere me non possum. Neque verò Poësis, quam prostituo potiùs quàm exstituo, magnum mihi parit lucrum: Immò jacturam & dispendium sæpius facio quàm compendium. Vivo domi inter multiplices curas & cruces, necessariis destitutus lignis, sæpe etiam panibus, ne quid de carnibus dicam, nec potibus scribam lautioribus, contentus interdum frigidæ aquæ haustu, quod senectuti meæ admodum obest. Effice, effice Nobiliss. & Consultiss. Dn. D. quò intelligam tuâ promotione me emersisse è cœno paupertatis & ad splendidiorem fortunam evectum esse. Ego omnibus viribus ingenii enitar, ut scholæ novæ prosim, & honori sim: Vos etiam date operam, quo honesto alar stipendio, nec posthac Poësin tam turpiter cogar prostituere. Tandem rogo, ut primam partem Progymnasmatum Pontani T. Excellentia mihi per uxorem mittat, & ad tempus commodet: Immaculatam restituam. Feliciter vale, ô decus & præsidium meum nobilissimum. Dab. Norimb. 19. Nov. 1622. ex ædib. Hülsianis.

Joh. Ludov. Pönlein Georg. Richtero.

Χαίρειν.

Nullus planè mihi stili cultus, rarum prorsus sterileq; seminium scriptionis. Quæ igitur audacia, quæ impudentia, hac literarum mearum ruditate ad Te, Cl. & Exc. Dn. D. Herculeis antea, ut ita dicam, laboribus obrutum, non irrepere tantùm, sed etiam irrumpere? Dignus certè sum, qui elogio quodam mittar temeritatis: Fateor, sed necessitas huic meæ petitioni patrocinatur, adjuvat eam Cl. & Excell. T. humanitas, quæ non tam verborum blanditiis vultusq; serenitate vestita, quàm ab ipso pectore nuda conspicitur, hac, inquam, ceu acri quadam thyrso, instigor. Ulysses igitur mihi sis rogo, &, non ut ille Sirenib. clausas, sed vacuas Minervæ meæ, licèt rudi, aurium ædes præbeas, rem unâ, quod dicitur, perticâ admetiar. Quoties, bone DEUS! in bivio virtutum vitiorumq, constituti, sinistrorsum solo errore abimus? quoties, relicto Gratiarum choro, Sirenum sectamur cantum? ætatis nostræ causa est lubricitas, quæ ceu agilis cymba æstu adhuc & fervore sanguinis fluctuat, inq; mari circumagitur omni vento. Quis autem Galenus aut Æsculapius huic morbo subveniet? Ecce offert se Romanus noster sapiens Seneca: Aliquis Vir bonus, inquiens, ante oculos habendus, ut sic tanquam ipso spectante vivamus, & omnia, tan-

quam illo vidente, faciamus. Ex Apollinis certè ore consilium hoc destituisse videor. Sed ubinam locorum reperitur vir bonus? certè,

Rara avis in terris nigroq; simillima cygno.

Catonem quidem nobis proponit, monstrat Lælium: *Sed vixerunt, abierunt jam, & reverti debent.* Horum interim loco Cl. Dn. Dinnerum, Antecessorem Universitatis nostræ primarium, habere, inter prima mihi & calida vota est. Quàm enim opto conversationis ipsius dulcedine frui! quam sit o homini vitæ doctrinæq; ipsius liquorem, cujus pauculæ stillæ mihi aliquando palatum irrigarunt, uberiùs degustare! Sermones certè eos (ô Nectareos) toto animi & corporisq; sinu exciperem, ad quos tanquam Orphicum trahar concentum: Ex hac enim scaturigine multa me haurire posse, non publici temporis, certo certius est. Te igitur Cl. & Exc. Dn. D. per genua tua oro, commendatione quadam viam mihi ad hunc Virum variæ reconditæq; scientiæ (laudem ei hanc debeo) sternes, liberumq; ad Exc. ejus aditum aperias, ut ad eum, tanquam flaminem Dialem seu Augustissimam Imperatoris statuam, confugiam, ejusq; ductu & auspicio immensi Juris Oceani nuper ingressi vias quodammodo cognoscam, quæ sc. persequenda ac tenenda; quæ vada, quive scopuli effugiendi, ne errore consilii in eos delatus, temporis & laborum jacturam faciam. Hæc si impetravero, repudiabo omne felicitatis meæ caput, hocq; Clar. & Excell. T. officium, imò beneficium animo non exuam, usq; dum

Orcus ab Acheronte mortuos amiserit.

Vale Cl. & Excell. Dn. D. petitioniq; huic meæ benevolentiæ tuæ auram adspira. Dabam Altorphii die 21. Octobr. A. C. 1625.

Richterus Pœnlein.

SAlut. & Observantiam. Amplissime & Consultissime Vir, Domine & Amice plurimùm honorande. Exemplar literarum quas inclusi & nudius tertius à matre illius, qui scripsit, vidua honestissima, accepi, tum animi tui observantissimi affectum singularem, tum bonam juvenis indolem, ejusq; propositum laudabile clarè significant. Sufficient Tibi, sat scio, hæc duo ad obtinendum, quod ille petit: Tertium, commendatio mea non nisi ex abundanti accedit. Sed quia superflua non nocent, honestæ petitioni ipsius deesse nolui. Rogo itaq;, ut eum, quem dixi, juvenem Romano more commendatum habeas, & hasce quasi aditum ad Te esse sinas: Neque dubitabo, quin ut olim mihi, ita & nunc huic Præceptor fidelissimus futurus sis, quippe qui non uni aut alteri, sed omnibus auditoribus tuis per plurimos annos singularem tuam benevolentiam animiq;

animiq; promptitudinem cum immortali nominis tui & Academiæ nostræ laude dec[illegible]eris, quâ felicitate Te quàm diutissimè frui opto, & in hoc felici omine d[illegible]ino. Vale, Academ. nostræ decus, & me, quod facis, ama. Dabam raptim Noribergæ Nonis Novembr. Anno 1625.

Pœnlein Richtero.

Καλῶς ἔχειν.

QUod à Natura quibusdam terris concessum, Cl. & Exc. Dn. D. ut suâ sponte fruges ferant, id tuo quoque animo. Beneficium enim accipere existimas, cùm in alium confers. Veneror certè candorem, amplector beneficentiam, quâ, vel ut lacte me nutritum is, quasi unicam prolem. Quis equidem quantusq; sis, è publica fama, quis verò in me ex præstito mihi officio, pridie & postridie profuturo, apparet. Reclusit mihi Exc. T. Cl. Dn. D. Dinneri & ædes, & animum, quem digitulo tantùm si tetigero, repertè apertum ut habeam. Miror certè, quæ Gratiæ & Veneres ipsi verborum hanc suavitatem dictent! facundiæ quædam Dea labris Exc. ejus insidere videtur, ita ab ore ejus mellitissimi orationis promanant rivuli, & suavitor me imbuunt. Planè indigebam isto rore, ad fœcundandum studiorum meorum agrum. Utar probè, & (nefas quidem dicere) abutar; fructus enim inde non modio tantùm aut trimodio, sed toto horreo me ablaturum, certus sum. Sed justo, Herclè, pudore suffundor, quòd Exc. & Cl. T. summis erga me meritis respondere minimè possim. Vires enim ad referendum Excell. T. redhostimentum, non animus, desunt. Accipe igitur animum gratum serenumq; erga Exc. T. affectum, quem firmum & immutatum retinebo,

Dum memor ipse mei, dum Spiritus hos reget artus,

hoc me facturum, voveo per hanc dextram, & per hanc sororem lævam. Cl. Dn. Dinnerus ipse literis Exc. T. significâsset, quantum ponderis isthæc commendatio tua habuerit, sed tantus negotiorum quotidie ingruit imber, ut vix otii sit aures scalpendi, quibus si se aliquo modo liberaverit, ipsus Noribergam ibit, ibiq; Excell. T. visitabit. Interim vale, meq; in posterum benevolentiæ radio fove. Dabam Altorphii 7. Novembr. A. S. 1625.

Christoph. Adam. Rupertus Georg. Richtero.

SAlutem & observantiam humillimam, Vir Magnifice, Nobilissime, Amplissime, Mæcenas ac Patrone semper colende! Quæ tua, Vir Amplissimæ Dignitatis, jam pridem in me fuit benevolentia, facit nunc, ut coràm Magnifico tuo

tuo vultu ſine m...u ... portunitatis compaream. Accedunt, aureum atq; eximium munus, D. GESTA PIETATIS, pro quibus gratias ago maximas. Habeo certè tanquam immenſi favoris teſtimonium, & in his, quæ me nunc circumſcribunt, anguſtiis ſolatium. Ut enim apertiùs dicam, calumniam in domo M. T. hucusq; mihi faventiſſima proximis hisce diebus adverſùs me debacchatam, amici quidam retulerunt. Bonum omen ſcilicet ſub novi anni auſpicium! Sed non moveor, quum morbo atque odio id ſciam factum, non judicio. Caput obtrectationis erat, Rupertum tempora ſpargere, foris cænare, Ciceronis filium, ut ita dicam, κυπελλόμαχον imitari. Cæterùm quod ipſi nunquam viderunt, alius fortè dixit, ſed alius mihiq; inimiciſſimus, & cui non domos ſolùm, ſed aures quoque patulas ij præbent. Jam igitur ſalva res eſt: Non enim de tacto, quod, ut JCti loquuntur, per aliquem ſenſum corporis rectè & verè perceperunt, ſed ex auditu teſtimonium perhibent. Miror autem inimici eos eſſe ſatellites, & nunc, in mei defenſionem illam bonæ mentis ſororem innoxiam paupertatem adduco. Etiamſi enim, verbis Paterculi, ubi negotia locum fecisſent otio, liberaliter lauteq; eo abuti velim; dicant, quæſo, unde mihi pecunia? Alterum erat, eundem Rupertum malè moratum eſſe, immemorem ſe officium quoddam hîc locorum ſperare. Riſi affatim, (quod ingenuè fateor) adultos homines tam puerilia ſibi ſomnia fingere! Sed (ut ad Te me convertam) quos mores appellare ſoleas,

- - - - *da Tityre nobis.*

An mellitis verborum globulis ſimulatores Italos imitari? mi mos Gallos agere? Germaniam exuere, aliorum criminationibus gratiam aucupari? &, ut Gruterus alicubi loquitur, conſtare ex elementis Simulationis ac Diſſimulationis? Hæc nempe fabula toto jam orbe luditur. At apud bonos cana fides, nuda Veritas, DEI & proximi amor optimi mores ſunt. De tota re dico, quod Ariſtotelem ajunt, cùm abſenti ſibi maledici audiret, lepidè profatum: *Ne flagellis quidem abſens cædi metuo.* Immò nihil novi mihi accidit, quum omnes in favore magnorum Virorum conſtituti hoc discere debeant, *mittendum eſſe ſanguinem Invidiæ.* Caveant interim ſuſurrones, ne juſtam DEI iram laceſſant, & dum paupertatem meam premunt, ipſi cum ſuis in perpetua egeſtate vivant. Vigilat enim Ultoris DEI oculus, & calumnia maximam veneni ſui partem bibit, nec unquam Heſiodéum illud irritum fuit,

Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων.

Ut ut verò, ſi bene nolunt, malè loquantur: Tamen inimicis nihil adverſi imprecor, DEO res meas ita gubernante, ne vita mea mare mortuum ſit, ſed in hoc mundo ſolitis ventis agitetur. Apud Perſas ſcribit Stobæus, ſi quis verberibus

flagrisve,

flagrisve, Regis jussu, cæderetur, gratias ei agebat, præclarè secum agi existimans, quòd Rex eum in memoria habere se hoc facto testatus esset. Ita ego immissas a Divina Providentia ærumnas non gemens, (id enim inobedientis est) sed lubens hilarisq; accipio, gratiasq; eidem ago, quòd, quàm munitum pectus adversùs hominum injurias habeam, probare voluerit.

Meam in indagandis familiis Romanis operam non remittam, si DEUS T.O.M. studiis meis porrò adspiraverit. Desunt tamen, quod in prolixa nuper epistola ad ALBERTUM meum ostendi, varia recentiorum monumenta, Fulvii Ursini Familiarum Opus cum Numis, Hub. Goltzius, Fasti Onuphrii Panvinii, Gruterianarum Inscriptionum Opus, in primis autem Stephani Vinandi Pighii Annales posthumi, quos Doctissimus ille Andr. Schottus edidit. Tu, VIR MAGNIFICE, pro insigni illa tua prudentia susurris ne moveare, sed in hoc Antiquitatis genere studia mea commendata Tibi habe. Vale, MÆCENAS MAGNE, & anni hujus ineuntis auspicium, progressum, exitum felicissimum experiare, carmenq; annexum boni consule! Dabam Altorphii VI. Januarii A. C. 1637.

Richterus Ruperto.

ITa est, mi Eruditissime Ruperte, expositi sunt, qui virtuti seriò student, malignitatis scopo, non secùs atq; eos affectatur umbra comes, qui in luce solis ambulant, suntq; seculi nostri susurrones, quibus Parthorum ritu tela aversis jacere & quidem venenata consuetudo jam pridem in naturam vertit. Neque etiam illud negârim, patulas esse mortalium aures, πρὸς τὸ ῥαδίως πιστεύειν τῇ διαβολῇ. Sed falleris, si tale quid Tibi apud nos evenisse autumas, & certè mores nostros ignoras, si vel quicquam times, ne in tam frigida & tam jejuna calumnia delitescamus. Multò minùs nostrum est, imò ab arte nostra sacrosancta alienissimum, condemnare, quem reum nondum audivimus. De calumina igitur, quod scripsisti, in utramq; aurem dormire Te jubeo. Neque dubito, si quæ defensio apud Amplissimum Magistratum Academicum necessaria Tibi fuit, quin modestiæ, veritatis aliarumq; virtutum, quæ eruditionem tuam decent, & nostræ præcipiunt leges, memorem Te declaraveris, & in posterum quoque declaraturus sis, sicq; vitæ atque studiorum rationes instituturus, ut nemo sit, qui jure Tecum experiri possit. Sic enim tantum abest, ut quicquam favorem bonorum erga Te imminutum iri verearis, ut potiùs persuasum Tibi esse debeat, virtutem tuam ex sinisteritate, quam innuis, multò fore clariorem. Cumprimis verò approbo, quòd DEI Providentiæ Te, vel, ut Divinus Psaltes loqui amat, vias tuas piè commendas, in quo devotæ humilitatis studio strenuè

decur-

decurrere nunquam Te pœnitebit. De libris, quorum usum ad præclaros co-natus tuos poscis, ne quicquam hactenus percontatus sum. Si tamen porro indagare quid licebit, nulli operæ parcam. Fratrem meum Albertum non tan-tùm Musicæ, sed aliis quoque Musis honoratioribus litare velim, & non [illegible] facere, quod πάρεργον esse decebat: Ne serò cum Phrygibus aliquando sapiat. Si eum amas, author ipsi eris, ut documento fide digno diligentiam suam in literis humanioribus & liberalibus disciplinis testatum eat. Hæc citiùs ad tuas respon-dissem, si licuisset per negotia publica, à quibus hactenus vix otium nobis fuit ad scalpendas, quod ajunt, aures. Vale & fratrem saluta. Noribergæ d. 2[illegible] Janua-rii A. C. 1637.

Rupertus Richtero.

VIr Amplissimæ Dignitatis, Patrone summe. Jam quantum intersit, magni alicujus auxilio niti, sentio cumulatissimè. Parva olim spes, imò nulla, posse me ulteriùs progredi, ob tantam, quæ pessulum objecerat, librorum inopiam: Nunc operâ tuâ nunquam non deprædicandâ ea monumenta habeo, de quibus mihi singulis ferè horis gratulor. Die XV. Martii sexcentis votis expetitum FULVIUM URSINUM de Romanis Familiis ex antiquis Numismatibus me-cum communicavit Vir Excellentissimus Dn. D. GEORGIUS NOESSLE-RUS, quem quidem in interpretationibus magnam jam partem excerpsi, [illegible] delineandis nummis plus temporis insumendum sit. Adjuvant tamen strenuè amici quidam arte pingendi non imperiti, adeò ut illos DCCLXI. (tot enim Ursinus exhibuit) quatuor hebdomadum spatio, si DEUS annuerit, conficere me posse sperem. Nimirum ex omnibus Antiquitatis Romanæ monumentis præcipuum illud maximiq; ad fidem faciendam ponderis semper duxi, quod ve-teribus tum lapidum tum nummorum testimoniis niteretur. Quamvis enim ta-lia non semper sint ἀνόθευτα, quod in Servilia Cæpionum & Aimilia Paulorum vidimus: Tamen ut omne mendacium, verbo Senecæ, nihil habet solidi, sed te-nue est, & perlucet, si diligenter inspexeris: Ita cæterorum comparatione adul-terinum à sincero in his studiis facilè discernitur. Sed & eadem ope tua, VIR Nobilissime, ONUPHRIUS PANVINIUS & OCTAVIUS de STRA-DA in manus meas pervenere, prorsus ut mensis iste Martius Martiæ Nobilitati indagandæ nunc destinatus mihi fuerit. Cum primis verò alter, qui Fastos con-cinnavit, ad institutum meum faciet, Vir industrius, diligens, & cui Romanæ memoriæ (curam tantùm ferre potuisset aut limam) debent, debebuntque, ut ju-dicat magnus ille Lipsius, & qui eundem Onuphrium non eruditissimum [illegible], sed patrem Romanæ historiæ appellitat, Casaubonus. OCTAVIUS de STRA-

STRADA jam ante quinquennium vidi duobus florenis è Piccartina Bibliotheca ve[illegible]em; sed quem tantillo pecuniæ destitutus aliis reliqueram. Egregius sanè thes[illegible]us, & cujus tam fœda jactura mihi stomachum postea movit. Sunt in eo nonnulla, quæ ut in minoribus nummis non adeò perspicuè exprimere potuit Ursini Chalcographus. Porrò pro immensa hac benevolentia, quæ A.T. in altissimo loco constituta tenuitatem meam respicere non desinit, quid reponere unquam possim, non video. Hoc video, me, quæcunq; dixerim, majora dictu semper relicturum. Quâ igitur formulâ interdum nos oneramus, ago gratias maximas, & bono cum DEO tuoq; consilio ac ductu in stadio isthoc pergo, parum curiosus, queî iste vel ille conatum meum interpretetur. Vale, MÆCENAS Amplissime, cum tota domo, & literulas meas semper Tibi commendatas habe! Viro Reverendo Dn. M. CORNELIO MARCI ob missos libros respondi.

Idem Eidem.

VIr Magnifice, Nobilissime, Amplissime, Mæcenas observandissime. Essent fortasse non pauca, quæ seria tua minimè interpellanda censerent, nisi de benevolentia illa tua, in me haut tralatitia satis superq; mihi constaret. Nunquam profectò, nunquam aut DEI gratiam, aut tuam diligentiam mecum non pensito, utpote insperatæ ruinæ nuper proximus, sed non minùs insperato auxilio ereptus. Magnus ille Imp. æternitati præclarâ istâ voce se commendavit: Malle se quàm mille hostes occidere, unum servare civem. Quantum jam Tibi, ô VIR Magne, futura secula debebunt, cujus per multos annos hæc unica intentio fuit, non verbo, sed facto erigere cives Academicos! Sed de his alibi. Nunc, quæ me ad scribendum causæ præcipuè impulerint, exponam. Accepi nuper literas à Georgio Friderico Behaim/ Nobilissimi & Prudentissimi Viri Dn. LUCÆ FRIDERICI, Scholarchæ eminentissimi, Patroni mei magni F., quibus de voluntate Domini Parentis & itinere suo in Britanniam certiorem me faciebat. Esse autem illum de fideli comite solicitum, adeoq; hortari, ut quoniam non exigua promotionis spes mihi affulserit, occasionem arriperem & fortunæ emicanti propiùs accederem. Verba me deficient, Vir Amplissime, si quantum mihi gaudii nuncius iste attulerit, exprimere velim. Enimvero quum viderem, complures meæ ætatis in exteris illis regionibus, ubi meliorum literarum præsides ad clavum sedent, haud pænitendam messem fecisse; eidem foco diutiùs assidere sæpè me tædebat. Accessit Viri Cl. Dn MICHAELIS VIRDUNGI, quo uno Præceptore hactenus usus sum, mo[illegible]bus sanè quàm pertinax. Interim nobile istud studium, cui me addixeram, doctoribus egere, insignia

monumenta flagitare, deniq; secretioris doctrinæ fontes sitire. His omnibus jam succurri posse reor, si mihi, stipendio instructo, vel in Britanniam vel (quod malim) Belgium ire liceat. Illic quidem in alta pace & pridem JACOBO Philosopho regni gubernacula tenente, Camœnas, Pacis filias, floruisse quis dubitet? aut magni CASAUBONI, DEMPSTERI, GENTILIS aliorumq; heredes etiamnum superesse? Multum insuper in hac terrarum, uti credebant, ultima & cella penuaria Romanis quondam negotii, multa adversùs barbaros prælia, de larga rerum antiquarum supellectile magnam mihi spem faciunt. Ubicunque Romanus vicit, ut posteritati magnificentiam suam ostentaret, superbos victoriarum indices reliquit. Sed illud beatum armis literisq; Belgium, ut dixi, magis expetierim, ubi summus ille DANIEL HEINSIUS, & nuper Galliæ abstractum novum Orbis miraculum, CLAUDIUS SALMASIUS omnes ferè Humanitatem professos consummatissimâ suâ eruditione prægravant. Utcunque tamen sit, nimis arduum videtur, Incluti Senatus Norici voluntatem à me expugnari posse. Quamobrem rursus Viri Nobilissimi, Amplissimi, Prudentissimi Dn. Schaims consilio utor, & Te, Vir Nobilis, Amplissime, Consultissime supplex veneratus oro, ut, in re ista magna, DEO accepta, patriæ mihiq; ut spero, utili, propitius adesse velis. Nimirum tanta post tot accepta beneficia mihi spes est, fore, ut transmisso per amanuensem tuum, mihi amicissimum, libello meo supplice, Patres Conscripti animum tuum inde colligant, &, mox felix eventus respondeat. Quis enim, ô Patrone, si Te videat omnia DEO adscribentem, omnes actiones tuas in illius laudes dirigentem, non optima quæq; ominetur? Nec hîc ob toties iteratas querelas inverecundiæ crimen me incursurum opinor, quoniam Te compello, cujus limen superbum aut genua fastidiosa nemo unquam vidit aut expertus est. Vale, Vir Nobilissime, Amplissime, Consultissime, cum tota familia tua quàm longissimè, quàm beatissimè. FULVIUM URSINUM, quem Vir Excell. Dn. NOESSLERUS mecum communicaverat, d. XXIV. Julii absolvi, excerptis illis Iↄ CCLX nummis, studio meo cum primis inservientibus. Onufrium Panvinium cum Vitis OCTAVII de STADA sequenti septimanâ, si DEUS volet, in Bibliothecam Noricam remittam. Dabantur Altorphii d. IV. Augusti A. C. 1637.

Richterus Ruperto.

Libellum tuum supplicem, ut & tuas ad me literas, nobilissimis Dominis Scholarchis obtuli, & quidem cum commendatione petitionis tuæ, cui omnino deferendum arbitrabar. Neque aliter censent Academiæ Curatores Prudentissimi, de eo duntaxat soliciti, unde sumptus ad profectionem istam necessarii, &, quam-

&, quamdiu apud exteros moraberis, hoc tempore ſuppeditari Tibi queant. Non c[illegible] duo ſtipendia, imò vix tria, quorum ſingula quinquaginta florenorum eſſe ſolent, ne dicam unum, ad conatus tuos honeſtiſſimos ſufficiant. Commodius fieri poſſe putabam, ſi duo vel tres Patritii operâ tuâ uterentur, & quod ſtipendio publico deeſt, de ſuo Tibi ſupplerent. Et neque hoc medium Ampliſſimis Dnn. Scholarchis diſplicuit. Sed Patritii, quos dixi, ut & alii cives locupletiores, qui vel filios ſuos ita ſtudiis mancipare, vel ſi quos literis habent doctos, eum in modum cum aliis ad exteros ablegare, vel velint, vel hoc rerum ſtatu poſſint, planè deficiunt Parentes optimi. Quin bene ſecum agi putant, ſi tantum illis ſuppetit, quantum filiis ipſis opus eſt. Et ita quoque Nobiliſſimus Dn. Behaim libenter quidem filio ſuo, Te comitem adjungeret, ſed unde ſumptus Tibi præſtandi veniant, non videt, probè gnarus, ſtipendium unum, quod facilè impetraveris, nequaquam ſufficere. Expectandum igitur Tibi erit diutiùs, & quidem æquo animo, donec DEUS ex machina ad res afflictas reſpiciat, & unde optatis frui poſſis, ſuppeditet. Manus Omnipotentis neque mutila eſt neque decurtata, & facilè, quod deeſt, cùm vult, largiri poteſt. Hujus opem præſtolari haut fruſtrà erit, etiamſi moras intempeſtivas nectere nobis videatur: Quod eò faciliùs, credo, animo tuo perſuadebis, quò luculentiùs argumentum in Te ipſo non ita pridem es expertus. Fortaſſis hora veniet propediem, quæ nunc non ſperatur. Quantum in me erit, non intermittam, ut quod hac vice nondum licuit, poſtmodum, Numinis faventiâ, Tibi contingere queat. Id quod juſſu Nobiliſſimorum Dnn. Scholarcharum ſignificandum Tibi fuit. Vale, Ruperte Doctiſſime, & filii mei chariſſimi ſtudia pro dexteritate tua adjuva. Norimbergæ pridie Idus Sextil. A. C. 1637.

Rupertus Richtero.

LEgendas mihi dedit JOHANNES GEORGIUS F. tuus, vicinus meus longè dulciſſimus, ad ſe datas literas, in quibus ſalutis meæ cura & ille benefactor animus unicè ſpirabat. Amoris ſcilicet, ut è Tullio dicam, quum à filiali domeſticoq; diſceſſiſti, primas, ut ſentio, mihi defers, efficisq;, ut doloris magnitudinem, qui poſt diſceſſum Præceptoris mei Opt. Max. in præcordiis ſævit, jam capiam. Quod verò ſeriùs reſponderim, ne ita interpreteris, rogo, tanquam ipſe in commodis meis perſpiciendis ſupinus ſim & defunctorius; alia intervenere, quæ nunc altius repetam. Quum ſuperiori Auguſto VITUS HOTZIUS, Baronis Herberſteinii Ephorus, Lugdunum Batavorum diſcederet promiſerat ante abitum ſe de rerum Lugdunenſium ſtatu certiorem me facturum. Fecit, ſed ejus literæ ſpem loca illa viſendi omnem mihi ademerant.

Tantam inibi annonæ caritatem esse, ut singulæ septimanæ quinque florenos ad minimum devorent, ingenti cum dolore meo loquebantur. Unde persuaderi mihi passus sum, ut, omisso petendi stipendii consilio, filiorum Dn. Præfecti curam susciperem, interim, quasi è specula, dum sese lautior offerret conditio, expectaturus. Ingenuè fateor, non semel facti istius postea me pænituit, quamvis summa tum temporis suadere videretur necessitas. Jam consilium tuum sequor, & Oratiunculam de Ruina Nobilitatis Romanæ ad Nobiliss. & Ampliss. Dn. CHRISTOPHORUM FURERUM, supplices verò ad utrumq; Duumvirum mitto. Ægrè admodum fero innominato scripto memoriam alicubi me fugisse. Oppressâ Rep. pleriq; Patriciorum, ne sobolem tyrannicis temporibus variis casibus obnoxiam procrearent, matrimonia neglexere. Tangit Octavianus Augustus apud Dionem lib. 56. in gravissima illa contra cœlibatum oratione his verbis: *Vos autem ipsi, à prima Origine Romani, Quinctios,* (ita lego) *Valerios, Julios enumerantes, cum vobis simul & gentes, & nomina abolere in animo habetis?* Post Augustum orbitas ista principibus admodum gratiosa fuit. Seneca consolatione ad Marciam cap. 19. *In civitate nostra plus gratiæ orbitas confert, quàm eripit.* Amnian. Marcellin. lib. 28. Histor. *Credi non potest, quâ obsequiorum diversitate colantur homines sine liberis.* Petronius: *In hac urbe nemo liberos tollit, quia quisquis suos hæredes habet, nec ad cœnas nec ad spectacula admittitur, sed omnibus prohibetur commodis, inter ignominiosos latitat. Qui vero nec uxores unquam duxerunt, nec proximas necessitudines habent, ad summos honores perveniunt. Ii soli militares, soli fortissimi, atque etiam innocentes habentur.* Urbanissimè verò omnium Juvenalis Satyrâ 5:

- - dominus tamen & domini rex
Si tu vis fieri, nullus tibi parvulus aulâ
Luserit Æneas, nec filia dulcior illo;
Jucundum & carum sterilis facit uxor amicum.

Memini & similia legere apud eundem Senecam lib. de Constantia Sapientis c. 5. Plin. jun. lib. 4. epist. ad Fundanum. Hunc tam insignem locum & ferè præcipuam collapsæ Nobilitatis causam Moneta, nescio quâ perfidiâ, tranare permisit. Cæterum quei illam erga me benevolentiam deprædicem, quâ in tot gravissimis curis, quod mearum esset partium tui laboris fore polliceris? Si consequi facundiâ quid piam possem, ô quot paginas sola meritorum tuorum admiratio impleret! Sed ista ob eminentiam juvenili ore vix celebranda ætati, modò DEUS concesserit, sponô maturiori.

Ad supremum officium Præceptori longè meritissimo præstandum quòd me hortatus es, etiam atque etiam lætor. Nisi enim gravissimorum Virorum au-

ctoritas

ctoritas & judicia adſint, temeritatis crimen vix effugerim. Quanquam Vir optimus, ut ſui minimè æſtimator, ne verbulum quidem de ſe chartæ commiſerit, ut hinc ſolis illis colloquiis familiaribus, (in quibus tamen & ipſe virtutis causâ parcè loquebatur, & ego moleſtiæ vitandæ modicè quærebam) ſtandum mihi ſit. Paucis ante mortem diebus Viro Nobiliſſimo Dn. JOHANNI BLANSDORFIO p. m. monumentum gratitudinis extructum ibat, ſed in octava ferè linea vires eum rurſus deſeruere, ac tum extrema ſe tangere verè ſentiebat, quum tanta paulò antè eloquentia morbo cederet. Reliquit magnam Excerptorum ſtruem, cui ut fieri ſolet, nonnulli inhiant. Ego viduam monui, ne imprudenter ageret, ſed his in rebus conſilio tuo uteretur. Vale, Vir Ampliſſime, Patrone obſervande, cum tuis. Dabam Altorphii d. XVI. Novembris A. C. CIↃ IↃC XXXVII.

Richterus Ruperto.

Libellum tuum ſupplicem pro ſtipendio, Ruperte Eruditiſſime, priùs Nobiliſſimis Dnn. Curatoribus lectum, tandem Nobiliſſimis quoq; Dnn. DuumViris obtuli, &, quæ è re tua eſſe videbantur, utrobiq; Romano more, hoc eſt, optimo, ſtudia tua commendans, expoſui. Eſt profectò, quòd DEO gratias agas ſingulares pro magno favore, quo Domini noſtri, unanimi conſenſu, Te proſequuntur, ita quidem, ut quin brevi in locum Virdungi noſtri p. m. quoad Profeſſionem Eloquentiæ & Hiſtoriarum ſucceſſurus ſis, nullus dubitem, imò certum Te eſſe jubere poſſim. De itinere verò Lugdunenſi fieri nunc non poteſt, ut petitioni tuæ annuant Patroni benevolentiſſimi, ob cauſas, quas ipſe probabis, ubi à me intellexeris coràm, quod Numinis faventiâ fiet brevi. Tu interim hoc age, ut orationem parentalem, quam meretur Præceptor noſter ὁ μακαρείτης, quæq; poſtea abſq; ſumptibus tuis publico donabitur, nobis præſentibus recites ad d. XV. Decembris, cùm pridiè actus, quem vocant, Doctoralis celebratus fuerit. Hoc enim officii genere pietatem atque eruditionem tuam Dominis noſtris, qui ipſi Te audire ſatagunt, laudatam, haud parùm confirmatum ibis. Illo verò peracto Profeſſionem ipſam ritè ambies, hoc eſt, pro more apud nos recepto, libellum, quem vocamus ſupplicem, Nobiliſſimis Dnn. Scholarchis offeres, impetrationis ſecurus. Oratio tua de Ruina Nobilitatis Romanæ mirum quàm delectavit Nobiliſſimum Dn. Fürerum, qui ex animo Tibi bene cupit, Tuiq; promotionem curabit ſeriò. Legi etiam ipſi, ut & Dnn. Curatoribus, quæ de alia ejusdem Ruinæ cauſa, neglectu nimirum matrimonii, ad me ſcripſiſti, digna, quæ memoriæ commendentur. Etſi verò Lugdunum Batavorum, ut ad illud votum tuum redeam, adire nunc non licet, aliam tamen viam

Tibi monſtrabo coràm, quâ Heinſio & Salmaſio, Monarchis rei literariæ, quibus Athenæum iſtud nunc triumphat, familiariter innoteſcere queas, quâ [illegible]tione non tam Aglaus quàm Ulyſſes videri poſſis, id quod etiam D[illegible] noſtris non diſplicet; fietq; ſic nihilominus, ut. quod deſideras, majore ſimul cum autoritate, uſu atque ornamento Academia Te Profeſſorem habitura ſit. Quod ne neſcires, ad tuas reſpondere volui. Vale, mi Ruperte chariſſime, & [illegible] fretus, è cathedra, die, quem ſuprâ ſignificavi, audiendum Te nobis ſiſte, quod ut quàm pulcherrimè ſuccedat, animitus voveo. Vale iterum, & nos amare perſevera. Noribergæ VI. Calend. Decemb. Anno Chriſti cIↃ IↃcXXXVII.

Rupertus Richtero.

SAlutem & obſervantiam Nobilis, Ampliſſime & Conſultiſſime Dn. Pro-Cancellarie, Mæcenas ac Patrone ſumme! Promiſeram in nuperrimis meis ad Salomonem Burgerum, me proximâ occaſione fuſiùs ad Te ſcripturum; quam fidem meam nunc exſolvo. Quamprimum Altorphium veni, in Muſæo S. D. deprehendo, quem in domo D. K. frequentem ſciebam. Itaq; iram fingo, cujus cauſam illo quærente. Non Te, inquam, ô D. tam abjectum putâſſem, ut, omnibus dictis meis eliminatis, in aliorum familiaritatem te inſinuares. Domitiani ævo vixiſſes, forſan juxta Carum Metium & Catullum Meſſalinum te collocâſſet Tacitus. Et ſi falſa me dicere exiſtimas, habe perfidiæ tuæ in[illegible]cem V. juniorem. Ad hæc cùm proclamare vellet, ego rurſus: Si quis unquam famæ tuæ adfuit, ego adfui. At tu voluntatem iſtam maleficio excepiſti. Unde D. à ſodali proditum ſe ratus, rem totam mihi narrat, hunc in modum: Circumforanei nonnulli, & qui, Plauti verbo,

- - omnia ſe ſimulant ſcire, nec quicquam ſciunt,

divulgaverant, tanquam mihi Venerillam Noribergæ quærerem. Id in [illegible] contumeliam V. trahere in D. K. domo nomen meum deferre, & dignam infernalibus flammis vocem adfingere: RUPERTUM ſc. ALICUBI DIXISSE, SE NULLAM LIBERORUM MAGNI ILLIUS V. CURAM GESTURUM. Hæc ego ad Te, Vir Magnifice, ut ſi fortè calumnia latiùs evagandi ſpatium ſibi ſumſerit, Tu immaniſſimum dictum non meum eſſe, ſed ab odio, quod ſibi cauſam quærit, confictum ſcias. Ut me abſolvam, D. [illegible] filio concitati, iſtam vocem fuiſſe D. ajebat: QUI per Optimum illum VIRDUNGUM emerſiſſet, per VIRDUNGOS rurſus deſtrui poſſe. Sed [illegible]iamnum aliam inimicitiarum cauſam reor. Nam, ut cotidiana experientia docet, duæ plerunq; odiorum cauſæ ſunt aut plures, quarum favorabiliores in vulgus ſparguntur, ſecretiores, quæ interdum ſolæ cauſarum nomen merentur.

reticeri solent. De C. Matio, cujus Suet. in Cæs. c. 52. meminit, Jos. Scaliger in Conjectaneis in Varr. lib. 6. de L. L. & Turneb. Advers. 3. c. 22. judicant, esse eum, qui & Mimi jambos scripsit, & Iliada Homeri transtulit, (ut ante eum Livius Andronicus Odysseam) quemq; Agell. l. 10. c. 24. laudat ut hominem impensè doctum. Sed in diversum abit Lips. not. 144. ad Taciti Annal. 12. Plura hac ipsâ septimanâ. Vale, Vir Magnifice, rerum mearum post DEUM maximum columen! Saluto uxorem & omnes tuos. Altorphii 25. Januar. A. C. CIↃ IↃCXXXVIII.

Richterus Ruperto.

MI Præstantissime & Eruditissime Ruperte, Amice non è multis. Equidem miror, Te simplicitatis Germanorum gentis non astutæ nec callidæ apprimè studiosum, omnisq; simulationis ignarum, tamen vultu iram ita simulare potuisse, ut hominem subdolum ad confitendum ultrò permoveris, quæ seriò forsan tentâsses nequicquam. Nimirum ita artis simulandi imperitum verbis Te simulans facto efficis contrarium. Neque malè, cùm & homines divinos simulationem interdum & piam & utilem usurpâsse sciamus. Neque ignoras, quod approbârunt viri sapientiâ & probitate eximii,

τὸν σαίνοντα λόγοις, μηδ᾽ ὄντα φίλον κραδίηθεν:
Καὶ σὺ δρᾶσον ὅμοια: Τέχνη γὰρ τέχνην παίζει.

Sive, ut Jos. Scaliger ultima verba emendat.

- - δόλος δὲ δόλοιο κρατήσει.

Imò oraculi instar habendum illud Tullii ad Atticum virum candidissimum; νᾶφε καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Quod Tibi eò magis necessarium putabis, quò occultiùs non nemo Te mordere satagit,

Qui astutam vapido servat sub pectore vulpem.

De Venerilla heic quæsita ridere perseverâ homines suspicionibus deditissimos, &, si me audis, non tam citò matrimonii capistro os liberum admoveri patieris, multumq; novo muneri tuo profuturum credes, si diutiùs tuo arbitrio nunc dormire, nunc vigilare Tibi licebit. Pro C. Matio quod significâsti, habeo gratiam. Cl. Rittershusius calumniam de epistola Nihusiana egregiè apud nos refutavit, idem innocentiæ conscientiâ facturus publicè, nimirum ut palàm fiat omnibus in literis non æquè, ut in prædiis urbanis actionem proditam esse, ne quis altiùs tollat. Vale, plura enim intempestiva amici interpellatio prohibet. Noribergæ V. Cal. Febr. A. C. 1638.

Ruper-

Rupertus Richtero.

IGnosce, Patrone Magne, ægrotescenti calamo. Ita enim per aliquot dies continuatæ vigiliæ & crebræ λειποθυμίαι vires meas fregere, ut promisso, quo fas est modo, stare non possim. Cæterùm quæ ad scribendum me jam compellunt, duæ sunt causæ: Recens istud beneficium tuum & Amici cura. Sic Tu nunquam cessas, ô Patrone, bene de me mereri, adeoq; re ipsâ experior, quod olim Præceptor meus, piæ memoriæ, mihi dixerat: Magnos ante Te Viros Noribergæ floruisse, alios potentiâ, alios voluntate, nullum utroq; : Tibi [illegible] gratiâ nec posse nec velle unquam deesse. Ego DEO T.O. Max. gratias ago, quòd calamitates meas pristinas tanto fulcro sublevârit: Eundemq; pro salute tua Tuorumq; cotidie supplex veneror. Amicum quod attinet, F. est, fortunam respicientem jam dudum expectans. Percepisse se ajebat è Viro Excell. Dn. D. NOESSLERO, Excellentissimum Dn. D. KOBILIUM Metaphysica alteri explicanda modò relicturum; tantam autem necessitatem suam esse, ut si ratio ejus jam non habeatur, nullam eluctandi viam in posterum videat. Hinc moveri decrepitorum parentum flebili egestate, nepotum è fratre miseriis, suis ipsius annis (jam enim tricesimum tertium egressus est, quindecim Theologicis & Philosophicis studiis consecravit) accedere valetudinem, cui victus ille multum decoquat &c. Ne multis ego molestus sim, rogat Te per Magnificum tuum nomen, ut causæ illius apud Nobilissimos & Amplissimos Dnn. Scholarchas adesse & benevolentissimus ejus Patronus existere velis. Unicum certè in domo tua literis probitatiq; faventissima illi asylum, nec quicquam ambitionis, arrogantiæ, factionis in eo metuendum fuisse, modestâ diligentiâ & magnorum nominum observantiâ, ut promittit, testatum ibit. Vale, Vir Amplissimæ Dignitatis, Patrone summe, cum tota familia. Dabam Altorphii A. cIɔ Iɔc XXXVIII. extremo Januarii.

Richterus Ruperto.

SAlutem & ὑγίειαν à Medico & Servatore JESU CHRISTO. Valdè me perturbavit infelix rumor de invaletudine tua, quâ tam charum caput affligi atque prosterni nunciabatur. Sed recreati sumus literis tuis acceptissimis, quæ etsi Te convaluisse, quod optabamus unicè, nondum loquebantur, tamen argumento erant, statum tuum esse meliusculum, & meditationibus iterum Te vacare posse. Spes itaq; nos habet, fore Numinis benignitate, ut mox pristinæ sanitati restituaris ex integro, quod ut ex voto fiat, etiam atque etiam DEUM venerari non cessabimus. Tuum verò erit, simul ita valetudinem tuam curare, ut studia

ut studia aliaq; omnia tam diu insuper habeas, donec incolumi Tibi securè iterum literis invigilare liceat. Officium tuum sat bene auspicaberis, si sat firmâ sanitate. Præsertim verò operam dabis diligentissimè, quandoquidem nunc ἀγρυπνία potissimum laborare Te dicunt, ut somni beneficio frui possis constantiùs: Quâ fini lucubrationes, imò scriptiones nocturnas omnes, ut pestes valetudinis certissimas, cavebis. Hoc ut Tibi persuadeam forsan hæsitanti, non possum, quin illud inculcem quod Philip. Melanchthon, Germaniæ nostræ Phœnix, de valetudine sua affirmavit: *Ego credo,* inquit, *quod nullâ aliâ re humanâ* " *mea incolumitas servatur, nisi quòd citò eo cubitum: Quando homo habet pri-* " *mum bonum somnum, non refert, sive secundum habeat, sive non &c.* Oraculo " verius esse hoc effatum, experientiâ teste, constat, neque credo, negabit cognatus tuus Medicus. Mi Ruperte charissime, obsecro Te, & obtestor; imò si amor noster in Te, haud vulgaris, autoritatis aliquid habere vel debet, vel potest, seriò Tibi impero, ut nihil antiquius valetudine tuâ habeas, & ab omnibus noxiis abstineas. Non debes nos privare ingenio tuo rariore ante diem, quin studiis ita incumbes, ut Academiæ ornamento sis quàm diutissimè. De amico F. quod rogâsti, dabo operam pro virili, ut uterq; vel ob causas, quas scripsisti, voti compotes fiatis, qua de re ipsi hodie coràm à prandio dixi plura. Tu saltem nunc hoc age, ut quam primum de recuperata sanitate tua nos exhilares. Vale. Noribergæ Nonis Febr. A. C. cIↃIↃc XXXVIII.

P. S. Sed oblitus penè fuissem, quòd vel in limine scribere non volebam minùs, quàm debebam. Memoriâ autem exciderat, quia valetudinis tuæ sollicita cogitatio alius rei memorem esse me vix sinit. Est autem hoc N. Oelhafius Gabrielis, Viri genere & virtute nobilissimi, filius non degener, Austriam & Hungariam perlustrare cupit, si forsan ibi alias quoque adire regiones exteras vel ibi in Summatis alicujus familia hærere ipsi contingat. Fratri igitur tuo, cui non ita pridem Volcamerum commendâsti, (cui tamen aliam sortem in Italiam penetrandi obvenisse dicunt) per tuam itidem commendationem innotescere, & sic deinceps aliis quoque commendari cupit. Is cras vel perendie ipse Altorphium ibit, & coràm operam tuam, si per valetudinem licet, implorabit. Tu, quantum vires permittent, vel nunc vel post recuperatam sanitatem, ad fratrem scribendo, ipsi gratificaberis: Quod ut vobis honorificum est, vestram opem ita implorari, sic etiam fortassis aliquando erit fructuosum. Sed valetudini nihil antepone. Vale iterum, & eam cura quàm diligentissimè.

Rupertus Richtero.

GRaviter feres, quòd ad ſuccidas illas & ſummam erga me benevolentiam ſpirantes literas tardiùs reſpondeam. Veniam igitur peterem, vel potiùs veniâ me ipſum indignum judicarem, ſi otioſus tam luculentæ humanitati non ſtatim occurriſſem. Sed magnam temporis partem & valetudo & oratiuncula, & alia ſubitò ingruentia abſtulere. Quod enim è N. accepiſſe Te puto, conſilium meum in aſſerenda vera Germanorum origine adverſùs illos, qui Perſarum fratres nos faciunt, prorſus mutavi, quum viderem contrariæ partis argumenta, licèt non omnia, ab aliis jam ſoluta. Obſervamus in Seneca & Curtio, ita ſimiles nonnunquam eſſe, ut inepto cuipiam alter videri poſſit manu ſiniſtrâ non bellè uſus, ut Catullus jocatur. Ceterùm neuter eruditorum ſuſpicionem hucusq; incurrit, nec ullius etiam, ut ſuſpicor, incurret, niſi aliquando in rudem ſacrificulum inciderit. Id hominum genus ſolum ſapit, in omnibus occupatum eſt, dictaturam in literas ſibi ſumit, vereor, ne perpetuam! Οὐκ ἀγαθὸν ΠΟΛΥΚΟΙΡΑΝΙΗ, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς ΒΑΣΙΛΕΥΣ, ait Homerus. Ego ferè ſubſcriberem illi Suetoniano: *Brute utinam viveres! Ecce quam maculam improbus mihi adſperſit!* Ne πολυπράγμων aut calumniator videri poſſet, in literis ad Nobiliſſ. Dn. Scholarcham aliosq; apud Vos præcipuos ἀθεότητος mihi objecit. O os! O frons! Infra omnem barbariem (ecquæ enim gens tam immanſueta, tam fera, quæ non credat eſſe DEUM?) Gracchus iſte me detrudit, qui nunquam ab Orthodoxa religione avulſus, aliquoties in anno ſacroſancto corpore ac ſanguine Redemptoris mei paſcor. Sed bene, quòd me adverſùs immanem iſtam calumniam, ut poteſt, ita ſolidis argumentis defenderit Dn. N. N. Orationis verò meæ argumentum ſi deſideras, eſt PRINCEPS CONDITIONIS SUÆ OBLITUS, ſive SACRILEGA ILLA VETERUM PAGANORUM DIVINITAS. Quòd ad valetudinis curam me hortaris, & inſignem Melanchthonis locum inculcas, pro affectu iſto plusquam paterno ago gratias. Erravi hunc errorem ante quadriennium & magnam partem noctis ſtudiis vindicavi; oculos etiam in vigilia fatigatos cadentesq; in opere detinui: Sed ante biennium ferè, quum graviſſimo morbo eſſem correptus, reſipui. Ajebant lentâ tabe confectum me iri; ſed negabat Medicus, omnemq; morbi cauſam à frigore, quod ſe nuper in omnes artus diffuderat, ſuſpicabatur. Ego DEO, gratias ago, quòd convaluerim. Is & Te, ô ingens ſtudiorum meorum præſidium, cum tuis omnibus quàm clementer protegat! Dabam Altorphii XVI. Febr. A. C. cIↃ IↃc XXXVIII.

Richte-

Richterus Ruperto.

UT ex arthritidis doloribus pulmonei pedes mihi ſunt, adeò ut pede licèt tertio aſſumto, non tamen niſi gradu teſtudineo incedere valeam: Ita animus quoque ex morbi reliquiis languidior tardiorem me in ſcribendo hactenus fecit. Nunc tamen DEI beneficio meliuſculus quàm antea reſponſionem ad Te diutiùs differre nolo. Tibi verò de recuperata priſtina valetudine ante omnia gratulor animitus, eamq; quàm firmiſſimam Tibi contingere calidiſſimè voveo. Orationis tuæ argumentum ſi Te mutaturum ſciviſſem, autor fuiſſem, ut *de ſimplicitate Germanorum* aliquid elaborâſſes, cujus laudatiſſimæ virtutis raritate, & ingenii tui dotes explicare, & illorum ſiniſteritati, qui de moribus ſimpliciſſimis, hoc eſt, integerrimis iniquiùs judicant, occurrere potuiſſes. Sed forſan alio tempore non diſplicebit argumentum iſtud virtute tuâ digniſſimum. Sæpius enim abs Te Orationes haberi, è tua ſimul atque Academiæ dignitate erit. Exemplo Tibi eſſe poteſt incomparabilis Heinſius, qui quoties non tantùm novum autorem, ſed etiam novum autoris librum explicandum ſuſcepit, novam Orationem magnâ nominis ſui laude præmittit. Non diſplicet tamen & illud thema, quod elegiſti, de Principum quorundam ſacrilegio, qui Divinos ortus mentiti ſunt, & honores ſibi haberi divinos nefariâ impietate decreverunt. Eam abs Te habitam & publico donatam videre geſtio, ut & Profeſſionis tuæ auſpicia audire auſpicatiſſima tanto deſiderio hactenus expectata. Scis de ingenio tuo nil niſi eximium promitti. Qui Germanos Perſarum fratres dicunt, quos inaugurali oratione confutare antea cogitaveras, etiam illo ſchemate nituntur, quòd utriq; genti eadem nonnulla nomina ſunt, ut Fader/ Moder/ Broder/ Tochter / ſed cum ratione eos inſanire divinus Scaliger, ut nôſti, egregiè probavit. Ἀθεότητος ab homine ἀθέῳ (ſine DEO enim vocat Apoſtolus, qui virtutem ſimulantes vitia colunt) Tibi objectam, pietatis conſcientiâ, quod facis, contemnes. Nihil συκοφαντικώτερον neque mendaciloquius confingere potuit bipedum συκοφαντικώτατος. Artes ipſius homine Chriſtiano indignæ jam ita palàm ſunt, & exoſæ DOMINIS, ut nulli bono quicquam exinde metuendum amplius ſit. Imò ridere Tu, illum autem μακρὰ κλαίειν jubere potes: Nos verò Tibi gratulari, quòd laudes tuæ improborum obtrectationibus clareſcere videmus. Tantum abeſt, ut de Βασιλείᾳ ſive Monarchia, quam affectat, ullum ſucceſſum ſperare ipſi liceat homini regnandi cupidiſſimo. Dn. N. N. cùm nos nuper compellaret, autor fui, ut in ſuſcepta tui defenſione perſeverare ne dubitet, quod jure meritoq; ſe facturum recepit. De F. quod monuiſti, jam ipſi coràm heic ſignificavi. Loquutus etiam denuò ſum cum Cl. N. De promtitu-

dine noſtra, quod jam ſemel iterumq; ipſi ſum pollicitus, non tantâ me injuriâ afficere præſumet quisquam, ut naturæ meæ oblitum verba me dare & fumos vendere autumet. Ex animo enim cum Achille Homerico deteſtor omnes, qui aliud pectore clauſum tenent, aliud verò ore proferunt. Eventus ſi non ſemper votis reſpondet, non voluntatis noſtræ promptitudini, ſed quod facultas non ſemper ſuppetit, tribuendum exiſtimare debetis. Vale, mi Ruperte eruditiſſime, & literis tuis elegantiſſimis beare nos perſevera. Noribergæ è lecto ad d. V. Febr. cIↃ IↃc XXXVIII.

P.S. Nactus ſum his diebus Polybium Caſauboni, de quo ſcire cupio, num Tu commentarios, quos titulus promittit, ſed liber non habet, videris. In præfatione allegat eos autor aliquoties, ſed ſimul etiam innuit, eos prodituros demum. Quod an ſeorſim poſtea factum, quia heic nihil certi comperire licet, Tu me, quæſo, certiorem redde. Editiones vidi duas Francofurtenſes, priorem An. 1609. alteram An. 1619. ſed utramq; per omnia ſimiles, & ſine commentariis in titulo promiſſis. De commentariis igitur deſideratiſſimis, ſi quid nôſti, ſignifica. Vale iterum, & cum filio à tota familia ſalve.

Idem Eidem.

SAl. & Obſ. Nobilis & Ampliſſime Dn. Pro-Cancellarie, Patrone magne. Ut à publicis initium faciam, recitavi ſuperiori ſeptimanâ Oratiunculam meam de Divinitate Rom. Principis, ejeciq; potiùs fœtum iſtum, quàm produxi. Operam tamen dabo, ut emendatior plurium oculos ſubire poſſit. Etenim, dum in limine verſor, illud Taciti anxiè mihi cuſtodiendum eſt, *ut initia provenissent, famam in cetera fore*. Sed moram meam, de qua ad filium ſcripſiſti, ſuperior ille Januarius, qui jam in Februarium proclivis lecto me affixerat, ut ſpero, apud Nobiliſſimos & Ampliſſimos Dn. SCHOLARCHAS excuſare me poterit. Quamvis enim dolor & vehemens ille morbi impetus ſubitò atque intra duarum hebdomadum ſpatium deſævierit, languor tamen, qui tot noctium vigilias ſecutus eſt, non tam facilè permiſit meæ ſpontis eſſe, ſed animum ita obtenebravit, ut in ſexta ferè linea rurſus procumberem. Alioquin me non fugit, inimicos meos telum inde ſibi petituros, ſed, ut bonorum omnium judicio me conſolor, inefficax & futurâ diligentiâ meâ facilè obtundendum. Porrò ad Orationes ſæpius ſcribendas Te hortantem lubentiſſimè ſequar, & quod arbitrarium alii judicant, mihi lex erit. Interim magnas Tibi, ô Patrone, gratias ago, quòd ſaluberrimis hujusmodi conſiliis rebus meis ſuccurere non deſinis, hoc eſt, ut vero nomine ea deſignem, firmiſſimis adverſùs calumniam munimentis. Ecquod enim iſto fortius præſtantiúsve, quo, habitis ſubinde Orationibus, non modò inclu-

inclutum Senatum Noribergensem, sed & omnes alios prætetitarum futurarumq; actionum mearum perpetuos inspectores facio? Scaligerum (cujus locum nusquam in scriptis ejus, quæ habeo, mihi observatum Tu indicâsti) etiam Cl. PICCARTUS adducit in Oratione de Veteri Germania, ejusq; populorum migratione, ubi nos Persarum fratres esse è triplici hoc capite, Religionis, Morum & Linguæ cognatione ostendere conatur. Ingenuè fateor, præter illam mutati consilii mei causam, quam in nuperis meis significavi, etiam istam fuisse, quòd metuerem, ne magnum hujus Universitatis Virum juveniliter insectari me voluisse, studiorum nostrorum cœci, adeoq; parum æqui judices existimarent. Commentarium Casauboni in Polybium, quem promissum vidisti, memini tanquam deperditum lugere optimum Præceptorem nostrum Lectionibus publicis in Plutarchum. Vidi aliquando editionem Græco-Latinam in Folio unà cum Notis Casauboni tam in istum quàm in Æneam Tacticum apud Cl. Rittershusium. Nunc beatissimi VIRDUNGI nostri superstites filii Orationes & Poëmata, quorum editionem paulò ante obitum Pater moliebatur, Endtero, operam suam ultrò offerente, Noribergam mittent. Quod si à Reip. negotiis paulùm secedere libet, etiam atque etiam rogant, ut vel carmine vel epistolio in nominatam defuncti operam, favorem, ac benevolentiam testari velis. Vale, rerum mearum ingens præsidium, &, ni molestum fuerit, uxori dulcissimæ, filiabus omnibus tuis salutem à me nuncia!

Idem Eidem.

TRes jam effluxere septimanæ, cùm responsum Tibi ad literas tuas acceptissimas debeo: Cujus tamen diuturnioris silentii nostri caussas allegare supersedeo, quia occupationes nostras concatenatas non ignorare Te existimo: Tantum abest, ut de oblivione vel negligentia quicquam sinistri suspicari Te autumem. Oratio tua inauguralis, quin æquè ut priores tuæ, & auditores ceperit & lectores affectura sit supra modum, nullus dubito. Vires Tibi largiatur benignitas Divina, ut quamplurimos ingenii tui rarioris fœtus elegantissimos magis magisq; producas. Audio etiam, Te jam in munere feliciter cœpto strenuè & non citra applausum progredi, quo nihil nobis potest nunciari gratius. Inter auditores tuos frequentissimos filium meum diligentiâ nemini cedere volo, quem & publicè & privatim ab ore tuo pendere, tuisq; assidere pedibus ante cœteros, non molestum Tibi, credo, erit. Certè nihil nobis à Te præstari potest acceptius. Virdungi beatissimi Orationes & Poëmata prodire, è re non minùs erit viduæ & hæredum, quàm adornamentum rei literariæ faciet quamplurimum. Nostro verò vel carmine vel epistolio favorem illis conciliare, nihil aliud esset,

quàm purpuræ pannum assuere, & vinum vendibile hederâ commendare. Quia Te potiùs rogatum volo, ut quandoquidem decadem Orationum nostrarum edere animus est, prout ex syllabo incluso vides, Tu pro tuo in nos amore, eâq; quâ polles eruditione atque elegantiâ, carmen, quod præfigamus, mittere non graveris: Eâ tamen conditione, ne quid studiis tuis inconcilietur. Non enim ἀθρόως, sed χολῇ, & quantum Tibi commodum erit Musam tuam suavissimam nostri causâ excites volo. F. negotium, ut semel iterumq; recepi, & nuper coràm ipsi dixi, bonâ fide curæ nobis erit: Modò Vos sciatis, illud non tam celeritate quàm opportunitate metiendum esse. Vale, Ruperte eruditissime, & à meis omnibus plurimùm salve. Noribergæ XIV. Cal. Maj. clↃ IↃcXXXVIII.

Rupertus Richtero.

NObilissime & Amplissime Dn. Patrone. Si Nobilissimis Dn. Legatis Ordiniq; Prudentissimo ita placeret, eligerem inter duos nominatos dies vicesimum. Posset enim ob nimiam brevitatem temporis necessarium quid omitti. Præterea Universitatis quoq; Programma conficiendum mihi superest, de quo scire velim, num typis excusum (quod olim in Parentatione Serenissimi Suecorum Regis & Nobilissimi Dn. Volcameri factum) affigendum putes. II. & illud desidero: Num in Auditorio Velseriano an Theologico instituenda sit Parentatio. Illud augustius, hoc majus. III. Non sunt panni nobis, qui obtendantur cathedræ, subselliis, mensis IV. In nominibus superstitum Beatissimæ Principis Nostræ Fratrum dubito de ordine. Majorem natu GEORGIUM puto, reliquorum, ut dixi, & nomen & ordo latet. Dum scribo adest filius à Nobilissimo opidi hujus Præfecto, qui numerum adventantium Nobiliss. Dnn. Legatorum ac Senatorum ex me scire voluit. Respondebam, de eo nihil mihi constare. Igitur jussit tuum explorare judicium. Quod si alia, quæ mihi non succurrunt, neq; etiam hîc indicantur, in Universitate nostra præparanda putas, eâ, quâ par est, observantiâ rogo, ut per amanuensem benevolè indices. Ago gratias pro communicatis mecum eruditissimi Gronovii literis & carminibus. Vale, Ampliss. Dn. Patrone cum tota familia. Resalutat Te filius tuus, cui, uti jubes & fas est; semper paratus sum & obvius.

Idem Eidem.

QUamprimum Altorphium veni, longè alium in me Universitatis affectum deprehendi, quàm quem IVviri illi repræsentârant. Sufficere Universitati, si quid seriò agendum sit, unum vel duos, nunc plures advenisse, quod aliud signum; nisi Collegam fortiter premere volentium? Non accusatum, Proceribus

bus se sistere cum tot catapultis criminationum, quas non ab Universitate sed ab inimicis meis mutuò acceperant, prorsus iniquum, praeterea inscio Rectore Magnifico ceterisq; , quibus illi honorem debent, non consultis, imò ut consilium tegerent, duobus, extra opidum junctis, sparsâq; de itinere Leimburgico famâ, Noribergam concessisse, insolenter & in fraudem legum communisq; Libertatis Academicæ factitatum. Ego sanè, quum priùs ex formula protestatus essem, me nihil habere, quo Universitatem oppugnem, pace Magnifici Dn. Rectoris ad Vos excurri: Illi respectu omnium privati, posthabito majorum more, publica audent suscipere & explorare, quæ universi debent. Ceterùm ita res est. Ut apertæ mentis nihil celo, ita animum ab omni dominatione alienum semper prodidi, adeoq; factus sum obnoxius superbo limini. Unicum inter gravissimas oppugnationes non consolatur solùm, sed etiam ridere facit: A quodam accusatum me esse, qui nullis in Universitatem nostram meritis cognitus, nulli fidus, & , cùm nihil agat, omnia agens, adhæc cibo & vino sæpius probè saburratus, deniq; omnibus iis scatet, quæ aliis impudenter objicit. Memor interim mandatorum tuorum, & illius Pachymerii, τὴν τῶν πραγμάτων ψυχὴν εἶναι τὸν καιρὸν; desino nunc famæ meæ insidiatoribus multis respondere. Vivit in cœlo DEUS, quem ut superbiæ acerrimum vindicem pro me pugnaturum non injustè confido! Sæpe clades causa victoriæ fuit, & adversa fortuna meliori fecit locum. Hæc ad Te, Universitatis nostræ Patronum magnum, scribere placuit, non oppugnandæ societatis illius, sed ut omnia ex affectu, odio & vindicta, nihil ordine fieri, benevolè cognoscere possis. Porrò celare non potui, factum hic locorum infame prodigium. Quarto ab hinc lapide in pago, quem Verrüdam vocant, B. quidam studiorum gratiâ ab Amplissimo Parente, huc missus, præter omnium spem & expectationem, infimæ sortis scortillo nupsit: Decepto nefando strategemate sacerdote, Vexilliferum se esse, properare ad Cæsareanum castrum, adductoq; in rei fidem quodam opidi hujus cive, velut centurione suo. Quæ quidem res, quantum honestissimæ familiæ dolorem allatura sit, quivis facilè collegerit. Homo, nisi fallor, Rev. Dn. Cornelio Marci commendatus est. Vale, Vir Amplissime, cum tota familia, & si quid etiamnum in amici causa potes, eâ, quâ par est, observantiâ rogo, ut facias. Dabam XII. Cal. Octobr. A. S. CIↃ IↃC XXXIX.

Richterus Ruperto.

SI IVviri isti, quorum in literis tuis acceptissimis mentionem facis, non Academiæ potiùs quàm suam apud nos heic egissent causam, & non tam ex odio erga hunc vel illum quàm ex debito affectu erga disciplinam publicam, quam sanctè ob-

ctè observari Universitatis interest, iter suum suscepissent, nunquam illis, crede mihi, aurem præbuissem. Nihil enim est, quod magis mihi displiceat ad detestationem usque, quàm simultates fovere inter illos, quos una officii fides & una jurisjurandi religio quàm amicissimos esse jubet, &, ut fratres unius domus, concordiæ studere postulat quàm maximè. Nunc cùm eruditionem tuam, ut ornamentum corporis Academici haud vulgare, sincerè se amare semel iterumq; contestati sint, & animum tuum publicæ potiùs disciplinæ quàm amico privato nimiùm favere cupiant, Teq; inter amicos habere fidissimos etiam atque etiam desiderent, non video, cur alienior ab illis esse debeas, aut suspicioni sinisteriori indulgere ampliùs. Ut igitur de affectu meo erga Te constantissimo certum Te esse bona fide jubeo, nihilq; est, quod non in tui gratiam, ceu amici haud è multis, facturus sim, quàm lubentissimè, ita Te rogatum volo maximopere, ne autoritatem Senatus Academici, cujus ipse membrum es honorificum, & conservationem disciplinæ valdè necessariam amici caussæ non bonæ postponas. Quin justitiam fieri erga reum confitentem, qui contra modum puniendi minùs rectè insurgit, non patiaris tantùm, sed & ipse pro autoritate, quâ apud eum polles, simul adjuves; præsertim cum Senatum Academicum rigorem sententiæ, quantũ licet, mitigaturum esse dubium non sit; modò ille, quod semel iterumq; manu stipulatâ promisit, pœnæ isti se subjicere incipiat. Constitueram, hac septimanâ ad Vos excurrere, & quæ ad conciliandũ animos nonnullorum exulceratos faciunt, coràm pro meo in Vos amore diligentiùs curare. Sed podagra, proh dolor! hac nocte sinistrum pedem afflixit, & ad ingrediendum ineptum reddidit. Quamprimum pristinæ valetudini restituere me DEO visum fuerit, nihil intermittam, quò & Vobis & mihi satisfaciam. Interim vale, & in causa hac non tua, sed amici pœnam publicam promeriti Te ipsum vince, quam victoriam nôsti omnium esse pulcherrimam. Vale iterum, & nos, quod facis, ama. Salutat Te familia tota, & Te ex labyrintho isto quàm citissimè extricatum, cum animo tuo perturbato, in gratiam redire optat. Dab. Noribergæ Anno d. IX. Calend. Octobr. A. C. cIↃ IↃc XXXIX.

Rupertus Richtero.

NOn mediocriter fama quadam sinistrâ nuper affectus sum, quam de me sparserunt homines non tam mihi quàm audientibus insidiantes. Extincto Scholarchâ benignissimo, Senatore inæstimabili, Patre Patriæ, quis in consortium Pietatis ire detrectet, aut manes Illius Laudatione prosequi, quem hactenus cotidiè sensimus mori? Ideo depingere omnes velint, quod nemo potest. Sed ex Ciceronis lib. III. de LL. didiceram, apud Athenienses nec de mortui laude,

la[illegible], nisi [illegible] publi[illegible] sepulturis, nec ab alio, nisi qui publicè ad eam constitutus e[illegible], [illegible]. Hanc legem quum mihi dictam censerem, adeoq; Universi[illegible] decretum expectarem, verecundiæ meæ fastidii notam inusserunt, qui, ut Satyricus loquitur,

Sævi sunt tenui jugulos aperire susurro.

Tamen gratias ago DEO Opt. Max. quod Te mihi adversus occultas hasce criminationes Patronum dedit, qui Nobilissimum, Amplissimum & Prudentissimum Virum Dn. LUCAM FRIDERICUM BEHAIM, adversariorum meorum insidiis frustrà tentatum, ampliùs confirmâsti. Aliàs, verbo Sallustiano, *occulta pericula neque facere neque vitare bonis in promptu est.* Nam draconem quidem aut leonem qui videt, aut adit in montibus, statim declinat: Lachrymis aut precibus etiam latro mitigatur; ad virum verò subdolum, qui aliud linguâ promtum, aliud pectore clausum habet, magnâ sapientiâ est opus & Numinis auxilio, quemadmodum, præter Nicetam Choniatem, ipsa me docuit experientia. Inter hæc pergo in describenda Nobilitate Romana, quanquam, quò longiùs procedo, eò magis assurgit augeturq; moles, quæ prima quæq; perficiendo minui videbatur. Spero tamen suppetias à magnis Viris, in quibus raram in tanto fastigio humanitatem tuam expendenti primus in hac jactatione visus es adfulsisse Castor aut Pollux aliquis, cujus adspectu vela fidentiùs explicarem. Quod si quid in censu literario amicorum tuorum, quos Noribergæ & alibi habes amplissimos, servatur, uti servari existimo, vel numorum vel lapidum vel supplementorum ad Capitolinos Fastos, vel scriptorum de hodiernis Romanorum familiis, (quibus singularem tomum destinavi, non quòd ambitioni servilem stylum commodare, vel etiam in explodendis inaniis magnas inimicitias venari velim, sed ne ad operis titulum spectantia omisisse videar) ut illud benevolus exquirere velis, etiam atque etiam rogo. Recipies à me, quoniam splendidius nihil possum, in illo fœtu meo candorem & integritatem, hoc est, illud ipsum, quod Apollo tuus serenior affudit lumen. Vale, Vir Magnifice, cum tota familia! Dabam Altorphii a. d. XVI. Calend. April. A. S. CIↃ IↃCXL.

Idem Eidem.

VIr Magnifice, Mæcenas summe. Persto in consilio, cujus TU princeps es, & titulum de Origine Juris, quantum in me est, ex Antiquitatis fontibus explicabo, cùm primùm nostri feriari desierint. Obmurmurant quidem nonnulli, quos parùm moror. Scio enim, quid meum sit, quid alterius, & ut hactenus coronas fecimus iis, qui è Legibus ad illustrandam antiquitatem contulere radium, ita non ægrè ferent alii, si testandæ gratitudinis vel ipsi Pomponio vel

ejus interpretibus humiliorum literarum studiosus aliquid reponat. Hoc tantum M. T. eâ, quâ par est, observantiâ rogo, ut consilio suo auxilium librorum, quos sine injuria remittam, adjicere, ac præsertim quum olim de Lege Hortensia quædam è Disp. sua Inaugurali retulerit, sed memoriæ parùm fideliter à me commissa, de iisdem me rursus edocere velit. Misit ad me his diebus Cl. Reinesius Variarum libros plenos reconditæ eruditionis: Idemq; nobis p[illegible] Comment. in Inscriptiones Gruterianas, opus magni ad cognoscendas f[illegible] Rom. momenti, ut & supplementum in Vossii libros de Historicis Græcis & Latinis. Scripsi nuper Dn. WOLFGANGO FRANCKIO ad petitionem de recipiendo in Musæum meum affine ipsius; sed, ut ex Rev. Dn. M. WEINMANNO audio, responsione minimè contentus est, quamvis, ut ingenuè fatear, variis cogitationibus districtus, & ipse præcipuam causam h. e. promissum jam ante aliquot menses alteri factum omiserim. Dum ad Te, Vir Magnifice, literas hasce cogito, venit ad me, multumq; de sinisteritate famæ cõqueritur N. non per vulgus tantùm, sed & Optimatum ædes, ut verbo Virgiliano dicam, bac[illegible]tis: Esse illum inquietissimum Virum, qui N. in Excellentissimos hujus Universitatis Professores animaverit. Cogitare itaq;, Inclutum Senatum Norib[illegible]sem studium illius in seminandis litibus, insperatâ quâdam severitate, coercere. Dicam, sed petitâ priùs veniâ, liberè: Quamvis in omnem famæ licentiam ita me dispensaverim, ut silentio pro scuto sim imposterum usurus, satisq; mihi præcisum existimem ab oculo Justitiæ & inspectore omnium actionum, tamen multis modis in Humanitatis leges hîc peccarem, si præter meritum suum periclitanti adversario, sciens deessem. Ceterùm dementissimus ego habear, si apud eos hoc officium sustinere velim, quibus ut arquatis omnia lutei coloris apparent, quæcunq; oculis obversantur propter læsam videndi facultatem, sic raptatis ab impotenti affectu opinio pro judicio est. Ecquæ enim tum alia & proximo meo & mihi fortuna speranda esset, quàm illa T. Ampii Flaviani, de quo Cornelium Tacitum nôsti scribere, quum nullo criminis argumento, sed jam pridem invisus, turbine quodam ad exitium posceretur, non defensioni locum, quanquam supplices manus tenderet, sed *id ipsum apud infensos incitamentum fuisse, tanquam nimius pavor conscientiam argueret.* Igitur ad Te, Vir Magnifice, scribendum existimavi, quem & honesto patere quiritatui & ad asserendam innocentiam non minùs habere virium scio, quàm promtitudinis. Sanè tantum abest, ut supra nominatus N. *διαγάγειν τὺς μαχομένυς* vel diabolica acc[illegible]tione *ἐκ [illegible]* accendere quempiam vôluerit, ut potiùs jurgia, simultates ac dissensiones, tanquam famam ac merita sua plurimum obnubilantes, publicè privatimq; apud me semper fuerit detestatus. Ut enim inertes multi cum Auto[illegible] in

pace

pace ac sine alienæ existimationis ruina consistere non possunt; ita ille, quantum labores ac industriam suam dissimulatura sit discordia, facilè prævidere poterat: Ut proinde de sinceritate voti ipsius nullus dubitem. *Sed frequenter convenimus*, inquiunt. Ego verò quæsiverim, An convenire viderint. Si viderunt, (ut non nisi visum divulgare debent) salva res est, & candorem inde potiùs ac tranquillitatem quàm nefarias adversùs alios molitiones colligent. Noctem, secretum, solitudinem quærit malitia, rectè præclareq; facta omnium oculos advocant. Et quale, DEUS bone! telum, quî sic de nobis conqueruntur, adversùs se porrigunt! Nunquam erant frequentiores in ædib. N. nunquam mutuis officiis conjunctiores; quàm cùm ego gratiâ ipsius excidissem. Sed ut hoc ulcus pressiùs tangam, duo præcipuè vocata sunt in disceptationem, causa N. & N. Prius quod attinet, DEUM sanctissimum testor, consilium implorandi Amplissimos Dnn. SCHOLARCHAS non fuisse à N. adeoq; tubam illius negotii frustrà eum à quibusdam appellari. Posterius; vel Magnificentiæ Tuæ ex literis Dnn. Professorum contra N. datis constare potest, quum de vicario Notarii officio ageretur, N. peregrè abfuisse. Sed & rursus salvâ conscientiâ testari possum, quum in reditu dissensionem illam audivisset, nihil ægriùs tulisse, quàm quòd præsens in Senatu animos exacerbatos neque permulcere neque in medium consulere potuerit. Quid, quod N. multa Noribergæ, multa hîc de notis famæ suæ iniustis accepit per homines varios, de quibus, si occasio dabitur, malo coràm? Utinam, Vir Magnifice, utinam sub CHRISTI vexillo militantes tandem eliminaremus Stygias illas sorores actionumq; infelicissimas interpretes, DIFFIDENTIAM ac SUSPICIONEM, à quibus solis oritur studium illud premendi quovis nexu ac supplantandi; ô quàm pulchram Universitatis hujus faciem, quam ex magnifico placidoq, fulgentem videremus! Porrò sic ego mecum statui: Velle quietum & in statione læta collocatum omnes injurias infra me premere, nec in ullam postea tempestatem impelli; quò cadaver meum nemini bonorum jaceat invisum, imò ipsam malevolentiam pudeat tam miseræ &, ut ficum ficum appellem, puerilis circumcursitationis. An enim tam ferreæ mentis ego sim, ut qui brevissimum vitæ tempus vivo, & ostio magis magisq, per hanc diuturnam imbecillitatem propinquum probè me sentio, cùm alios, tum Romanum Sapientem non audiam, gravissimè in imbutos litium fuligine sic detonantem: *Quid juvat, tanquam in æternum genitos, iras indicere, & brevissimam ætatem dissipare? quid juvat dies, quos involuptatem honestam impendere licet, in dolorem alicujus tormentumq, transferre? Non capiunt res istæ jacturam, nec tempus vacat perdere. Quid, imbecillitatis obliti, ingentia odia suscipimus, & ad frangendum fragiles consurgimus? Jam istas inimicitias, quas implacabili gerimus animo,*

 febris

febris aut aliud malum corporis vetabit geri: Jam par acerrimum me[illegible] m[illegible]rimet: *STAT SUPER CAPUT NUMEN!* Cujus protectionis TE, Vir Ma[illegible]gnifice, Tuosq; humillimus commendo. Scribebam XXIX. Augusti A[illegible] cIɔ Iɔc XL.

Richterus Ruperto.

CONsilii mei de Pomponii historia juris enucleanda, quod Tibi me de[illegible]ſſe memini neutrum, ſcio, pœnitebit. Etſi enim nonnulli, quod ais, obmurmurant, quod certè miror: Non tamen erit, cur à bene cogitatis deſiſtamus. Tu verò vel exemplo Heinſii noſtri, at quanti Viri! tutus eris, qui nec Jureconſultus, nec Jurium Profeſſor, magnâ tamen laude titulum illum Juris publicè explicavit: Quia magna cum ſtudioſorum utilitate. Atque utinam omnes JCti noſtri illa Hiſtoriarum quà Græcarum, quà Romanarum, cognitione, quæ ad titulum iſtum rectiùs intelligendum requiruntur, tam eſſent inſtructi, quàm verè omnes fateri coguntur, eum totum Hiſtoricum eſſe, non Juridicum. Et quandoquidem Hiſtoriarum profeſſio demandata Tibi eſt, ecquid refert, unde hiſtorias, modò veras, modò utiles, Auditores tuos doceas? an ex Halicarn[illegible], an ex Livio, an ex Dione, an ex omnibus, hoc eſt, ex Pomponio? Sed ut M[illegible]i ingenium non ignoramus, ita meritò minus facimus quàm nihili. Meorum librorum ſi quid ad propoſitum iſtud tuum uſui eſſe poteſt, nunquam non o[illegible]nebis. Modò venias, ut coràm, quod commodiùs fore puto, conferamus. De N. quæ narrâſti, magnam partem ſuſpicione tantùm niti mihi videntur; qu[illegible] diſcordiarum matrem ſepultam manere malo, quàm reſuſcitare. Mihi plura non conſtant, quàm quæ ipſi coràm nuper dixi, quæ ſi amicè, ut ſpero, ob[illegible]bit, non erit, quod ampliùs eum ſolicitum teneat. Id quod ad tuas, he[illegible] ante cœnam mihi redditas, ne neſcires, volui. Vale. Dabam raptim Noribergæ ad d. III. Cal. Sextil. A. C. cIɔ Iɔc XL.

Rupertus Richtero.

VIr Nobilis, Ampliſſime & Conſultiſſime. Officium ſcribendi, quod ſolus hactenus impedivit pudor, ſine pudore jam ſeponere non licet. Quum enim faſciculum illum è Galliis ad TE nuper transmiſſum à Felbingero acce[illegible]ſem, ut amica POEMERI manus cumprimis me recreavit, ita ex amicitia hujusmodi, ne quid M. T. moleſtiarum afferatur, ſedulò proſpiciendum m[illegible] Nullum dubium eſt, (nec aliud è Felbingeri verbis colligere potui) quin t[illegible]rius luculentum, uti ſolent, κόμιςρον ex ædibus tuis reportaverit; ſed [illegible] hucusq; ignorare cogor, quantum illud fuerit, obſervanter rogo, ut per erudit[illegible]

LIN-

LINCKIUM nostrum, qui Altorphium brevi rediturus est, haud gravatim id mihi significetur. Satisfaciam hac in causa; qui quò minùs possim in aliis, meritorum obstat magnitudo. Interim pro amicis quoque meis deprecor, si quem gurgustioli mei obscuritas excludit erga me adfectum, per Amplissimi Nominis TUI fulgorem, quamvis feliciter, tamen confidentiùs mittunt, ibidemq; me compellandum existimant, ubi GENIUM meum TUTELAREM semper sciunt habitare. De ceteris satis mirari non possum, Gronovii famam stupendis progressibus inclarescentem obstructum ire ludimagistellum quendam Parisiensem (is est, ut audio, Emericus Cruceus, & fidem facit Salmasius, qui Ep. ad Gronov. γωυρώ υμον appellat) nec in illum solùm, sed & Salmasium, quem inter Heroes abs TE & omnibus sine affectuum caligine dijudicantibus collocari scio. Nimirum in magnorum Virorum scriptis idem sibi licere putant hujus farinæ sceptrigeri, quod in exercitiis puerorum suorum: Sed ignorantiam istius & malignitatem egregiè, ni fallor, uterq; defricuit. Ajunt tamen, parare novam contra Gronovium Apologiam, quâ quid voluptatis allaturus sit cordatioribus, in promptu est conjicere. Illud mihi gravissimum, tot bonas horas non tam Gronovio auferri, quàm bono publico, cui ex duob. MSS. Regiæ Bibliothecæ Livium suscepit emendandum. De historia nostri ævi scribenda agitare Hugonem Grotium, evangelium mihi fuit; certè aut horum aliquis aut nemo tentabit illa Tiberiana κρυφια, quorum fœcundissima fuit tempestas nostra. Quæ hactenus prodiere aulæ, pecuniæ, sacrificulorum, affectuum & ignorantiæ mancipia, quàm bilem movent lectoribus! ut sæpius tot rerum ævo nostro gestarum memoriam omnem evanescere atq; interire malint, quàm à vappis istis sic describi. Sed tot beata, quæ nunciantur, haud leviter turbat de REINESIO metus, ne clarissimos ejus conatus abripiat & sepeliat tempestuosa illa nox, quæ Altenburgicæ ditioni præter spem nostram incubuit. Amplexus est juventutem meam benevolentiâ haud tralatitiâ, & multis pulcerrimis observationibus auxit. Familias nostras, nec pauciores minatur in Examine Inscriptionum & Quæstionum Romanarum, quas Ægoceros Batavus, (ita nominat Boxhornium) infelicibus auspiciis edidit.§ Hoc tamen postremum in Heinsii gratiam non publicabit. FREINSHEMIO misi omnia Virdungiana in Tacitum, partim ut petitum ejus honore digno prosequerer, partim ut famam integritatis meæ, quibus possum munimentis, apud exteros custodirem. Nam quid ab inimicis meis mihi sperandum sit, cùm ex aliis quamplurimis, tum ex hoc sane quam impotentissimo N. facto Magnificentia TUA colligere potest. Notas meas in Florum (primitias & rudimenta infirmæ lectionis & ob librorum inopiam parum adhuc consistentis) ipse à Convictore quodam N. petit, dein patritio cuidam

Francofurtensi explicat, sed omnes tanquam Virdungicas, non meas. R[illegible] mearum statum quod attinet, strictâ hac diætâ & accurato victu perti[illegible] acerrimorum hostium non infeliciter aggressus sum; nullamq; amplius [illegible] rem incommoditatem sentio, quàm quòd à corpore depulsa tabes invadit [illegible] los. A contubernalibus spes nulla, quoniam ulteriora cogitantibus [illegible] rùm cara, sicut nec à reliquis studiosis, quibus formosior est nummus [illegible], quicquid Græci Latiniq; delirantes scripsere. Cogitabam proximis [illegible] bus Academicis patricium juvenem producere in campum Oratorium, ut [illegible] plices meas eò feliciùs insonarem in aures Nobilissimorum Dominorum [illegible] rum: Nec offensurum me spero quemquam, si Exercitio Oratorio dicen[illegible] modi mihi eligam, sive extraordinario lucello alienæ Professionis [illegible] storiæ meæ adjectos, consoler: Sed in hisce gravissimum Magnificentiæ T[illegible] quar consilium; quam cum tota familia Divinæ protectioni humilimè co[illegible] do. Dabam Altorphii A. S. ↄIↄ IↄC XLI. a. d. V. Cal. Majas.

Richterus Ruperto.

MI Clarissime Ruperte, Amice inter paucissimos semper mihi aman[illegible] rimùm & honorande. Eò citiùs, fateor, ad literas tuas per- mili[illegible] respondere debuissem, quò magis animi tui candorem & amorem singular[illegible] me ob oculos mihi posuerunt. Sed quum Reipublicæ occupationum [illegible] gravior remoras mihi frequentiores hactenus objecerit, pro illo ipso a[illegible] haud vulgari, ut hanc excusationem moræ nostræ boni consulas, eti[illegible] etiam oro. Ad literas tuas jucundissimas hoc nunc scias, velim, quod po[illegible] mum scire cupis, nimirum perficiendum illud Tibi esse omnino, quod de pa[illegible] cio quodam in campum oratorium proximis solennibus producendo b[illegible] prudenter proposuisti; quod certè, ut honori & rebus tuis non parùm condu[illegible] cet: Ita nihil quicquam ego intermittam, quod, ut voti tui ex animi sen[illegible] compos reddaris, ab amico desiderari possit. Sinisteritatem verò infelicis [illegible] li tui; quam notas tuas in Florum notando palàm fecit, satis mirari neq[illegible]eo, [illegible] qui meliùs, quàm contemptu Te vindices, nunc video. Plura volente D[illegible] tàm. Pluribus enim negociis publicis gravissimis hac ipsâ horâ con[illegible] Vale, Ruperte Clarissime & Charissime, & salutem filii curæ Tibi esse [illegible] raptim IV. Idus Maji A. C. ↄIↄ IↄC XLI.

Rupertus Richtero.

VIr Nobilis, Amplissime & Consultissime. Tam diu ad lucu[illegible] volentiam tuam silere, quantus pudor! nisi præter occupation[illegible] p[illegible]

va[illegible]

variæ curæq; mordaces curæ voluntatem meam interpellâssent, Ut præcisæ arbores plurimis ramis repullulant; ita postquam unum incommodum recidi, densiora surgunt alia alibi, neque scio, an levamentum aliquod sperandum sit. Adeo ex hac perpetua rerum mearum sinisteritate velut ἐν τετράδι mihi natus videor. Unde si de Ciceroniano loco frigidiùs differam, quàm coram Magnificentia Tua fas est, faciliùs hoc condonabis animo, à studiis suis per aliena divulso. Verba 2. Offic. sic habent: *Nunquam vehementius actum est, quàm me censere, ne solveretur: Armis & castris tentata res est ab omni genere hominum, & ordine, quibus sic restiti, ut hoc tantum malum de Rep. tolleretur. Nunquam nec majus æs alienum fuit; nec melius, nec facilius dissolutum est: Fraudandi enim spe sublatâ, solvendi necessitas consecuta est.* Hic, quum æs alienum nominat, non intelligit angustias ærarii, sed accisam rem familiarem privatorum. Ciceronis enim ætate sic erat: Urbana plebs cùm per dedecora omnem pecuniam profligâsset; & qui in agris manuum mercede inopiam toleraverant, *urbanum otium ingrato labori prætulissent*, ut loquitur Sall. in Catil. c. 37. omnem spem collocabat in legibus agrariis, & illâ χρεῶν ἀποκοπῆς. i. e. tabulis novis, quibus debitores ære alieno liberabantur. De utroq; ibi disputat Cicero, æquitati cumprimis adversari. Nunquam autem ita decoxerant cives Romani, nunquam tantum æris alieni fuit, quàm Ciceronis tempore. Huic C. Mallius in epist. ad Q. Marcium Regem apud Sall. in Catil. c. 33. hoc ipso anno scripta, quò Cicero consul: *Miseri egentes, violentia atque crudelitate, fœneratorum pleriq; patriâ, sed omnes famâ atque fortunis expertes sumus. Sæpe majores vestrûm miseriti plebis R. decretis suis inopiæ ejus opitulati sunt; ac novissimè, memoria nostra propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum ære solutum est.* Et quæ ibid. sequuntur, cum loco Ciceronis omnino conferenda. Nam quum ait Cicero, armis & castris tentatum esse in consulatu suo, ne solveretur, intelligit hanc ipsam seditionem Catilinariam, de qua Sallustius. Satis ex hisce manifestum puto, quid æs alienum sit in Ciceronis loco. Sed accedit ampliùs; quod de se Cicero dicere non potest, *angustiis ærarii facilimè consuluisse.* Ærarium enim Populi Romani, quod A. U. 586. tricies sexties centenis millibus Philippûm, ut supputat Lips. 2. de Magn. R. 8. ex Macedonia locupletarat L. Æmilius Paullus, quum bello Marsico A. U. 662. adeò exinanitum continentibus sumptibus esset, ut loca, quæ circum Capitolium pontificibus, auguribus, Xviris & flamminibus fruenda, erant data, publicæ pecuniæ inopiâ venierint, teste Orosio; sed & postea immoderatæ Cinnæ, Marii ac Sullæ dominantium cupiditates rem cum pulvisculo abstulissent; semper exhaustum jacuit, nec à Cicerone quicquam succursum est. Asconius in Comm. Cornelianæ: *Quia defuerat superiorib. temporib.*

in ærario

in ærario pecunia publica, multa & sæpe ejus rei remedia erant quæsita, in quibus hoc quoque, ut pecuniæ publicæ quæ residuæ apud quemq; essent, exigerentur. [illegible] *tem maximè pertinebat ad Cornelium Faustum Dictatoris filium,* [illegible] *Sylla per multos annos, quib. exercitibus præfuerat & Remp. tenuerat, sumpsi* [illegible] *ex vectigalibus, & ex ærario P. R. eaq; res sæpe erat agitata, sæpe om*[illegible] *propter Syllanarum partium potentiam, partim quod iniquum videb*[illegible] *annos, quam quisq; pecuniam acceperat, ejus reddere rationem.* Cato [illegible] Sallustium c. 52. fine hujus anni, quo Cicero consul: *Habemus publicè egestatem.* At post consulatum Ciceronis respiravit demum ærarium, quum Cn. Pompejus Magnus in illo, quem de Rege Mitridate & Oriente duxit, triumpho int[illegible] A. U. 692. Centies vicies centena millia Philippûm. Auxit, quum Cyprium gazam adveheret Cato A. U. 697. ac tandem XXXIX. milliones inferret C. Julius Cæsar, de quo Lipsius d. l. Ergo de ærario Ciceroni non est sermo, quod ipse exhaustum reliquit: Ac saltem id quæri potest, quomodo Cicero dicat æs *alienum privatorum nec melius, nec faciliùs, quàm se consule dissolutum.* Hoc explicat ipse, cùm inquit: *Fraudandi spe sublatâ, solvendi necessitas consecuta est.* Vult dicere: Quum obærati spe novarum tabularum lactarentur, neq; creditæ pecuniæ solverentur; semper mansit æs alienum. Ego in consulatu meo tabulas novas populo gratificari nolens id effeci, ut quisq; eas artes coleret, quibus ære alieno exire possent. Sanè hoc Cicero præstitit. Nam postquam tribuni plebis, ut è Dione scribit Franc. Fabricius Marcoduranus, nacti fuerant Antonium Cos. moribus sibi simillimum, aliiq; novas tabulas proponebant, [illegible] legem ferebant de agris dividendis per Italiam & ditiones, quæ P. R. imperio parebant; Cicero Cal. Jan. inito consulatu Senatum & bonos omnes lege agrariæ, maximarumq; largitionum metu liberavit, divinæ eloquentiæ vi perterritis tribunis & collegâ Antonio miris artibus sibi conciliato. Plura l. cit. Fabricius. Hic, ni fallor, genuinus sensus verborum Ciceronianor. l. 2. Officior. Quòd si Cicero in consulatu suo ærario consulere voluisset, nescio, an par fuisset coërcendæ avaritiæ Magistratuum & luxuriæ publicæ; quibus immane quantum degenerabat civitas & pessum, si quo alio malo, sidebat ærarium. Fuissent ipsi reducendæ leges contra rapacitatem proconsulum, sectiones publicanorum, calumnias litium, luxum conviviorum ac vestium, inertiam Senatus ac cu[illegible] privati commodi. Uno verbo: Congrediendum ipsi fuisset cum multi[illegible] lo. Sed cùm frustrà niti, neq; aliud se fatigando, nisi odium quærere e[illegible] clementiæ sit; judicio Sall. Jug. 3. forsitan ex præcepto Sapientum hîc quiescere maluit, & aliunde levamentum expectare. De pactis familiarum successionis nihil dum reperire licuit, propter angustias Bibliothecæ: Quibus, nisi extraordinariâ

dinariâ pecuniâ subventum fuerit, non illa tantùm in perpetuum erit circumscripta, sed & vita ipsa. Supplices meas jam ante quatuor septimanas misi ad Dn. W. F. cujus silentium nihil prosperum ominari mihi permittit. Vale, Vir Ampliss. cum tota familia tua, & benevolentiam illam eximiam mihi persevera. Dabam Altorphii 24. Sept. Anno S. cIↃ IↃc XLI.

Richterus Ruperto.

CL. Dn. Ruperte, Amice non è multis. Quòd tam diligenter & tam accuratè locum illum Ciceronis, qui, se consule, æs alienum tam facilè dissolutum haud frustrà gloriatur, literis tuis acceptissimis enucleâsti, gratiam me Tibi debere singularem fateor & habeo, neque quicquam mihi est, quod ulteriùs vel opponam, vel desiderem. De curis tuis, quas animum tuum tantopere mordere ais, si animo huic Tibi amicissimo aperire non vereberis, operam dabo, quantum in me est, ut liberare Te molestiâ istâ valeam. Hac fini etiam curæ mihi erit, ut auctione Salarii, quam petis & mereris, Tibi satisfiat. De editione Programmatum Virdungi nostri b. m. Doctoris olim nostri præstantissimi, quam Dümlerus unà cum Orationibus curaturum se recepit, quid Tibi videatur, & quid cum Poëmatis ejusdem faciendum censeas, vel per filium, cui hæc in mandatis dedi, ut tribus verbis significes, per famam optimi defuncti Te rogatum volo. *Κειμήλια* enim ista, ut mecum exoscularis; ita curare non grave erit, ut per ea & autoris fama perennet, & viduæ ac hæredum indigentia, quantum licet, sublevetur. Vale, Amice suavissime, & filium, ejusq; studia commendata habere ne desine. Noribergæ IV. Cal. Octobr. A. C. cIↃ IↃc XLI.

Rupertus Richtero.

VIr Magnifice, Nobilissime, Mæcenas observandissime. Ut Altorfium redii, ecce altero die ab illo N. novas, & quanquam adhuc æstuantes, tamen minori convitiorum procellâ. Ut revera sentiam, auctoritate tuâ hominem non parùm esse perculsum. Quamobrem non jam ego, sed ipsi paterni manes ac tota domus mea honorem suum uni Tibi debet. Hanc benevolentiam rogarem, ut nobis perseverares, nisi hoc ipso peccare mihi viderer in promptitudinem tuam. Solum fatebor, quod in Musæo meo sæpe jam cogitavi; absq; Te Patrono foret, ne crastinum quidem optandum porrò esse. Licèt enim nihil acerbius, quàm obscurum, nec dum aliquo literato specimine edito, fatis succumbere, tamen tam officiosâ contra me scævâ illâ herâ, quidni fragilis & imbecillis aliquando deficiam? & hoc quicquid spero, fastidiam? O quàm nunc assentior vetustati, quæ credidit esse quosdam *ἐν τετράδι γεννηθέντας*! Quis

enim rerum mearum status? Τὰ τοῦ σώματος μετρίως ἔχει. Φροντίδων [illegible] καί. Τὰ τῶν φίλων καὶ συγγενῶν ἄπιστα. Νῦν δ' ἀκόλαστοί εἰς, ὅσα δυ[illegible] σκεδάζειν τὰ τοῦ πατρὸς λείψανα πειρώμενος. Iterum dico: Μιάμοι τῶν κακῶν [illegible] λίαν θάνατος. Persistam nihilominus in studiis & illa, quam Fastis consecravi, opella. Tam miseram eorum rationem esse post tot curas eruditorum, S[illegible], Onufrii, Goltzii, Pighii, dolendum sanè! Multa è lapidibus erui, quibus fasti meliores; & expecto non pauca post Gruterum reperta, de quibus spem fecit Volcamerus meus. Valdè aveo scire, quodnam sit illud Chronographium consulare, laudatum à Scaligero in Epist. ad Casaubonum pagin. 492? an cum Eusebianis unà editum? item an Georgius ille Monachus, cujus salivam jam dudum moverunt Bongarsianæ ad Justinum notæ, & quem in dictis literis commendat Scaliger adhuc ἀνέκδοτος lateat in Christianissimi Regis Bibliotheca? Posset multum de his vel accipere filius tuus, vel etiam abs Te rogatus conferre Gronovius: Qui, nuper ex Italia redux, Antiquitatis præclaræ monumenta indulsiè secum attulit. Nec in voluntate Clarissimi Viri parùm ego repono, siquidem in me & studia mea aperire ipsi volueris tuam. De Dilherro, Excell. V[illegible] neminem hîc audio damnare judicium tuum, nisi quod quidam subvereri d[illegible] N. decrementum. Vale, Vir Nobilissime, cum tuis! scr. Altorphii XI. Augusti A. C. 1642.

Richterus Ruperto.

CLarissime Vir, Amice non è multis. Orarem Te pluribus, ut quòd hactenus ad acceptissimas tuas nondum respondi, mihi ignosceres, nisi, quàm occupatissimus ferè nunquam non sim, jam probè Tibi constaret. Et injurius sim in virtutem tuam, si aliam quamcunq; ob causam, præter occupationum, quam dixi, Te factum suspicari crederem. N. illum mitiùs Tecum agere, vel ideo Tibi gratulor, quòd nimiùm illius causâ angi Te video; quum tamen exceptionibus juris, quas nuper coràm significavi, tutus, nil nisi judicis sententiam absolutoriam, quam vocamus, expectare debeas. Si quid aliud Te urget, aut times, aperi, quæso, audacter, & nihil de animi hujus erga Te promtitudine unquam dubita. Neque video, quei tam dejecto animo esse debeas, quasi, præter DEI faventiam, non multos quoque habeas heic & alibi, qui Te amant, æstimant, honorant, quos inter me non postremo loco esse, nullam occasionem palàm id contestandi prætermittam. Taceo, quòd nominis tui famam et[illegible] ante annum trigesimum literatorum choro jam celebrem reddidisti: Magis magisq; idem facturus, quum docendo, perorando, scribendo, ut cœpisti, perrexeris. De Chronographio consulari & Georgio Monacho, Scaligero tanto-

perè laudatis, eo, quo significâsti, loco, nempe epistolarum ad Casaubonum pag. 492. nihil invenio, nisi alia Tibi earum Epistolarum est editio. In mea editione Lugdunensi Batava Anno cIↃ IↃcXXVII. aliquoties quæ scripsit, legisse me memini, nempe Epistol. 66. 68. 72. & 73. pag. 206. 218. & seq. 223. & 226. nimirum multum se libris istis ad Eusebium suum fuisse adjutum. Ex quo vides, in Eusebio jam haberi, quæ bona in illis laudavit. Lucem verò addunt, quæ Casaubonus vicissim ad Scaligerum, & de Chronographio & de Monacho scripsit, Epistol. 437. 440. 443. 444. & 447. p. 521. 525. 531. 532. & 536. quas Casauboni Epistolas Gronovius noster ut nôsti, ante quadriennium edidit. Scribam porrò, ut petis, proximè eâ de re ad filium, Deo volente, à quo mensis est, quum & ipsius & magni Heinsiii literas accepi. Cl. Dilherrus noster, ut sycophantarum calumnias ridendo egregiè ultus est, ita quum eum ante octiduum, in Conventu Ecclesiastico, Theologis juxta ac Scholarum Rectoribus, Patrum jussu, præsentaremus, nil nisi gratulationes devotas, laudes eximias, & gratiarum actiones singulares atque ingentes erga DEUM & Magistratum, provocatione ad hanc Remp. audiverit, de quorum candore & constantia dubitare religio esset. Oratione suâ inaugurali de Icaro Academico, quam forsan brevi videbis, applausum denuò tulit mirificum. Optârim Te, cujus mentionem sæpius & pro merito non nisi honorificam facit, nonnunquam colloquio nostro adesse, quo nihil mihi gratius, nihil acceptius. Cave igitur, quotiescunq; huc excurres, ad alium quàm ad nos divertas. Nudius tertius salutem Tibi nunciari jussi per Samuelem Hundium, Misnensem Studiosum ornatissimum, quem, ob morum elegantiam & ardorem discendi, & quia Te haut vulgariter observat, atq; doctorem quà publicè, quà privatim habere satagit, Romano more Tibi commendo. Vale, Amicorum dilectissime, καὶ θυμὸν ἔχε ἀγαθόν. Saluta senem venerandum D. Hofmannum nostrum, cujus literas ad Archiatrum Imperatoris curavi. Scribo raptim Noribergæ ad d. XVII. Septembr. A. C. 1642.

Rupertus Richtero.

VIr Magnifice, Nobilissime. Nimis grande commodorum meorum pretium hoc est, si publicorum damno ad meas semper respondere velis. Neque ego tam inamœnus, ut id mihi deberi putem. Simulac enim necessitates meas indicavi, adeò securum me facit toties perspecta benevolentia tua, ut idipsum accepisse me putem, quod impetrâsse nondum relatum est. Qui animus licèt probè Tibi sit cognitus; tamen inter tot tantasq; negotiorum moles tempus quæsiisti, quo responsoriis tuis beare & erigere me posses. Agerem gratias, Vir Nobilissime, si possem tantas, quantis beneficiis adfectus sum, & si

Peitho ita faveret, ut possem, integrum volumen, non epistolam ad Te scriberem. Fortuna enim in benigniorem vultum mutata, favor Ordinis Amplissimi, honesta functio, vita deniq; ipsa Te solo Patrono mihi vitalis queî unius folii narratio sit, si ea per partes cum aliis sexcentis explicare velim? Animo quidem, DEUM testor, facio, quod verbis nequeo, atq; ILLI unà τὴν ἀντάξιον ἀμοιβὴν supplex commendo. In summi verò beneficii loco jure recens istud duco, quòd in causa tum mea, tum meorum adeò propitius mihi adsistis, quem homo trium literarum Parentis mei famam tam audacter & in oculis inimicorum meorum differendo, dejecerat, & gravi mœrore involverat. Adsurgerem quidem contra unum vel alterum forti contemtu; sed enimverò multa simul ingruunt ac tanta, ut aliquando deficere pæne necesse sit. En, Vir Amplissime, quam præ cæteris Anubinis latratoribus nuper in me sceleratissimum, carmen iterant. F. M. Epulatur apud H. & ubi mero incaluit, quærit ex Adolescente [illegible], Auditore meo, quid Altorphii Rupertus agat. Respondente illo, quæ decere videbantur, Tu verò inquit, vide, ne certiorem famam temerè impugnes. Ille scriptorum Virdungicorum cotidianus expilator, homo ignavus, judicii expers, satis hîc notus est, & video ego vim amicitiæ tuæ ἐπισκοτοῦσαν τῇ ἀληθείᾳ. His adjicit, venisse se aliquando in ædes Magnifici Dn. Pro-Cancellarii, & vidisse manu meâ præscriptum Virdungicis carminibus V. CL. MICHAEL. VIRDUNGI CARMINA, QUÆ EXTANT OMNIA. Mirari hanc confidentiam. Sibi enim esse non pauca, quæ à Ruperto prætèrita sint. Hæc & multa plura coram hospitibus, &, quod indignissimum coràm adolescente, quem ad honorem Professoribus habendum stimulare debebat. Agnosco fontem tot calumniarum. Putat culpâ meâ factum, quòd nomen suum in Virdungicis non legerit: Præterea infecit eum Spiritus ab ore putescentis vicini mei. Taceo alios subbasilicanos complures, nomini meo infestissimos. Quid meo? quum nec famâ & meritis longè excellentioribus parcere sciant homines vilissimi, patriæ vibices, suis certè moribus id efficientes, ut quem eruditi hactenus μυκτῆρα Ἀττικὸν proverbio celebrârunt, in posterum Νωρικὸν appellent. Ignosce, Vir Magnifice, quòd hæc ad Te tam liberè. Quod enim tantam Universitatis nostræ curam sustineas, æquum & solaminis instar visum est, animum meum Tibi recludere. Adhuc igitur unam fabulam. N. eodem morbo laborans, præsente Dn. D. K. multum de abjecta superbia Professorum conqueritur: Esse, ait, quos sutores faciliùs aut sartores quàm Professores credas, non deprecari tamen Excellentiæ titulum apud salutantes. Quid enim de superbia superbissimus ille in patrem, cujus conditionem adeò fastidit, ut quos abominatur, sartores dicat? Hæc quidem non intellexi in me dicta, qui, ut fas erat, Excellentem me salutari

nunquam

nunquam paſſus ſum, quod omnes Studioſi ſciunt. Cæterùm ubi de exercitiis Oratoriis cœpit, tam ab optimo majorum inſtituto aliena eſſe, tam mira & inſipida, facile fuit videre ab hoc Viro in ſcenam me quoque protrahi. Quid faciam? Vir Ampliſſime. Sileam? pergent. Occurram? inſaniores fient. Sed nec ego Hercules, qui vi apertâ conficiam hoc calumniæ monſtrum. Illud interim fieri neceſſe eſt, ut cum finem non video, in honeſto conatu non parùm interpeller. Pro indicina eorum, quæ de Chronographio conſulari, & de Monacho Caſaubonus ad Scaligerum ſcripſit, ago gratias. Ipſius Scaligeri Animadverſiones in Euſebium non habeo; quas tamen curabit, ut ex Belgio brevi accipiam, Nobiliſſ. Dn. Starckius. Valdè averem ſcire, quid inſcriptionum aliarumq; Antiquitatum, quum in Italia nuper eſſet & quidem in palatio Fr. Barbarini Cardinalis obſervârit Cl. Gronovius. Ut eſt curioſus: Haud dubiè rediit his divitiis inſtructiſſimus. Habere ſe pro lectione dixit N. niſi Auditorum ſtupore & credulitate abuti voluit, quod non puto, EULABIUM, (ſic appellâſſe referunt) è Cod. Vaticano deſcriptum, gentilem, Græcum & Conſtantini Imp. hoſtem acerrimum; qualem Zoſimum & alios Græculos novimus. Valdè inſerviret uſibus meis, ſi tale quid extaret. Sed profectò facilius mihi,

Eſurienti leoni ex ore exſculpere prædam,

quàm ut hujusmodi theſaurum illi. Quid conſilii capiam? Excellentiſſimum Virum D. DILHERRUM tantâ benevolentiâ me complecti, eſt, de quo valdè gaudeo, ac tantùm non glorior: Parabam aliquid literarum ad ipſum & votivi carminis; ſed ſufflaminabat non tam Collegium privatum Epiſtolicum, quàm literæ ad Viros Nobiliſſimos Dn. FURERUM & Dn. GRUNDHERRUM, nomine Univerſitatis concipiendæ. Faxo, ut hoc officii genere compaream aliàs. Citius alii occurrere, nemo candidiùs. Quæ enim mea tarditas eſt, εἰρωνείας & jocandi rationem dæmagogicam non didici. Samuel Hundius, Miſnenſis, ingenio promtus & moribus præcultus, humaniſſimâ ſalute, quâ tuis verbis cum effuſæ benevolentiæ tuæ ſignificatione me impertiit, non parùm excitavit. Facultates opto ſuppetere, ut quanti mihi ſit affectus tuus, quanti commendatio, ipſâ re demonſtrem. Vale, Vir Nobiliſſime, cum Tuis! Dabam Altorphii Pridie Nonas Octobris A. cIↄ IↄcXLII. quem tanquam arcum in Univerſitatem noſtram intentum perhorreſco. Videre mihi videor omnium malorum Iliadem ab N. noſtro, qui matrimonio ſuperbus ægrè fert, non omnes Profeſſores anteire. Igitur ſemper oleum addit Camino. Sed magna ſpes nobis in commendatione tua, Iterum Vale.

Idem Eidem.

VIr Nobilissime, Amplissime. Compellandus es mihi Cl. HOFFMANNI nomine, & subito; qui aliàs negotiis tuis (nunc cumprimis) nolim obrepere. Tres vel quatuor septimanæ sunt, quum ad Te & Excell. Dn. DILHERRUM de operum suorum editione ac magnificis N. promissis literas dedit, Vestramq; in causa sua operam rogavit. Sed quod neque abs Te, neque à Dn. DILHERRO quicquam hactenus responsi tulit, utrasq; periisse putat. Nonnunquam suspectum habet ipsum N. quem Proteo mutabiliorem jam aliquoties expertus est. Turbant etiam N. qui unus è familia N. libros hic venales habet, ambigui sermones. Unde moræ impatientior ex me petiit, ut quando manu senio & periculosâ illâ paralysi adhuc afflictâ, & quasi ligatâ scribere ad Te non potest, ego solicitudinem ipsius Tibi exponerem. Quod nunc facio: Et Te, Vir Ampliss. eâ, quâ par est, observantiâ rogo, ut per amanuensem tuum, (tàm enim impudentes non sumus, ut à negotiis maximè necessariis ad literas scribendas Te vocare velimus) vel de literis, num eas acceperis, vel N. responso certiorem me facias. Dabo operam, ut hanc benevolentiam, quo potero, observantiæ genere compensem. Honoratissimam conjugem tuam, filiam, nec non Excell. Dn. DILHERRUM observanter saluto. Scribebam festinans & in ædibus Cl. HOFMANNI d. XXIII. Octobr. A. S. cIↃ IↃC XLII.

Richterus Ruperto.

MI Clarissime Dn. Ruperte, Amicorum candidissime, dilectissime. Ad binas Tibi responsum debeo: Nisi ad alteras de operibus Hofmanni nostri πολλῶν τὴν ἀντάξιν ἄλλων in solutum accipis, quòd Dilherrus noster Vobis nobisq; amicissimus non ita pridem ad Te scripsit, & invaletudinem meam Tibi aperuit. De ea tam citò, & tam mirè DEI, clementiâ singulari, me liberatum, simulq; & arthritidem & calculum, hostes sacros & lancinatores infestissimos, citra dolorem penè omnem nunc depulsos, est profectò, quod Patri cœlesti, per Filium JESUM CHRISTUM, animæ corporisq; Servatorem unicum & supremum, gratias habeam, & agam immortales. Neque dubito, quin & Tu mecum, ut gaudes, ita & vota redditurus sis Domino DEO nostro calidissima. Præter hanc verò moræ excusationem sonticam, aliam quoq; solennem occupationum, præsertim, quas Conventus circuli Franconici nuper auxit, prætexere possem. Sed quid attinet apud Te, qui non tantùm jam antè excusatum habes, sed & ipse, quòd non semper ad tuas respondeam statim, literis tuis dulcissimis me excusas: Quod non nisi nimium tuum amorem in nos Tibi dictitare, improbo

probus sim, si dubitare velim. Par illud, M. dicam an sycophantarum maximè conspicuorum? quibus volupe est, malè loqui de melioribus, egregiè ultus es literis virtutem & doctrinam spirantibus inusitatam. Quæ integritas tua atque innocentia laudabilis, ut & illorum fastus atque detestanda sinisteritas per occasionem, forsan justo DEI judicio, magis magisq; palàm fient. Interim ubi illi famam bonorum allatrare non desistent, nequaquam vitio vertetur Innocentibus contra rabiem ejusmodi tueri se jure illo, quod nobiscum natum est, & apud omnes gentes æquum habetur. Causam Academiæ, quam commendâsti, his diebus ita egi, ut sperem, non frustrà. Certè adversitates cunctas à vobis arcere pro virili, Numinis auxilio, nixus nunquam cessabo: Illud ipsum facto potiùs quàm verbis ad literas, quas Senatus Academicus primùm, deinde Magnificus Dn. Rector ad me ea de re scripserunt, contestaturus: Quod Viro, quem dixi, Magnifico per occasionem cum salute pl. significes, rogo; ne silentium meum habeatur pro negligentia. Vale, & Clariss. D. Hofmannum, senem venerandum, à me saluta: Qui non minùs, spero, quàm Tu, moram nostram boni consulet: Præsertim quum N. paucos ante dies redierit, cum quo, ut Excellentiss. D. Dilherrus jam semel iterumq; contulit: Ita & ego, idem ut facere possim, operam dabo. Vale iterum. Dabam ad d. XII. Novembr. A. C. cIɔ Iɔc XLII.

Rupertus Richtero.

Vir Nobilissime, Amplissime ac Consultissime, Mæcenas plurimùm honorande. Pilum mihi injecerant Excellentiss. D. DILHERRI literæ de morbo tuo; nec mihi tantùm, sed omnibus, qui Reip. Universitatis salutem ac præter ceteras virtutes, quibus innumeris radias, singularem illam in tanto fastigio humanitatem amant. Eò nunc auditu jucundius, DEI Opt. Max. singulari auxilio sævissimum hostem tam maturè in fugam conjectum esse; utq; ea nobis lætitia diuturna sit, eundem clementissimum Protectorem nostrum supplex & ex toto animo veneror. Experti sumus nuper, quantum in convalescentia tua nobis situm esset, & ob id decretum in Senatu Academico, ut pro insigni commendatione tua, quam tot beneficiis in Universitatem istam collatis adjicere voluisti, gratiæ Tibi agerentur. Nihil adulationi dabo, Vir Magnifice, cujus causas procul habeo, sed ex animi sententia de universis Professoribus adfirmare debeo, multos hactenus fuisse in deprædicanda benevolentia Tua: Et ut videas, quàm nihil simulem vel dissimulem, narrabo Tibi, quòd eodem tempore accidit. Venit ad nos, qui multis verbis cōmendabat in hac ipsa causa operam suam; quod crederet, omnes hîc albæ mentis esse, nec quenquam postrema cū prioribus collaturum.

turum. Excepit N. diligenter omnia, & posterâ die (nam ita jussus sibi videbatur) retulit in Conventu. Tum ego primùm didici, quid esset Vejovem, Pallorem aliosq; id genus Deos venerari, ne nocerent. A quo enim hactenus nihil emolumenti accepimus, imò quem valdè adversum experti sumus, is publicâ gratiarum actione colendus fuit, & in beneficiis recensendum, quòd Patronorum commendationibus non intercessisset. Nondum tamen eum opinor humilitate nostrâ mitigatum; ideoq; futurorum metu ferè contabescerem, nisi me constantis benevolentiæ tuæ memoriâ rursus consolarer. Et hæc inter multas gravissimas causas non infima, cur de valetudine tua tam sollicitus sim, & adversis de illa rumoribus penè immoriar. Iterum iterumq; DEUM SOSPITATOREM rogo, Te quàm diutissimè validum ac vigentem nobis præstet. De duobus Æ. magni solaminis instar fuere, quæ συμπαθῶς respondisti. Non indulgeo suspicionibus, neque φαντασιοκοπῶ; sed cùm per amicos notæ fidelis præter omne meritum facta contumelia nunciata est, de ea conqueror, ut boni ac sapientes, justissimi odii parte in se receptâ, ad alia expeditiorem me reddant. Fuit his diebus F. Norībergæ in adfinis W. domo, in quam & F. venit, & fortè Excellentissimi titulo salutatus. *Hoc tam splendidum*, inquit, directâ in F. manu, *Academicis istis debetur*. Nihil acerbius, quàm quod multa fuerit dicterii acerbitas: Et sanè in proximam occasionem intentus ero, ut publicè ostendam, quàm mihi displiceant ista titulorum κομποκενορρήματα, istæ Excellentiæ, Amplitudines, & alia, quibus Academici ne titivillitio fiunt honestiores. Cl. Hofmannus distulit responsum ad Te suum, donec N. ut promisit, ad nos venerit. Mallem vir iste abstineret magniloquentiam suam! Nam quod optimus Senex vult, valdè vult, & iniquissimo fert animo in longinquum trahi semel excitatas spes suas. Jam annus erit, quum à nobis discessêre filius tuus & Kegetus; nec dum literæ apparent, quos uterq; datâ dextrâ promisit. Non possent, credo, tardiùs venire, si è Persia mitterentur. Quum ad tuum scripseris, Vir Amplissime, eum nomine meo ut multùm salutes observanter rogo, & quò fidem suam liberet, horteris. Habet amplam & mihi cognitu necessariam scribendi materiam. Stipendium meum, quod vix passim à latrocinantibus oblessæ sunt; jussi tabellariam ad Te deferre asservandum. Alii lares tuos nimis familiares mihi dicent: Sed ingenuitatis meæ censui, Tibi cui plurimùm debeo, plura adhuc debere velle. Saluto, quo par est honore Excell. Dn. DILHERRUM, & honoratissimam conjugem & filiam tuam. Vale, ac si stylus alicubi liberior tibi videbitur, ignosce. Dabam Altorphii VIII, Decembr. A. S. 1642.

Idem

Idem Eidem.

VIr Magnifice, Nobilissime, Amplissime, Patrone Magne. Ne molestum TIBI sit, toties à me interpellari. Dum prandeo, τε.φῶν à me petit hospitium necessitatem, tum æs alienum suum Noribergæ excusans. Igitur qui non longiores inducias debito meo indulgere nollet; facio istud sanè quàm invitus, & TE, Vir Magnifice, observanter rogo, ut Stipendium meum in ædibus tuis hucusq; asservatum, vel filiæ ipsius petenti vel alii, quem miserit, concedere velis. Fors etiam TUOS monebis, ne quid ista de auctione salarii mei rescicat. Nam id meâ valdè interest. Interim pro hac insigni benevolentia, quam in recipiendis pecuniolis meis præstitisti, gratias TIBI ago, quas possum, maximas. Vale, Vir & Patrone summe TUOSq; omnes nomine meo, quod rogo, plurimùm saluta. Altorphii profesto Theophanias A. cIↄ Iↄc XLII.

Richterus Ruperto.

SAlutem officiosissimam cum voto anni quàm auspicatissimi. Clarissime Ruperte, ad binas tuas omnino constitueram antè respondere, quàm annus elapsus finiretur, ne videlicet in annum novum vetus debitum inferrem. Sed ut multa sunt, quæ, etiamsi nolis, aliud efficiunt, ita accidit mihi & hoc casu. Quanquam spes etiam erat, fore, ut in feriis istis vel ad diem ad nos diverteres, quò coràm confabulando suaviùs scriptione supersedere licuisset. Thrasones etiam quorum simulationem partim, partim superbiam vanissimam egregiè depinxisti, liberrimo risu ulcisci potuissemus; quam voluptatem posthac quoq;, quandocunq; huc excurrere Tibi licebit, ne quæso, nobis invideas. Salarii tui partem, quinquaginta inquam Florenos, quæ jussu tuo dies aliquot asservavi, sobrinæ tuæ, viduæ D. Lanxii, quod itidem jussisti, statim reddidi: Quo de, procul dubio, certiorem Te illa jam fecit. De N. in iis, quæ pertinent ad Excellentiss. D. Hofmannum, nihil aliud habeo, quàm quod nuper scripsi, eum nimirum ad Vos, ubi securè licebit, venturum. Plura aliquando coràm, volente DEO. Nunc Vale & quem dixi, Hofmannum nostrum plurimùm saluta, quem & hunc annum & plures ex animi sententia vivere opto. Dabam Norībergæ ad d. IV. Januar. A. C. cIↄ Iↄc XLIII.

Rupertus Richtero.

VIr Nobilissime, Magnifice, Amplissime, Patrone plurimùm observande. Valde me beâsti tum responso, quo inter gravissimas occupationes humilitatem meam dignaris, tum voto, quo mihi novum istum annum felicem ominaris,

naris. Ego viciſſim duplum vel triplum Tibi Familiæq; tuæ precor, nec [illegible] ſed quod apud Veteres ſolenne, SEXAGIES vel OCTUAGIES [illegible]. DI TE SERVENT! Idem Cl. Hofmanni erga Vos animus, votum & accl[illegible]tio; qui & benevolentiam Veſtram in commendanda cauſa ſua co, quo par [illegible], honore proſequitur, & omnia veſtra, quæ de mutabilitate N. ſcripſi[illegible], diligentiſſimè celaturum ſeſe pollicetur. Novit V. Cl. mores totius [illegible]tionis, qua cum leniter agendum eſt, etiamſi nec utilitatis publicæ ne[illegible] rationem habet. Jucundiſſimum etiam fuit, abs Te filium tuum ad [illegible] excitatum eſſe, non quòd hoc mihi deberi putem, ſed quòd adfectum [illegible] omnia maxima Reip. literariæ minantis cumprimis exoſculer, & præterea incredibili deſiderio flagrem, cognoſci aliquid de ſcriptis Sermonum illorum Belgicorum. Litigii mei ſemeſtris cum N. hic exitus fuit, ut Parentis ob[illegible], ipſo natali meo, triginta florenis redemerim. Graviſſimum profecto vulnus loculis meis inflictum: Neſcio, an tam iniquo tempore ſanari poſſit, & [illegible] mea, quibus omnis anima intertrahitur, eo, quo cœperam, modo pertexi. Nondum expedieram nomen meum: Et ecce! in novum æs, præter omnem expectationem, devolvor. Adeò ut vibiam vara, ſic calamitatem ſequitur calamitas! & ut omnes cogitationes meas Tibi aperiam, tria ſunt, de quibus [illegible] ſpero: Publicè, de pace Germaniæ, ac quiete vel Jeſuitarum, vel Jeſuit[illegible]; privatim, de feliciori rerum mearum in his terris ſtatu. Sed deſino de[illegible], ne quod de Baudii toties iteratis, querelis cenſuit I. Lipſius, *eas, per ſpeciem [illegible]tudinis, degeneres ſibi videri. Bene ferre fortunam & iniquitatem temporum*, [illegible] *de illa ſileat*: Idem experiar ego. Quanquam ex natura maximè

ὅπῃ τις ἀλγεῖ κεῖσε καὶ τὴν χεῖρ' ἔχει.

Benevolis invitationibus tuis, Vir Magnifice, quum in tantum hactenus [illegible] ſim, ut ſæpius integri menſis hoſpitium apud Te mihi metatus ſim, ac [illegible]cinâ diutiùs, quàm par erat, domum benefactricem preſſerim; tandem [illegible] conſulere licet, & plusquam Germanam illam in accipiendis bene[illegible] tem (ut mitiſſimè dicam) decenti verecundiâ temperare. Sed nihilominus [illegible] eximiæ humanitati tuæ, tum ipſi etiam neceſſitati, quod ob conſilia tua [illegible] profectio ad Vos mihi ſalutaris eſſe poſſit, etiam nunc obſequerer, niſi [illegible] rima prohiberent. Debeo verò perenni Benevolentiæ tuæ, cujus hoc [illegible] ſigne argumentum denuo extare voluiſti, peringentes gratias & pro in[illegible]tate tua continuas ad DEUM Opt. Max. preces. Signaturus epiſtolam [illegible]pio à Cl. Hofmanno haſce ad Walæum, quas ut tuis ad filium includas, (modò præter moleſtiam ac majores impenſas id fieri poſſit) vehementer etiam [illegible] etiam rogat. Quantum animadvertere potui, honorificam in iis de patro[illegible]

nio[illegible]

mio tuo erga Universitatem nostram, quantumvis ob nobilitatem suam etiam Belgis notissimo, & ad gloriam Paternam grassantibus Filii tui virtutibus mentionem facit. B. V. ac, quod quàm submississimè rogo, his meis ignosce. Nam semper mihi verendum, ne tam incomptis & inter varias studiosorum interpellationes conceptis eximium favorem illum extinguam potiùs, quàm conservem. Scrib. VIII. Januar. A. S. cIↃ IↃcXLIII.

P. S. Mitto unà catalogum librorum paternorum, qui cum blattis & tineis strenue depugnant. Si qui inter eos sunt, quibus uti possis; quæso, ab hoc situ eos vindica.

Idem Eidem.

NOn immorabor in hac petitione, ut toties Te interpellanti benevolentiam tuam perseveres. Neque enim meæ preces elicere debent; quod tuus mihi promittit altissimè inspectus favor. Præterea non in mea, sed Excell. Dn. D. Hofmanni causa Te compello, cui nihil hactenus denegandum censuisti. Scripsit ad eum Lugduno-Gallorum Carolus Spon, Medicus, nunquam rogatus, nec commercio literarum notus quidem, pervenisse Lugdunum famam elucubratarum ab ipso Institutionum Medicarum, & inventuras esse typographum Joa. Antonium Huguetan; qui, factâ sibi imprimendi copiâ, præter XXV. exemplaria luculentum honorarium promittat. Et nisi conditio ista displicuerit, rogat, ut dictæ Institutiones descriptæ ad negociatorem Urbis vestræ Paulum Fermondum, qui operam suam junctis literis obtulit, quamprimum Noribergam transmittantur, Lugdunum porrò curandæ. Igitur N. voluntatem per amanuensem vel tribus cognoscere desiderat, num editionem suorum maturare velit, & tandem, quod promisit, re ipsâ præstare. Nec enim se posse responsis illis, quibus adventum suum hucusq; minatus est, ulteriùs differri; sed consultissimum sibi videri, proximam quamq; occasionem arripere. Hæc quò minùs ad Te ipse scribat, facit ille sive manus sive brachii ψελλισμὸς nondum in melius provectus. B. V. Vir Magnifice cum Tuis & Excellent. V. Dn. Dilherrum, quâ licet occasione officiosam à me salutem. Scrib. Altorphii XXI. Januar. A. S. 1643.

P. S. Quid N. ad hæc responderit, saltem per amanuensem tuum fac, proximè sciam. Nec enim inter tot occupationes tuas ad respondendi necessitatem Te damnare volumus. Ignosce etiam quòd non integræ philuræ hæc inscripserim. Properanti hic accidit error.

Richterus Ruperto.

HEsternæ tuæ paulo antè cœnam me domum redeuntem exceperunt. Cum igitur hoc mane, quod de Cl. Hofmanno nostro rogâsti, cum N. p[illegible] re nondum licuerit, operam dabo, ut vel hodie vel cras eli[illegible]cere q[illegible], [illegible] quo successu, significaturus. Interim ut ad priores tuas respondeam, H[illegible] ni illas ad Walæum curabo. Tibi verò, quòd ab importuni credit[illegible] es liberatus, gratulor, neque dubito, quin pietatem tuam in expunge[illegible] nomine Numinis benignitas, quod promisit & facilè potest, alio modo sit [illegible]neratura. Pro catalogo, quem heic remitto, gratiam habeo. Si, q[illegible]os ce[illegible] notavi, vendere placet, pretium statim solvam. Cum primis verò [illegible] Theologicum in Folio, in catalogo quidem non adscriptum, sed [illegible] dies aliquot usui meo commodâsti, &, ni fallor, Locorum Co[illegible] titulum, emere velim: Modò animus Tibi est, eum vendere. D[illegible] ster salutem abs Te nunquam non habet gratissimam, Teq; cum S[illegible] do salvere jubet plurimùm, Vosq; amat & observat. Vale. Dab. Noribergæ d. XXI. Januar. A. C. cIↃ IↃc XLIII.

Rupertus Richtero.

PRo eximia benevolentia, quâ privatim Cl. Dn. D. Hofmann[illegible] omnes Tibi obligâsti, singulares debemus gratias. Venit enim XXX. Januarii, hortatu tuo, ad nos typographus, sed à D. Rittershusio, quo cum de [illegible]crarum Lectionum, scripti paterni, editione hoc ipso tempore pacis[illegible] diutiùs detentus, ne horam quidem nobis dedit, quâ nos utrinq; absol[illegible]. Interim hæc acta sunt. Quum in ædes Hofmannianas venisset, editionem omnium Hofmanniorum in se recepturum denuò promisit, & quidem absoluto Rabbinicô scripto, quod sumptibus ejusdem vulgat Hackspanus noster. Impressurum autem in hac Universitate nostra, ut Hofmannus correctionem [illegible]rum ipse suscipere possit. Nam cùm Scherfius typos suos alii ad c[illegible] pus locârit, confidit N. se hac officinâ jam uti posse. Actum p[illegible] norario; sed cùm hac Hofmannus petitionem suam N. jam cog[illegible] marer, (eam enim Magnificentiæ Tuæ in literis suis aperuerat) id verò ille negaret, petitum & datum est deliberandi tempus. Ita discessimus; N. [illegible] ad Rittershusii prandium, nos ad nostrum. Dum prandemus, Hofma[illegible]tò sese expedire volens & petitionem suam mihi aperit, & ad N. in ædibus Rittershusianis adhuc morantem, deferre jubet. Petebat autem centum [illegible] Imperiales præter quindecim exemplarium numerum. Obsequor: Et com-

pe[illegible]

pellandi N. occasione impetratâ, sententiam Hofmanni non tam de honorario, quam de privilegio Cæsareo, (nam & hoc mihi injunctum erat) expono, *æquissimum scilicet videri Hofmanno, si pro universis centum thaleros imperiales ipsi numeret; fere septingentarum & plurium philurarum opus, sed & per familiares Medicos spem sibi factam privilegii Cæsarei, si exiguos sumptus ipse refundere velit.* Super hæc quum me alio mandato ad eundem N. in causa Convictoris one[r]âsset Hofmanniana & ea de re varii hinc inde miscentur sermones, excidit mihi appendix Hofmannianæ petitionis de XV. exemplarium numero. Igitur ad superiora tantum respondet N. *se de centum florenorum præmio semper cogitâsse, nec eam mentem nunc quidem revocaturum; sed quò minùs adjiciat reliquos quinquaginta, atque ita Hofmanno plenè satisfaciat, obstare summam temporum difficultatem; de privilegio Cæsareo nolle se laborari, in tanta rerum Germanicarum incertitudine. Velle contra istud, ut Hofmannus Institutiones Medicas à typographo Lugdunensi repetat.* Nam audierat ex Hofmanno, (quod ipse nuper ignorabam quum ad Magnificentiam tuam scriberem) Carolum Sponum, Medicum Gallum, petitum suum exambîsse. Hæc ad me N. quem licèt rogarem, ut finito cum D. Rittershusio colloquio Hofmannum rursus invisere vellet, tamen negotiorum suorum multitudinem ac brevitatem diei excusantem non ultrà fatigavi. Atque ita discessi, &, quæ responderat, Hofmanno retuli. Qui quum diu secum deliberâsset, quidnam faciendum sibi foret, tandem in sententia sua prorsus persistendum sibi duxit. Sed ad flectendum hominem, cujus auctoritate feliciùs utatur quàm tuâ, cui jam meliorem spem suam & majorem typographi alacritatem unicè debet? Novimus quidem labores tuos, quibus cotidiè occupatus vel oppressus es, & sæpissime jam experti sumus, quantum literatis præstare soleas, ut tandem verecundiæ rationem non habere fas sit. Tamen singularis erga nos Humanitas tua & illa ipsa, quæ bene nobis fecisti, omnem fastidii metum tollunt, ac pænè stimulant, ut ad opem & auctoritatem tuam confugiamus denuo. Quòd si ergo commodum erit, (nec enim tam invenusti sumus, ut cum majorum rerum impedimento festinare velimus) eâ, quâ par est, observantiâ Te rogamus, ut adjutorem & arbitrum Hofmanno Te præbeas, atque ita telam benevolentiæ tuæ prætexas. Hoc verò fiet, quum N. in ædes tuas iterum vocato Hofmanni responsum ad illa, quæ ipsi per me nunciari jussit, hunc in modum, (nisi alia adferenda Tibi videbuntur) commendaveris. *Quum Lugdunensi typographo Institutionum suarum impressionem jam concesserit, salvâ dignitate Hofmannum non posse vertere stylum. Nec hac in re illum quicquam committere, quod N. offendere debeat. Institutiones enim istas ab aliis operibus semper excepisse, & seorsim editas voluisse, quod nec N. ignorare possit. Nam quum is*

superiori anno studium suum obtulisset in imprimendis Hofmannianis [illegible] *bus seorsim egisse ac pro singulis philuris singulos semithaleros postulâsse.* [illegible] *Institutiones istas semper exceperit, has esse causas: I. Quòd ingentes in e*[illegible] *fecerit, quos hoc peculiari typographi Gallici redhostimento resarcire* [illegible] *II. Quòd earundem inscriptione novum Mæcenatem sibi parare co*[illegible]*itet.* [illegible] *posse tam commodè fieri, nisi seorsim edantur ab universis, quæ jam aliorum* [illegible] *destinârit. III. Quòd pauperculis studiosis consultum velit, ut cum uni*[illegible] *nequeant, possint tamen istas minoris formæ. Hæc de Institutionibus. Q*[illegible] *norarium; miratur Hofmannus, cur N. ad petitionem suam, tam æqua*[illegible] *contraxerit. Habuisse se temporum rationem, quibus tantillo vendat tot labor*[illegible] *tot curas, tot vigilias, tot impensas suas. Nec enim leves fuisse tum in* [illegible] *bus ipsi ad conscribenda talia opus fuit, tum in tabellarios, quum pa*[illegible] *solicitaret, tum in studiosos, quum sua illis describenda daret. Vulgato*[illegible] *penè rationem habitam, quæ tamen passim correxerit, nec pœnitendis acce*[illegible] *ditârit. Saltem igitur ἀνεκδότων philura, si cum petito honorario ad ra*[illegible] *centur, Hofmannianam facilitatem apparituram non sine typographi ru*[illegible]*.* [illegible] *mnino igitur Hofmanno persuasum esse fore, ut omnibus diligenter expe*[illegible] *sideratis N. illius petitioni assensum præbeat, h. e. præter dicta XV. ex*[illegible] *thaleros numeret. Hæc de honorario.* Et si quid mihi addere licet, n[illegible] manni typographis perinde ac literatis fama; nec metuendum hîc è l[illegible]o [illegible] quam minùs vendibili damnum: Ut ulteriorem tenacitatem hic pla[illegible]e in[illegible] censeam. Quod ad correctionem, *negat Hofmannus eam totam in se* [illegible] *posse, hebetatâ jam oculorum acie.* Ne quid tamen hîc desiderari posset, [illegible] manno ita volenti non negavi operam meam, sed cum hac conditione, [illegible] tam immenso labore ac tot bonarum horarum jactura librum mi[illegible] u[illegible] Hollandia petiturus essem, eum N. redhostimenti loco mihi curaret. T[illegible] de hoc negotio ad Viri Clarissimi, Affinis honoratissimi, decies iterat[illegible] pe[illegible] nem, quod boni consules. Mitto hîc Thesaurum Theologicum, qu[illegible] alium librum vidisse Te putem. Ceteri, quos notâsti, sunt in ædibus D[illegible] gricolæ, quem hactenus convenire non licuit. Habebis igitur [illegible] Saluto cum Tuis Excellent. V. Dn. Dilherrum. Scrib. Altorphii II. [illegible] A. S. cIↄIↄcXLIII.

Richterus Ruperto.

S. P. Amicissime Ruperte, Vir Clarissime. En literas à filio, in[illegible] ad alios. Si quid respondere visum, curabimus, ut reddantur. H[illegible] tuas de negocio Hofmanniano accepi, &, ut N. vocatus ad me veniat, [illegible] causam[illegible]

causamq; agam Hofmanni, quod meretur, ut propriam: Quanquam à typographo isto hoc tempore plùs impetrare me posse, quàm ipsi coràm impetrâstis, vel parùm vel nihil spei mihi est, ob mores probè mihi cognitos: Quos omnium ferè typographorum omnes erudito, non tantùm Hofmannus noster, nunquam non [illegible]ârunt. Sed faciam, quantum licet. Liber Theologicus, quem misisti, is ipse est, quem volebam. Nolo tamen vel habere vel retinere, nisi priùs pretium dicas & accipias, sin, remittam. Vale, & salve cum affine tuo, Hofmanno nostro, τῷ πάνυ. Salutat Vos etiam atq; etiam noster Dilherrus. Scribo festinanter Noribergæ ad d. IV. Febr. 1643.

Rupertus Richtero.

NObilissime, Amplissime, & Consultissime Vir, Patrone summe. Dici non potest, quo gaudio sim affectus, quum mihi literas tuas tradidisset tabellaria nostra. Statim enim ut aliis inclusis turgere vidi, suspicabar de suavissima filii tui manu. Sed quum reseravi, & illam ipsam esse deprehendi, excitatum est longè maximum. DEUS bone, quæ sermonis elegantia? quæ doctrina? quod in hac ætate judicium? Nolui verò deliciis istis solus frui; adeoq; ad Cl. Hofmannum cum iis statim, qui quum totas perlegisset, certè non sine lachrymis, QUAM ME ADFICIT, inquit, EPISTOLÆ HUJUS ERUDITISSIMUS STYLUS! GRATULOR DOMINO PRO-CANCELLARIO DE TANTA FELICITATE! DEUS DET TAM EGREGIUM JUVENEM PERENNARE! Ut verò tantæ lætitiæ sensu fruerer mox iterum, responsorias exaravi statim; & hîc mitto, eâ, quâ par est, observantiâ rogans, ut tuis quas scripturus es, includere velis. Nisi graviora studia impediturum me putas, quæ ille urget ardentissimo animo, &, ut videtur, cum valetudinis detrimento. Scripsi ea de re ad ipsum, & ut cautè ageret, pro amicitiæ jure monui. De N. facile Tibi assentitur Hofmannus, & si petitionem nostram abruptè refutaverit, contentum se fore dicit centum florenis ac certo exemplarium numero. Consulit me superioris Decembris die, nescio quo, de loco quodam Julii obsequentis cap. 101. Dn. D. K. cujus manum unà mitto, & Laurentianam flammam tanquam verum prodigium narrat, de quo nihil quicquam priùs audiveram. Respondeo statim, expectante responsum meum ancillâ, *legendum esse* (nam corruptissimus erat ipsius liber) Q. SERVILIO CÆPIONE CATILIO SERRANO COSS. *hinc patescere annum ab V. C. 647. secundùm calculum scriptoru Tabularum Capitolinarum, vel 648. Secundùm Varronianum ante Chr. natum 1[illegible]3. Secutam autem esse illam flammam, quæ in æde Larum à fastigio id summum columen penetrârit innoxia, discordiam Senatus & equitum, quod per*

per Cæpionem Coss. communicatis cum Senatu judiciis id ægre ferrent Equites [illegible] ceſſiſſe poſtea cladem Cimbricam, & ipſius Cæpionis damnationem. Cujus [illegible] tem cum omni vi aſſererent Optimates, tanquam Pontificis maximi. Con[illegible] Triumphalis ac Patroni ſui, repugnarent verò tribuni plebis & inter eos violen[illegible] L. Caſſius Longinus & C. Norbanus, tantum extitiſſe motum in Republica, ut [illegible] ceps & Senatus & Civitatis M. Æmilius Scaurus lapide percuteret[illegible] L. Didius, quum intercedere vellent, vi pellerentur ex templo. Nec ferè [illegible] poſtea quietem fuiſſe in Republica. De Noribergenſi quadam flamma [illegible], ME IGNORARE, QUID INDE COLLIGI DEBEAT. OPTARE, UT QUIETI SINT THEOLOGI; NEC TURBÆ FIANT IN CAUSA RELIGIONIS. DEUM ſanctiſſimum teſtor, nihil aliud me ſcripſiſſe. Nam recordor omnium. Aliquot diebus pòſt d. 28. Decembris ſcriptæ ſunt ad nos literæ de mendacio hujus ipſius famæ ac nimia credulitate vulgi. Quamobrem & ego, ut errorem deluſarum mentium aſpernatus ſum, & in crebris diſcurſibus dubiæ merci pretium omne detraxi. Quid fit? Poſt aliquot ſeptimanas venit ad me Noribergenſis &, quod judicium tuliſti de flamma Laurentiana? inquit. Narratum id coràm multis in cœmiterio. Adhæc ego exiliens, & quum recordarer ſcripti mei, prorſus exæſtuans, ſiccine, inquam, quæ ad amicum ſcribo, in tonſtrina dico? Ac ſtatim ad animum revocans, quanti mea intereſſet, ne ficta pro veris nomine meo vulgarentur, quamq; id [illegible] interpretationes è Republica non eſſent, captatâ occaſione, dum in Collegio Epiſtolico narratoria mihi concipienda eſt, frequenti auditorio, (quod enim præfiſcini dixerim, quadraginta quinque apud me nomina ſua profeſſi ſunt) totam illam fabulam his verbis perſtringo: *Jubes, ut quæ [illegible]mus-audiamus, frequentioribus meis ſignificem. Facerem lubens, [illegible] bus gratificari Tibi ſtudeo; ſed publicorum exiguam vel planè nullam [illegible] beo. Nova quidem multa venalia ſunt aſſe faciliſsimo; & tanquam in foro ſcrutarum pleno mercem nigram & albam, lotam & illotam, tritam & rudem reperire licet. Sed quum emptam rurſus vendendo non ſemel offenſam retulerim, [illegible] rum ferè omni curioſitate mihi interdixi. Convenit me nuper unus ex iis, qui ſe ſolos putant Verum in ſinu portare, &, Audiſtin', inquit, mirabile, inviſum, [illegible] ditum, ex quo Noriberga Laurentium adorare deſiit? Nondum. Menſis erat December, dies viceſimus ejuſdem, hora ſexta jam abibat in ſeptimam, [illegible]* (a) *ſcit nemo, præter æditum, quum è feneſtra ædis Laurentianæ erupit [illegible] flamma. Viderunt plures; ſed deſino. Nam ſcio, tardam eſſe fidem tuam, & [illegible] cogitare illud Taciti.* 1. Hiſt. 34. §. 3. *IN OMNIBUS MAGNIS MENDACIIS INTERFUISSE SE QUOSDAM ET VIDISSE AFFIRMARE.*

J[illegible]

Jussi confidenter pergere; obsequitur, &, Eadem illa aditua, inquit, dum campanam vespertinam concussura fores adu reserat, tum exorto inter penetralia gravi tumultu, tum stupendo Genii adspectu ad deliquium usque percellitur. Quòd si triduo elapso demum cuncta aperiat, & quidem paucis, ad quos pertineat tam horribile secretum, pro imperio ejusdem. Genii sese ait facere. Tum ulterioris narrationis impatiens: Nihil, inquam, sapiunt cives vestri, nisi supra feminam sapiunt. Id enim homuncularum genus tam facilè prodigia videt, quam Poeta coeuntes deos. Cumprimis morbus epidemius hic est, & omnibus aditius à templis conditis familiaris ut miras species videre se putent. Adhuc ille commotior, suspicabar hoc scilicet, inquit, me nullam apud Te fidem inventurum. Ideo adfirmo Tibi conceptis verbis, me de nullo periculo Te moniturum, etiamsi ad portam fiet. Et cum dicto abiit tam confusus, ut valedicentium verborum, oblivisceretur. Hæc narrare Tibi volui; & potes, si placet, capillum promittere. De me hoc velim, scias, ut vera prodigia, quâ decet pietate, prosequor, ita credulorum turba immisceri nolo; & si omnino divinandum jam mihi sit, Etruscorum disciplinam secutus ex intestinis auspicium capiam. ALIA, inquam, MANE VIDENTUR ET JEJUNO STOMACHO; ALIA VESPERI. Vale.

(a) Sic loquebantur veteres, quum jocarentur. Seneca in Apocolocynthosi: *Mensis erat October, dies tertius eidus Octobris: Horam non possum Tibi certam dicere.* Et mox: *Patere mathematicos aliquando verum dicere, qui illum, ex quo princeps factus est, omnibus annis, omnibus mensibus efferunt. Et tamen non est mirum si errant. Horam eius nemo novit.* Et inscr. jocularis 4. pag. 3. apud Gruterum in Spuriis: VIX. ANN. XXXX. M. II. D. IX. HORAS SCIT NEMO.

Hæc omnia meis ad calamum, quibus stomachum movi non paucis: Nihil interest. Habes de fabula historiam, unde colliges, quid animi mihi fuerit, quum tua illa legerem, & quam nobis juvenibus inter maxima discendum sit, CAUTE MERCARI. Vale. Saluto honoratissimam conjugem tuam cum filia & Exc. Dn. Dilherrum. Scr. Altorphii d. VI. Febr. A. S. 1643.

Idem Eidem.

VIr Magnifice, Patrone Maxime. Verba me deficiunt, quibus exponam dolorem meum, in quem adversæ valetudinis tuæ nuntius me conjecit. Et quanquam tempus jam intercessit, naturale omnium dolorum remedium; quamquam etiam lætioris nuntii flabro amici ad nos derivârunt; tamen multum adhuc ægritudinis animo hæret & incubat:

Ut si quando ruit debellatusq; relinquit

Eurus aquas, pax ipsa tumet pontumq; jacentem
Exanimis jam volvit hiems - - -

Nimirum omnia prævideo, quæ fatum tuum (quod abominor) secutura sunt, progressum calidissimorum consiliorum, βαρβαρίζόντων superbiam, Universitatis contemtum ac studiorum meorum flebilem fortunam. Quis enim ad Rempubl. pertinere judicabit, si me in latomias damnem, inter Antiquitatis rudera Viros Consulares quæram, nummos pingam & ex iis veteres auctores explicare ac supplere coner aliaq; pergam, quæ Te promotore in hoc officio meo Academico primùm suscepi? quis tanto adfectu illam Philologiæ partem prosequetur, quanto Tu, Vir Nobilissime, olim cùm alibi, tum in epistola ad beatissimum VIRDUNGUM nostrum? παιγνιώδη talia judicabunt, & nihil ad commune bonum. Quod quàm verum sit, crescente lectione comperior, & maximè compertus sum nuper, quum Annales Baronianos (in quibus de paribus consulum auctor frequenter disputat & Fastis Romanis historiam Ecclesiasticam aptat) evolvere cæpissem, sed & inscriptiones & subscriptiones Legum in Digestis & Codicibus, tanquam necessarias, cum Fastis iisdem conferre. Quantæ in iis mendæ, quæ locorum & temporum historiam vitiant, etiam post tot eruditorum curas! Ut nihil de Pomponio dicam: Quod quum olim deprehendisses, auctor mihi fuisti, ut ab interpretum nævis ex antiquitatum monumentis, quantum in me esset, ejus epitomatorem Tribonianum vindicarem. Igitur, quoties de valetudine tua sinisterior rumor ad nos defertur, de his omnibus studiis meis valdè sum solicitus, quæ si ante tempus deserenda mihi sunt, ac cum aliis permutanda; profectò πᾶς βίος ἀβίωτός μοι ἔστω. Obversantur præterea omnia illa beneficia, quibus me Tibi ac familiæ tuæ jam à decennio obligasti & subinde tam constanter obligare pergis. Iterum dico, non possunt non id genus nuntii animum meum graviter prosternere. Sed quoniam lætiora jam nobis adferuntur; ex officio boni ac fidi clientis facturum me judicavi, si de tam morbi gravissimi recessu & reciperato sanitatis bono Tibi gratularer. Facio id hac epistolâ; & ex animo, si quisquam beneficiariorum tuorum, DEO Opt. Max. gratias ago, qui non tam Inclutæ Reip. Noribergensi & Universitati Altorphinæ quàm tuis, & in iis mihi adeò clementer Te servavit. Eundemq; supplex veneror, ne seculi labem ac morum publicorum corruptelam, quæ omnium temporum scelera minora facit, tantorum luminum & columinum jactura castigandam censeat; sed vel infantibus & nepotibus & in timore ipsius educatis liberis tuis salutem atque incolumitatem tuam donet! Idem Cl. & Excell. Dn. D. Hofmanni nostri cotidianum hactenus votum fuit, sed tamen nunquam ad me dictum sine magna solicitudinis mentione: Quam Tibi, Vir Magnifice, prorsus aperire

aperire debui, non ut medicorum tuorum placita contemnam, ſed ut candidiſſimum amorem noſtrum cognoſcas. Sic autem venerandus ille ſenex judicat, multitudinem illam medicamentorum, præſertim chymicorum, quæ acerrimi doloris impatientiâ unâ luce adhibere Tibi placuit, morbos iſtos augere potiùs quàm minuere, certè vires corporis adeò debilitare, ut redeuntibus malis vel ſaltem incommodis, quibus cauſarii ſemper obnoxii, brevi ſufficere nequeas. Igitur hoc à Te ſic petit, ut majori contentione nihil poſſit, ne plus medicamentorum imperes toties adflicto corpori tuo, quàm quibus ferendis par eſt. Optimum, utiliſſimum, leniſſimum & aſſe facilimo comparandum remedium putat accuratam illam victus rationem, quæ jam ad ſeptuageſimum primum ætatis annum eum perduxit: Hanc æſtimat, hanc unicè Tibi commendat, hujus beneficio ea Te patriæ quàm diutiſſimè præſtiturum eſſe confidit, quæ præter Te nemo poteſt. Habeo plura, Vir Nobiliſſime; ſed jam tantum ſcripſi, ut legendo vacare nequeas. Idcirco deſino; DEUM T. Opt. Max. ut voti ſuperioris me damnet, iterum iterumq; quàm ſinceriſſimè ac devotiſſimè precatus. Dabam Altorphii Idibus Martiis A. S. 1643.

Idem Eidem.

VIr Magnifice, Nobiliſſime, Ampliſſime, Patrone maxime. Redux Noribergâ V. R. Dn. D. KONIG, & ſalutem abs Te mihi nunciavit, & querelam de ceſſatione mea in officio ſcribendi. Utramq; ut honore debito proſecutum me ſcires, ſtatim manu admovi calamo & ſecurus omnis illius interpretationis, cujus metus hucusq; me revocarat, has ad Te exarare cœpi. Quanquam ne quid diſſimulem, absq; hoc fuiſſet ſecundario, jam ad ſcribendum tam prægnantes cauſæ ſtimulare me cæperant, ut pudori meo porrò indulgere ſine pudore non poſſem. Primum enim quum omnes Chriſtianos deceat τοῖς τῶν Χριστιανῶν χάρμασιν συγχαίρειν, καὶ ταῖς λύπαις συλλυπεῖσθαι, multò verò magis bonum ac fidum clientem adfectum ſuum teſtari Patrono benemerentiſſimo, etiam Tibi, cui ſecundùm DEUM Opt. Max. ſalutem meam unicè acceptam fero, de dolore meo ἐνδιαθέτῳ conſtare debuit. Nimirum quantum illud ſit, quod Tragico potiùs quàm Comico dicendum erat, *Priusquam unum eſt injunctum telum, tum inſtat alterum*, ex iterato luctu tuo mihi dicendum eſt, dum binas neptes, magna civilium curarum, quibus non occupatus, ſed merſus es, levamina, ſimilis fati neceſſitas intra breve temporis ſpatium extinguit? O acerbam, ô flebilem rerum humanarum conditionem, naufragium facere, antequam portu exeas; morti jam vitam debere, quum Naturæ nondum debeas lucem! nec dubito, quin hæ & aliæ cogitationes in animum tuum altè deſcenderint.

Homo enim es & quidem tantæ humanitatis homo, ut ad illam humanitatis comparati nondum humani videri queant; sed & Avus es, quod nomen Parentum appellatione suavius & jucundius putant. Rursus verò nôsti, quid sit τῷ Θεῷ ἐπιθεῖν; & adeò nôsse Te istud ex Digestis Pietatis tuæ novimus, ut non tam admiremur, quàm stupeamus divinam illam sapientiam tuam. Quod igitur solum nobis relictum est, facimus, & ex animo quàm ardentissimè precamur, ut in his omnis fati crudelitas lassata consistat, & jam planè superatum sit, quicquid Tibi familiæq; tuæ dolendum fuit. Vivant, floreant, lætentur omnes necessitates tuæ, in primis juvenis εὐφυέστατος filius tuus: Cujus recordatione, quò plures animi molestias & ipsi abstergere solemus, eò peritiores solatiorum tuorum, multis Te solari desistimus. Ab omni tamen solicitudine, quod celare nequeo, liberati non sumus. Quid enim fama de mutata valetudine tua? Non credimus, cujusquam consilium prægravare potuisse vel exercitatissimi Senis & meam, licèt juvenis, tamen multis morbis comparatam experientiam; vel incomparabilem Erasmum tuum, cujus illud salutare ad Petrum Ægidium lib. 3. epist. pag. 128. nemo meliùs Te novit. CAVE, NE CREBRIS PHARMACIS VIRES NIMIUM EXHAURIAS: Sed causam potiùs rejicimus in illud hiemis corollarium, quod nobis adnumeravit extremus Martius. Oro DEUM Opt. Max. ut à Te morbum, à nobis & omnibus bonis (qui dum pro sanitate tua vota faciunt, eâdem operâ Remp. & Universitatem nostram Superis commendant) curam & formidinem abigat! Quando verò Cl. HOFMANNUS è Digestis tuis delectari Te animadvertit paraphrasi Orationis Dominicæ, mittit en! Tibi legendos versus suos, quorum simplicitati non minùs favebis, quàm aliorum splendori, ornatui & Sophocleis cothurnis. Addidi Phalæcos Conr. Rittershusii ad Andr. Dinnerum nondum-editos; sed, ut puto, lectu dignos & Auctoris nomine mihi venerabiles. Valdè velim scire, num quicquam Tibi constet de Panegyrico Isaaci Casauboni, quem Jacobo VI. Britanniæ Regi dicturus erat, nisi vis altior intercessisset. Ejus fragmenta quædam in manus meas pervenere, destinata jam Gronovio, nisi alibi publicata cognovero. Academiæ nostræ statum quod attinet, videtur ea sopitis paulisper odiis & coërcitâ judiciorum intemperantiâ priscam faciem induere, nisi quod latrocinium illud in novitios exerceri solitum multum curarum & negotii facit, quod videbis ex inclusa Citatione: In ea quum pro simplicitate mea ficum ficum, scapham scapham dixissem, factum est, ut qui nuper (liceat mihi abuti Titi Vespasiani elogio) AMOR ac DELICIÆ fui, nunc sim ODIUM ac NAUSEA STUDIOSI GENERIS. Nihil interest. Operam certè dabo, ut occasione proximâ, quibus ægrè est, ægriùs fiat. Inter auspicatissima Universitatis

refero

refero Viri Nobilissimi Dn. JOAN. JODOCI SCHMIDMAIERI liberalitatem in illustrem Bibliothecam nostram, sed cui optarem adjectas has vel similes conditiones, *ut de libris emundis non privatim, neque in Collegio hujus vel illius Facultatis, sed publicè atque in pleno Senatu Academico deliberetur: Et ubi primum Theologi facultatem emundorum librorum à Rectore & Senatu impetraverint, ut si non suos nobis obtrudant, sed novos coëmant, vel saltem aliena Bibliotheca libros; emptisq; iis, rationem rursus Senatui reddant. Idem ut in reliquis servetur Facultatibus.* His conditionibus tam egregium Viri Nobilissimi beneficium contra omnes illas corruptelas puto munitum esse, quibus Vogelianum hactenus obnoxium fuit. Ut ingenuè fatear, plerunq; PHILOSOPHI CATHEDRARII sumus: Fortiùs loquimur, quàm vivimus: Contra affectus vehementi Spiritu, multo corporis motu disputamus; domi avaritiæ succumbimus. Habeo plura: Sed jam plus satis tempora tua moratus sum. Ita soleo. Cùm excitor, supero illum ipsum tinnientem mulierum sexum, quarum

Una laboranti potis est succurrere Luna,

ut censet Juvenalis. Vale, Vir Nobilissime, ac, nisi grave est, Nobilissimæ Uxori tuæ & genero Dn. Doppelmajero cum salute nuncia condolentiam illam meam, quam testatus sum suprà. Scr. Altorphii a. d. XVI. Cal. Majas A. S. 1643.

Idem Eidem.

VIr Magnifice, Nobilissime & Amplissime, Domine & Patrone magne. Fiducia benevolentiæ tuæ tam confidentem me fecit, ut de fasciculo literarum ac filium tuum curando proximo festo Petro-Paulino coràm Te compellarem, & rogarem. Ac quoniam petitionem istam ita successisse mihi video, ut promissâ singulari gratiâ uti possim, mitto nunc illum ipsum, quem dixi, fasciculum cum comistro. Valdè interesse meâ puto, ne pereat. Est enim amor erga me filii tui planè singularis & injuvandis studiis meis cum nullius alterius fide comparandus, alicubi etiam nimius. Quòd si adhuc plures illi similes fortunæ beneficio contigissent; næ infelicitatis meæ facilè obliviscerer, quæ peregrinandi facultatem &occasionem coràm venerandi magnos Viros jam mihi ademit omnem. Vivat ille tuus, ille princeps juventutis non tam eruditæ quàm humanæ ac bonæ! Ajunt hîc Flissingam Selandiæ jam venisse, ut inde naviget in Galliam. Id si verum est, CHRISTUM JESUM,

cui soli imperium pelagi sævumq; tridentem

è miraculis illius datum novimus, supplex veneror,

- - - - ut temperet æquor

Atque rotis summas levibus permulceat undas!

Corrigenda verò erit inscriptio literarum mearum; & pro Lugduno Batavorum nominanda Lutetia. Vale, Vir Magnifice, cum Nobilissima Domina tua, cui pro missa confectione betonicæ, quas possum, gratias ago. Ita tota RICHTERIANA domus me nexum habet, & Tecum, qui auctor es salutis & promotionis meæ, certare videntur, Uxor ac liberi. Valete omnes iterum. Saluto Excellentiss. Dn. DILHERRUM quàm observanter. Dabam Altorpii d. XVI. Julii A. S. cIↃ IↃc XLIII.

Richterus Ruperto.

MI Clarissime Ruperte, Amice inter paucissimos. Insignem verò injuriam, quâ literis tuis aliàs longè gratissimis afficere me visum Tibi est, dum fasciculo ad filium κόμιστρον adjungere non dubitâsti, quod heic remitto. Quasi verò alia officia longè majora præstare Tibi vel nolim, vel non debeam, ut nihil dicam, quòd pro libris mihi nuper missis ære longè graviori Tibi sum obstrictus, cujus solvendi lentum nomen ita movere, credo, voluisti. Sed stat sententia, & ita privignæ quoque, quum dictos libros paucis abhinc diebus, inscio me, secum attulit, omni asseveratione confirmavi, me certò libros omnes Tibi remissurum, nisi pretium significaveris, quod etiam ante Tibi coram, non dicis ergò, inculcavi. Si igitur de injuria, quam dixi, reconciliatum me Tibi cupis, pretium, quod debeo, significa, & habebis iterum me ad omnia promtissimum. Interim fasciculum primâ occasione diligenter curabo: Quanquam, ubi filius nunc hæreat, nondum novi, à quo alter nunc mensis est, quum nil accepi. Ab aliis verò intellexi, eum aliquot septimanis Roterodami ventum secundum, quo Flissingam veheretur, expectâsse, unde in Galliam trajicere constituit. Faxit DEUS, pro clementia sua, feliciter! Tezelius ante mensem terrestri itinere Lutetiam prosperè venit. Haberem plura, quæ Te non nihil Tuâ interest, sed nolo scriptione; quo vel sic tandem adventum tuum, tam diu hactenus desideratum, accelerare queam. Quin & rogo vehementer etiam atque etiam, ut, si me amas, has ferias caniculares elabi ne sinas, prius, quam Te heic præsentem viderim. Erit autem adventus tuus eò commodior, quò maturior, quia proximâ septimanâ conventus Statuum Circuli Franconici heic habebitur, qui, præter occupationes solitas, novas quoq; afferre solet. Vale, & ad nos advola. Saluta Cl. Hofmannum nostrum, Senem venerandum. Dilherrus aliquot diebus abfuit, qui adscriptam salutem gratissimam habere solet, & nunquam Tui mentionem facit, quin affectum erga Te sui singularem cum voto omnigenæ prosperitatis exprimat. Vale iterum. Dabam Noribergæ ad d. XIX. Julii A. C. 1643.

Idem

Idem Eidem.

Misit ad me heri Cl. D. Hornii, Medici præstantissimi mihiq; amicissimi, p. m. vidua, Camerarii olim nostri neptis, & Scaligeri Eusebium, quem, me intercedente, defunctus Tibi nuper commodavit, repetiit. Dixi fore, ut propediem restituatur, ni animus ipsi sit, librum vendere, & pretium æquum accipere. Illa paulò pòst denuò ad me misit, & venditioni annuit, pretiumq; X. florenorum postulavit. Quid Tibi videatur, velim, proximè significes. Si liber placet, VIII. floreni Tibi sufficient, Residuum ipse curabo. Vale, Amicorum dilectissime, & festinanti animo ignosce. Præter alia enim negotia consueta Ordinum quoque Franconicorum Conventus, quem denuo heic habemus, & cujus causâ ad curiam mihi nunc properandum, operam nostram requirit. S. apud Vos relegatum carcere heic detineri jam, credo, inaudivisti. Stat sententia, disciplinam Academicam seriò vindicare, & Academiam vel bene moratam habere vel nullam. Vale iterum Noribergæ ad d. VI. Sept. A. C. 1643.

Rupertus Richtero.

Vir Magnifice, Nobilissime & Amplissime, Patrone maxime. Jam animus erat Eusebium Noribergam remittere, quem tamdiu totq; votis expetitum inæstimabili beneficio tuo tandem adeptus sum. Excerpsi Animadversiones penè totas, quòd spem comparandi hujus libri planè abjecissem. Sed exiliens nunc cognosco ex tuis, vænalem esse: Nec quicquam temporis describendis tot ac tam prolixis observationibus perdidisse me credo. Sic enim omnia diligentiùs expensa & memoriæ mandata sunt. Cætera, quæ, ob brevitatem temporis, jam non potui, tamen aliquando necessaria sunt. Igitur omnino sedet meum facere; & mitto hîc florenos octo, æquum, ut reor, pretium. Non sum equidem immemor eorum, quæ ad me scripsit filius tuus, (cui sive iter Gallicum ingresso, sive Parisiis jam degenti

- - - Θεοὶ μάλα ὄλβια δοῖεν!)

sed profectò immanes sunt hac in re Batavi, eoq; magis, quò turpioribus mendis ab improbis operis divinum opus contaminatum est. Scaliger & emendatius & auctius daturus erat, quod in hac editione semetipsum quæreret, nec reperiret, sicut ex epistolis ejus cognovimus. Multa omissa; multa transposita; &, quod gravissimum, numeri corruptissimi. Unde dum lego, dum excerpo, iis tricis involutus sum, quibus ne nunc quidem extricor. Quas verò Tibi gratias agam, optime - maxime Patrone? qui desideriis meis tam prolixè indulges, etiamsi vehementissima & propè nimia sint? Ut ingenuè fatear, illa ipsa beneficio-

rum

rum magnitudo non tam animum ligat quàm linguam. S. Noribergæ malè esse, Universitati bonum est. Relegationes enim jam incipient æstimare, quibus ob tam effrænem hominis licentiam in territorio Norico exercitam jocus ac ludus hactenus fuere. Heu infelicitatem seculi! Intra unum & alterum mensem sex vel septem foro Academico cesserunt, quod proscriptiones in sese non judicarent notabiles, aut fœdas, quibus jam multi puniti sunt. Rectoris nostri, cui profectò conclamatissimam provinciam tradidit antecessor, magna sollicitudo, multæ vigiliæ sunt. Quòd si Livor dissimulare velit, Metus & Odium domi nastrorum καὶ μαχαιροφόρων nostrorum loquetur. Is ipse sententiam Nobilissimi Collegii Dnn. SCHOLARCHARUM de Kressii relegatione & Pfeifferi pœnâ quam avidissimè expectat. Vale, Vir Magnifice, & commodâ valetudine fruere! Saluto Excell. Dn. DILHERRUM, Nobilissimam uxorem ac filiam tuam. Scr. Altorphii d. VII. Sept. A. S. cIↄ Iↄc XLIII.

Idem Eidem.

VIr & Patrone maxime, Æternum illud beneficium tuum est, quo Eusebium Scaligeri, divinum opus, nunc habeo, tot votis desideratum, tot literis quæsitum. Pro quo, ut & aliis innumeris, quæ jam à decennio prodigo in me sinu effudisti, licèt nihil habeam, quod reponam, nisi ut DEUM Opt. Max. ardentissimis precibus venerer, orem atque obsecrem servet Reipublicæ servet Universitati Te φωσφόρον ἀστέρα! tamen auxilium tuum rursus appellare sustineo, quòd, qui benefacere nunquam desiisti, beneficia perseveraturus mihi videris, præsertim in tam honesta re. Legi his diebus Annotata Hug. Grotii, Viri maximi, ad libros de jure Belli ac Pacis, ac in iis sæpius laudata deprehendi. Nicolai Peiresii, quem ipse Virum æternâ memoriâ dignissimum appellat, EXCERPTA MANUSCRIPTA EX JOHANNE ANTIOCHENO, NICOLAO DAMASCENO, DIONE, DIODORO SICULO, POLYBIO, quorum tres postremi quantum ad supplendos Fastos facturi sint, facilè conjicio ex reliquiis, quas ab Ursino, Rhodomanno & Casaubono recens vulgatas, adeoq; Stephano Pighio aliisq; Annalium conditoribus non visas, jam primum conferre cœpi. Magnam sæpe symbolam dedit, vel neglectissimum fragmentum, & ubi vel auctorum inopia longas Antiquariis ferias indixit, vel ad conjecturas fugere coëgit, quibus cum historia nunquam bene convenit; una & altera ecloga, tum ad restituendam historiam, tum ad emendandos auctores ingenti mihi præsidio fuit. Ceterum ita persuasus sum, me dicta fragmenta Peiresiana vel nunquam habiturum, vel ope filii tui, cui tam celebritas Amplissimi Nominis tui, tum ipsius propria virtus, tum commendatitiæ Cl. Gronovii nihil

non

non à Grotio impetrare possunt. Quod igitur Mithridates olim suasit, *utor occasione*, ac Te, Vir Nobilissime, etiam atq; etiam vehementer rogo, ut hoc desiderium meum, quo majus esse nullum potest, filio tuo proximis, quas ad illum daturus es, literis benevolè commendare velis. Sumptus qui faciendi sunt, ut per hominem Græcarum literarum non admodum ignarum describantur, refundam & gratissimo animo & citissimè, etiamsi majores sint. Tuis vero tam ingentibus meritis celebrandis, quamvis impar sim futurus, *dum spiritus hos reget artus*; tamen quantum in me erit, efficiam, ut meæ in his terris gratitudinis extet monumentum, Tibi tuisq; gratum, bonis ac literarum favitoribus acceptum. Florum nunc iterum interpretor privatim, ut manibus Studiosorum excutiam infelicem illum primi anni conatum, eoq; invisiorem, quò plures adversarios mihi peperit. Quo absoluto, si DEUS mihi vitam concesserit, idem faciam in Sallustio. Exercitiorum Oratoriorum argumenta petita nunc sunt è nummis Octavii Stradæ, ut sic Antiquitatis, Eloquentiæ & Politices studia conjungantur, ac tandem etiam Commentarii prodeant in illum auctorem. Statum Universitatis quod attinet, eum ignorare non potes. Pfeiferus, quum superiori septimanâ ingentes turbas fecisset, & vitæ periculum postponendum censuisset pœnæ carceris inferioris, tandem se permisit supremo Nobilissimi Ordinis decreto. A. delictum vita honestissimè acta & industria singularis à V. Cl. Dn. D. L. in Senatu commendata prorsus velare potuisset, & judices ad animum revocare illud Asinii Pollionis: *Quà major pars vitæ atque ingenii stetit, eà judicandum de homine est.* Et si rectè percepi, legibus contra monomachiam latis hoc additum, *ut circumstantiarum ratio haberetur.* Hîc autem me commovisset ista, quòd Dresdensis quidam, A. vicinus, hominem simplicem & futuri parùm providum metu infamiæ impulit, ut P. ad duellum provocaret. Nimirum sceleratissimi quidam turbones superioribus annis licentiam sibi sumsere infamandi publicè, quos ad duella decertanda viderent parùm pronos. Qui homines quum, ut pestilentia sidera, etiamnum afflaturi videantur adolescentes simplices, ac suapte naturâ bonos, nihil contra provocantes & provocatos vel severissimas leges proficere puto, nisi peculiari Superiorum mandato nebulonibus his, nimium sibi tribuentibus, obviam eatur. Hic enim totius mali fons est, quod pauci vel animadvertunt, vel animadvertere volunt. Quicquid tamen sit, A. utiliter puniri visus est & mihi licet adfini acrimonia severi juris præ lenitate placuit, quòd hæc nocitura videretur reliquis legibus, imò Noribergensibus, qui studiis hic operam navant omnibus, imò Professoribus, quos ne favore Noribergensium corruptos dicerent peregrini, metuendum erat. Dum hæc scribo, veniunt ab Ag. literæ, quibus me multis precibus rogat, *ut sese commen-*

dem Magnifico Dn. Pro-Cancellario, qui restitutionem ipsius maturare possit. Quid faciam? Video deliquium magis virtutis fuisse quam ex vitio crimen, & occurrit fervor ille studiorum, quo maximè flagrans redire desiderat ad Praeceptores suos, & commissi pœnitentia, quam nemo studiosorum egit, ut opinor, sincerius. Quæ quum ita sint, supplex Tibi fio, Vir Magnifice, ac, quâ par est observantiâ rogo, sic apud NOBILISS. & AMPLISS. DNN. SCHOLARCHAS juvenem istum in gratiam reponas, ut voti sui quamprimum compos fiat. Deliquit; ἀλλὰ τὸ μηδ' ὁπωσοῦν ἁμαρτάνειν ὕτε ἀνθρώπινον, καὶ τῆς τῶν πραγμάτων φύσεως ἔξω. Quamvis etiam apud Vos, qui Jurisconsulti estis, temeritate non careat facti alieni promissio: Tamen intimiùs perspecto juvenis hujus animo, audebo hîc obligare fidem meam, nimirum talem illum imposterum futurum, qualem maximè velle & optare debemus. Vale, Vir Magnifice, cum tuis, quos saluto, ut & V. Exc. Dn. DILHERRUM, Fautorem meum magnum: Cui ad nuperas ad me datas respondebo proximo Lunæ. Nunc enim non potui. Scr. Altorphii d. XXII. Sept. A. S. cIↄ Iↄc XLIII.

Richterus Ruperto.

LEntum nomen me nôsti in officio literarum tum ob laborum, qui etiam Milonem delassare possint, multitudinem juxta atq; gravitatem, tum ob invaletudinem frequentiorem, quæ me nunc aliquot septimanas vel lecto affixit, vel nauseam ad omnes ferè scriptiones peperit. Interim tamen nihil suavius, nihil gratius literis tuis mellitissimis mihi scito, quarum numerum ne cum meis exæquare velis, jam antè quoque, ni fallor, petii. Simul verò, ut ut verbis respondere ad tuas XXIII. Septembr. mihi redditas, ex caussis dictis hactenus distuli, re ipsâ tamen nihilominus perficere, quod me rogâsti, curæ mihi fuit: Dum & Ag. Vestrum in integrum restituere laboravi, & quæ per filium meum ab Hugone Grotio impetrare desideras, excerpta, inquam, manuscripta ex Johanne Antiocheno, Nicolao Damasceno, Dione, Diodoro Siculo, Polybio, quamprimum illum Lutetiam venisse rescivi, ut voti tui compotem Te facere vellit, ad eum scripsi: Id quod ante dies XIV. demum factum; statim nimirum pôst (citiùs enim ne licebat quidem) quàm ille literas Lutetiâ ad me dedit, & ut iter suum per Hollandiam, Brabantiam & Flandriam, in Britanniam, & inde per Piccardiam & Normandiam, in meditullium Galliæ, terrâ mariq; tempore hoc, periculi pleno, singulari Dei O. M. clementiâ & favore, perfecerit, significavit: Pro quo beneficio divino, quin unà nobiscum Numinis benignitati gratias actum is, amor tuus in nos dubitare non sinit. Responsum verò dum ab ipso nunc expecto, ecce has inclusas ad Te accipio, in quibus, quid memoratu dignum narret,

ret, si quid est. nisi grave Tibi est, participem me facias, rogo: Ad me enim tam raras parcasq; literas eum mittere tantum non indignor. Disputationem ipsius Juridicam, quam Lugduni Batavorum habuit à genero meo, spero, accepisti. De Statu Academiæ nostræ inter alia, quæ narrâsti, cumprimis mihi perplacuit studium tuum, quo Oratoria exercitia ex Octavii Stradæ nummis sumere Tibi sedet, quod & Tibi & Academicæ juventuti honorificum non minùs quàm fructuosum fore confido, ideoq; continuare perseverabis. Vale, & literis tuis literatissimis sæpius me beare, quantum per graviores curas Tibi licet, quæso, ne grave habeas. Saluta diligenter Hofmannum nostrum, senem suspiciendum. Dab. Noribergæ d. VI. Decembr. cIↃ IↃcXLIII.

P. S. Vanitatem istam, quam effigiem dicere volunt, uxoris persuasione factam Tu ab uxore liber liberè æstima, & animum Tui amantissimum boni consule.

Rupertus Richtero.

MInimè cogitabam expectare, donec mihi literas tuas imputare dignareris, non quòd meas unquam tam literatas, tam excultas putem, ut conspectum tuum subire debeant; sed quòd inter officia clientum ponam literarum ad Patronos frequentiam. Ut igitur nunquam animus, ita semper argumentum scribendi hucusq; defuit, donec par istud longè suavissimarum literarum acciperem, quibus Tu, Vir maximè, ac filius tuus eruditæ juventutis næ primum sidus, prothymiæ vestræ obligare me pergitis. Utinam sic verbis explicare possem, ut me beatum sentio tam multis unius domus & meritis & amoribus hoc in primis tempore, quo ubiq; friget etiam consanguineorum fides! Sed quum id præstare non possim præcipuo beneficiorum in me cœlitus demissorum, (& sanè dubito, an ulla Suada possit) saltem intra me tacitus miror venerorq;, & ad solita vota confugio, ut omnia, quæ vestris alis vestrisq; auspiciis peto, in DEI Opt. Max. gloriam & utilitatem literarum cedant. Mitto autem hîc ipsas literas, quas desiderare Te video, nec sanè molestum fuisset, si reserâsses ante me, quod ipse ad plures jactare soleam tam insignem amicitiam, cui, præter maximi Parentis benevolentiam, nihil antepono. Unicum mecum ridebis, scio, quòd post eruditissimum Gronovium in locis Livii Rupertum audire velit, & experiri eum, non quid possit, sed quantum non possit. Vix erit, ut impunè mihi ferat has facetias. Nuncius tam longi, tam periculosi itineris lapidem me fecisset ob intuta viarum, quas insidebat Anglicanus miles, ut in civili bello disciplinæ legibus solutus; nisi eventum mihi narrâsset, cujus felicitas non minùs atq; animi generositas omnem audaciæ culpam abolere potest. Interim DEO gratias debemus singulares, qui

angelum misit per tot inimica comitem ac ducem! Effigies tua longè acceptissimum munus fuit, & bene sit Nobilissimæ Uxori tuæ, quæ non tantum nobis, quibus eam felicitatem DEUS largitus est, & ut in posterum largiatur, etiam atque etiam rogamus, ut præsentes præsente fruamur, sed & exteris, qui nunquam nisi ex illustribus ingenii monumentis conspexerunt, ex amore Tibi debito curavit hoc magnarum virtutum incitamentum. Ita sanè cum Romano Sapiente interpretor clarorum ac bene-meritorum Virorum imagines, quas ob id, si quis alius, avidè colligere soleo. Dicam tamen candidè, (nec enim oculis nostris tam negligenter infixus es, ut judicium abstinere debeamus) non agnovi omnia venerandi simul atque amandi oris tui lineamenta, quod idem Cl. Senex Dn. D. Hofmannus censuit, cui exemplum, quod misisti mihi, relinquere debui. Accepimus & Disputationem filii tui, de qua, rogo, boni consulas sequentem fabulam. Quum in ædibus Dn. D. A. fortè à convictoribus mentio facta esset filii tui, B. U. inter alia de illo adfirmabat, jam studiorum causa morari Paduæ. Id quidam Wertheimensis excepit, & post prandium hiante ore ad me cum dicto, quod ex U. audierat. Quum aliàs, judice Lampridio in Elagabalo, ita sese habeant vota hominum ad credulitatem festinantium, ut quod desiderant, verum esse putent; tamen adeò blennus non eram, ut admitterem, sed nec erroris causam statim deprehendi. Jussi igitur U. adire denuo, & ex eo quærere, unde sciret Richterum juniorem Paduam venisse. Obsequitur: Cui U. *Rem indubiam esse* ait, ac statim confirmaturus id, quod semel dixerat, allatâ è musejo filii tui Disputationem pro Patavio Antenoris monstrat Lugdunum Batavorum. Quò faciliùs à nimio risu me continerem, illud erat, quòd hoc ab eo scirem admissum, qui nobis convivis ipse quondam narrârat, quum se puero Noribergæ perageretur comœdia Frischliniana *Priscianus Vapulans*, à Præceptoribus sese productum in scenam præcipuas in ea partes sustinuisse. Unde vetus illud cogitabam, *servavit odorem testa diu.* Sed suam ecce facit quidam controversiam de calcato collo Imperat. Friderici Barbarossæ ab Alexandro III. Pont. Rom. nec aliter observationibus Fortunati Olmi superbit, quam qui olim ferebant Junonis sacra. Miratur enim *inveniri potuisse, qui tam præfractè tantâq; verborum petulantia id negarent.* Valdè velim scire, in quos inveheretur iste Manlius, intolerabilis futurus, si Olmus esset. Ego novi N. longè doctiores ac meliores, in primis, Berneccerum cum Remo, quorum alter Disputatione, alter Oratione publicè habitâ negativam propugnavit, rationibus sanè non contemnendis. Horum sententiam secutus sum olim in lectionibus publicis, & quum animadverterem Eliam Ehingerum in Remum ivisse, quòd argumentatus esset à silentio vetustiorum scriptorum firmare conatus sum hoc argumentandi genus, nec temerarè,

rariè, sed adhibitis in consilium Philosophis. Ne nunc quidem sententiam mutare possum, quòd, ademto illo, Philologi multa spuria à genuinis discernere non possint. Belisarium, Ducem Justiniani vestri, effossis oculis mendicâsse contra Joann. Tzetzem. Petrum Crinitum, Raphaëlem Volaterranum negant, quod nemo scriptorum, qui Justiniani ævo & paulò pòst vixerunt, id memoriæ prodiderit. Romanos Alexandrum Magnum legatione veneratos esse contra Memnonem c. 27. Plinium l. 3. c. 5. negant cum Arriano lib. 7. quòd ea de re sileant non solùm Romani Scriptores omnes, sed & Ptolomæus & Aristobulus Historici uterq; Alexandri socius, alter etiam Dux & postea Rex Ægypti. Sic Scaliger, Casaubonus, & Philologorum primates in aliis quamplurimis argumentantur, præsupposito scilicet hoc, *superesse scriptores illorum temporum, de quibus disceptatur, qui res perfectè tradiderint.* Nec illud ignotum erat, de eadem historia Barbarossæ per tertium & quartum decimum seculum, quæ præ ceteris *καιροὺς, τερατολογίας, tempora portenti loquorum*, an *ἀγνοίας, ignorantiæ*, appellet? Viri eruditissimi jure dubitant, ad nos multa alia defluxisse velut turbido alveo. Venetis annulum aureum ab Alexandro III. pro desponsatione maris datum magno consensu hodie tradunt, & his se jungit Piccartus noster dec. 16. Observ. Historico - pol. c. 5. motus auctoritate P. Justiniani. Sed Joseph. Laurentius 1. Polymath. 2. ex archivis Venetorum demonstrat, multò antè, quàm in urbem Venetam se reciperet Rom. Pontifex Alexander, desponsationem illam celebratam. Multitudinem scriptorum recentiorum & ipsum Joannem Stellam, Sacerdotem Venetum, quem P. vester tantopere crepat, non ignorabam, sed hunc & alios lubens porrexeram stipem tam anxiè colligentibus, & ex omni lacu trahentibus piscem. Nimirum, verbis Prudentii leviter immutatis.

- - - - - sæpe observatio crevit
Ex uno quondam malè cœpta, deinde secutis
Tradita temporibus, serisq; nepotibus aucta,

sive, ut Seneca loquitur 1. de Vita beata c. 1. *Multi pecorum ritu sequuntur antecedentium gregem, pergentes, non quà eundum est, sed quà itur.* Tandem suspicabar, pictorem, qui Ahenobarbi historiam in publico Senatum atrio ante hos ducentos quinquaginta annos exhibuerat, primum inspectam Matthæo Dandulo & Aloysio Mocenico Legatis Venetis, simplices ita infatuâsse, ut ingenii lusum tandem in veram historiam converterent: Et sicut hodieq; victorum imaginibus dicta & sententiæ circumscribi solent, ita pictorem addidisse: SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM AMBULAVIT ET CONCULCAVIT LEONEM ET DRACONEM, quæ eadem sculptor quidam

dam adjecit imagini & currui triumphali Heraclii Imperatoris, ſicut ex nummis conſtat. Imò acclamationem Byzantini populi hanc fuiſſe, tradit Sigfridus epitomator bene vetus in anno 689. ubi de Juſtiniano Imp. *utrumq, cepit (Abſimarum & Leontium) & eorum corda calcavit, populo acclamante, ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & ſic decollati ſunt.* Hæc Sigfridus, quæ adeo ſimilia noſtris, ut hæc ad illa omnino picta & conficta videantur. Darem ſimilia multa, ſed moror tua tempora, Vir Nobiliſſime. Hoc unum nunc etiam atq; etiam quàm vehementer rogo, adjicias ceteris beneficiis tuis, & ſi habere potes titulum libri, qui N. tam ſuperbum fecit, ut, quam in aliis modeſtiam deſiderat, ipſe non præſtet, deſcribi mihi cures, ut Olmum iſtum parare mihi queam. Ero enim in hanc ipſam controverſiam intentus, & ſi vincit Olmus, cedam Veritati: Si imponit, & falſò jactat antiqua monumenta (ut Itali plerumq; ſolent, qui credunt, Tranſalpinos naſum non habere) depectam eum, ſicut meretur, & à petulantiæ crimine liberabo beatiſſimas manes, uti par eſt. Quanquam, vincente Olmo, petulantiæ crimen impingi poteſt nemini, niſi qui poſt Olmum ſcripſere publicatis jam monumentis & archivis, nec Veritati tamen victas dederunt manus. Atq; hos N. nominare cogetur, & niſi nominaverit, ſeu ſuperior, ſeu inferior erit Olmus, ipſe infamiam incurret hominis φαντασιοκοπουμένου. Si nominaverit (nam Olmus ex ipſius confeſſione nimis recens eſt auctor, quod vix, ut opinor poterit) tamen ὄνος erit ἄγων μυστήρια, quem in tantum inflârunt obſervationes, ut in triumpho duceret viros doctos, quarum ipſe auctor non eſt. Quum omnia conſideravi, tandem in eam venio ſententiam, quorundam mores non multùm abhorrere, à moribus tyrannicis & petulantibus ipſorum adverſariorum, qui Religionem propagatam volunt per vera, per falſa, immemores aureæ ſententiæ B. Chryſoſtomi in Matth. Μή μοι γένοιτο ἀπὸ τοῦ ψεύδους τὴν ἀλήθειαν συστῆσαι, *abſit à me, ut veritatem per mendacium velim ire confirmatum.* B. V. Patrone maxime, cum Tuis, quos omnes quàm obſervanter ſaluto, ut & Excell. Dn. Dilherrum, cui librum ſuum remittam proximè. Nunc enim haud potui, quia ſine literis nolui, quas ſcribere temporis anguſtiæ prohibent, & programma Univerſitatis nomine concipiendum, quo proſcribuntur Krebſius, Dettenius, & Beinius, triga famigeratiſſima. Valete iterum. Scr. Altorphii a. d. III. Eid. Dec. A. S. 1643.

Richterus Ruperto.

REmitto epiſtolam filii mei, quæ tum ob alia, tum ob amorem atque cultum in Te ſui ſingularem, quem perpetim Tibi debet, magnopere me delectavit: De cujus conſtantia & perennitate in filio ut nullus dubito; Ita & in hoc eum

Parca-

Parentis veſtigia premere non poſſum non gaudere, mihiq; gratulari animitus. Quantopere enim Te æſtumem, & quam valdè animum hæreditario jure in filium transferre ſatagem, probè noviſtis uterq;. Tuum erit affectui noſtro erga Te non vulgari, pari, quod facis, jure nunquam non reſpondere. Fabulam illam de collo Friderici Barbaroſſæ Imperatoris ab Alexandro III. Pontifice Romano pedibus calcato, quam N. pro hiſtoria credi ſibi poſtulat, nihil minùs quàm hiſtoriam eſſe, veritatis hiſtoricæ probè gnari, verè nôrunt. Ex quo ille ſi monitore publico rectiùs ſapere jubeatur, ut pote qui ſecùs ſentientes præfractè hoc facere autumat, & verborum petulantiam illis imputare conſueto ſupercilio ſibi ſumit, non habebit; credo, quod jure conqueri poſſit. Fabulas ejusmodi in omnibus ferè hiſtoricis, Græcis & Latinis, pro hiſtoriis ſæpe recitari, & hoc genus erroris eſſe vulgatiſſimum etiam in autoribus probatiſſimis, olim me annotâſſe memini, de quo forſan alio tempore, aut etiam publicè aliquando plura monere licebit. Tu interim pro dexteritate tua veritatem vindicare perſeverabis. Titulum libri, quem deſideras, cujus autorem ille Olmum laudat, deſcribi Tibi curabo, & mittam proximè, ſi fieri poterit. De imagine exſculpta non candidè minùs quàm verè Te judicare perquam gratum mihi eſt. Eandem culpam Durerus, magiſter ſummus, Eraſmum olim fingens, eſt expertus, ut ad Pirckheimerum noſtrum ipſe Eraſmus ſcripſit, & ſive ridendo ſive indignando conqueſtus eſt pluribus. Mitto tamen aliud exemplum, quia alterum Hofmannus noſter amare dignatus eſt. Ingenii potiùs effigiem æſtimandam bonis vel ex illo Pirckheimeri, quem laudavi, ſymbolo non ignoras: *Vivitur ingenio.* Sed hæc hactenus. Tu amicorum cariſſime Vale & ſalve, & me, quod facis, filiumq; ama. Salvere Te jubet Dilherrus noſter. Dab. Noribergæ ad d. XVI. Decembr. A. C. clↄ Iↄc XLIII.

P. S. Lepidum illum Geographum, qui Lugdunum Batavor. pro Patavio habet, & Hollandiam novâ metamorphoſi in Italiam transfert, riſimus pectore dulci.

Rupertus Richtero.

E Filii tui literis cognoviſti, quantum in auctoritate tuâ ponat Cl. Gronovius, ut per eam ab Ampliſſimo & Conſultiſſimo Viro Dn. D. Hulſio, Collega tuo MS. Livium, editionibus omnibus, ut ajunt, auctiorem, impetrare poſſit. Intereſt Reip. literariæ atque ipſius poſſeſſoris gloriæ, ne ſupprimantur, quæ ne quæſtum quidem carcerarium faciunt. Quòd ſi loco nolit moveri, ſaltem Noribergæ nonnemini conceſſerit cum editione aliqua collaturo, & præſtabitur ipſi ſanctè, quamcunq; exegerit, fides. Scripſi literas ad Gronovium,

quòd

quòd insperatâ planè benevolentiâ studium suum obtulisset in excerpendis Gvalteri tabulis; & eas inclusi responso, quod debui filio tuo. Sed quod à pudore meo impetrare vix possim, ut ego sumtus faciam, alii ferant; cogitabam de alia via, quâ sine rubore meo Lutetiam perferrentur. Ut enim lætior beneficiis abs Te affici, quod de singulari benevolentia certò mihi constat: Ita rursus scio, secundam Charitum, quæ accipit, etiam esse virginem, quam verecundia deceat. Rursus memor literarum, quibus petitionem meam licèt æquissimam de accipiendo comistro planè refutâsti; patior æs alienum, quod apud Te contraxi, excrescere in infinitum. Specimen lectionum mearum publicarum cogitabam ad Te, Vir Magnifice, mittere, ut audirem consilium tuum. Nam si pergendum erit, ut quidam volunt, vix erit ut intra proximum semestre dimidiam partem suscepti operis absolvam. Sed defuit, qui describeret. Valdè optarem, gratiam mihi à Nobilissimo Dn. Scholarcharum Collegio tam angusti temporis, quòd sperem, plus utilitatis Historiæ antiquæ Studiosos, me favoris habiturum, si non nihil exequi liceat, quæ promisi. Tamen permitto me prudentiæ tuæ, ut si existimaveris Nobilissimum Ordinem id rogandum non videri, stringam metas interiore rotâ. Quod sanè mihi longè facilius, quàm excutere tot scriptores, controversias definire, &, ut verbo dicam, dare me in metallum plurimarum difficultatum. Vale, Vir Magnifice, cum Nobilissima uxore & filia & omnibus tuis, quibus ex animo precor, ut hic annus novus currat quàm felicissimè. Scr. Altorfii a. d. IV. Eidus Januarias.

Idem Eidem.

ILluxisse mihi diem, quo cognoscerem filii tui optimi doctissimiq; felicem reditum, est; quod in maxima felicitatis meæ parte colloco. Nec enim tantum æstimo, (quod tamen inæstimabile est) recepisse me verè Pyladéum pectus, heredem paternæ erga me benevolentiæ; quam Te, Virorum maxime, unicum filium, ipsam virtutum TUARUM imaginem: Cui quicquid inædificare voles patriæ bonisq; omnibus salutare, libenter & bene feret. Quod quum ad recuperandas vires corporis, si quid aliud, magnum momentum adferre TIBI putes; hoc ipsum est, quod ad salutem meam pertinere videtur. Totum enim decennium istud docere me potuit, accedere fortunæ meæ, quicquid accedit valetudini TUÆ, dum ea præstitisti, quibus homo homini majora non potest, & quidem solus. Nam aliorum Patronorum in tantis inimicitiis & calumniis, quibus subinde circumventus sum, & ignorantia recti quanta inopia est? Sed licet præsenti (quod maximè voluissem) non licuerit cognoscere TUAM, Nobilissimæq; Conjugis TUÆ ad primum nuncium lætitiam, videre concursum, amplexus,

plexus, oscula, & conjungere vota gratulantibus amicis, adfinibus, caritatibus omnibus; fuit tamen hujus lætitiæ sensus etiam absenti. Faxit DEUS Opt. Max. ut hæc nobis perpetim constet alacritas, nec unquam obliteretur nisi à majori gaudio, quale sperare nos jubet Virtus illa supremis honoribus dignissima! Ceterum erubui quum legerem in literis tuis, coëmisse mihi quædam filium tuum, ut monumenta essent gratitudinis & observantiæ. An enim ille quicquam mihi debeat, quem ingenio excellentem, suæq; naturæ stimulis satis excitatum (sincerè dicam) ne tantillum quidem juvare potui. Næ stupor sim hominis, nisi hîc quoq; agnoscam abundantiam & prodigalitatem adfectûs erga me; cui dum se gratum exhibere profitetur, omnia gratis facit. Humanissimâ invitatione tuâ (pro qua gratias & habeo & ago, quas possum) non aliud quicquam fuit acceptius: Et quanquam faciliorem hactenus expertus es, quàm verecundiam meam decebat; tamen nunc quoq; occasionem ambabus, quod dicitur, manibus arripiam, tum propter ea, quæ coràm significanda mihi censes, tum quòd avarissimus sim videndi & amplexandi filii tui. Nisi fortasse desiderium meum sufflaminârit valetudo, quam hiems & æstas, utraq; πορίμως, graviter adflixit. V. F. Vir Magnifice, & si onerandus es petitionibus meis, saluta Nobilissimam TUAM conjugem, filium, filiam, caritates omnes. Scr. Altorfii Pr. Cal. Jun. A. S. cIↃ IↃc XLIV.

Idem Eidem.

Vir Magnifice, Nobilissime & Amplissime, Patrone observandissime. Diuturnum silentium meum, quòd Magnificentiæ tuæ negotiis gravioribus deberi semper existimavi, rumpere me jussit aliena causa dicam an mea, an Professorum omnium?

Nam quisquis est, à quo Professor læditur
Reliquos eâdem malitiâ ausit aggredi.

Et quamvis scirem Magnificentiam tuam omnia κτῇ λεπτῶν cognoscere posse vel è Protocolli Academici Excerptis, vel ex Universitatis literis ad Nobilissimum DNN. SCHOLARCHARUM ordinem datis: Tamen privatim etiam adeunda mihi fuit vel propter Dn. F. petitionem, qui quum sese per Urbem passim ab adversariis traductum inaudierit, eò magis per collegas minùs corruptos & rerum omnium gnaros vindicari cupit. Ita verò se habent omnia. Disputationem quandam Metaphysicam sub ipsius præsidio habendam inscripserat Respondens M. J. homo pauper, sed eruditus, & qui nuper magna cum laude peroravit, diversæ conditionis hominibus, & ex iis Nobili cuidam Holsato, G. à B. eamq;, nobili absente, obtulit Ephoro, ut more seculi καθ᾽ ἐχεγγύως loquar. Is paucis horis pòst, dictum J. redire jussum acriter increpat, quòd in dedicatione Nobilem suum

rejecisset in tam indignum locum. Ecce, postpositus erat Universitatis Notario & Vicario Ecclesiæ Altenthannensis, tanquam studiosus adolescens in honore publico constitutus! Nihilominus dignitate generis habitâ primum locum habebat inter studiosos ceteros. Ita collocari jusserat consultus à Respondente Præses, in quem proinde facti totius invidia vertebatur. Tamen ab illo tempore, quo ab Ephoro compellatus est Respondens, quies & silentium. Ipse Præses omnia tuta & composita credebat. Affigitur post duos integros menses Disputatio; & quod absens tum esset F. distulit etiam Nobilis, quod ignominiæ genus inferre cogitabat: Sed quum affigeretur secundâ vice, ac jam rediisset F. per mancipium, quod etiam anno superiori ad immane facinus obsequentissimum habuit, nomen suum in Disputatione suâ deleri jubet. At servulus sive per literatum imperitiam, sive per incuriam abolet nomen Ill. & Generosi DN. Baronis ab Eck, cui & ipsi Disputatio dedicata fuerat; quo errore animadverso, Nobilis Disputationem per ministrum Academicum, inscio Dn. Rectore ac Præside, diripit aliamq; suffigit, sed quum prius nomen suum erasisset, ut in exemplari primùm affixo jusserat. Hæc res ut omnibus erat scandalo, ita tandem Præsidem latere non potuit, qui, auditâ ignominiâ bis illatâ, graviter commotus statim se confert in Collegium, & reponit nomen hoc modo: G. B. C. NB. Hæc autem nota referebat nomen eò, quò Nobilis collocatum se volebat. Tamen illud ipsum exemplar statim demit, & affigit novum, quod illo die tertium erat. Tum rem defert ad Magnificum, qui Nobilem ad se vocari jubet. Ille verò audito novum exemplar affixum esse, tam diu cunctatur coram Magistratu comparere, donec iterum delere posset nomen suum, quod & fecit, decies facturus idem, ut credo, si exemplaria decem affigi potuissent. Ea mali propositi pertinacia & contumelias contumeliis adjiciendi lubido fuit! Ceterùm proxima die Lunæ habetur Senatus; & cùm ipse reus esset, F. subjicere conatur pro reo, *familiam suam antiquissimam nobilissimamq; contumeliosè ab illo habitam, qui ipsius superbissimus esset & fortunâ suâ nunquam contentus affectaret altiora*; & quæ fuerunt alia studioso & hac ætate prorsus indigna. Igitur quum F. reconveniret, ob brevitatem temporis dilata res in proximum Mercurii, quo quum convenissemus, sententiam dicturi de utroq;, ille libellum tradit, (Ephoro dictante, uti suspicantur, scriptum) quo non tam Magnificum suggillare audet, quod F. in scheda quadam Collegam suum honorandum appellâsset, quàm nos omnes ut suspectos Judices rejicit. Habes, Vir Magnifice, rerum illarum narrationem verissimam: Unde facilè constare potest, *quousq; tandem evasura sit quorundam licentia, si fortuna spiraverit.* Imò, quia spiravit hactenus, ista quidem nunc audienda & videnda sunt. *Ubiq; cachinni & triumphus de victa hone-*

state

ſtate & impeditis per varias artes melioribus. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. jubet me Homerus in Iliad. XIX. Sufficit ſatisfeciſſe me Collegæ petitioni, qui me apud Magnificentiam tuam teſtem eſſe voluerat rerum actarum. Lubenter in me recepi, quamvis animo in B. non ſim alieno; Sed quia jus & fas ita poſtulare videbantur. Alioquin ab eadem fortuna non ſum adeò procul. Nec enim diu eſt, cùm mihi ſtudioſus quidam, præſentibus multis, periculum apud maximum quendam Virum minitari auſus eſt, quod an executus ſit, me quidem latet. Qui autem mihi bene cupiebant, oppoſuerunt ſe illi & dehortati ſunt à calumnia. Dum ſcribo, accipio veniſſe literas à Nobiliſſimo DNN. SCHOLARCHARUM ordine de F.B. cauſa. Quamobrem occaſione proximâ negotii totius eventum Magnificentiam tuam docebo. Bene vale, Vir Magnifice, Patrone incomparabilis cum omnibus caritatibus tuis, quas perofficiosè ſaluto. Scr. Prid. Cal. Apr. A. S. cIↃ IↃcXLV.

Chriſt. Adam. Rupertus Albert. Richtero, Amico ſuo,

S. P. D.

QUod candidi ſolent, ut curas, cogitationes & officia permiſceant, id à nobis quoq; pridem factitatum nôſti. Me ipſum quod attinet, cum Te, hoc eſt, illum ipſum, qui toto pectore me jam dudum admiſiſſet, adeſſe cernerem, non exiſtimavi, coram tam aperto tamq; amico homine ullum verbum retrahendum. Omne igitur conſilium meum detexi, labores in Nobilitate Romana, (ſi ita per modeſtiam dicere licet) aſſerenda oſtendi, ſubſidii deniq; librorum ac monumentorum inopiam explicavi. Ut rem totam ab initio revolvam, erant in animo tot exempla vigiliæq;, quibus Romanam antiquitatem nitori ſuo reſtituere conati ſunt non viri modò, ſed juvenes, imò ætate quoque me ipſo inferiores. Quamobrem non arbitrabar, me cujusquam boni reprehenſionem incurſurum, ſi adoleſcentiæ meæ, ne deſideret, proſpicerem. Quid multis? jam ante triennium, & quod excurrit, Gentes ac Familias quà patricias, quà plebejas colligere cœpi. Omnibus enim temporibus iſtam hiſtoriæ partem non apud privatos modò, ſed multò etiam apud Principes & Magiſtratus civiles ſummo in honore habitam, paſſim obſervaveram. Apud Romanos primus M. Terentius Varro de Familiis Trojanis opus conſcripſit: In quo ſeptingentorum illuſtrium nomina & imagines inſeruit. Citatur ſæpe à Servio: Laudatur verò quàm maximè à Plinio, l. 35. c. 2. ibi: *Inventione muneris etiam diis invidioſus factus eſt, quando immor-*

immortalitatem non solùm dedit, verùm etiam in omnes terras misit, ut præsentes esse ubiq; & claudi possent. Sed & T. Pomponius Atticus, ut est apud Cornelium Nepotem in ejus vita, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines potuerint cognosci. Fecit hoc idem seperatim in aliis libris, ut M. Bruti rogatu Juniam familiam à stirpe ad suam ætatem enumeraverit, notans qui à quoq; ortus, quos honores, quibusq; temporibus cepisset. *Quibus quidem libris,* (inquit ibidem Nepos) *nihil potest dulcius esse iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum.* Juventus est postea Caj. Julius Hyginus, Augusti Cæsaris libertus, qui Varronis & Attici vestigiis insisteret. Videndus ipse in Astronomicorum opere. Item M. Valerius Messalla, Orator & Historicus clarissimæ familiæ & dignitatis; qui jam senex de Familiis volumina aliquot condidit, teste eodem Plinio, loco citato. De Suetonio deniq;, *ὃς ἔγραψε τὸ στέμμα Ῥωμαίων ἀνδρῶν ἐπισήμων*, consulendus Suidas. Sed hi omnes, quos dixi, fato suo functi sunt, tantisq; viris. Fama quàm Æternitas æquior extitit. Illa nomen eorum servavit, hæc scripta ea de re non aspexit, ut verba Incomparabilis Lipsii è Not. in Vell. l. 2. c. 71. de M Varrone huc traham. Cæterùm nostro & majorum ævo materiam istam susceperunt viri doctrina & eruditione insignes, è quibus magni Politiani discipulus, PETRUS CRINITUS, Commentarium de Romanis Familiis sese scripsisse affirmat l. 2. de Honesta Disciplina c. 13. & l. 21. c. 2. Sed eum nunquam vidi, nec is fortasse lucem: At de eodem argumenti genere RAPHAELEM quoq; VOLATERRANUM nec non ONUPHRIUM PANVINIUM in medio esse scribit Nicol. Reusnerus Præf. in Opus Genealogicon Catholicum Eliæ Reusneri fratris germani. Ac Onuphrii quidem, sæpius à Casaubono Not. in Spartianum non sine honoris præfatione nominati, Fastos, & ea, quæ hic Reusnerus indicat, vehementer desidero. His accessit REINERUS REINECCIUS, quem cum aliis Noribergæ se habere dicebat mihi V. CL. Dn. D. Nicolaus Rittershusius, Fautor meus magnus. E Germanis porrò viam istam calcârunt Vir Generosus RICHARDUS STREINNIUS, L.B. *Schvvarzenavius,* Lansio in marg. Orat. pro Germania citatus, & ELIAS REUSNERUS. Ille pro conamine suo non exiguam laudem, & quidem, si judicare mihi licet, jure tulit, sed is consulares tantùm expressit, & ut apud Te, Richtere amicissime, loquar, multa sine auctoritate, multa quoq; contra historias & temporis scripsit rationem. Quæ tamen non dico, ut tam illustri Viro juveniliter insultem. Absit, absit tam crassa, tamq; improba à me imprudentia! Manebit illum & propter hanc ipsam diligentiam & propter eximia in Ecclesiam merita

- - - *virtutis GLORIA merces,*

dum

dum sidera ordinato & certo cursu incedent. Hic est ille STREINNIUS, qui D. Maximiliano II. & D. Rudolpho II. postea à consiliis fuit. Alter verò, REUSNERUM dico, ne latū quidem unguem à STREINNIO discedit, adeò, ut totum illum exscripsisse videatur. De suo certè aut parùm aut nihil addit. Jam verò omnium hoc in argumento laudem superârunt duo egregii Viri, quorum alter ANT. AUGUSTINUS, Episcopus Ilerdensis, Pauli Manutii judicio. Comm. in l. 5. Cic. ep st: 19. longè doctissimus; alter FULVIUS URSINUS, deprædicante eum Schegkio, Not. in Vell. Patercul. l. 2. c. 85. de antiquitate summè meritus, Romanas Familias in Urbis suæ ruderibus quasi sepultas, superioribus temporibus iterum excitârunt, & quasi ab inferis vindicârunt. Sed AUGUSTINUS quidem per paucas admodum easq; consulares exhibuit: URSINUS eo libro, quo veterum Romanorum numismata declaravit, quamplurimas nobis recensuit. Id opus antiquitatis studiosis sanè quàm utile, cùm Romæ tantùm, ut arbitror, cusum sit, inventu difficile est, nec unquam mihi visum. Quamobrem è lucubrationibus istis saltem excerpta, A. 1592. Lugduni edita, adhibui. Sed, ut inde didiceram, auctori FULVIO non alius fuit animus, quàm origines breviter indicare, casq; tantùm personas, quarum in numis suis mentio, producere: Adeoq; nullam, ut alii, Familiarum seriem subtexit, sed paucos admodum in una quaq; gente enumerat, ut hinc maximam partem posteritati eruendam reliquerit. Interim dum librum ipsum tamq; præclara monumenta videre non licet, nostra opera graviter impeditur. Deniq; & GLANDORPIUS quædam ausus, sed in Julia, & Antonia gentibus, quod è Georgii Draudii Catalogo Universali constat, acquievit. Has ob causas si post modò laudatos Viros horas aliquot subcisivas Nobilitati Romanæ impendam, minimè actum agere me putabo. Fuere tamen, quæ, ne tam periculoso vado cymbam meam committerem, nuper ferè persuasissent. Calumnia, inquam, Difficultas argumenti & subsidiorum Penuria. Et Calumniam quidem nôsti, quam freqnentem habeam, quamq; juvenilia ista insectari soleat: Sed facilè me hîc consolor, non posse ullam auctoritatem habere sententiam, ubi, qui damnandus sit, damnet. Qui enim isti? homines ad hoc unum nati, ut linguam viperinam exerant, & more canū quorundam pro consuetudine sua latrent, imò quamcunq; aream invenerint, ibi pedem tollant, ac oletum faciant. Hos igitur jam non ampliùs moror. Difficultatem verò quod attinet, facilè video, proletariam hîc exulare debere operam. Muretus id requirit lib. 3. Var. lect. c. 8. ubi: *Fieri potest, ut fallar: Nunquam enim harum rerum valdè diligens indagator fui: Non equidem, quò eas contemnam ac despiciam; sed quòd diffidam, parem me esse perferendo labori, quem video capiendum esse iis, qui SUBTILITER*

 talia

talia perscrutari volunt &c. Ea propter ego adolescens, & qui, ut cum non nemine loquar, ante hos XXIV. annos natum me nescio, sæpè mecum dubitavi, an non medio in cursu succumbendum mihi sit. Verum enim verò edoctus à Marone, *laborem improbum omnia vincere*, iterum me erexi, ignarus insuper, quid pro me Diogenes Epist. ad Apollexidem dixerit: Ουκ ἔδει δὲ τὴν εὔχρηστον [illegible] διὰ τὴν ἡλικίαν παρελθεῖν. h. e. *Non decet rem quodammodo utilem propter ætatem rejicere.* Ut enim alia heic non attendam, utilitas certè varia & maxima est. Critici, & qui in auctoribus explicandis nominum rationem habere debent, hujusmodi scriptis docentur, ne ex Familiarum ignorantia temerè, quidpiam mutent, sivè personas cum personis confundant. Alii, ut stemmatum istorum intuitu ad virtutis studium excitentur. Sæpe audivi, inquit Sallustius in bello Jugurthino. *Q. Maximum P. Scipionem, præterea civitatis nostræ præclaros Viros solitos ita dicere: Cum majorum imagines intuerentur, vehementer sibi animum ad virtutem accendi: Scilicet non ceram illam neq; figuram tantam in se vim habere: Sed memoriâ rerum gestarum eam flammam egregiis Viris in pectore, crescere neq; prius sedari, quam virtus eorum famam atq; gloriam adæquaverit.* Hinc non immeritò Senecæ epist. 64. imagines istæ, seu, ut lib. 3. de Benef. c. 28. loquitur, *nomina Familiæ longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris, animi incitamenta vocantur.* Quid? quòd hinc fortunæ lascivientis mores penitus cognoveris, quum modò florentium, modò afflictarum gentium sese offerant exempla. Metellos intuere, quorum intra XII. annos aut consules fuere, aut censores, aut triumphârunt ampliùs duodecim, ut scribit Vellejus, cujus numerum, contra Lipsium, hîc retinemus. At mox Cæsareum atrium ingredere; nulla non ibi imago aliquo suorum incommodo insignis est: Nemo non ex istis in ornamentum sæculorum refulgentibus Viris aut desiderio suorum tortus est, aut à suis cum maximo animi cruciatu desideratus: Ut scribit idem Seneca Consol. ad Polyb. c. 33. Deniq; quum ad universæ Nobilitatis Romanæ occasum deveneris, videbis eam tyrannicis temporibus possessoribus suis fuisse rem exitiosissimam. Illos enim ingentium Virorum nepotes, illos libertatis posteros, ut è Plinii Panegyrico loquar, nihil aliud perdidit, quàm *malis Principibus semper formidolosa Nobilitas.* Nec immeritò Tacitus lib. 6. Annal. tanquam rarum notat quòd L. Piso Pontifex in tanta claritudine fato obierit. Jam quid à me præstitum sit, ad petitionem tuam Tibi habe. Conscripsi ultra ducentas quinquaginta Familias, Consulares, Prætorias, Quæstorias, Tribunitias, veteriq; Pomponii Attici methodo, de qua suprà, quantum fieri potuit, institi: Loca complura earum auxilio emendavi: Historiæ Romanæ Scriptores, quà Græcos, quà Latinos cum optimis interpretibus in auxilium advocavi, Fastos deniq; Capitolinos emendatissimos

tissimos cum Caroli Sigonii Commentariis inspexi. Qui Vir, ut ut partim hoc in opere, partim in Scholiis Livianis de antiquitate optimè meritus, momum tamen non effugit, Francisc. Robertellum dico, qui bonum istum bonæ literaturæ vindicem modò indoctum hominem, modò imperitum, & nullo judicio præditum, modò inscitum, modò nescio quem appellare solet: Ipse interim, licèt natu grandior, his in studiis

Infelix puer atq; impar congressus Achilli.

Nemo tamen majori nobis adjumento fuit atq; ille, Gruteri judicio Not. in Vell. l. 1. c. 14. omnis antiquitatis condus promus STEPHANUS VINANDUS PIGHIUS: Cujus elaboratissimos Fastorum libros mecum communicavit Vir Magnificus Dn. GEORGIUS KOENIGIUS, Theol. D. benevolentiâ insigni mihi cognitus. Sed erat is liber saltem ad annum CCCCXXCIIX. ab urbe condita deductus. Auctorem enim morte præventum eos Fastos non absolvisse, adeoq; perpetuo imperfectam mansuram Venerem illam historicam, scribit & auguratur citato loco Gruterus. Postea tamen è Draudii Catalogo Universali didiceram, ANDREAM SCHOTTUM, doctissimum Virum, in rei publ. literariæ usum reliquos duos tomos prælo Antverpiensi commisisse. Hæc igitur postuma, si ad manus jam essent, lucubrationibus meis colophonem ferè adderem. Quamvis ne quid dissimulem, multa alia quoq; mihi desint, Æternum opus Inscriptionum Gruterianarum. Sed & Numi, quos vel Goltzius edidit vel Welserus, VIR, in quo ne invidia quidem, quod reprehendere possit, invenit, ut è G. Eremitæ Itinerario MS. (nondum enim editum est) testimonium de tanto Viro producam. Numi certè istiusmodi causas, cur cusi fuerint, tacitis Signis sæpe exprimunt, provinciarum, gentium, & Familiarum origines, stirpes, nobilitatemq; priscam ostendunt? atq; plurimum ad historiæ Romanæ intellectum & antiquæ doctrinæ scientiam conferunt, judice suprà laudato Pighio, 6. Annalium sub f. Id sæpe hactenus expertus sum, ejusq; rei testimonia in Foslia sive Fostlia, Antistia, aliisq; Familiis, quarum origines è numis tantùm constant, adduco. Vides nunc, Amicorum optime, quàm insignia monumenta me deficiant; quæ si in Bibliotheca nostra Altorphina quærere velim, metuo, ne frustrà sim. Noribergam implorem? quis admittet? quo fautore aut promotore res tentanda? sed omittam fortè & tenebris me damnem? Nolo, mi Richtere, Patronis diutiùs carere, & comparandi jam sunt, qui in conclamatis hisce temporum difficultatibus Musis meis adspirent. Tu, qui temporum momenta & opportunitates apud tuos probè gnarus es, poteris aliquando, ubi Noribergam profectus fueris, à Viro Amplissimæ Dignitatis DN. D. GEORGIO RICHTERO fratre tuo observandissimo, consilium hac de re explorare.

Spero

Spero, magnum istum PATRONUM ingentibus suis, meritis jam ante biennium mihi exhibitis, consilium & opem instituto meo utilem, quantum in ipso erit, adjecturum. Sed hæc omnia datâ occasione. Nam gravissimis tanti VIRI negotiis obrepere velle, religio mihi sit. Vale, fave & ignosce. Dab. in Museo VII. Novembr. A. C. cIↃ IↃc XXXVI.

Viro Magnifico,

DN. D. GEORGIO RICHTERO,

Christophorus Arnold, S. P. D.

CUm vale facto *Noribergâ* discederem, VIR AMPLISSIME, pollicebar hoc Tibi bona fide, *Batavia* quomodo se habeat, quæ item præclara rei literariæ monumenta nunc exstent, haud parcè me perscripturum. Ante omnia verò id accipe, quàm feliciter *Leydam* tetigerim. Ubi per dies aliquot (blandè ac benignè mercatoris hospitio exceptus) *Amstelodami* me sustinuissem, *Dn. Adolphus Vischerus*, in Ecclesia nostra, apud Amstelodamenses, summo propter eruditionem facundiamq; Belgicam honore & nomine, comitem se mihi dedit; meq; *Harlemum* deduxit: Inde is abiturus, Viri Illustris, *Dn. Theod. Grasvvinckelii* (nam fausto omine eadem vehebamur tractoria) fidei me cómisit; ac totius Belgii Fœderati, ceu vocant, Fiscalem hunc esse, quem Hugo Grotius in intimis suis semper habuerit, clàm in aurem insusurravit: Cujus singularem amicitiam ipse tandem Grafwinckelius, & in mensa & in essedo, liberè prædicavit; id fassus apud me insuper, aureos illos *de jure Belli ac Pacis commentarios*, in bibliotheca sua, ex ore dictantis *Grotii*, se excepisse; eosq; in ordinem demum redegisse. Quantum conjectura assequi poteram, animo in *Dan. Heinsium* erat singulari; non ita *Salmasio* favens.

Verùm ut ex hoc diverticulo in viam rursus cum Grafwinckelio meo revertar, ductu hujus & comitatu primùm Musas *Lugdunenses*, nocte jam provecta, invisere cœpi: Amicè ac liberaliter in hospitio Germanorum me habuit, rursum iterumq; benevolentiam erga me suam his testatus verbis: *Tractabo te, ut Batavum*! Altero autem die, inscio me, nomina nostra exsolvens, & Hagam Comitis omni festinatione properans, in bibliothecam suam hospitaliter me invitavit. Commendatitias, quas ab imagine animi & corporis tui, Filio, lætus acceperam, *Gronovio* tandem exhibui, singulari confecto itinere; nam ab *Amstelodamo Hardervicum* mari, dein *Daventriam* terra petere, contendi. In *Hardervicena* Academia compellavi *Georgium Horninum*, quem urbs Noriberga suum quoq;

quoq; nominat) Virum prorsus insignem in re historica: cùm sacra, tùm maximè profana: Placerent, scio, *Dissertationes* illius *politicæ*, quas de variis regnis ac rebuspublicis, juribus, oppidis, insulis, provinciisq; Fœderati Belgii, non sine magno peregrinantium concentu instituit, habuitq;. *Rerum Britannicarum* (ceu nosti) *libros septem* emisit, *quibus res in Anglia, Scotia, Hibernia ab anno* cIↃ IↃc [illegible] *XLV. bello gesta exponuntur*; quarum continuationem seriemq; ad futura (ut verbo Claudiani utar) librabit temporum momenta: Nam illos supplemento explebit, & novos scribet. Discordiarum Ecclesiasticarum (quas vulgò sectas in Anglia vocant) historiam ἀξιοπίστως scripsit, hoc nominis sui anagrammate usus: *HONORII REGGII de Statu Ecclesiæ Britannicæ hodierno liber Commentarius: Unà cum appendice eorum, quæ in Synodo Glasguensi contra Episcopos decreta sunt.* Neq; Is fluxa fide, ex ore aliorum, leviter hæc consignavit; sed in Angliam ipse profectus, quæ oculis auribusq; longo intervallo perceperat, ita in unum contulit libellum, ut suos teneat lectores. Significavit mihi nuper Britannus quidam, GANGRÆNAM duabus partibus à *Thoma Edwards*, Ecclesiæ Anglicanæ Ministro, Anglicè conscriptam extare; qui liber sit instar Catalogi errorum, hæreseon, blasphemiarum, sectarumq;: Hunc in ipsa aliquando Britannia mihi comparabo, jucundis (ceu ferunt) epistolis historiolisq; refertissimum. Sed ad semitam.

Ex *Hardervicena* ocyùs abeunti optimus ille Hornius (qua est erga nostros, aliosq; humanitate) Res Britannicas, dono datas, pro comite obtulit: Has ego, Belgarum more, vel legentium vel disceptantium in itinere, aliquoties pervolutavi; donec urbs *Daventria* mihi occurrit. Huc die altero adventanti, tanquam totius Athenæi atq; ipsius urbis dexteram *Gronovius* porrigens, vultu Germano me excepit, apud quem literas sedem ac domicilium collocasse, statim intellexi. Horas multas, & in musæo, & in viis publicis, suavissimo sermone consumsimus, de amicis in Germania, de eruditione, hoc est, phi ologia; de historia, de antiquitatibus juris, de optimo veteres interpretandi auctores modo; qua illum præ cæteris pollere peritia, ipsi Batavi pleno ore prædicant. Post hæc in *bibliothecæ publ. Templum* me deducens, inter alia quædam cimelia *Erasmi* (nam magni esse tibi Erasmum, sat scio) *Tomos*, ab ineptis glutinatoribus, hoc est, monachis per omnes paginas charta (vox Plauti) fenestrata in locis istis obtectos, ostendebat; in quibus acerrimi judicii Scriptor temporis istius Ecclesiam & mores Religiosorum, notaverat. Operæ sanè pretium foret, si quis glutinatorum vestigia relegens, chartis scalpello parùm elevatis, insignes illas ἐξηγητὰς excerperet. Hujusdem *Erasmi opuscula* aliquot seorsim prodierunt, quæ desideranti communicare haud piget: *Vita Erasmi*: *Modus*

orandi Deum: Precationes, cum oratione Dominica: De immensa Dei misericordia: De contemtu Mundi liber: Explicatio in symbolum Apostolorum, & Decalogum: De Virtute amplectenda Oratio: De praparatione ad mortem: De morte Declamatio: De puero Jesu concio: Miles Christianus: Lingua: Institutio Principis Christiani: Querela pacis: Encomium Moria, cum Ger. Histris Notis; & Epistola aliquot in fine addita: De concordia Ecclesia sarcienda: Ciceronianus: Consultatio de Bello Turcis inferendo: Dialogus de recta Latini Gracíq; sermonis pronuntiatione: Enarratio in Psalmum primum, Beatus vir: In Psalmum vigesimum secundum: Christiani matrimonis Institutio: Flores, unà cum septem Centuriis: De conscribendis Epistolis. Prodibunt occasione deincipe: *In Psalmum trigesimum tertium: In Psalmum trigesimum quintum: In Psalmum octuagesimum quintum.* Edidit illa Arminianus quidam, *Jo. Maire*, formis nitidissimis; hortatu, ceu ferunt, atq; instinctu *Guil. Henrici Vorstii*, Ecclesiæ Remonstrantium, in pago *VVaermond* Ministri certè doctissimi; cum quo mihi de studio inprimis Rabbinico sermo solet esse creberrimus; quiq; *ineditam Lipmanni perticulam* ex Cod. MSto mecum communicavit benignissimè.

Præterea, dum hæc scribo, in memoriam venit Apologia, qua *Gasp. Barleus* Erasmum in *Bogermanno* 'ΕΛΕΓΧΟΜΕ'ΝΩ strenuè defendit, adversus socerum generumq;, hoc est, *Bogermannum*, Ecclesiastem Leowardiensem, & *Sladum*, Scholæ Amstelodamensis Rectorem; hic enim otii Scholastici omninò pertæsus, uti Theologus aliquando etiam videretur, multa Erasmo crimina impegerat, ac si is *de auctoritate S. Scriptura contemtiùs sensisset; in Spiritum S. fuisset injurius; Arianis favisset.* Quas indignas magni Erasmi criminationes Barlæus *à pag. 46. usq; ad pag. 67.* recensuit, ac summam accusatoris impudentiam egregiè confutavit. Præ cæteris verò hæc ipsa, ut opinor, placebunt verba Barlæi: *Libet adscribere luculentum* Martini Buceri *de Erasmo testimonium. Is in libello suo de Reconciliatione Ecclesiarum in hac verba infit:* At cùm Dominus Ecclesiæ suæ misertus, tantæ ejus ac tàm calamitosæ oppressioni subvenire aliquando vellet, Erasmum Roterodamum primùm in medium produxit; qui magno acumine, vivisq; argumentis, & qua pollebat eloquentia & dexteritate, commonere cœpit, salutem nostram non posse nec reparari, nec conservari ceremoniis, sed vera fiducia in J. Christum &c. *Theodorus quoq; Beza inter primos instaurati Christianismi autores Erasmum locavit. Bellè verò se habet* Reformatorum *res, si is, qui* primus *negotium illud reformationis aggressus est,* Arianus *au-*
„ *diat, & autoritatis S. literarum incertus fuisse credatur.* *UNICUM HOC*
„ *malè habet Sladum, quod videat* *MAGNI FIERI A REMON-*
„ *STRANTIBUS ERASMUM; idq; propter sanioris & moderatioris*

Theolo-

„ *Theologiæ genium, quo totus ejus vernat sermo: Ideoq́, ut tanti viri auctorita-*
„ *tem profligat, impietatis & hæreseos notam illi inurere studet, quò scriptorum*
„ *ejus pretium vilescat apud credulos; & excellens hactenus de Erasmo concepta*
„ *existimatio in discrimen adducatur. Fuit verò hæc, inquit* Erasmus *in Epi-*
stola ad Guilhelmum Waramum, *Archiepiscopum Cantuariensem*, vetus mona-
chorum ac pseudotheologorum conjuratio, hoc agentium, ut libros meos ex-
cutiant è manibus hominum; sed, mihi crede, non habebit successum. *Epi-*
stol. Lib. 19. Et hic quoq́, nostrorum zelotarum candor est, hæc sinceritas, hic irre-
tortus animus, ut viros extra omnem judicii aleam positos, non vereantur floccifa-
cere; tantùm ob hoc, quod idem cum ipsis non sentiant. Et post nonnulla sic
pergit: *Inquirat, inquam, anxius, scrutetur, rimetur, quid reprehensioni op-*
portunum sit; aut quæ aliquando reprehenderunt otiosi isti ventres, recocta reponat.
De nullo melius merebitur, quàm de Romanensium Pontifice. Etenim, quas
ille Erasmi lucubrationes olim, ut hæreticas, damnavit, has nunc pædagogi istius,
& quidem reformati suffragio adjutus, majore cum ratione damnasse credetur.
„ *Sciat tamen, NON DEFUTURUM ERASMO PATROCI-*
„ *NIUM, NON PATRONUM. Neq́, enim tàm malè unquam cum*
„ *humano genere actum fuit, ut virtuti præsidium deesset; neq́, tàm impunè tulit*
„ *unquam improbitas, ut deserta viri boni causa negligeretur. Denique nemi-*
nem fore puto tàm marcidi animi, & prostitutæ quietis amantem, qui hìc silendum
nobis fuisse arbitrabitur. Cùm pluris æstimanda sit istius viri fama, qua integra
suum eruditioni & Theologiæ constat decus; quàm ejus, qui non ante, quàm bono-
rum obtrectator esse cœpit, notus fuit! Apud æquos saltem, quotquot sunt, hæc no-
stra pro Erasmo suscepta dissertatio, professione pietatis aut laudata erit, aut excu-
sata. Hæc ipsa *Barlæi* me commonent de Erasmi laude, qua eùm *Casaubonus* in
Exercitationibus suis Baronianis olim prosecutus, aliquando *summum virum* in-
terdum & *virum magnum* appellavit; quòd librum oppidò insulsum, *de Nativi-*
tate sanctæ Mariæ, multò ante Baronium, *Hieronymi* esse negaverat; deq́; sup-
posititio partu isto veram sententiam protulerat. Huic autem elogio cùm *He-*
ribertus Rosvveydus, Jesuita, in *Scorpiaco* suo (Retalitionis instar contra *Casau-*
boni Legem Talionis) pro Baronii Annalibus scripto obstreperet, *Richardus*
Montacutius istum meritò his objurgavit verbis: *Hic verò Erasmi (ex occasione*
nominati, viri tamen sine controversia eruditissimi) laudes meritas, & commenda-
tionem quamcunq́, vel minutissimam, patienter non ferunt pleriq́, τῶν ἐξ ἐναντίας:
Præcipuè Societatis Patres. Libenter hominem arrodunt, occasionem nacti: Vix
nacti interdum vel levissimam occasionem, studiosè nihilominus calumniantur. E-
ribertus, *vir certè doctus, & alioqui non malus, opinor, æstu quodam abreptus gen-*

tilitio, non semel hac prurigine, sive scabies est, se tentatum ostendit. *Nam cùm* Casaubonus *obiter, ut fit, illum* virum magnum *appellasset, eruditione, industria, ingenio, præstantem:* Quod Erasmum magnum asseras, *ait Taltator*, næ ille major fuisset, si minor esse voluisset. *At quid attinebat hîc Exercitatori obstrepere, de Erasmi illius, magni an parvi, nihil intererat, præconio?* Ac post nonnulla idem Montacutius: *Capacissimum fuerat magni illius Erasmi, rumpantur ut ilia Codro, ingenium.* *Et ut* Scaliger *in Epilogo post libros de Poëtica absolutos ad Sylvium filium:* Fretus ingenii sui magnitudine, multa tractare aggressus est. *Certè quidem multa aggressus est tractare, cùm in sacris tùm in profanis, successu tanto, tàm propitio Numine; ut nisi vir ille viam secutis muniviſſet, hærerent etiamnum in luto lassi &c.* Hæc ille in *Analect. Eccles. Exerc. V. fol. 176. 177.* Liceat nunc, quæso, VIR AMPLISSIME, seriis, non tamen usq; ad cothurnum, jocum etiam, non infra soccum, intexere: Nuper quidam *Amstelodami* ædium suarum insigne *Calvinum* esse voluit; mox eo abstracto *Erasmi* imaginem substituit: Quod cùm secus interpretarentur, queîs nempe religio cordi est, *Erasmo* (cui favent Remonstrantes) migrare jusso, *Calvinus* iterum remigravit.

Sed quorsum excurro? culpa omnis in glutinatoribus istis hæret, qui fenestratum post se Erasmum reliquêre, ab ipso (ceu dixi) *Gronovio*, in Academiæ Daventriensis sacello, tum temporis ostensum. In illius igitur familiaritatem ubi penitiùs me dedissem, postridiè in Bataviam reversus sum. Cumq; recederem à *Daventria*, ad rotundum urbis illius *turrim Noribergensem* (ceu vocant indigenæ) Noribergensibus amicis fausta & felicia quævis precabatur; quorum Tu certè omnium primus ac nobilissimus es. *Hardervicum* exinde repetens, in Philosophum illum, apud nos celebratissimum, *Gisb. ab Isendoorn* feliciter ac *molliter* satis incidi; quo nemo erat comior, nemo jucundior: Nam suavi pariter ac vera allusione. *per glaciem & spinas*, sua liberaliter officia bonis omnibus pollicetur. Et quod maximè in Academia illa sum admiratus, Is *collegarum suorum laudator* fuit *dexterrimus.* Laudabilis hîc Professorum concordia; quæ in urbem (ut dicam cum Nonio) paucies venire solet. Ad Musas Batavas me reversurum ventus adversus in lacu *Flevo* (qui vulgò nunc dicitur, *de Zuyder-zee*) maximo flatu, quasi dissuasor abitus mei, Hardervicum fermè repulit: Verùm, præcipiti jam die, ac vesperascente cœlo, ventum magis idoneum nactus, passis (quod ajunt) velis *Amstelodamum* pervectus sum.

De rebus novis quid scribam? Amstelodamenses mihi narrarunt, quendam pro ædium suarum signo suspendisse NOVAM REMPUB. ANGLIÆ; quàm ancilla petulans in vicinia, domini sui (nî fallor) instinctu, primæ noctis silentio, pice nautica collutulavit, delevit, deturpavitq;: Hac re statim ad magi-

stratum

stratum delata, atq; cognita, non ancillæ solùm petulantiæ multa, sed & temeritatis domino istarum ædium, istac hedera superbientium, meritò constituta fuit.

Academia suum hîc statum tenet: Professores sunt satis industrii, neque infideles, aut exteros fastidientes: Lectionum catalogus (quem pater meus exhibebit) non pictus in porticu Ποικίλῃ paries est; sed omni cura provident, ut illius seriem, sine mora, sequantur. Novissimè Gallus quidam, *Barth. Lectius, Jacobi Nep.* (in gratiam, ceu ferunt, Salmasii) præside *Bernh. Scotano*, *dissertationem* defendit, *qua probatur, in mutuo non dari alienationem.* Singularis & erudita disputatio, sine præside quidem, duce tamen & auctore *Boxhornio*, superiore anno habita fuit à Nobilissimo Juvene, *Francisco ab Aerssen de Sommelsdyck, Plata & Bommelia Domino* (cùm in Lugdunensi Batavorum Academia, emenso studiorum curriculo, ad Exteros esset profecturus) de LEGATO, hoc est, de amplissimo Legati munere & jure. Prodiit anno eodem inauguralis, *de Lege Rhodia de jactu, Jo. Stipelii*: Item, *Antonii Matthæi J C.* Oratio, *pro Lege Constantini M. de Adulteris.* Rariores, vel etiam recentiores, desideras libros? indicabo aliquot, à me comparatos: *Sam. Bocharti Phaleg & Canaan*: D. Coccejì (ut ajunt) *conjecturam de Gog & Magog ad Ezechielis XXXVIII. & XXXIX. Hug. Grotii Dissertationem de Cœna administratione, ubi Pastores non sunt. Item, an semper communicandum per symbola?* Ejusdem *Explicationem Decalogi, ut Gracè exstat; & quomodo ad Decalogi locos Evangelica præcepta referantur?* Ut & *Consultationem de reformandis Horis Canonicis, ac rite constituendis Ecclesiasticorum muneribus.* Sed hæc omnia Grotii, sine auctoris nomine. Scripta ab hoc ipso *Grotio*, adversus Faustum Socinum, *Defensio fidei catholicæ de Satisfactione Christi*, Oxoniæ jam dudum edita fuit, unà cùm *Gerh. Joh. Vossii, ad judicium Herm. Ravenspergeri de hoc libro, responsione.* Latere scias, velim, in occulto adhuc summi illius viri scripta quædam postuma, velut *de pace Germaniæ; de summis potestatibus in Hollandia, & jure Magistratuum in urbibus; de lite Nassaviorum, Geldriam & Juliacum spectante; de provinciis Belgii fœderatis, cum Imperio Rom. Germ. conjungendis*: Multa insuper theologica superesse, vir quidam eruditus valdè affirmavit; nimirum *de summo Sacerdotio; de potestate circa sacra; de modestia & tolerantia, in controversiis Theologorum sententiis adhibenda; de regimine Ecclesiæ Christianæ; de prædestinatione & gratia, variisq; hac de re opinionibus conciliandis; de dogmate uno & item altero, quæ aliquid detrimenti reipub. injungant.* Et alia fortasse cimelia, quibus recensendis vir ille (cujus interim nomini parco) operam aliquando dabit; nisi ab aliis hoc ei amicitiæ munus surripiatur. Nunc verò ad excusos revertar, quos impenso paravi pretio: *Jo. Dartis libros tres de Ordinibus & Dignitatibus Eccle-*

siasticis, in quibus breviter (&, ceu mihi quidem videtur, leviter) *respondetur ad Apparatum Salmasii de Primatu Papæ*: Hujusdem Salmasii (quamvis mutato nomine) *VValonis Messalini de Episcopis & Presbyteris, contra Petavium. Dissertationem primam*: Porrò, *Simplicii Verini ad Justum Pacium Epistolam, sive Judicium de libro postumo Hug. Grotii*: Ejusdem Simplicii *de Transsubstantiatione* ad eundem *contra Hug. Grotium.* De lite trapezitica hæc apud nos schediasmata sparsim circumvolant, de quorum serie certiorem Te ut redderem, petiisti: *Excerpta ex Claudii Salmasii dissertationibus de Trapezitis, & in ea Theologi cujusdam breves notæ*: *Cl. Salmasii brevis confutatio notarum*: *Jo. Cloppenburgii Epistola, qua ad calumnias Salmasianas ex parte respondetur*: *Cl. Salmasii Responsia ad calumniatoriam epistolam Jo. Cloppenburgii.* Illius quoque esse perhibent *ψευδοζήλοιον de Coma dialogum*, in quo *Cæsarius* & *Curtius* interlocutores. Sed nomen suum præfigere haud dubitavit *Specimini Confutationis Animadversionum Des. Heraldi, sive, Tractatui de Subscribendis & signandis testamentis*: Item, *de antiquorum & hodiernorum Sigillorum differentia*: Ut & *Hippocrateo Aphorismo LXIX. Sect. IV. de Calculo*, ad *Beverovicium*, insignem prorsus & Medicum & Philologum; cujus sunt *Epistolicæ Quæstiones, cum Doctorum responsis*: *Idea Medicinæ veterum*: *Epistolica Quæstio de vitæ termino, fatali an mobili*, in *tres partes*, altera editione, divisa. Plerique verò nunc æstuant desiderio legendi *Defensionem Regiam* Salmasii, *pro Carolo I. Magnæ Britanniæ Rege.* Superiorum auctoritate ne imprimeretur, non semel prohibitam. In plurimorum manibus nunc etiam hærent *Observationes politicæ, super nuperis Galliæ motibus*: *Elenchus motuum nuperorum in Anglia, simul ac Juris Regii & Parlamentarii brevis Enarratio*: Nec non, *Sam. Bocharti Epistola, qua respondetur ad tres quæstiones. I. De Presbyteriatu & Episcopatu. II. De Provocatione à Judiciis Ecclesiasticis. III. De Jure ac Potestate Regum.* In quibus de statu Anglicano quàm plurima. Recentiorum accessionem faciunt, *Sulpitius*, cum notis *Drusii*, ac *Hornii*, sanè aureis: *Curtius*, cum notis Variorum, opera *Nic. Blancardi*: *Jo. Fred. Gronovii* varia, quæ separatiùs in Catalogo adjunxi: *Palephatus de Incredibilibus*, cum versione ac notis *Cor. Tollii*; quem, Vossii quondam amanuensem, pleraq; domino suo debere, ajunt. *Justi Lipsii ad Theod. Leeuwvium, Supremæ Batavorum Curiæ Adsessorem, Epistolæ nunc primùm editæ*, curante Boxhornio: *Marci Antonii Dominici, S. Consist. Consiliarii, & ordinarii Regis Historici, de Treuga & Pace, ejusq; origine & usu in bellis privatis Dissertatio*, Parisiis, anno superiore, excusa. In raritatibus ponendas quoque censeo Inscriptiones illas tredecim, ad ripam oppidi *Domburch* (quod in *VValachria*, Zeelandiæ insula, situm est) d. 5. Jan. A. C. 1647. repertas; quas æri incisas (quoniam in his crebra DEI NEPTUNI, & DEÆ

& DEÆ NEHALENNIÆ mentio) singulari libello Belgico, ex parte interpretatus fuit Boxhornius, cœruleo hoc usus titulo: *Bediedinge van de tot noch toe onbekende Afgodinne*, NEHALENNIA, *over de dusent ende ettelicke hondert Jaren onder het Sandt begraven.* Id est: *Significatio incognitæ hactenus Deæ*, NEHALENNIÆ, *mille & centenis aliquot abhinc annis contectæ arenis, atque sepultæ.* Scripsit & Responsum ad quæstiones nonnullas de eadem Dea sibi propositas: *Antvvoord, gegeven op de Vraghen hem voorgestelt over de Bediedinge van de Afgodinne*, NEHALENNIA. Hunc ego libellum ex Belgico verti Latinè, suasu auctoris; neque me suscepti laboris pænitet, utpote qui mihi quasi magister fuit in idiomate hoc maturiùs perdiscendo. Idem Boxhornius *Chronicon Hollandiæ, Zeelandiæ, ac VVestfrisiæ, à Jo. Veldenario ducentis (& quod excedit) annis abhinc scriptum*, lingua quoq; patria emisit, & annotationibus illustravit. Verùm, ne fasces librorum venalium exponere videar, finem hîc ego faciam.

Dan. Heinsius, & *Bernh. Scotanus*, & *Georgius* ille *Andreas Richterus* plurimum Tibi salutem verbis meis nuntiant: Hic Palatinus (quem nosti) vocum singularium ex N. T. collectarum collegium aliquod Amstelodami nunc meditatur. De cætero magnas, Amplissimo Filio Tuo pro commendatitiis ad Gronovium (cui me solus insinuavit) gratias ago, quas perhibere non queo: Is ipse hactenus in Athenis Batavis me visitavit; & sæpiculè Musas meas se revisurum, promisit. Veniam his da, oro, ceu sinistram implentibus; quas dextra stipulata, cùm discederem, certò pollicitus sum. Bene vale, VIR EXCELLENTISSIME, cum Tuis omnibus: Saluta veterem & amicum & hospitem meum, Excell. Dn. Jo. Fabricium, generum Tuum clarissimum.

Lugd. Bat. a. d. 2. Aug.
A. S. clↄ Iↄc L.

GEORGIUS RICHTER
M. Christophoro Arnoldo,
S. P. D.

TRimestre est, quod excurrit, cum à Parente Tuo, Viro Reverendo optimoq; literæ Tuæ longè mihi acceptissimæ redditæ sunt: Ad quas volebam respondere citiùs, sed brevi post vagæ arthritidis, sive panagræ, doloribus vel continuis, vel recidivis impeditus, ita ut hactenus vix semel iterumq; domo egressus sim, ære isto Tuo liberare me nondum licuit. Certè beasti me literis Tuis dulcissimis, quibus omnia, quæ de *Hollandia*, & cumprimis *Academiæ Lugdunensi*, statu scire avebam, tàm accuratè scripsisti; Eaq; inter, quo maximè gavisus

visus sum, quod *Heinsius* & *Scotanus*, Heroës Excellentissimi, hodieq; valent & vivunt; quos ambos ante annum vita defunctos fama mentiebatur. Ab utroq; ego & filius amari porrò cupimus, & per occasionem utriq; salutem & officia per Te nunciari rogamus. *Gronovio*, virtute & eruditione ante cæteros quod placemus, magnam felicitatis partem æstimamus; quem de meo filiiq; amore & honore erga se, quàm diu vivemus, certum esse, quæso, jubeas. Scire velim, quid ingenium ipsius præclarum, & non nisi ad maxima natum, inter istos fœtus, quos meritò laudasti eximios, de *Papinio Statio*, literato orbi promittat, quem
„ *manuscriptum* ante aliquot annos ipsi misimus. Quod etiam *Erasmi*, viri
„ absq; exemplo summi, opera tàm feliciter de novo in lucem prodeunt, est
„ profectò, quod omnibus solidæ pietatis atq; eruditionis studiosis gratule-
„ mur; eò magis, quò acriùs hostes veritatis & prudentiæ, in Germania præ-
„ sertim, divinas viri dotes, omni invidia majores, bonis invident; & nec tan-
„ tus thesaurus pluribus communis fiat, omnem lapidem movent, nulliq; pecu-
„ niæ, in coëmendis & supprimendis ejus operibus, parcunt. Sed benè est,
„ quod vel paucos Numinis benignitas in bonum publicum excitat & fovet,
„ quò plures in studio pietatis non fictæ & doctrinæ sanioris habeant, quod fe-
„ liciter imitentur. Ulli bono sinistram de ERASMO opinionem animo se-
„ dere, fieri non potest, qui scripta illius non mutilatim, sed integrè, & cum
„ primis *Tomum IX. qui totus apologeticus est*, legere non detrectaverit. *Barlæi Bogermannum* ἐλεγχόμενον sumtu meo vel mittas, vel ipse ad nos rediens afferas, rogo. Ut gratum quoque fuit, quod de Græco *Georgio Andrea Richtero*, filii mei amico, scripsisti; ita etiam gratissimum erit, si plura præsertim de collegio ipsius N. T. addideris. Nolim enim posthac scribere ad me desinas, etiamsi vel occupationibus publicis, vel invaletudine districtus, non semper, vel non statim respondere queam. *Hugonis Grotii*, viri incomparabilis *tomos duos Annotationum in N. T.* sine dubio, vidisti, quos magna cum admiratione legi. Et quia in præfatione secundi etiam *tertius* promittitur, & quæ ibi *in Apocalypsin* notavit, num tertius ille editus, vel quid spei de illo sit, quàm diligentissimè inquiras, meq; certiorem reddas, velim. Vides, qua libertate Tecum agam, virtute Tua atq; eruditione non vulgari fretus. Sed eadem quoque Tibi erga me uti licebit, neque fidem fallam. Plura forsan aliàs, quia tempus nunc non sinit. Vale igitur, & à filio meo quàm plurimùm salve.

Dab. Noribergæ, ad d. VII. Februarii,
A. S. clɔ Iɔc LI.

Viri

Viro Summo,

DN. D. GEORGIO RICHTERO

Christophorus Arnold

S. P. D.

IN cœlo sum, MAGNIFICE DOMINE, quod literarum (quæ magni cujusdam hominis & persapientis primo statim intuitu videbantur) Tuarum beatitudo in me tantillum benevolentiam suam navare voluit. Mirificam sanè voluptatem ex illis cepi, & pergratum hoc fuit, quòd ea, quæ scire avebas, dante & dictante (si credere fas sit) Fortuna, perscripsi. Ceterum officii mei haud immemor, satis instructus, & ad responsionem intentus eram; sed amicas quasdam à *Schotano*, quas sponte sua ad Te dare promiserat, diu quidem expectavi, nec dum impetravi ab eo, qui subfarcinato negotiorum pondere semper oneratus ac prægravatus erat. At enim amori Tuo, Mecœnas Optime, lubens ac meritò, vel sine illis, jam nunc respondeo; ne inhumanus, & (quod super omnia est) impius fortasse videar. Resalutatione Te impertit magnus ille HEINSIUS, rogans insuper, ut prisco favori Tuo se commendem. Venerandus Sacerdos ille Juris, D. SCHOTANUS, salute accepta redditaq;, gavisus, & (quod, Tulliano judicio, haud decet) tantùm non lætatus fuit, amicos in Germania superesse adhuc, qui benè ipsi cupiant. Ecquid de GRONOVIO Vestro referam? Is ipse (quem vel nominasse sufficiat) hac septimana, cum amicissimis literis, *Monobiblon Observatorum è Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis*, Daventriæ recèns editum, ad me misit; RICHTERORUM mentione non intermissa, quibus Observatorum exemplum se offerre, significavit. De amicitia Vestra (peropportunè enim literæ undequaque venerant, quod à me in omen magni amoris acceptum est) in responsoriis meis certissimum esse jussi. De Gronovianis (quæ quidem in nuperrimis enotavi, sed nescio qua incuria deperierunt) sic iterum habe: In *Papinii Statii libros V. Sylvarum Diatriben* jam dudum edidit, & *Cruceo*, Parisiensi Philologo, crucem in ea (ac fortè per decussationem, ceu loqui amat Vitruvius) sæpissimè fixit: Neque is eandem divellere in *Sylvarum Frondatione*, sive *Antidiatribe* sua supersedit. Tandem Gronovius *Elenchum Antidiatribes*, cum Cl. Salmasii epistola, *Frondatori* feliciter opposuit. Nuper etiam Amstelodami, erudita ejusdem cura *Agellius* longè emendatior, quàm antè, prodiit. Jam verò secundæ curæ in *Livio* tantopere sub manibus excrescunt, ut quis earum finis futurus sit (ceu ipse fatetur) nondum prævideat. De statu Academiæ hujus celeberrimæ hæc porrò accipe: Rector magnificus

ab Illuſtr. Fœderati hujus Belgii Ordinibus conſtitutus fuit *Jac. Golius*, Matheſ. & Arab. Ling. P. P. præceptor meus (cui me non pauca debere, libenter prædico) fideliſſimus, chariſſimusq;. *Valckenborgio*, celebri Anatomico, *Hornius*, Belga ſucceſſit; qui brevi temporis ſpatio tria inſignia ſpecimina, ſecando homicidam, Leydæ ſecuri percuſſum, & infantem ſpurium, ob matris fugam, ſubſtillo (ut voce Varronis utar) ſanguinis, ex umbilico negligenter defluentis, exſtinctum; & gravidam matrem (ſordidi cujusdam Wallonis conjugem, eo venditam pretio, quo viva iterum ac vivida bene emitur) unà cum partu ἑπταμήνῳ (qui JCtis legitimus, & ex *Ambroſii* ſententia *Epiſt. XXXIX.* occulta ſeptenarii virtute præditus eſſe perhibetur) præclarè, inquam, ac luculenter edidit. *Simon Vinnius*, Arnoldi F. Prof. Juris extraordinarius, titulos duos D. de R. J. & V. S. explicare cœpit: Orationem verò inauguralem habuit *de Romanorum Sapientia, qua uſi tùm in jure conſtituendo, tùm in eo reddendo interpretandoq;*. Cæterum ne nova *Renati des Cartes* philoſophemata ſic interirent, acutiſſimus Ejusdem Diſcipulus, *Jo. de Raey*, Doctor medicus, publicè hîc docere juſſus eſt, inaugurali etiam oratione habita, *de Gradibus & Vitiis notitiæ vulgaris circa contemplationem Naturæ, & officio Philoſophi circa eandem.* Subtiliſſimus rei medicæ indagator, *Lindanus*, è Franeckerana huc evocatus, quotidiè expectatur. *Biſterfeldium*, qui Theologorum quadrigam hîc implere debebat, Transſylvaniæ Princeps abire haud patietur. *Boxhornius* tertia pomeridiana *Vellejum* (ſepoſitis *Taciti Hiſtoriis*) discurſibus politicis illuſtrat. *Rivetus*, rivi inſtar, ex oculis viventium, Bredæ, effluxit, ipſo Epiphaniæ feſto; cùm paullò ante cygnos in hoc imitatus, divinam prorſus *de Senectute Bona*, ad Guilelmum fratrem, apud Santones Paſtorem, epiſtolam ſcripſiſſet.

Nunc publica quoque attingam: Fœderatum hoc Belgium Principi ſuo ſatis amplum funus ac ſplendidum maturè faciendum curavit a. d. VIII. m. Mart. ut ſumtus aulici contractiores fierent. Exſequias funeris proſequi unus & item alter recuſarunt, ob inverſum iſtud Comici: *Ibo præ, ſequere!* Legatus Hiſpanicus (cum ea de re verbis diſceptaſſet) Bruxellas tandem ſe contulit, aliquid regii muneris ibi expediturus: Gallicus altero die ſuperveniens, ſolus Legatorum funus ire dubitavit. Præter Fœderatus itaque Status neminem videre licuit, niſi Regis Angliæ filium, Luſitaniæ Principem, & (ſi benè memini) Electoris Brandenburgici Legatum, inſignem certè virum. Defunctum pro roſtris Academicis laudavit *Boxhornius*, oratione ſatis politica; rebusq; Hollandicis, Hiſpanicis, Indicis, aliis refertiſſima, quas typi (credo) referre haud ſuſtinebunt. At ſingulari arte dicendi uſus, morbum reticuit. Equi Principis, hinc inde in portis urbium, venales leguntur. Illud præ cæteris memoria dignum eſt, cum juſta

eſſent

essent solvenda funeri, vi subita aquarum, aggeres Amstelodamensium (quibus singulari artificio occlusis, undiq; turgescentibus hostes solent eludere) tribus in locis disruptos divulsosq; fuisse. Tanta exinde torrentis copia fuit, in ipsa urbe, ut in porticus mercatorum ascenderet; utq; extra urbem amœnissima Tempe, *'t Timmer-meer*, molis aquariis ante decennium evacuefacta, funditùs convelleret; ac profunda submersione ædificia pulcherrima penitùs disperderet. Ex abundanti nunc adjicio literas Principis, in quibus caussas obsidionis Amstelodamensis Ordinibus Potentissimis olim exposuerat, nec solutas, nec recitatas fuisse; sed è vestigio auctori earundem remissas, ne scilicet responsoriis conamen istud probare, vel improbare tenerentur. Superiore septimana Legatus ordinarius simul ac extraordinarius (cum Lusitanus eo ipso momento discederet) ex nova rep Angliæ Hagam Comitis commearunt: Ille *Anglicano* sermone usus in augusto consessu, responsum *Belgicum* tulit. Belgæ enim integram vernaculæ suæ majestatem, more veterum Romanorum, servare amant. Longè aliter Legatus Lusitaniæ, qui ibidem dixit Latinè, & quidem (ceu ferunt) tersissimè: Sed nescio quî factum sit, ut illicò excesse juberetur ab illis, penes quos facultas erat bellum indicendi gravissimum. Vetus hic mos est Germanorum (nec non Belgarum hodiè) de quibus ita Tacitus: *Erumpentibus paulatim indiciis, quæ Germani, læta bello gens, non diu occultaverant. Lib. IV. Hist.* Sic pleriq; Belgarum exteras libenter petunt nationes, *si civitas* (ait idem in de Mor. Germ.) *in qua orti sunt, longa pace & otio torpeat: Quia ingrata genti* (Batavæ) *quies, & faciliùs inter ancipitia clarescunt; magnumq; comitatum non nisi vi belloq; tuentur.* Exteras, inquam, nationes dum invadunt, sæpiùs prodesse patriæ suæ, quàm obesse solent. Tantum profectò abest, ut, etiamsi adhuc Fabius aliquis in sinu bellum pacemq; portaret, pacem eligerent; ut potiùs succlamarent cum Pœnis: *Bellum*; dummodò non civile fuerit, quod maximè reformidant. Angliæ Legatus extraordinarius mox ad suos revertetur, ut nunciet Parlamento, quàm acceptus hîc sit Ordinarius, qui ultra centum itineris sui comites secum adduxit: Metus enim non fallus subest, ne Dux Eboracensis, Regis occisi filius (qui, suasu amicorum, Bredam cum suis abiit, graviore animi impetu, dolori & iracundiæ parens) ne parricidium ulcisci studeat: Cumprimis ob extraordinarii istius præsentiam, qui & regiæ cædis judex extitit. Hinc omnes famuli ejus, & cursores, gladios benè longos, non lateri accinctos, sed erectos in dextra gerunt; brevioribus sclopetis haud destituti.

De rebus, eruditionem spectantibus, hæc accipe: *Jo. Miltonus*, Anglus, *Defensionem* (ceu vocant) *pro populo Anglicano*, contra *Salmasii Defensionem Regiam*, suo nomine divulgavit: Elzevirii *Tractatum Pacis inter Hispanum &*

unitum Belgium Monasterii, ut & Germanica Osnabrugis inita emiserunt: *Nic. Petrescii Vita, per Petrum Gassendum descripta*, juxta exemplum Parisiense recuditur. *H. Grotii Tomus tertius Annot. in N. T.* unà cum libris *de Ver. Rel. Christ.* Parisiis editus prostat: Ut & Hujusdem postumus. *De imperio magistratus politici circa sacra*, cum scholiis *Dav. Blondelli*, ac *judiciis variorum Theologorum. Jac. à Comite*, Batavus, succinctum *Juris municipalis commentarium ad L. non dubito, D. de Capt. & Postlim. Reverſ.* concinnavit, in quo mores & instituta Fœderati Belgii (si quidem titulo fides) vicinarumq; regionum passim illustrantur. Prælo nunc subjecit *Dav. Blondellus* (cujus familiaritas & amor in literis valdè me delectat) volumen primum *Eversionis Vindiciarum Hispanicarum*; quas *adversus Regis mei* (ait) *gentem & dignitatem per orbem Christianum disseminavit* (sit venia verbo, Vir Prudentissime!) *ardelionum nequissimus*; *quem pro suo merito excepturus sum.* Pro gradu Doctoratus disputabit *Adolphus Thomasius, Indo-Batavus*, quem mireris, *de testamentis privilegiatis.* Modestiæ singularis, sed (ob aëris nostri crassitiem) tenuissimæ valetudinis Indus is est; quare in patriam suam, hoc est, Bataviam Indorum, ocyùs redire festinat. De *Barlæi Bogermanno* (qui quidem rarior est) videbo; si occasio erit, ac tempus. De Græcis Richteri studiis, propter abitum ejus, plura scribere non habeo; meis interea Musis canens, inq; Gallica simul, ac Anglicana lingua operæ plurimum consumens. Inter hæc Deum pro incolumitate Tua, Mecœnas Maxime, non rogo solùm, verùm etiam obsecro, ut planè valeas.

Lugd. Bat. a. d. IV. m. April.
A. S. cIↄ Iↄc LI.

Viro Magnifico,

DN. D. GEORGIO RICHTERO

Christophorus Arnold

S. P. D.

PRidem est, VIR EXCELLENTISSIME, quod Te literis non compello; partim quia majoribus semper adstrictus, nova Tibi ipse negotia importas, liberaliter dextreq; in Rep. obeundo officia: Partim quia longulum iter emensus, visendi fermè caussa usq; adhuc in commeatibus fui. *Brabantiam* mense Junio peragrans, *Altdorffina* natalem in *Lovaniensi* Academia celebravi; cùm die festo *Petri & Pauli* ligneum, velut in sella curuli, Petrum suspiriosi aliquot vitiorum ministri circumgestarent. *Bruxellis* ego deveni, aut potiùs commodè incidi in *Laurentium Chiffletium, S. J.* vel Lælio comiorem; qui me

grata

grata ſalutatione *Præpoſito* Societatis *Mechlinenſi* commendavit. Hic inter cætera memoratu digna, in horto, ad canalem, ſive foſſam aquariam, Jo. Friderici Electoris, à Carolo V. capti, carcerem oſtendit. In Bibliotheca Societatis *Orationes Tuas*, non ſine laudatione, commonſtravit; de auctore earundem doctiſſimo diligenter anquirens. Itinere hoc per *Brabantiam*, & limites aliquot Flandriæ (nam ob ſubitas Gallorum excurſiones pedem ulteriùs proferenti eſſe haud licuit) via ſatis æſtuoſa citiùs confecto, *Roterodamum* repetii; ibiq; navem prætoriam a. d. VI. m. Jul. conſcendi, qua in Angliam a. d. X. velis ſecundis advectus ſum. *Londini* aliquandiu commoratus, in *Oxonienſem* primò Academiam, dein *Cantabrigienſem* me contuli, novis Clariſſimorum virorum amicitiis ubiq; coràm, vel in literis uſus. *Londini* magno *Seldeno* familiariter utor, qui me in Bibliothecam ſuam inſtructiſſimam libenter admittens, nonnunquam in hortos, ad Tameſin ſitos, deducit; ubi rariores & Græcorum & Romanorum inſcriptiones, lapides, marmora: Quæ legiſſe, eſt Græciam ſimul ac Italiam in Magna perluſtraſſe Britannia. E Bibliotheca *Cottoniana*, cui is præeſt, inſignia Angloſaxonum MSSta aliquoties communicavit; & tabellas commendatitias ad Bibliothecarium Oxonienſem, *Jo. Rous*, virum certè humaniſſimum, ultrò mihi obtulit. Præterea in *Jac. Uſſerii*, Archiepiſcopi Armachani, totius Hiberniæ Primatis, familiaritatem penitùs intravi; cujus ſingularem humanitatem, an divinam potiùs memoriam mirari æquè ac venerari debeam, incertus ſum: Nam è Græcis Latiniſq; Hiſtoricis (dum de antiquitate ſermo ſit) integras ſæpè paginas incunctanter recitat. *Jo. Duræus* prope Weſtmonaſterium σύγκαπνος meus factus eſt, Vir ex ipſa, ceu noſti, comitate natus, & nunc deſignatus Bibliothecæ quondam Regiæ, in aula Jacobi, Cuſtos; inibi enim ſacellum eſt, pro Sponſa (ceu narrant) Hiſpanica olim exſtructum, in quo nova librorum pegmata jam conſtruuntur. Regios inſpiciendi Codices ſpes quidem affulgebat; ſed Duræus ſine deſignatione libros, quos acervatim ei obtrudere quidam conantur, accipere ſeriò recuſavit: Ferunt enim, præclariſſima Bibliothecæ illius MSSta Legato Batavo, ſtatim poſt mortem Regis, dono oblata, & negligentiùs habita fuiſſe. Cæterum Vir ille, cui profectò pectus ſapit, ſingulis fermè diebus cum Parlamentariis convivit; mihiq; ſermonis communicatio de novæ Reip. ſtatu cum illo ſolet eſſe creberrima. Hujusdem ſtrenuus Defenſor, *Miltonus*, libenter ſe in ſermonem dat, pura ejus elocutio eſt, & ſcriptio terſiſſima. De antiquis Anglorum Theologis, horumq; in S. Scripturæ libros commentariis (ipſam eruditionem teſtor) ſanè doctiſſimis, durius ſaltem, ſi non iniquius judicare judicium, omninò is mihi videbatur. *Jo. Greaves*, Aſtronomiæ Profeſſor, Arabicæ Perſicæq; linguarum peritiſſimus, in *Oxonienſi*, me

quoq; diligit, & curat. *Fr. Junius*, Gerh. Jo. Vossii affinis, Vir literatissimus, Anglosaxonicæ linguæ elementa, ut & Lexicon Anglosaxonicum editioni parans, mecum omnia communicavit benignissimè, item *novorum ac renovatorum Operum Gerb. Jo. Vossii* (quæ ille, unà cum filio Isaaco, sedulò curabit) *syllabum* exhibuit; quem his inserere, non piget: *Origines, novem voll: De Vitiis Sermonis libb. X. De Arte Grammatica: De Poëtis Græcis & Latinis: De Philosophia: De Philosophorum Sectis: De Manichæis & Stoicis: De cognitione sui: Ars historica: Isagoge in Chronologiam sacram: Theses Theologicæ: Progymnasmata: Harmonia Evangelica de passione & morte Christi: Diatriba De Resurrectione & Ascensu Christi in cœlos: De Miraculis Christi: In Epistolam Plinii de Christianis, & Edicta Cæsarum adversus Christianos, Commentarius: De S. Scripturæ, ac veterum Theologorum lectione, ad pacem Ecclesiæ componendam, Dissertatio: Dissertatio epistolica de jure Magistratus in Ecclesiasticis: De Gradibus ministrorum Ecclesiæ, & de Episcopis: De Primatu Petri, & sedis Rom: De Idololatria, ac præcipuè Pontificia: De Theologia Gentili*, quam nondum integram habemus. *Οἰκονομία*, sive conspectus universi operis de *Theologia Gentili*, & *Physiologia Christiana*, hic ipse est:

CULTUS
- proprius
  - *substantiæ*
    - *Spiritualis*, ut Dæmones, aut Genii, de quibus, *lib. I.*
    - *corporeæ*
      - *particularis*
        1. Cælestis, aut elementaris, *lib. II.*
        2. Meteorum, hominum, quadrupedum, avium, *lib. III.*
        3. Piscium, serpentium, insectorum, *lib. IV.*
        4. Plantarum, *lib. V.*
        5. Lapidum, ac metallorum, *lib. VI.*
      - *universalis*, sive totius mundi. } de quibus *lib. VII.*
    - partim *spiritualis*, partim *corporeæ*. } de quibus *lib. VII.*
  - *accidentis*, sive affectionis corporeæ, *lib. VIII.*
- symbolicus, *lib. IX.*

Præterea *D. Guil. Petty*, artis Medicæ Londini, in Collegio Greshamæo Prof. de admirandis Naturæ, & instrumentis mechanicis, aliquot Ἀγάλματα, cum quadam illecebra & voluptate utiles, mecum habuit. Nobilissimus *Dn. Foxius*,

Foxius, olim *Comitis ab Arundell*, ad Invictissimum Imperatorem nostrum Legati, in itinere comes, velut admissionalis, *hortos Arundellianos* ita mihi aperuit; ut omni tempore statuas, imagines, marmora, inscriptiones, urnas, & vasa varia perlustranti pateant. *Mericus Casaubonus*, in rure amœno & suburbano degens, per literas mecum sermones miscet. Cæterum dedi me sic in consuetudinem *Hermanni Mylii*, Illustr. Comitis ab Oldenburg, ad Anglicanam Rempub. nuper Legati, ut sæpè unà vivam, quoniam propè à meis ædibus est. Apud illum coitio hominum clarissimorum, velut Gallici illius Concionatoris celeberrimi, *Jean D'Espagne*, *Durai*, Secretarii Hollandiæ, aliorum. In Academia *Cantabrigiensi*, Vir peramans mei, *Abrah. VVhelocus*, Arab. atquę Anglosaxonicæ Lingg. Prof. & Bibliothecarius publicus, Codices MSS. cumprimis Græcos, ut & Regum Chartas, ad Academiam matrem scriptas, perlibenter mihi impertit, ex eadem Bibliotheca publica, aliquot Episcoporum Bibliothecis mirificè hactenus aucta. Hujusdem commendatione gratiam adeptus sum inspiciendi illustres in *Domo Petri*, *Collegio Reginæ (Queens-colledge)* & *Collegio Johannitico* Bibliothecas, thesauris MSStorum refertissimas. Obstupui in *Johannitica*, cùm mihi magnam *sacrorum* librorum *Graecobarbarorum* copiam ostenderent, à benefactore quodam Anonymo, suasione *Richardi Sybbes, S. Theologiæ Professoris, & hujus Collegii quondam Socii senioris, A. D. 1628.* dono oblatorum. Hîc etiam *libros Chinenses* videre licet, imaginibus, historicisq; lineamentis pulchrè distinctos: Item *Maimonidis Sophne Torah, voll. quatuor*, Venetiis, in charta cærulea, impressos; ubi plurimas conspexi περικοπάς, nefaria Recutitorum manu leviter deletas. In Bibliotheca publica ipsius Academiæ, velut inter ignes Luna minores, *Lexicon* emicat *Syro-Arabicum MS. Bar Bahlull:* Omnia in hoc opere Syriaco charactere descripta sunt; nisi quod *minoribus Arabica, majoribus*, verò *Syriaca*. Celebris ille apud Anglos Philologus sacer, *Bodvvellus*, eidem Bibliothecæ *Lexici Arabici volumina septem*, conscripta manu sua, unà cum typographia Arabica, legavit.

De utriusq; Academiæ statu hæc accipe: Multi studiosorum milites jam evocantur; cumprimis autem in *Oxoniensi*, & quidem in *Collegio Christi* è sexaginta studiosis tantùm undecim nuper relicti sunt, qui nomen militiæ dare recusarunt. In hujusdem Collegii sacello fenestræ diversicoloribus distinctæ picturis, ob ingens nempe scandalum, ab istis removebantur, qui libertatem conscientiarum anxiè defendunt. Tectum plumbeum de *Æde Christi*, ibidem A. C. 1641. exstructa, miles dejecit; quòd glandibus fundendis aptum esset: Nam Ulpianus vester (ignosce quæso loquacitati, Vir Prudentissime!) *publicum jus etiam in sacris* ait *consistere. Quare & populus ipse mutata voluntate potest* ex

ex sacro profanum facere; quod non obscurè indicant JCti, Paulus & Venulejus. *Et temporum necessitate* (inquit Hugo ille Delphicus) *videmus res sacras ab his, qui sacraverant, in belli usus conversas*; ut à *Pericle* sub pollicitatione restituendi tantundem, à *Magone* in Hispania, à *Romanis* bello Mithridatico, à *Sulla*, *Pompejo*, *Cæsare*; quidni igitur & à *Cromvvello* in Anglia? *Caussa hujus rei est* (quam idem *Hugo lib. III. de J. B. & P. cap. 5. §. 2.* indicat) *quòd, quæ sacra dicuntur, revera non eripiuntur humanis usibus, sed publica sunt; sacra autem nominantur à fine, cui destinata sunt.* Sed quid in epistola disputatione opus est? Socii Collegiorum ex antiquissima ac *Regia*, quæ *Cantabrigia* est, Academia, catervatim in *Oxoniensem* transcurrunt; cujus Cancellarium Cromwellum esse scias. Doctiores è Collegiis interdum suis proscribi, vulgò quidem queruntur; sed & duriusculè, ni fallor, de hac Angliæ metamorphosi loquuntur. Non ita pridem (Cantabrigiæ Socius Collegii Immanuelis, *Guil. de Sancta Arte* (aliàs, *Sancteraft*) ab actu ac beneficio remotus fuit; quod sermonem ad Clerum habens de *ἱκανῷ*, aculeatis dictis usus esset. Manuscriptum non sine magno labore nactus, hæc inter alia, statim in procemio, observavi: *Probè hoc intellexit* (scilicet, *religionis incolumitatem sine studiorum auxilio nunquam durare posse*) *qui nihil omisit, quo rei Christianæ jugulum peteret, magnus ille Gehennæ institor, ingeniosè nequam Apostata*, Julianus; *qui post excussa omnium inferorum scrinia, post sollicitata in consilium ipsa Satanæ profunda, hanc tandem instituit, perdendo ex hoc orbe Christianismo, viam maximè compendiariam; interdixit literarum studia.* (Theod. lib. III. c. 7.) *Ingemuerunt ad hunc ictum prisca Ecclesiæ proceres, &* Diocletianum *crudelem cum sanguinario* Caligula *certatim refodiebant. Priores persecutiones fortiter, ut potuerint, tulissent; mortem sub omni forma spreverant, catenas & carceres, cruces & patibula, flammas & vivicomburia ex alto deriserant; & obseratas scholarum januas, disciplinarum portis obductum pessulum, linguarum & artium studiis præclusos aditus videre. Enimverò ex illis decem primitivæ Ecclesiæ malis hoc nimio pessimum, & ex omnibus procellis fluctus verè decumanus. Faxit clementissimus Deus, in cujus tutela est utraq; Academia servanda (vovemus) ad instar pupillæ oculi; ut nemo unquam inter nos resurgat* Julianus *viribus, Academiarum simul & religionum hostis juratissimus. Sunt certè quàm plurimi & lippientes oculi, qui limis nos intuentur Academicos, & libentissimè* lumina Israëlis *vellent exstingui, vespertiliones & noctuæ, obscœna & inauspicatæ volucres, tenebrarum amasiæ, Soli ipsi maledicentes, & rebelles luci.* Greenwodus *quidam &* Barrous, *schismatis quondam doctores & primipili, regnante B. M. Elizabetha, etiam illam Reginam clàm sollicitabant, ut utrumq; Angliæ oculum effoderet*, utramq; aboleret Academiam. *Liberavit nos tum tempo-*

temporis bonus Deus à timore (Pſ. 91, 5.) *nocturno; at væ nobis hodiè à ſagitta volante in die. Fuerunt veteres illi literarum hoſtes timidi & meticuloſi, inſtar negotii ambulantis in tenebris: At volitant hodiè in clara luce, inſtar dæmonis meridiani; gliſcunt audacia, & aperta fronte non verentur profiteri, ſe eſſe infenſos Academiis, invidi Philiſtæi; qui, quos foderunt patres noſtri p.m. puteos aquæ vivæ, ſtudioſè obruunt, & humo opplent; & per ſubterraneos meatus, derivatis aliò fluminibus, proprios hinc agellos clàm fœcundant, & reddunt irrigatiores. Oh, quàm miſerè capiunt nos illi miſeros, & proinde clamant ex alto cum illo Calebo,* Joſ. 15, 16: Quicunq; percuſſerit Kiriath Sepher, urbem librorum & literarum, huic dabo Achſa filiam meam uxorem! *Ecce autem ut delabitur ex aſino ſuo procax & avara fœmina, &* dediſti, *inquit,* mihi terram ſiccam; da etiam irriguam, & Auſtralem, v. 19. *Nimirum ſanguiſugæ huic datæ ſunt filiæ, OFFER & ADVEHE.* Prov. 30, 15. *Nec ſatis huic unquam gurgiti fiet, donec* utriq; fonti *apros immiſerit, utrumq; penitùs depleverit. Sed nolo eſſe unguis in ulcere. Hoc tantùm dicam: Vulnera piam matrem, membranam capitis ſic dictam, perit cerebrum, homo moritur extemplò. Læde almam matrem, & doctrina omnis it peſſum, & cum doctrina omnis unà ſacerdotii dignitas, omnis pietatis cura.* Hactenus Guil. de Sancta Arte.

Lectiones æquè ac diſputationes publicas inter hos armorum ſtrepitus per triennium jam conticuiſſe, perhibent. In privatis verò Collegiorum Oxonienſium diſputatiunculis tantam *Ariſtotelis auctoritatem* eſſe ajunt, ut ſi quis opponendo eam infringere, aut vilipendere ſuſtineat, ſolidos quinq; Anglicanos (hoc eſt, Philippicum unum) ſolvere omninò teneatur. Profectò ſi tantum S. Scriptura, quantam Ariſtoteles, in Anglia gravitatem haberet, non tot ſchiſmaticorum maledictis figeretur.

De *rebus Eccleſiaſticis* quid ſcribam? Dominantur nunc in Eccleſia *Independentes*, qui plerunq; coram magiſtratu ac primoribus concionantur. Hi quidem in ſupremo Pauli templo, *Presbyteriani* autem in ſubterraneo, conciones ſuas habent. Venalis illorum eloquentia omne exercet forum, ubi ſermones (*the Speeches*) ad recens iſtoc negotium accommodatæ, inſanùm magno clamore venduntur. Ex utraq; Academia, variiſq; regni provinciis concurrunt Theologi, coram Parlamento, non ſine hujus indulgentia, declamaturi: Sic enim parochiarum, munerumq; Eccleſiaſticorum numerum augent, ut *diverſis in locis* tot ſimul ſpartas obtineant, quot ad *hexametrum*, vel etiam integrum *diſtichon*, voces requiruntur. Hæc nempe officia accepiſſe fertur *Dn. White*, juxta hunc verſiculum:

Uſury, St. Dunſtans, Pauls, Chriſtchurch, Salſbury, Windſor.

Sequentia consecutus est *D. Hill*, secundum hoc distichon:

VVestminster, Martins, Assembly, Trinity, Tichmarsh,
Michaël, Procan, sede vacante Mary.

Rariores hosce in Cantabrigiensi versiculos ea Tecum benevolentia communico, qua nuper istos à fidissimo accepi. In custodia nunc XL. Sacerdotes habentur; atq; in vinculis servantur conjurationis, ceu vocant, duo vel tres auctores ad judicii diem: *D. Draco, M. Christophorus Love,* & vir quidam nobilis, *Iohn Gibbons*, in quos supplicia propediem constituentur. Dux Independentium, *Hugo Perrus*, aliiq; homines (ceu quidem videntur) sacri, centuriones & primipili fiunt, & antesignani; qui ordines Londini, & alibi, ducunt. *Hugo* iste cohortem in *Hibernia* habet, cujus fortitudinem ipse imperator Cromwellus in tantum prædicat, ut vel solum hunc concionatorem militibus centum potiorem ducat: Hunc enim semper in aggere occupando primum reliqui è vestigio insequuntur; ita ut jam aliquot in Hibernia urbes hac ipsa alacritate ceperit. Enthusiastæ ac Fanatici, die Dominica, finitis (ut ajunt) concionibus, quarta vespertina, privatæ pietatis exercitia instituunt: Opifices quatuor in via latebrosa (quam angiportum S. Laurentii, *S. Laurentzlane*, nominant, aliàs nunc vulgò, *viam hæreticorum)* prope Tamesin ex ordine concionantes hac septimana audivi; qui sese κατ' ἐξοχὴν *Christianos* appellant. In urbis vico, *Clarkenvvell-greene* dicto, vinculis mandati sunt *the Ranters*, quos propriè *schismaticos*, vel religionis *ruptores* interpretor: Hi ipsi hominem non *hominem*, sed *a fellovv creature* hoc est, *creaturam sociam*, einen Creatur-gesellen / indigitant. Ibi & blasphemus iste, cujus uxor gravida Messiam sit paritura; huic simul annexa est virgo quædam, futurum ex illa fœtum, ceu salutis nostræ auctorem, cunctis eò venientibus mirum in modum commendans. Oberrat etiam una ex custodiarum agmine femella, quæ se *Judæum*, nec *Judæam* esse, contendit: In nervo & fatuus iste jacet, qui tàm excors tamq; demens est, ut se *Josuam* esse credat: Ibidem Chiliasta quispiam regnum cum Messia expectat.

De novæ hujus *Reipub. statu*, dubiis hisce formidolosisq; temporibus, periculosè scribitur; quare Pythagoricum me esse autumes, velim, qui in quinquennali sua ἐχεμυθίᾳ jam est. Singularem Parlamenti modestiam, quâ vægrandes exterorum titulos in publicis literis fastidiunt, multi sanè collaudant; hoc solo enim contenti lemmate, Au Parlement de l' Angleterre, si alio modo inscriptam exhibuerit Epistolam Legatus, eam non solvunt; sed auctori remittere jubent. *Acta Parlamenti*, impressa jam, in magnum excrevere volumen; ex quibus ego *Theologica* quædam selegi, *De Abolitione Decanorum, Capitulorum, Canonum, Prabendarum, aliorumq; Officiorum ac Titulorum, ad Ca-*

thedra-

thedralem vel Collegiatam Ecclesiam, aut Capellam, in Anglia simul ac Wallia pertinentium: De sustentatione Ministrorum concionantium, aliisq; piis usibus; cum Additionali: De meliore Propagatione ac Prædicatione Evangelii in Wallia: De Promotione ac Propagatione Evangelii Jesu Christi in Nova Anglia: De Relevatione religiosorum & pacificorum hominum, ob rigorem pristinum, in materia Religionis: De Suppressione detestabilium PECCATORUM, Incestus, Adulterii, & Fornicationis: De Suppressione impiæ jurandi & Imprecandi consuetudinis: De Observatione diei Dominicæ, aliarumq; tum Pœnitentiæ tum Gratiarum actionis publicæ; unà cum collectione priorum Legum, Statutorum, Ordinationumq;: Contra atheisticas, blasphemas, & execrabiles Opiniones quasdam, Deo de honore derogantes, humanamq; societatem destruentes: De mutilatis Militibus, ac Viduis, curandis in Scotia pariter ac Hibernia: De puniendis Criminibus, in mari, vel trans mare commissis. Addo & illud, in omnibus ferè oppidis, aulis, collegiis, Academiis, templis, curiis, pontibus, jussu Superiorum, statuas Regum, imagines, inscriptiones ac titulos, destrui; atq; ibi locorum *Crucem Angliæ, Lyramq; Hiberniæ*, id est, hujus Parlamenti insignia affigi. Id solum miror, in via publica, prope *Stronbridge*, summo ædium parietati hanc Epigraphen, Regum temporibus inscriptam, haud deleri:

REX MAJESTATE,
GREX LIBERTATE,
LEX VERITATE
GAUDET SUA, VERAX MERLINUS
ANGLUS EXOPTANS DIXIT.

Inter nova templi Westmonasteriensis monumenta, penes *Isaaci Casauboni*, & *Richardi Coxe*, epitaphia, sepulchralis quoq; inscriptio *Thomæ May* conspicitur; qui *Supplementum Lucani libris VII.* nec non *Historiæ Parlamenti Angliæ Breviarium, tribus partibus explicitum*, nobis dedit. Illam igitur, ceu aliquid novi, hîc quoq; appingam:

Quem Anglicana Respub:
habuit vindicem,
Ornamentum Literaria,
Secli sui Vatum Celeberrimus,
Deliciæ Futuri:
Lucanus Alter plus quàm Romanus,
Historicus Fidus,

Equitis Aurati Filius Primogenitus,
THOMAS MAJUS
H. S. E.
Qui Paternis titulis Claritatis Suæ
Specimen usq; adeò superaddit,
ut à supremo Anglorum Senatu
ad Annales suos conscribendos
fuerit accitus.
Tandem fide intemerata Parlamento
præstita. Morte inopina
Noctu correptus. Diem
suum obiit.
Id. Non.
A° Libertatis {Humanæ / Anglicanæ} restitutæ} M.DC.LI.
Ætatis suæ LV.
Hoc in honorem Servi tam
Benè Meriti,
Parlament⁹: Reip: Angl:
P. P.

Universa ferè Nobilitas ruri vitam agit, ut data quasi opera ignorando ea, quæ indies hîc geruntur, suspicionem & culpam à se segreget. Magnus ille *Seldenus* alterum è Parlamento extulit pedem, altero jam dudum elapsus, si non expulsus: Interea tamen recentia Acta parietibus ac valvis suis affigi sedulò curat. Idem & album meum hoc exornavit charisterio:

Lupus in fabula:

- - - *fruere, quæ laudas, canis:*
Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

Salmasius autem hac utitur gnome Martialis:

Reges ac Dominos habere debet,
Qui se non habet.

Nunquam ex animo meo discedet voti illius memoria, quod Socius in Æde Christi, Oxoniæ, pro Anglia sua fecerat: *Deus*, ait, *restituat nos sanæ menti!* Venit novissimè rei monetariæ magister è Galliis, qui argentum Anglicanum in orbe signare

ſignare inſtituit; quoniam numisma illud publicè ſignatum multi hactenus violarunt deſcalpendo, rodendo, vel in orbem attondendo; quod eſt *radere, L.8.D. de falſis*, aut, *menſuram circuli exterioris in ſolido incidere, & arrodere, C. Theod. lib. IX. tit. 22.* Qui id agunt, περιχαράκται in Baſilicis vocantur; ac tale numisma *clipped money* [illegible]*e cut money* ab Anglis dicitur. De horum moneta, à variis vindicanda fraudibus, elegantem hoc anno libellum *Violetius*, JC. Anglicanus, patrio emiſit ſermone: *The Commons of Engeland &c.*

Poſtremò auctarium librorum (imperio morem gerens) nunc adjiciam. Rariores hi ſunt, quos *Jo. Seldenus, ὁ θαυμάσιος*, ſcripſit, vel ſaltem edidit Latinè: *Eadmari, Monachi Cantuarienſis, Hiſtoria Novorum, ſive ſui Seculi libri VI. ex Bibliotheca Cottoniana, cum Notis & Spicilegio: Analecta Anglo-Britannica: Janus Anglorum*, in quo jus Anglo-Britanniæ: *De Succeſſionibus in bona defunctorum, & in Pontificatum: De jure Naturali & Gentium, juxta diſciplinam Ebræorum, libri VII*: Horum poſtea quaſi ſupplementum evulgavit *Uxorem Ebraicam, ſeu de Nuptiis & Divortiis, ex jure Civili, id eſt, Divino & Talmudico, veterum Ebræorum libros III: FLETA, ſeu Commentarius Juris Anglicani, ſic nuncupatus ſub Edvvardo Rege I. ſeu circa annos abhinc CCCXL. ab Anonymo conſcriptus*: Accedit *Tractatulus vetus de Agendi Excipiendiq́, Formulis Gallicanus*, FET ASSAVOIR *dictus*: Subjungitur etiam *Seldeni ad Fletam Diſſertatio Hiſtorica: Eutychii Ægyptii, Patriarchæ Alexandrini, Eccleſiæ ſuæ Origines, ex Arabico, cum Verſione & Commentario: De Anno Civili, & Calendario veteris Eccleſiæ, ſeu Reipub. Judaicæ: De Synedriis & Præfecturis Juridicis veterum Ebræorum.* Anglicano autem idiomate libros exhibuit ſequentes: *Titles of Honor*, i. De Titulis Honorum: *The Hiſtorie of Tithes*, i. Hiſtoriam Decimarum, cujus partem primam *Richr. Mountagu* ſingulari hoc impugnavit libro: *Diatriba, upon the firſt part of the late Hiſtory of Tithes*; &, expreſſo Seldeni nomine, *Steph. Netles*, SS. Theol. Baccalaurius: *An Anſvver to the Jevvish part of M. Seldens Hiſtory of Tithes*, i. Reſponſum ad ſententiam Judaicam Dn. Seldeni, in Hiſtoria Decimarum. Sunt & alii Ejuſdem *de Duello, de Prædiis Nobilium*, Anglicè conſcripti; nec non vetus liber Juridicus, *Foreſcu*, cum notis Illius: quos non poſſideo. *Jo. Milton*, celebris ille Populi Anglicani defenſor, olim & *Areopagitica* conſignavit: *A Speech for the liberty of unlicenc'd printing, to the Parlament of Engeland*, i. Sermonem pro libertate ſine licentia imprimendi libros, ad Parlamentum Angliæ; contra hujus conſtitutionem, qua non niſi cum licentia approbatos imprimere permiſſum erat. Percurioſus Scriptor iſte jam pridem hodiernam libertatem, hoc eſt, A. C. 1644. in Areopagiticis ſuis cogitaſſe, mihi videtur.

Deniq; cum & Theologica voluptate grata Te afficiant, Vir Consummatissime, nonnulla *Henr. Spelmanni*, Equitis Aurati, recensebo: *Concilia Pambritannica, Pananglica, Scotica, Hibernica, Cambrica Mannica, Provincilia, & Diœcesana*, tribus distincta tomis; quorum *primus tantùm* editus est, ea continens, quæ *à primis Christi seculis, usq; ad introitum Normannorum* (id est An. Dom. 1066.) habita sunt, & celebrata: *De Sepultura*, item, *de non temerandis Ecclesiis*, Anglicè: *Glossarium*, continens *Latino-barbara, Peregrina, Obsoleta, & novatæ significationis vocabula*; quæ post labefactatas à Gothis Vandalisq; res Europæas, in *Ecclesiasticis* maximè, profanisq; *Scriptoribus* occurrunt: Dolendum sanè, dimidiam illius partem tantùm exstare. *Jac. Usserii*, Archiepiscopi Armachani, hæc sunt: *Gravissimæ Quæstionis, de Christianarum Ecclesiarum, in Occidentis præsertim partibus, ab Apostolicis temporibus ad nostram usq; ætatem continua successione & statu, Historica Explicatio*; cujus continuationem seriemq; coràm pollicebatur: *Britannicarum Ecclesiarum Antiquitates, quibus inserta est pestifera adversus Dei gratiam à Pelagio Britanno in Ecclesiam inducta Hæreseos Historia.* Ut & *Gotteschalci, & Prædestinatianæ controversiæ, ab eo motæ, Historia; unà cum duplici ejusdem Confessione: Veterum Epistolarum Hibernicarum Sylloge*; quæ duo scripta *Dublini* excusa sunt: *De Romanæ Ecclesiæ Symbolo Apostolico vetere, aliisq; Fidei formulis, tùm ab Occidentalibus tùm ab Orientalibus, in prima Catechesi & Baptismo proponi solitis*; quibus *Athanasii Symbolum, à Græcis interpolatum*, aliaq; accesserunt: *Polycarpi & Ignatii Epistolæ*, cum vulgata, & antiqua, ex duobus MSStis versione; quibus præfixa est, non de *Ignatii* solùm & *Polycarpi scriptis*, sed etiam de *Apostolicis Constitutionibus & Canonibus, Clementi Romano tributis*, Dissertatio: *Appendix Ignatiana*, in qua continentur *Ignatii Epistolæ genuinæ* ex Græco Mediceo exemplari: *Ignatii Martyrium à Philone, Agathopodo, & aliis, qui passioni illius interfuerant, descriptum; Tiberiani, Plinii, & Trajani, de constantia Martyrum illius temporis, Epistolæ; Smyrnensis Ecclesiæ, de Polycarpi Martyrio, Epistola; in Ignatii & Polycarpi Acta, atq; in Epistolas etiam Ignatio perperàm adscriptas, Annotationes: Annales Vet. Test. à prima mundi origine deducti, unà cum rerum Asiaticarum & Ægyptiacarum Chronico*: Illius quoque est *Dissertatio de Macedonum & Asianorum Anno Solari, cum Græcorum Astronomorum Parapegmate, ad Macedonici & Juliani Anni rationes accommodato.* Stylo autem Anglicano exaravit sequentia: *An Ansvver to a Challenge, made by a Jesuite in Ireland*, i. Responsum ad Provocationem, à Jesuita quodam factam in Hibernia; ibi ex antiquitate potissimùm de *Traditionibus, Præsentia reali, Confessione, Potestate clavium, Purgatorio, Precibus pro defunctis, Limbo Patrum, Invocatione Sanctorum, Imaginum cultu, Libero*

bero Arbitrio, & Meritis operum, copiosè cum isto, ac scitè disputavit: *A Discourse of the Religion, anciently professed by the Irish and Brittish*, i. Discursus de Religione, quam Hiberni ac Brittones antiquitùs profitebantur. Adjiciam sacris *a Geographicall and Historicall Disquisition, touching the Asia, properly so called*, i. Geographicam atq; Historicam Disquisitionem, ad Asiam propriè sic dictam attinentem; in qua etiam de *Lydiana Asia* (hæc verò est *Asia* illa, cujus in N. T. sæpissimè mentio fit) *Proconsulari Asia*, & *Asiana Diacœsi* agitur. Erat olim in Oxoniensi homo doctissimus, & sacræ antiquitatis peritissimus, *Jerem. Stephanus*, SS. Theol. Baccal. qui singulari cura *Gregorii Magni lib. de Cura Pastorali*, foràs dedit, emendatum ex vett. MSStis, cum Romana editione collatis, ab eximiis aliquot Academiæ Oxon. Theologis: *Cæc. Cypriani lib. de Unitate Ecclesiæ*, cum vett. MSStis diligenter ab iisdem Theologis collatum, unà *cum annotationibus* hujusdem *Stephani*: Nec non *Cypriani lib. de Bono Patientiæ*, ex MSS. Oxon. *cum Spicilegio notarum*. Vix hodiè habetur *Mer. Casauboni If. F. Pietas, contra maledicos patrii nominis, & religionis hostes*. Gallus quidam Theologus, *de Disciplina Ecclesiastica*, brevem & modestam Dissertationem, *ad Ecclesiam Scoticam*, composuit: *Jo. Nortonus*, Ecclesiæ Ipsuicensis in Nova Anglia Minister, *Responsionem* dedit *ad Quæstionum Syllogen Guil. Apollonii, de controversiis, circa politiam Ecclesiasticam, in Anglia agitatis*. Episcopatus Jura *Dissertationibus quatuor Henr. Hammond*, SS. Theol. P. P. contra sententiam *Dav. Blondelli, Salmasii*, aliorumq; defendit; his & Dissertationem præmisit de *Antichristo*, de *Mysterio Iniquitatis*, de *Diotrephe*, & de *Gnosticis*, sub Apostolorum ævo se prodentibus. Exiit nunc *Epistola ad Lambertum Osbalstonum*, cui *Apologia* inest *pro D. Jo. Williams, Archiepiscopo Eboracensi*: Habemus etiam *Articulorum Lambethanorum*, à D. Whitakero, *de Prædestinatione*, & annexis capitibus, *Lambethæ* exhibitorum *Historiam*; prout ab Episcopis Theologisq; concepti, & admissi fuere: Quibus annexum est *Lanceloti Andrewes*, Wintoniensis Episcopi, *de illis Judicium*; accessit & *Censura Censuræ D. Barretti de Certitudine Salutis*, ac *sententia D. Overal*, SS. Theol. olim Prof. Cantabr. *de Prædestinatione*. Concordiam & Pacem Ecclesiasticam, quibus hæc rationibus olim in Ecclesia propagata; qualis, & quibus rationibus nunc propaganda, ex Anglis ostenderunt *Thomas Hayne* (qui & *de Linguarum cognitione* disseruit) in Tractatu suo, *Pax in Terris*: Huic libellus *Josephi Halli* simillimus est, *Pax Terris*. Ad fraternam communionem, inter Evangelicas Ecclesias restaurandam, *Jo. Davenantius*, Episcopus Sarisburiensis, *duplici Commentatione* adhortatus est. Junctim, de hac Pace, *Sententiæ quatuor* prodierunt trium Episcoporum, *Dunelmensis, Jo. Sarisburiensis, & Joh. Exonensis*, hoc est, *Mortoni, Davenantii*,

nantii, & *Hallii*; ſententia ultima ab eximiis quibusdam *Eccleſiæ in Gallia Theologis ac Paſtoribus* conſcripta fuit: Quæ omnes *D. Jo. Duræo*, in hoc opere jam per aliquot annos deſudanti, tradebantur. Idem *Duræus* (qui familiariter Tibi notus eſt) Pacificatorem, ceu vocat (*a Peace-maker*) de reformandis hac tempeſtate Profeſſoribus ac Miniſtris in Anglia, componendisq; Eccleſiarum discordiis: Diſcurſum (*a Seaſonable Diſcourſe*) de fundamento ac methodo reformandæ Religionis ſimul ac Eruditionis, beneficio linguarum Orientalium, myſteriorum Judaicorum, & univerſæ ſapientiæ: Deniq; Scholam Reformatam, talemq; Bibliothecarium (*the Reformed School, and the Reformed Library-keeper*) hoc anno divulgavit. Hic in ſacello quodam, non longè à vetere foro mercatorum, è regione templi Gallicani, valdè vetuſtam *Eraſmiana paraphraſeos in N. T. verſionem Anglicam* nuper conſpexi; & quidem Londini *A. C. 1548. ab Edvvardo VVhitecurch, in the Fleteſtreet*, hoc eſt, in via Carcerum, typis exſcriptam. Tantum de re literaria, quam ſuſpenſo animo expectas. Sed jam modum, aut finem potiùs, ſcribendi faciam; modum enim epiſtolæ jam diu multumq́; exceſſi, dum charta me, ut vides, ſcribentem deſerit. Valebis interim, Vir Ampliſſime, & indulgentiam Oxoniæ hibernandi, à chariſſimis parentibus meis, ceu ſpes eſt, pro auctoritate Tua, facilè impetrabis. *Londini, a. d. 7. Aug. A. S. cIↃ IↃc LI.*

GEORGIUS RICHTER JC.

Clariſſimo Viro,

CHRISTOPHORO ARNOLDO

SUO.

AD binas Tuas reſponſum debeo, quarum alteras ante quadrimeſtre, & quod excurrit; alteras heri ab optimo Parente Tuo accepi. Ut moram iſtam priorem, quam invaletudo partim, partim labores concatenati, invito mihi impoſuere, nonnihil emendarem; hodiè ſtatim ad ſcribendum me accinxi. Ambigo certè, quid potiſſimùm in Te laudare debeam; diligentiam in ſcribendo, an judicium in ſignificandis rebus incognitis, an felicitatem in parandis amicis; quos inter tot tantiq; viri ſunt inſignes, quorum notitia, ne dicam favor ſingularis, non ultima felicitatis pars eſt; an dexteritatem in acquirendis bonis rarioribus, quæ vulgus peregrinantium, vel infeliciter neſcit, vel imprudenter negligit: An affectum Tuum in me ſingularem, quem meritò magni æſtimo, ſuaviſſimeq; exoſculor; vel, quod verè pronuncio, omnes iſtas virtutes Tuas conjunctas ſimul? Eodem modo neſcio, quid in literis Tuis, inter tot nova egregia,

gia, omnium primò rimari, observare, admirari debeam; ita nimirum omnia & singula perpendens accuratiùs, nihil est, quod non maximoperè animum hunc afficiat atq; delectet. Macte virtute illa Tua, Vir eximie, & quod cum Deo feliciter cœpisti, ejusdem Numinis faventia ad optatum finem perducere ne cessa. Permittent Parentes, me suasore, ut hyemem in Anglia transigas; faxit bonitas Divina, ut quàm prosperrimè. Novi enim, & expertus sum ipse ante annos XXXIV. quales & quantos Viros in re literaria, quales Bibliothecas, qualia manuscripta Natio ista habeat; *& quanta sbi hominum sit humanitas, erga peregrinos discendi cupidos.* Et si ipse his oculis non usurpassem, vel solus *Erasmus Magnus* abundè me docere posset, qui Angliam Anglosq; satis laudare nunquam potuit; quo de fermè omnes ejus epistolæ mirè loquuntur. Unum nunc desidero, ut librorum istorum præstantissimorum, *Seldeni* præsertim, Viri summi, & Vossii τοῦ πάνυ, quos magno numero recenses, copiam videndi aliquando, à reditu Tuo, quem Deus fortunet, nancisci liceat. D. DURÆO, Viro incomparabili, cujus amicitia frui Tibi contigit, gaudeo, Tibi gratulorq; animitus; cum quo ego ante annos XVIII. in Legatione *Heilbronna* primùm *Francofurti*, ubi cum Magnæ Britanniæ Regis Legato erat, familiariter vixi, ad quem etiam semel iterumq; amicè scripsi; quem ut quàm officiosissimè à me salutes, etiam atq; etiam Te rogatum volo. Vidisti, sine dubio, scripta illius divina, pietatis, pacis, prudentiæ laude eximia & studium concordiæ in controversiis religionis pium & sincerum amabis; quicquid nonnulli malè feriati, maleq; sani (qualis est vitilitigator ille sine nucleo) sinistri de illo judicent: Quos *patientia vincere, optimum vincendi genus est.* De Orationibus meis, quod ais, eas etiam *Mechlinia* haberi miror. Quicquid sit. Juventutis studio, quomodo liber, juvare cupio. Sed aliò vocatus abrumpere cogor, & quidem ægrè: Ab iis enim, quos amamus, difficulter nos divelli patimur. Sed solatur me promtitudo Tua scribendi, quam inposterum quoq; aveo, peto, expecto. Vale, amicorum dulcissime, & nos, quod facis, amare persevera. Dab. *Norïberga*, *d. XXII. Augusti*, *A. S. cIↃ IↃc LI.*

Ut videas manum meam, iterum scribo
Tuus

Georg. Richter JC. mp.

Viro Excellentissimo,

DN. D. GEORGIO RICHTERO

Christophorus Arnold

S. P. D.

JAmdudum jusseras, VIR SUMME, ne posthac scribere ad Te desinerem; etiamsi non semper, vel non statim responderes. En, adsum ad imperandum, vel ad parendum potiùs; sic enim antiqui loquebantur. Mihi certè obsequii gloria relicta est, nihil obedientius facturo, quàm ut (suasu Maronis) cedam Phœbo, & monitus meliora sequar, hoc est, uti ad Te diligenter scribam. Modestia hiemis (loquar cum Tacito) apud Anglos me commoratum, in Regiam *Cantabrigiensem* (ubi, non gravi pretio, sat benè vivitur) valdè liberaliter invitaverat; ut mansuetiores Musas meas in illa perhiemare paterer: Sed flamma vicinæ istius discordiæ, vel potiùs belli, quod Belgio Fœderato indictum, diligentissimè in Britannia paratur, nuper perpulit me, ut *Lugdunum*, sine mora, repeterem. Interea grates Tibi ago, *Mecœnas Optime*, quod, Te suasore, Parentes diutiùs me in illis locis adhærescere haud recusarint: Nolui equidem perstare in bello, errare me intelligens, nisi literis me involutum undiq; submoverem, & (dicente Seneca) intra cutem meam cogerem; studiaq; humanitatis mecum simul in suas sedes revocarem.

Multa commemorabilia proferre jam non possum; id tantùm ad memoriam insigne est, quod *Cantabrigia, in collegio Reginæ*, quadrimum (ceu ferebant) & vidi & audivi puerulum, lotricis pauperculæ filium; qui confabulantium cum eo studiosorum opera, centena aliquot vocabula Græca, & casuum formationes promta voce & alacri recitabat: Breviores quasdem locutiones facilè construebat. Res memoratu non indigna!

In exitu nunc forent literæ meæ, VIR EXCELLENTISSIME, si iisdem finibus amicitiam nostram, quibus epistolam essem terminaturus; Sed quia studio doctrinæ ac literarum, in ipsa senectute (quam Tibi placidam ac lenem precor) pariter atq; insimul delectaris; ea Tecum communicare sustineo, quæ mihi, commentariolum in *Valerii Catonis Diras* tandem aliquando typis paranti, in mentem novissimè venerunt, de FREA, & LIBERA PUELLA; cujus haud infrequens in *Legibus Longobardicis* mentio occurrit, quas *Nic. Boherius* J. U. Interpres, *Capitulare Divi ac Sacratissimi Caroli Magni, Imperatoris & Franciæ Regis*, A. C. 1512. inscripserat. Quare nugarum mearum aliquid accipe, qui amici intemperiem ferre jam didicisti,

Rex

Rex Limprandus Legem hanc Longobardicam *lib. II. tit. 46.* tulit de *frea*, his verbis: *Si quis* fream *alienam, sine voluntate mundoaldi ejus, movere de casa, ubi ipsa habitat, præsumserit, &c.* Idem & *tit. 52.* hunc in modum infit: *Contineat autem anterius edictum de* frea *sua, qui eam malè tractaverit, amittat mundium ipsius, &c.* In Legum veterum Glossario *Lindenbrogius* hæc habet: *Frea, id est, mundo.* Vel, prout est in Glossis Papiæ: *Frea est mundo.* Sed quid hoc? quærit *Henr. Spelmannus in Archæologo:* Opinor, inquit, pupilla; utpote quæ in mundio est, seu tutela, & sub alterius potestate. Videtur sanè, illud *mundo* esse Germanicum nostrum mündig; hinc etiam tutor à nobis vocatur Vormund/ qui *præest* personæ, quæ *mundo* sive mündig appellatur. Verùm id discriminis Te non celabo, quod *Bignonius in Not. ad Marculfi Formulas* profert: *Longobardicis Legibus feminarum tutor Mundoaldus & Mundius dicitur.* Hîc disertè Bignonius vocat *feminarum tutorem*; ita ut *Mundoaldus*, vel *Mundius*, de utriusq; sexus (ceu voces illæ, Vormund / & mündig apud nos hodiè in usu sunt) tutore accipi fortassè non queat? De *Legibus Longobardicis* verum id quidem esse largiar; ita tamen, ut veteri linguæ Teutonicæ observatio illa, de latiore significatu vocis Mund/ & quæ inde formatur, mündig/ nihil deroget: Nam Mund/ sive *Mundius* in genere, ut ajunt, *tutorem* sonat; & *Mundium* nihil aliud est, quàm *tutela.* Sic apud Longobardos mulieres etiam nuptæ *erant in mundio* alicujus, ut Romæ *in* perpetua *tutela*; ceu Vir ille celeberrimus, *Jo. de Laët*, sua manu ad Capitulare, à Boherio editũ, id annotavit. *Richardus Verstegan* in eleganti libello suo, cui titulus est, *a Restitution of decayed intelligence in Antiquities*, Saxonicum nomen Edmund *cap. VIII.* hoc quidem exposuit modo, cujus hæc sunt verba, ex Anglico translata idiomate: *Ab* Ed/ *rectiùs* Ead (i.e. Juramentum) *&* Mund; *quod in vetere lingua nostra est* Muth (i. e. Os.) *Sed antecessores nostros usurpasse reperio* Muth *pro* Mouth. *Sic igitur usurpabant* Mund / *ceu id in Belgio adhuc ubiq; locorum receptum atq; usitatum est.* At verò totius antiquitatis peritissimus, *Jo. de Laët*, in margine illius libri Anglicani (quem ego ex Ejusdem Bibliotheca haud ingratus possideo) ad verba ista: Mund/ *quod in vetere lingua nostra est* Muth/ hanc notam appinxit: Muth *quidem inveni, sed* Mund *nequaquam;* Mund *veteribus est patronus, & tutor.* Hæc ille. Nimirum *Edmundus* significat *juramenti tutorem*, sive custodem; neq; *os juramenti.* Quapropter *Mundius*, itemq; Mund/aut Vormund in genere tutorem denotat. *Marculfus lib. II. Form. tit. 24.* hæc duo concinnavit: *Sub mundeburde, vel defensione.* Nam *mundeburdium* ipsi *tutela*, sive *tuitio* & *defensio*, ut loquitur Greg. Turonensis, aut *munimen* est.

Nunc porrò LIBERAM PUELLAM videamus; de hac præclarè,

ut solet,

ut solet, *Vossius lib. II. de Vitiis Sermonis, cap. 7.* inter alia: *Frea* in Legibus Longobardicis dicitur *puella* ingenua, vel *libera* in *mundio*, sive sub *tutela*. Ac *mulier* quoq; Saxonibus *freo*; nempe non quælibet nupta, sed *libera*. A *freo* autem Saxon. *libera*, Germanis Frau. Itaq; propriè *dominam* notat. *Jo. Loccenius in Lexico Juris Sueo-Gothici* commemorat Suecicum, Husfröa/ Westgothicum Husfrea/ & Islandicum Husfreij/ quæ & *uxorem* significant. Cæterum *Fulfrea*, vel *Fulfreal*, in Glossis exponitur, *sive ingenua, sive libera*. Nempe sic dicitur (ait ibidem Vossius) qui, quævè, *plena* fruitur *libertate*; ex eo, quod *plenus* Saxonibus foll/ uti Anglis full: & *liber* Germanis frey/ Anglis free. Vox illa, *Fulfreal* extat in Legg. Longobardicis *lib. I. tit. 25. l. 6.* quæ Rhotaris est: *Si mulier libera fulfreal supra furtum comprehensa fuerit*. Sententia est, si furata sit *mulier plena libertatis*, qualem dicimus *Fulfrealem*. Item *lib. II. tit. 12. l. 1.* legere est: *Liberam uxorem, id est, fulfreal*. Etiam *tit. 14. l. 17.* hæc habentur de liberto: *Libertus homo, qui fulfreal factus est.* Hæc, ante Vossium, observarunt *Jo. Martinus Lydius in Glossis Latinobarbaris, pag. 58.* sub finem Operum Nicolai de Clemangiis; & *Henr. Spelmannus in Archæologo*, sive, *Glossario, fol. 301.* Expressè autem, *libera puella*, vocatur *lib. I. tit. 45.* ubi de nuptiis: *Si quis sponsaverit liberam puellam &c.* Item tit. sequente: *Si quis liberam puellam absq; consilio, vel voluntate parentum adduxerit ad uxorem, &c.* Super hæc puellæ *liberæ*, perinde ac (alio nomine) *freæ*, competebat *mundium*, sive tutela, *lib. I. tit. 2.* ex hac lege: *Omnes verò regales causæ, quæ ad manum Regis pertinent, unde compositio expectatur, aut culpa quæritur, dupliciter secundum antiquam consuetudinem componantur; excepto* mundio *de* libera, *aut morte, aut aliis, quæ similes sunt.* Nec verò quicquam *frea*, sive *libera* puellæ de libertate sua decedebat, licet in mundio esse, hoc est, sub tutela prudentum, & consilio vivere juberetur; quæ summa bonarum libertas erat. Ideò & nulli Longobardæ mulieri, sine mundio vivere, concedebatur, ut è *lib. I. tit. 51.* apparet; ubi non prout Lindenbrogius edidit, *Lotharius*, qui præcedentis tituli legem ultimam sanxit; sed, ut habet vetus Boherii codex) Rex Rhotaris: *Nulli mulieri liberæ sub regni nostri ditione, lege Longobardorum viventi, licet in suæ potestatis arbitrio, i. sine mundio vivere, &c.* Hac ipsa etiam de caussa puellarum *monasteria* quasi *in mundio* esse censebantur; cùm regulariter viverent: *Monasteria virorum* (inquit Pipinus) *& puellarum, tanquam in mundio esse noscuntur; vel in mundio Episcopi sui, seu reliquorum hominum: Et distringat unusquisque, in cujus mundio sunt, ut regulariter vivant.* Adde, quod puella, in jure Longobardico, interdum dicebatur *libera* vel *à marito*; & sic viduæ *lib. I. tit. 45.* jungebatur: *Si quis puellam liberam, aut viduam sponsatam habuerit, &c.* Nec non titulo sequente: *Si*

puella

puella libera, aut vidua, sine voluntate parentum, ad maritum ambulaverit, &c. Vel quoq; *à servitute libera* censebatur; & sic *lib. II. tit. 51.* à servo discernebatur: *Si puella libera servum alienum foris provinciam secuta fuerit, &c.* Simile huic Legi statutum Danicum, de nobilibus puellis, in *Recessu Regis Christiani III. Art. 36.* nuper inveni, cujus rubrica, sive lemma est: Om fry Quinde tager wfry Mand. Id est: *De libera muliere, quæ in conjugio acceperit servum.* Idem titulus, sed inversus, *num. 51.* Legitur de servo Longobardico: *Si servus liberam puellam, vel mulierem in conjugio acceperit.* Sed hìc obiter monemus, in jure Danico wfry Mand *ignobilem* potiùs, quàm *servum*, denotare; nam *Christianus* Osterſön *in Glossario Juridico Danico* Frymand/ *liberum hominem* exponit per Adelsmand/ *Nobilem*; & fry Quinde/ *liberam puellam* pluribus describit in Adelige Fruer. In eodem Articulo de tali conjugio Rex distinctè loquitur, quod quidem cum ignobili, sed vel suorum consensu, vel sine eo contractum fuerit: Si prius evenerit, amissa liberæ mulieris hæreditas ad cognatos transit; sin posterius, ita Rex statuit: End steer det met möster Venners Raad/da skal hun hauffe macht/at selge det inden Aar oc Dag/ til fryt Folk. Id est: *Etsi cum consilio maximè cognatorum fiat, potestatem habeat vendendi eam* (hæreditatem) *intra anni dierumq; spatium* (liberæ, i.e.) *nobili cuidam familiæ.* Fryt Folk alio nomine appellatur Adels Folk/ in *Recess. Frid. II. Art. 12.* Sic Belgæ ferè *liberum*, aut *nobile* quidpiam vocant, quod præstans, quod eximium, & bonum est: *Een vry Man*, item, *een nobel Man*, vir bonus, & eximius. Ita Poëtis dicitur *nobile vinum*, nec non Germanis Edelgestein/ gemma, q. d. *lapis nobilis*, i.e. pretiosus & insignis. Quid, quod in Danico jure, velut in Longobardico, libera, sive nobilis puella suum Vörge/ id est, Mundoaldum, tutoremvé, habere dicitur? de ere under Vörgemaal/ *quæ est in mundio*; ceu nos docet *Osterſ. in Glossario.*

Hinc ducor ad suspicandum, atq; ex ea puellarum, mulierumvè, libertate conjecto libertatem sexus melioris: Ut hic similis & compar illarum fieret, *liber* etiam *adolescens*, aut *liber homo* nominabatur. Ita non solùm Chremes, adolescens Terentianus, in *Eun. a. IV. s. 7.* Pamphilam ne tangat, his prohibet verbis: *Scibis: principio eam esse dico liberam.* Verùm & Parmeno eunuchum cum *libero adolescente* comparat *a. III. s. 2.* in literis, in palæstra, in musicis: *Quæ liberum scire æquum est adolescentem.* Similiter Belgis liber atq; ingenuus adolescens à libertate dicitur, *Vryder*, vel *Vryer*; ceu veteribus Germanis Frank/ hoc est, fry Ank/ adolescens, vel juvenis liber: Et libera puella illis vocatur *Vrydster*, *Fryster*, vel etiam antiquitùs *Vryersse*. Convenit omninò cum voce Persarum, *Fristar, Virgo*; prout *Phil. Marnixius Sant. Aldegondius* è Raphalengii Lexico, quod ex ipso Pentateucho collegerat, jamdudum commonstravit. Non

 possum,

possum, quin ex eruditissimo *Loccenii Lexico Jur. Sueo-Goth.* hic nonnulla inseram de illis, qui in Suecia Fryborne män / in Germania Freygeborne Leute audiunt. *Libertini* sunt, ait, vel *Ingenui*; illos *Livius lib. X.* ita describit: *Ingenui, qui ipsi majoresve ipsorum servitutem non servierant; majores autem usq; ab avo repetebant.* Temporibus Appii, & deinceps aliquandiu, apud Romanos *Libertini* dicti, non nisi, qui manumitterentur; sed *Ingenui*, ex his procreati; ut notat *Suetonius in Claud. c. 24.* Quidam Fryborne in Suecico jure (ceu anteà in Danico) *liberæ conditionis* homines, quos hodiè *Nobiles*, Frelse/ aut Frälsismän interpretantur. *Ericus Upsal.* eò respexit *lib. VI. Hist. Suet.* cui nimirum *Liberti* sunt Fryborne/ aut Frälsismän/ in his verbis: *Tempore igitur præfato accedunt ad locum Episcopi, prælati, milites, liberti, &c.* De Engelberto quodam, in Dalecarlorum regione *Jo. Magnus lib. XXII. cap. 5.* narrat, quod fuerit *mediocri nobilitate conspicuus, utpote libertino patre natus.* Idem est, ac si diceret, Fryboren. In Legibus Regis Canuti Anglosaxonicis *Freoman* hoc nomine est, qui dignus habebatur, ut in centuriam reciperetur. Initium illius *Legis XIX.* sic interpretatus est *Guil. Lambardus*, in Ἀρχαιονομίᾳ, sive de Priscis Anglorum Legibus: *Præterea autem præcipimus* [that ælc freoman beo on hundrede] *ut liberæ conditionis quisque in centuriam, ac decem virale aliquod collegium se conjiciat; si modò qui se purget, atq; ab alio capitis æstimationem petat, se dignum habere cupiverit. Neq; enim aliter, annum ætate duodenum progressus (si fortè injuria afficiatur) pari cum* ingenuo *jure fruatur.* In Anglosaxonica lingua, in qua legem Rex ille rogavit, longè significantiùs illud *ingenui jus* exprimitur: *Othtbe he ne beo aniges* freorihtes *vvyrthe.* Hoc est: *Aut non erit ullo libero jure* (Freyrechts) *dignus.* Scilicet hac ipse Lege Rex Canutus Potentiorum famulos coërcuit, quos aliàs *liberos* esse affirmantes per Leges poterant protegere, quoties injurias & iniquitatem petulantes exercuissent. Inde & Anglis hodienum *Freeman* civis est, & municeps, ac *liber homo.* Nunc tandem ad jus Longobardicum revertor, ubi *libero* quoq; *homini* liberrimæ voluntatis puella in matrimonium dabatur; sic enim Rex Limprandus *lib. II. tit. 52.* de frea, à Mundoaldo suo malè habita, statuit: *Insuper addimus, ut nec ad* liberum hominem *eam ad maritum dare præsumat, absq; ejus voluntate; quia pejùs tractata esse non potest, quàm si illum* virum tollat, *quam ipsa non vult.*

Videtur hæc quidem locutio, *virum tollere*, Latinis auribus idem significare, quod *auferre, removere, repellere*, & matrimonium cum tali vel tali viro *impedire*; ita ut fortasse legendum sit: Quem ipse (mundoaldus scilicet, sive tutor) *non vult.* Vel tali etiam modo: Quem ipsa (scil. puella libera) *vult*; ita ut redundet negatio? Sed frustrà: *Tollat* (quod me, fateor, illustris Salmasius docuit) idem

idem eſt, ac ſi ſcriptum pro eo foret: *Sumat.* Sic enim dicimus: *Tolle* librum, pro, *ſume*, vel *accipe.* Atq; hunc verum Legis illius ſenſum eſſe, poſtea demum variis didici exemplis, quæ cum à Lindenbrogio in veterum Legg. Gloſſario miſſa ſint omnia, velut in digreſſu (quem mihi concedas, oro) libens his inſeram. *Tit.53. lib.cit.* Legis primæ initium tale eſt: *Si aldius* (i. e. qui antea ſervus, ſic libertatem conſecutus, interprete *Voſſio lib. II. de Vit. Serm. c. 2.* ut interim veteri domino foret obnoxius) *cujuscunque liberam uxorem tulerit.* Et ſequente *tit. 54. l. 2.* hæc ipſa leguntur: *Si mulier aut puella notum habuerit, quemcunq; hominem uxorem habere; & ſuper ipſam introierit, & tulerit maritum non ſuum, ſancimus &c.* Verbum illud *tollere* per *accipere* exponitur *l. 3. t eod.* qua prohibetur, *ut nec uxor à viro dimiſſa alium accipiat* (i. e. tollat) *virum, vivente viro.* Præterea *lib. I. tit. 40.* ita incipit: *Si vir mulieri violentiam fecerit, & invitam eam tulerit ad uxorem, &c.* Et poſt nonnulla, ſub initium Leg. ſecundæ: *Si quis violento nomine tulerit uxorem &c.* Succedit Lex tertia: *Si quis puellam, aut viduam, alteri ſponſatam (illa tamen conſentiente) tulerit, &c.* Ubi gloſſa Nic. Boherii: *Aliàs deeſt* [*illa tamen conſentiente.*] *Et loco verbi tulerit, eſt, rapuerit.* Id verbi, *rapuerit*, pro, *tulerit* cùm ex aliis ejusdem tituli Legibus patet, tùm verò ex undecima: *Si quis rapuerit qualemcunque feminam liberam ſecularem &c.* Deniq; ne ſcrupulus vel tenuiſſimus reſidere aliquis videatur, locutio iſtæc Longobardica modo ſeſe prodit infinito: *Si quis ſponſaverit puellam liberam, aut mulierem, & poſt ſponſalia facta, & fabulam firmatam, per duos annos ſponſus neglexerit eam tollere &c.* Lib. II. tit. 1. *Et ſi, poſtquam purificata fuerit, eam tollere uxorem neglexerit &c.* Ibid. Leg. 2. *Et non compellatur ipſe invitus eam tollere.* Leg. 3. *Secundus autem maritus, qui eam tollere diſponit, &c.* Leg. 4. Ex his igitur conſtat primò, verbum *tollere* idem eſſe, quod *accipere*, & aliquando *rapere*: Dein id uſurpari tàm de viro ducente, quàm de nubente femina: Poſtremò dici, *tollere virum*, aut *maritum* nec non, *ad maritum tollere* lib. II. tit. 53. *Si aldia, aut libera, in caſa aliena ad maritum intraverit, & ſervum ad maritum tulerit &c.* Hoc etiam modo, *tollere uxorem*, ut ſuprà; *tollere ad uxorem*, Leg. 3. *tollere in uxorem*, Leg. 10. tit. eod.

Perlibenter hîc modum aliquem, & finem huic epiſtolæ facerem, niſi ex priſca eruditione nobilis & clarus *Olaus* ille *VVormius lib. I. Faſt. Danic. cap. 15.* me nunc ad *Fream* iſtam Septentrionalem pertraheret; quæ uxor *Othini*, ſive *VVodani*, hoc eſt, *Martis* credita, inſtar *Veneris* Deæ colebatur: *FRIGA pacem voluptatemq; moderabatur; cujus etiam ſimulachrum turpitudinem ſexus præ ſe ferebat: Et ob id tantum apud Gothos, quantum VENUS apud Romanos venerabatur: Diemq; VENERIS, uſq; ad noſtra tempora, ſibi retinet conſecratum;*

ut scribit Archiepiscopus Upsaliensis, *Olaus Magnus lib. III. Epit. Hist. Gent. Septentr. c. 3.* Hæc ipsa igitur Gothorum Venus, *Friga, Frigga, Frigo, Fricco,* vel *Fraa,* item *Frea*, aliàs *Fria*, nostratibus (scribit *Wormius* de Danis suis loc. cit.) *Freya* dicta est: Quod *proprium* jam in *appellativum* degeneravit, *qualibet matre familias hunc sibi vendicantia honoris titulum*; ut Islandis *Husfreya* salutetur, nobis Danis Husfrue.

Antequam verò de his Gothorum superstitionibus plura scribere, & gentilium istorum impietates de *Frea* ac *Wodano* explicare instituam, hoc breve dicam; non solùm Græcos, vel Romanos (quod multis probatum ivi exemplis ad *Val. Catonis Diras v. XX.*) verùm & Germanos quoq; amasias, interdum & conjuges suas, *Veneres* appellasse. Laudaturus Laidem suam *Aristanetus Epist. I.* haud veritus est scribere: Διὰ πάντων ἔμψυχος τῆς Ἀφροδίτης εἰκών. *Tun' me-*
am Venerem vituperas? quærit homo Plautinus, *Curc. a. I. s. 3.* De vocabulo
Veneria, quod est à *Venere*, non minùs accuratè, quàm rectè *J. Seldenus Synt. II.*
de Diis Syris, cap. 7. cujus verba hîc enotabo: *VENERIAM vocabulum esse, à*
VENERE petendum, nemo est, qui neget. Inde enim non infrequens est
apud priscos Romanos nomen fœmineum. *Veteribus, quæ excusa*
prodiere, inscriptionibus non semel obvium fit. Et in Arundellianis, ad Thamesis
ripam, ædibus visitur cippus sepulchralis, ita dicatus:

D. M.
CLAUDIAE VENERI
AE. CONJUGI. SANCTISS
IMAE. Q. JUSTEIUS.
PROBATUS. SIBI. SUIS
QUE. POSTERISQUE
EORUM.

Goldastus, ad Winsbekiæ Parænesin (quæ inter veteres illius Paræneticos habetur) sub finem hæc observavit: Amicæ ab amantibus *Veneres* dictæ, non *Lati-*
nis modò, sed *Germanis.* Herzoge Heinrich von Pressla: *Ich klage dir* Venus
sendú leit. Her Rudolf von Rotenburg: *Wolde geluke sin Der* Venre *min.*
Her Heinrich von Morunge: *Ich uvene, si ist ein* Venus *here, die ich da minne.*
Wolfaram von Eschilbach: Venus *du Göttinne, lebe si noch, si múste bi ir ver-*
blichen sin. Meister Chunrat von Wurzburg: Venus *dú feine dú ist ent-*
schlaffen, Dú vvilent hoher minne vvielt. Sic igitur & *frea*, & Frü/ sive Frauw
ab ista Gothorum Venere, *Frea*, nomen accepisse, omninò credibile est; neq;

hæc

hæc inter se pugnant, utramq; *fream*, hoc est, & Deam & puellam à *freoy* sive *frey*/ hoc est, à *libertate* primam cœpisse originem.

Sed dicis fortè? Incerta adhuc ista, & scrutanda sunt, an *Frea*, sive *Freja*, fuerit *Venus*? Pro hac ipsa sententia (quam non titubanter Olai testimonio jam asserui) documenta hæc habeo: I. Venus *Martis*, Frea *VVodani* conjux erat; sic enim Longobardi filius, *P. VVarnefridus lib. I. de Gest. Longob. cap. 8.* eam vocat: *Fream, uxorem VVodan.* Ab hoc ipso Wandali, quasi à Marte, victoriam de Winilis ibidem postularunt. *Gotfridus Viterbiensis in Pantheo*, sive Chronico universali, transpositis literis *Feriam*, & Wodanem *Godam* nominans, eandemq; Wandalorum fabulam recensens, hos, ait, *ad Deam, nomine* Feriam, *uxorem scilicet* Godam, *tunc accessisse.* Friggam, *Othini* modò *uxorem*, modò *conjugem*, describit *Saxo Grammaticus, lib. I. Hist. Dan. fol. 13.* Idem & ex veteribus annotavit *Henr. Spelmannus in Archaeologo, fol. 296.* Fream, aliàs *Friam*, Saxonum Deam fuisse, *uxorem VVodeni*, al. *Goddani.* De hac uberiùs *Rich. Verstegan in Restit. of dec. intell. chap. III. pagg. 77. 80. & Jo. Loccen. lib. I. Antiq. Sueo-Goth. cap. 3.* II. Dies Veneris Sueo-Gothis, Danis, & Germanis Fredagh/ Fridag/ item Freitag/ ceu Saxonibus *Frige dæg*, ab eadem *Frea, Freja* sive *Friga* dicitur. Sic Olaus ille: *Friga*, inquit, *diem Veneris usq; ad nostra tempora sibi retinet consecratum.* III. Adulterio scortationibusq; celebris erat, more ipsius Veneris; testor Saxonem loco citato, de aureo Othini simulacro: *Cujus conjux Frigga, quò cultior progredi posset, ascitis fabris, aurum statua detrahendum curavit. Quibus Othinus suspendio consumtis, statuam in crepidine collocavit; quam etiam mira artis industria ad humanos tactus vocalem reddidit. At nihilominus Frigga cultus sui nitorem divinis mariti honoribus anteponens*, uni familiarium se stupro subjecit; *cujus ingenio simulacrum demolita, aurum publica superstitioni consecratum, ad privati luxus instrumentum convertit. Nec pensi duxit*, impudicitiam sectari, *quò promtiùs avaritia frueretur. Indigna fœmina, quæ numinis conjugio poteretur.* Hactenus Saxo. IV. Colebatur, ut præses voluptatum, libidinumq;, si Olao Magno credimus: *Pacem*, ait, *voluptatemq; moderabatur; cujus etiam simulachrum turpitudinem sexus præ se ferebat.* Idem innuit *M. Adamus*, in Septentrionalium populorum Historia, ex Henr. Ranzovii Bibliotheca olim edita: *Fricco, pacem voluptatemq; largiens mortalibus; cujus etiam simulachrum fingunt ingenti Priapo.* Talis fortasse pax fuit, qualem Terentianus Thraso Thaidi concesserat. Ab hoc spurcissimo nomine *Frig, Friga, Frigga*, vel *Fricco* deductum istud Germanorum vocabulum videtur, Frech/ petulans, *libidinosus*; Frechheit/ *libido*, petulantia. Quin etiam Fryd/ *voluptas* indidem

didem venerit, à *Freya* nimirum, nullus dubitavit *M. Bruynolphus Suenonius* in Conjectaneis suis; ex quibus *Stephanus Jo. Stephanius in lib. I. Hist. Dan. Saxonis, fol. 43.* ad ista petulantissima Hartegrepæ, Hadingum juvenem ad Venereas voluptates provocantis, verba [*Dum* Venerem coluisse *piget*] de libidinoso Freyæ, hoc est, Veneris cultu, eruditam hanc notam attulit: Ut *libidini suæ frontem prætexeret -- suasit illud suum πρόσχημα ex intima hominum illorum religione; quibus Divarum haud postrema fuit FREYA, Amatorum προξενῆτις, &* illarum voluptatum promaconda: *Quam violare, aut contemnere Skapto, vel Thorballus Sedensis (nunc enim, uter esset, non exactè memini) parum aberat, quin capitali discrimine didicit, ut erat periculosum; qui ad Christianam fidem conversus, parùm honorificè de Freya, in carmine hoc suo, erat locutus:*

Vil eg um God geya,
Grey thikier mier Freya.

Hoc est: De Diis latraturus (vel, locuturus) Freyam instar caniculæ, vel vulpeculæ, judico. *Quæ res continuò ut increbuit, ἀποσυνάγωγος factus in capitis periculum inciderat: Nisi divinitùs accidisset, ut illo ipso anno, quo in eum maximi quiq; viri conjurarant, Christiana fides in foro universali recepta fuisset.* Tanti scilicet Venereas fecére voluptates, ut ipsam quasi Libidinem, prisca formidine sacram, perversa & impia religione colerent. V. Uti veteres de sexu Veneris dubitarunt; sic enim *Macrobii lib. III. Saturn. cap. 8.* locus notatu dignus se habet: *Apud Calvum Acterianus affirmat legendum,*

Pollentemq; Deum Venerem,

non Deam. *Signum etiam ejus est Cypri, barbatum corpore, sed veste* muliebri, *cum sceptro ac statura* virili; *& putant eandem* marem *&* fœminam *esse. Aristophanes eam* Ἀφρόδιτον *appellat. Levinus etiam sic ait:* Venerem igitur almam adorans, sive fœmina sive mas est. Prorsus ita incertum Gothis erat, num Fricco, vel Freya masculini aut fœminini extiterit sexus; licet fœmineo choro (ut verba *Ol. VVormii lib. I. Monum. Dan cap. 4.* mea faciam) plures illud adscripserint. Hinc *Olaus Magnus*, ex antecessoris sui Jo. Magni, Archiepiscopi Upsal. Historiis asserit, apud veteres Gothos paganos, *tres Deos, prima veneratione observatos* fuisse; quorum *primus* erat potentissimus Thor, *alter* Othen, *tertius* Friga. Præterea *habitum* hujus *virilem* his excusat verbis: *Pingebatur gladio & arcu cum armis, quod in illis terris uterq; sexus semper ad arma promtissimus esset.* Idoli hujus formam expressit *Versteganus, lib. cit. pag. 76.* hanc insuper expositionem ei subjungens, quam ex Anglico verti: *Hoc idolum repræsentat utrumq; sexum, tam viri quam fœminæ, velut Hermaphroditus habuisse*

baisse dicitur &c. Dextra strictum tenet gladium, & arcum sinistra, his significans, fœminas, aquè ac viros, tempore necessitatis ad pugnandum paratas esse debere. VI. Vocum aliquot Teutonicarum origines probilitati non sunt contrariæ: *Freya ersi*, i. e. poësis, quæ Amores ut plurimùm tractat; de hac *VVormius in Fastis*. Freitag/ aut Fridag (de qua voce suprà) & Frnd/ voluptas, & frien. Sic enim *Goldastus* ad carmen Winsbekiæ: *Minne*, Dea amoris, Latinis *Venus*, Aboriginibus Germanis *Fria*; cujus nomen remansit in eidem illi sacrata die, *Fritag*, in verboq; *frien*, nubere. Referuntur huc à Bruynolpho & Loccenio, Frô / *semen*, & Frw / *genetrix*. Quibus addatur Germ. Frucht/ Belg. *Fruyt*; item *Vroed*, frugi; *Vroedvvuf*, & *Vroedmoeder*, obstetrix.

Hæc itaq; *Frea* omninò *Venus* censenda est, de qua Olaus: *Tantum apud Gothos, quantum Venus apud Romanos venerabatur.* Illius verò maritum & *Martem* fuisse, dixi quidem, sed nondum probavi satis: *Odhen, hoc est, fortior* (ait idem Olaus) *bellis præsidet, hominibus in hostes auxilia subministrans.* Et post nonnulla caput integrum, de tribus Diis majoribus Gothorum, his concludit verbis: *Odhen verò armatus sculpitur, uti Mars, simili gentilium superstitione apud Romanos; diemq; obtinuit æterna memoria suo nomini consecratum. Et quia vivus tota Europa divinitatis titulum, quod nulli in arte militari cederet, assecutus fuisset; hinc evenisse creditur, ut Gothi (sicut Dio Græcus, Ablabius, & Jornandes testantur) Martem, quem Deum belli putavit antiquitas, apud se dicerent progenitum, prout etiam asserit Poëta:*

Gradivumq; patrem, Geticis qui præsidet armis.

Quem Gothi semper asperrima placavere cultura, morte scilicet captivorum, opinantes, bellorum præsidem aptiùs humano cruore placari. A quo vicissim omnem belligerandi industriam adeò perfectè didicerunt, ut devictis Europa & Asia potentissimis imperiis, summum fortitudinis gradum reportarint. Confer *Jornand. de Reb. Get. cap. 5.* Haud aliter de Wodane *M. Adamus*, in Septentrionalium populorum Historia: *Alter VVodan, id est, fortior, bella regit, hominumq; ministrat virtutem contra inimicos.* Postea, de simulachro istius, hæc subjungit: *VVodanem verò sculpunt armatum, sicut nostri Martem sculpere solent.* Quare etiam Wandalos, *ad Wodan accedentes, victoriam de Winilis postulasse*, & istum respondisse, se illis *victoriam daturum*, perhibet *P. Warnefridus*. Ethelverdus, citante Camdeno: *Wodan barbari, ut Deum, honorarunt; sacrificiumq; obtulerunt pagani, victoriæ causa, sive virtutis.* Idolum Martis Gothici *Ol. Wormius lib 1. Monum. Dan. c. 4.* hunc in modum delineavit: *Hic armatus pingebatur, quippe qui bellis præerat, & cui victorias attribuebant; ac victos & occisos in bello sacrificabant. Columna insistens coronam capite gestabat, dextra facam, seu*

 ensem

ensem Saxonicum, sinistra clypeum, pedibus calceatus. Ita & à *Verstegano p. 72.* expictus est. Quantum conjectura assequi possum, dicor ad suspicandum, Septentrionis invasorem istum volitantem, Odinum nempe, audaciæ promtæ Gigantem fuisse; quia *Arngrimmus Jonas* hunc ipsum *Asiaticæ immigrationis*, in orbem Arctoum anno XXIV. ante natum Christum factæ, *antesignanum*, nec non *Asianorum infusionis ducem*, commemorat *lib. I. Crymogææ Rerum Jsland. cap. 4, & 5.* Certè in Septentrionem is venit, *non secus ac olim Cadmus in Bœotiam*, ut Jonas monuit ibidem. Postea verò quàm erro iste in possessionem regionis Sueticæ pedē posuerat, magia diabolica, velut specie quadam divinæ aut cœlestis sapientiæ, apud superstitiosum & credulum populum, admirationem sibi auctoritatemq; paraverat; ne ex possessione, in quam tum temporis vacuam involavit, facilè dejiceretur. Is enim raptorum pariter ac tyrannorum mos est, ut fictam exambientes divinitatem, Dii suis videri cupiant. *Odinus*, inquit Jonas in Crym. c. 6. *ob insignem magiæ diabolicæ peritiam, qua divinitatem, ut Machomet alter, adfectabat, post obitum in Deorum numerum relatus est.* En Martis rapacis scilicet numen, quod clariùs idem indicat Jonas cap. 4: *Odinus iste, omnes veteres incolas magiæ excellentia in sui admirationem rapiens, post fata cœpit in Deorum numero coli; cum priùs adhuc superstes, inter alias terras Septentrionaliores etiam Norvegiam, inter Nori posteros, sublata monarchia, distributam, subegisset, eamq; filio Samingoo, seu Hemingo addixisset.* Tangit hanc fraudem Saxo: *Cum Othinus quidam*, ait lib. cit. *Europa tota falso divinitatis titulo censeretur &c.* Idem de eodem lib. VI: *Olim enim quidam magicæ artis imbuti, Thor videlicet & Othinus, aliiq; complures.* Quid, quod præstigiator hicce & Magus, illa tempestate nulli secundus (sic eum appellat *Stephanius in Notis, fol. 50.*) vel ad certos siderum positus, vel etiam per Dæmonum τεραστείας, qui à Magis invocati simulachra ingrediebantur, eò quoque sine statuam suam *mira artis industria* (verba hæc sunt Grammatici) *ad humanos tactus vocalem effecit*; nempe ut futura prædiceret, oracula depromeret, fidemq; divinitatis sibi apud imperitum vulgus adstrueret. Nec *statua* tantùm, sed & *lacus*, & medius septimanæ *dies*, impia hac religione colebantur: Odensšund / *lacus* prope Upsaliam *Odino* sacer, in singulari apud gentiles istos veneratione fuit, uti referunt *Adamus Bremensis in descriptione Scandinaviæ*, & *Ericus Upsaliensis lib. I. Histor. Sueogoth.* De die, quem Romani aliàs Mercurio dicarunt, iterum Olaus: *Diem obtinuit, æterna memoria suo nomini consecratum.* A nomine *VVodani*, vel *Vodans* hodienum dies Mercurii Danis Wodensdag dicitur, Anglis à *VVodeno* (inquit Spelmannus) *VVedensday.* Scotis (prout *Jo. Skene* in suo *De Verb. Signif.* juris nimirum Scotici. *pag. 74.* innuit) *Odenuday*, vel etiam *VVednuday.* Belgæ corruptè (vel contractè potiùs)

tius) *VVoensdag* dicunt, pro, *VVodensdag*; ceu *Bon. Vulcanius* dudum monuit, *Annot. in P. VVarnefrid. lib. I. pag. 14.* Haud malè nomen istud interpretatus est *Bureus*, diem hunc Martis, Ødensdag/ quasi *vastatoris diem* appellatum fuisse, autumans. Similiter öde Germanis idem est, quod destructum, vastum, vastatumvé; & desertum Einöde. Verbo, si possum, edisseram: *Odinus* iste invasor, raptor, & *vastator* erat terrarum Septentrionalium. Hinc in quorundam ex vulgo animis (teste *Loccenio*, qui de hodiernis Suecorum moribus ibi loquitur) illud adhuc ex veterum superstitione reliquum est, ut, si aliquod *spectrum* fuerit, cum magno strepitu & susurro, circa vesperam aut noctu *adequitans*, vel *armatum* appareat, *Oden* istac transire dicant. Est præterea ab hoc vastatore Vodano, id est, Marte, vox Vode/ vel Voden/ quæ *periculum* & *perniciem* indicat; quin etiam Islandis Oden pro *Diabolo* ipso capitur, ut in imprecandi formulis: Oden eige dig/ *Odinus te possideat!* Item, Far du til Odens / *Vade ad Odinum*, sive, in malam rem. Item, Huada Odens latum? *Quid hoc mali est?* Contuli hac de re *Ol. Wormium lib. I. Monum. Dan. cap. 4. & lib. I. Fast. Dan. cap. 15.* Germaniæ vastator, *Drusus*, pœnè alter Odinus fuit, qui, simili quadam imprecandi formula Holsatis, in memoriam hodieq; revocatur: Dat dy de Drus slag! *Drusus te perdat!* Qui nempe gentem Holsatorum fortissimam, frenumq; Romanorum diu mordentem, ex omnibus novissimam subegerat. Hactenus de Sueogothorum Marte, Wodano; cujus numen pariter ac nomen *Eliam Schedium Syngram. I. de DIs Germ. cap. 4. 5.* vel *6.* ne leviter quidem attigisse, ne dicam ignorasse, mihi maximam admirationem movit.

Facerem his literis finem, Eruditissimorum Nobilissime Domine, & clausulam longioribus imponerem; nisi varia vocis istius Gothicæ scriptio Te nonnullam in dubitationem fortè videretur adducere. Tot ista pingitur modis: *Oden, Odhen, Odinus, Othinus, Hoden, VVoden, VVodan, Voden, Vodan, Godan, Ghodan, Guodan, Guoden, Guode.* Quidni fidem habeamus *VVarnefrido lib. I. cap. 9.* ita scribenti: *VVodan sanè, quem adjecta litera Godam dixerunt, &c.* Magnus ille literarum heros, *Vossius lib. I. de Idol. cap. 7.* idem affirmat: *Vodan,* inquit, *sive Voden, est idem ac Guoden, sive Guode, pro quo* Gode *vel* God *nunc dicimus; & Vodan, Guodan, Godan, &c.* Alio vocatur nomine *Vodanus*, quod è *Baronii Tom. VIII. Annal. Ecclesf. ad Ann. Dom. 612.* haud perplexè indicavit *Ant. Dauroultius in Floribus Exempl. cap. I. tit. 5. ex 3.* ibi: *Apud Moguntiam sunt nationes Suevorum, qui Deo suo, VADONO nomine, libabant.* Non mirum, Suevos apud Moguntiam ei libasse; *nec enim subitò, sed pedetentim has terras* (Septentrionales scilicet) *intravit Odinus, in Germania priùs, & vicinis terris subsistens.* Uti non docet *Arngr. Jonas in Crymog. cap. 5.* Ad hoc tanta super-

perstitionis diabolicæ vis erat, ut longè lateq; diffunderetur: *Ea tempestate*, inquit Saxo, *cùm Othinus quidam* Europa tota, falso divinitatis titulo censeretur, *apud Upsalam tamen crebriorem diversandi usum habebat; eamq, sive ob incolarum inertiam, sive locorum amœnitatem, singulari quadam habitationis consuetudine dignabatur.* Ab isto igitur *Wodano*, sive *Wadono*, aut *Vadono* vox Germanorum Wadlich/ *fortis*, sich wadlich wehren / *pugnare fortiter*, deducta mihi videtur; quoniam Olaus pariter Magnus, ac Adamus ille Bremensis, nomen *fortitudinis* esse (locis jam sæpè citatis) asserunt. Ille quidem: *Alter* Odhen, *hoc est*, fortior, *bellis præsidet; hominibus in hostes auxilia subministrans.* Hic verò: *Alter* Wodan, *id est*, fortior, *bella regit; hominumq, ministrat virtutem, contra inimicos.* Immò saca, vel ensis Saxonicus, Wadner (nam placet aliquando in his etiam ludere, si fortè conjector falsus verborum sim) ab isto armorum præside, ac bellorum Deo, Wadon/ tàm congruè & convenienter derivatur; quàm vetus illud vocabulum *Degin*, quod majoribus nostris significabat *propriè hominem nobilem, fortitudine ac virtute præstantem, humani generis officio belli domiq, paratum.* In summa, *hominem bellicosum & heroicum.* Ita gladius Degen nuncupatus, quod ejus ministerio in defensione utimur. Plura de hac ipsa voce *Thegan*, seu *Degin*, congessit *Goldastus in Animadv. in Tyrolis, Scotorum Regis, Paren. ad Fridebrandum Fil. §. 18.*

At verò diversa nominis scriptio admiratione nos afficit? *Hodan, VVodan, Godan, Guodan*, eandem sustinet mutationem, quam alia in aliis patiuntur linguis vocabula: Ebræi dicunt ferè הוא, Græci *ὅς*, Angli *vvho*, Belgæ *vvie*, Germani wer / Latini *qui*, vel *quis*. Notum utiq; est, *VV.* sæpiùs transire in *Gu.* ut *Guilelmus, Guolfgangus, Guido, Gualterius, guardia, guastare* Ital. pro, *vastare*. Quid, quod *Varinus* Veronensis (ait *Jovianus lib. I. de Aspiratione*) doctus vir, tamen in hoc à multitudine non dissentiens nomini suo, quod Romanum est (à *Varo* enim, seu malis *Varrio*, fit *Varinus*) *G.* præponebat semper, & *Guarinum* scribebat. Vel transit illud *VV.* in *Qu.* ut, Belg. *vvie*, Lat. *qui*. Nos Germani usurpamus, welcher; Belgæ, *vvelck*; Galli, *quelque*; Scoti, *quhilk*.

Cæterum, ne quid dissimulatione transmittam, accuratissimè monent Runicæ, Islandicæ, Suecicæ, Finnonicæ, Scandicæ, Danicæ, Anglicæ, Scoticæ, Cambricæ, Belgicæ, aliarumq; linguarum (quas vetus Germanica filias suas vocat) *certas* quasdam *literas*, quæ quasi, *ab initio*, *cum aspiratione aliqua* efferuntur, ex consuetudine illarum gentium, signo *H.* vel *VV.* in fronte statim notari: Nonnunquam & veteres *HVV.* ceu geminam aspirationis notam, in monumentis suis junctim posuisse; at per metathesin hodiè *VVH.* non rectè scribi: Quæ

nota

nota poſterior *H.* indicium lectori faciat, ipſum *VV.* (cumprimis ante vocales poſitum) non noſtro. hoc eſt, Germanorum more, ſed planè ſingulari, & populis illius proprio ſuaviùs pronunciandum eſſe; ac ſi vel ſola aſpirationis nota ſubaudiretur: Idq; ſubtiliùs, quàm vulgò etiam Germani ſolent; *quorum validiora labia voces ipſas, velut ab imo ſtomacho ductas, in aerem excutiunt;* cenſore *Carolo Bovillo Samarobrino*, qui hanc ſibi liberiùs de nobis judicandi libertatem ſumſit in libello ſuo, *De differentia.* ſive, *vitiis vulgarium linguarum, cap. 32.*

Age verò, poſterioris (quæ ad nomen *Odan*, vel *Vodan*, aut *VVodan* maximè facit) obſervationis regulam primò, & exempla ejus accipe. *Alexander Gill in Logonomia Anglica cap. 4.* hoc me tirocinio imbuit: W. *aſpiratum conſona eſt, quam ſcribunt per* W H. *& tamen aſpiratio pracedit. Illa namq; voces, quæ per* W H. *ſcribuntur, poſſunt, atq; etiam, ad exempla majorum, ſcribi debent per* H W. *aut* H U. *Ita enim nihil aliud inde colligi queat, quàm quod ex ipſo* W H. *intelligimus; ut* wil *ſive* uil, *naſſa;* hwil, *ſive* huil, *rota. Tamen quia noſtra experientia docet,* W. *&* W H. *veras eſſe, ſimplicesq; conſonas, in quarum elatione* U. *ſuggrunnit tantùm, non clara vocalis auditur; ideò illud* W. *ante vocales aut diphthongos jus aſſignatum obtinebit; at* W H. *mala tantùm conſuetudine valebit in* what, *quid;* whether, *uter,* & ſimilibus. Quicqnid verò ſit, conſuetudo hæc ex antiquiſſimi Anglorum vatis, *Spenceri*, nec non *Fajeri*, *Goldingi*, *Sidneji*, *Tuſſeri*, *Johnſoni*, *Jo. Daviſii Hereffenſis*, *Haringtoni*, aliorumq; Poëmatibus ſatis apparet; in quibus ſæpè legitur *vvhö* & *vvhich*, qui; *vvhat*, quid; *vvhom*, quem; *vvhër*, ubi. Hoc etiamnum ſcribuntur modo, *vvhit*, albus; melius Dani, hviid; Islandi, hvytur; & Angloſaxones, *hvvite.* Inſignis ille JCtus *Jo. Covvell*, in *Interprete* verborum Juris Anglicani, *vvhite hart ſilver*, q.d. Weiß-hirſchen-ſilber/ *candidi-cervi-argentum*, dicit eſſe tributum, vel mulctam ſolutam in abaco aut tabula Foreſtorum albi cervi. Hoc verò argentum à temporibus *Henrici III.* cœpit, quod ipſe Rex impoſuit *Thomæ De-la-linde*, quòd præclarum telo occupaſſet cervum (ceu puer Hermolaus aprum, de quo *Curtius lib VIII. cap. 6.*) quem Rex ferire deſtinaverat; teſte *Camdeno in Britannia, pag. 150. A vvhore*, meretrix; Germ. Hur. *VVhole* totus, Græc. ὅλ☉. Belg. *heel.* Island Heill. Græcum quoq; eſt εἰλέω, verto, volvo; à quo *Mer. Caſaubonus* Anglicum *a vvheele*, rotam deducit in *Part. I. Commentat. de Quat. Ling. pag. 265.* In Lexico Juris Anglicani *vvharfa, vvharfe*, locus eſt (eodem *Covvello* interprete) amplus, latus, planus, ac ſpatioſus, in angulo vel cornu maris, aut fluvii; in quem deponuntur merces, ut exinde in alia loca transportentur. Ad exempla verò majorum (ut loquitur *Gillius*) in Angloſaxonica quadam epiſtola Ælfridi Regis Angliæ, ad Wülfſigeum Epiſcopum, unà cum Gothicis ac Longobar-

gobardicis Vulcanii Scriptoribus edita, legitur particula, *hvvylce*, quomodo. Et in *Lambardi Glossario*, de Legibus Regum Angliæ excerpto, exstat vox illa *Hvveige*, sed sine Latino (ut in cæteris) glossemate; quæ, ni fallor, eadem est, quam *Covvell* habet: *VVeigh (vvaga)* certum pondus est casei, vel lanæ, continens 256. libras. *Jo. Davies in Rudiment. Lingua Cambro-Britannicæ pag. 3.* observat, Demetas (qui sunt Australis Walliæ, sive Cambriæ habitatores, ut eos *Lelandus*, atq; alii ferè omnes appellant; & ipse *Sylvester Giraldus*, in sua Walliæ Topographia, Australem Cambriæ regionem *Demetiam* nuncupat: Quamvis non desint, ut innuit *Glossarium Legum Henrici I*, ex antiquo Codice MS. olim S. Augustini Dorobornensis, qui Australes Wallos in *Cornubia* locant; atq; ingenti illo maris brachio, quod ab Occidente terram intrans, ad dextram *Cornubiam*, ad lævam *VValliam* abluit, à Borealibus Wallis disjunctos existimant) illos, inquam, Demetas, Anglorum æmulos *CH.* leviusculè, quasi tantùm *VVH.* esset, ita proferre, ut *vvhaer* pro *chvvaer* dicant; & *vvharae*, pro, *chvvarae*: Cum aliàs Cambro-Britannis revera duplicem sonet aspirationem densam. Quid Anglosaxones commemorem? Et Psalterium & Evangelia, hoc ipso excusa idiomate si inspiciam, vel sexcenta inibi occurrunt: *Hvvomme*, angulus Ps. CXVII, 21. *Hvvelp leona*, catulus leonis, Ps. XVI, 13. & catellus, Matth. XV, 27. *Hvvettan*, exacuere, wetzen/ Ps. LXIII, 3. *Hvvy*, quare, Matth. IX, 9. 11. *Hvvylc*, quis, Ps. CXXXVIII. 5. *Hvvon*, paululum, pusillum, ut: *Tha he vvas lytwhon thanon agan*, hoc est, *cùm esset paululum progressus*, Marc. XIV, 35. & I, 19. *Hvvenelaffan*, paulò minùs. Ps. CXVIII, 87. *Hvvilvvendlic*, Temporarius, Matth. XIII, 21. Vir ille integerrimus, *Fr. Junius*, Lexicon Anglosaxonicum, quod ex Bibl. Seldeni manu sua descripserat, dono mihi dedit; in quo reperi, *hvvitha*, *hvviotha*, aura, inde nostrum, wetter; *hvvet*, virtus, valor: *Of tham hvvatestan mannan Germania*, de nobilissimis totius Germaniæ viris; unde potiùs vox illa, wadlich. Hos imitantur Sueci, dicentes: Hwarföre/quare; hwart man wil/qualibet; hwarigenom/quaqua; hwilken thera/quisnam. Quæ didici ex *Jo. Wolimbus Syllabo Lingua Latino-Suecica*. Hwan/& hwarn/quolibet; hwarken dera/neutrum horum, *Loccenius in Lex. Sueogoth.* Quid de Cambro-Britannis dicam? *Jo. Davies in Dictionario* hæc suppeditat: *Hvvy*, illi, *hvvynt*, illæ; *hvvyedig*, prolongatus; *hvvyad*, anas; *hvvyl*, velum, & valetudo, & iter; *hvvylus*, prosper; *hvvylvvynt*, ventus prosper; *hvvylio*, dirigere; *hvvyr*, serus, vespertinus, tardus; *hvvyrfrydig*, tardanimis; *hvvynyn* (nota) idem quod *boenyn*, pilus majusculus, seta. In aliis Septentrionalibus linguis pro *HVV.* usurpatur etiam *HV.* vel *HU.* Sic Islandi ajunt: Hvort/quò; hvadan/unde, hvor/quis; hvör/thermæ; hvernen/quomodo; hvar/ubi; hvaß/auctus; quæ equidem doctissimo

Juveni,

Juveni, *Thorchillo Jonæ*, Arngr. F. awico meo singulari me debere, libenter fateor. Composita hver er / quisquis; hver ed / quicquid; hvor sem hellst / quicunque; hvereyrn / unusquisque; & hvor tueggie / uterq; &c. exhibet *Runolphus Jonas in Rudim. Grammat. Island. cap. 7.* Prædii *Hvammar* meminit *Arngr. Jonas in Specim. Histor. Islandiæ, Sect. 54.* Et inter Norwegiæ nobiles haud ultimi, Thorsteni candidi, *Hinn Hvitte*, in sinu Wopna-fiórd; *in Spec. Chorogr. Isl. Sect. 7.* In lingua Danica, & Cimbrica præsertim, *hvevs*, crabronem, webs / scribendum censuit *Jac. Matthiæ Arhusiensis, lib. I. de Literis, pag. 103.* ubi de vocum similitudine agit. Hanc verò scriptionem æquè ac pronuntiationem procul dubio Runis acceptam ferant, necessum est; nec fallor, si *Runicum* admirandi illius *Wormii Lexicon* evolvo: *Huimleidur*, invisus, quem omnes fastidiunt. *Huitmenne*, vir candidus. *Huitakristur*, sic appellarunt veteres Christum à probitate & candore, quasi candidum Christum. *Ad huorla heyea*, fœnum dejicere & dispergere. *Ericus Schroderus in Lexico Latino-Scandico* ad oculum ostendit, Venedicæ seu Finnonicæ linguæ has voces esse: Huone / domus, ab habitando, wohnen / sic dicta, eine Wohnung: Huonen laino / diversorium: Hariotus huone / auditorium, schola: Huuli / labrum: Huora / adultera: Huoruus / adulterium: Huorin theda / adulterium committere: Huicandelemus / inconstantia: Huuta / clamare. *Stephanus Johannis Stephanius in Nomenclatore Latino-Danico* recenset sequentia: Hutler / acquiesco; hueder & huesser / acuo; hueller / concamero, gewelben; huinner / huinnio; huisser / musso; huister hen / jacto &c. Item, huis / cujus, wessen; huilck / quis; huor / ubi, Belg. *vvaer*, Germ. wo. Galli simillimè: *Huile*, oleum; *huissier*, satelles; *huit*, octo.

Immò vel sola consona W. instar adspirationis erit, si usum spectes: Græcum est ὡς, Belg. *hoe*, Angl. *hovv*, Dan. huorledis / Germ. wie. Ita ὕλη, Sax. Holt (more Ebræorum, quorum Tau nomina in fine format) Belg. *Hout* (nam *l.* ante *t.* more Gallico quasi elisum, in *u.* mutatur) Angl. *vvood*, lignum; Germ. Wald / sylva. A Græcis Ἴλεεμ@ scribitur, pro, *VVilhelmus*; atq; ἔνετ@, pro, *venetus*; ἔδω, unde *vescor*; ἔσθης, unde *vestis*; ἦρ, unde *ver*. Manilius *Hesperum* mutavit in *Vesperem*, hoc versu: *Accenso cum ducit Vespere noctem. Lib. I.* Nam Æoles, densum spiritum non habentes, digamma suum adhibuerunt in his vocibus: Ϝεσπέρα, Ϝύδωρ, pro, ἑσπέρα, ὕδωρ. Quid, quod Latini retinuerunt digamma Æolicum in medio vocis, ut, *serFus*, *oFum*, *aFum*, *&c.* De hoc digamma, præter *Priscianum* ac *Festum*, *&* *Maurum Terentianum*, *Quinctilianus lib. I. cap. 5. Adol. Mekerchus lib. de Ling. Græc. vet. pronunt. cap. 33. Jul. Scaliger lib. I. de Caus. Ling. Lat. cap. 15. Vossius lib. I. de Arte Gramm. cap. 16.* Fundum suum *Formianum* vocat *Cicero ad Atticum lib. IX.* Digamma, quod nomen

men ejus ab F. litera initium sumeret, cujus figuram & sonum repræsentabat. Hæc quoque causa est, cur idem Cicero (sicut annotat Fabius) pro *Fundanio* testem Græcum irriserit, qui primam ejus literam, quod esset digamma, à solis scilicet Æolibus inter Græcos usurpatum, pronuntiare non posset: Nam ex eadem figura *F.* (Terentiano teste) qua utebantur Græci pro spiritu aspero, fecerunt Latini *V.* consonans, dicentes (ut antea ostendi) *Venetus, Vescor, Vestis, Ver, Vesper*. Certum id esse, quod scilicet *F.* digamma Æloicum sonarit olim, ut *V.* consonans, probat *Agellius lib. XIV. cap. 5*. Hanc ipsius F. & in vetere Britannorum lingua potestatem non satis advertens Historiæ Britannicæ Anglicus interpres, *Ephraimum* quendam, manifesto errore, sedi Asaphensi præfecit Episcopum; quem sedes illa nuuquam vidit. Errori ansam præbuit, quod in Historiæ Britannicæ MSS. codicibus *Efream*, more Britannico dictus sit *Abraham* Episcopus; ceu & in eadem Historia appellatur *Abraham* Patriarcha. Quam vocem cùm *Evream* legi debere non attenderit, *Effraem* mendosè legit: Cambro-Britanni enim simplici litera *F.* utuntur, ad sonum *V.* exprimendum; gemina verò *FF.* quæ per *F.* Latinum scribuntur, pronuntianturq; , ut, *ffyd*, fides; *ffynnon*, fons; *ffurf*, forma; *ffenster*, fenestra; *perffaith*, perfectus. Hæc à Latinis vocabulis per *F.* scriptis, deducta quis non intelligit? Sic scribunt & merè Britannica, ut, *ffonn*, baculus; *ffaig*, vice; *fford*, via; *ffelaig*, dux, princeps. Quare & nomen illud Episcopi, *Efream* (qui anno salutis 1232, ut habent Archiva Asaphensia, & Historia Britannica, fatis cessit) legi debebat *Ebream*, non *Effream*, & exinde *Effraem*; ut sic *Ephraimus* fingeretur. In eodem MS. codice Hist. Brit. habetur *Efervvic*, pro *Eboraco*; *Efrai*, pro sermone *Ebræo*; *Elfod*, pro *Elbodio*. Iidem Britanni *Cufydd* dicunt, à Latino, *Cubitus*. Hæc omnia *Jo. Davies in Rudim. Ling. Cambro-Britt. pag. 3. & 5.* quæ meritò ei accepta refero. Quocunq; calamum verto, rursus digamma eum implicat; dum & *Falisci* in memoriam veniunt, ab *Haleso* ita appellati, de quibus *Naso lib. IV. Fast.* canit;

Venerat Atrida fatis agitatus Halesus,
à quo se dictam terra Falisca *putat.*

Id, quod dicit Ovidius, ex Servianis scholiis ad *lib. Æn. VII. v. 695.* adminiculari potest: *Hi autem immutato* H. *in* F. *Falisci dicti sunt; sicut* febris *dicitur, quæ antè* hebris *dicebatur:* Formiæ, *quæ* Hormiæ *fuerunt*, ἀπὸ τῆς ὁρμῆς. *Nam posteritas in multis nominibus* F. *pro* H. *posuit.* Hæc Servius. Ita *hariolus*, quasi *fariolus*, à fando; quæ conjectura *Turnebi* est, *lib. XXIV. Advers. cap. 17.* Apud Hispanos (observante *Freinshemio ad Flori lib. I. cap. 12.*) usitata harum literarum invicem mutatio. Nimirum prisca Lusitanorum (quod is fortè sibi volebat) vocabula, ab *F.* incipientia, hoc omisso, cum adspiratione scribuntur; ut si

ut si Lusitani dicant, *forno, falo, ferro, fumo, fillo, &c.* Hispani pro his usurpant *horno, habla, hierro, humo, & hijo.* Addatur illis, quæ antea de signo Æolum notavi, *Vossius lib. I. Gramm. cap. 29.* Calame, πῦ πρᾶγος; Usque adhuc de adspiratione, quam litera *VV.* & *V.* maximè æmulantur.

Sed nunc illud in mentem est, quod *Fabius lib. I. Instit. cap. 5.* de veteribus tradit; hos rarissimè vocibus, à vocali incipientibus, adspirationem præmisisse: *Parcissimè ea veteres usi, etiam in vocalibus, cùm* ædos ircosq; *dicebant.* Haud aliter profectò Germani, qui non solùm *H.* verùm etiam *VV.* in multis vocabulis omittebant; addebantq; postea, ut, Anno / Hanno; Ulderich / Hulderich; Ammon / Hammon; Eul / ulula; heulen / ululare; Ohr / auris; hören / audire; Uhr / Græci Latiniq; *Hora*; Erb / Romani, *hæres.* Es / Dan. & Angl. *it*, Belg. *het*, Anglos. *hit.* Arm / brachium, Nubiani errones apud Vulcanium, *Harms*, thorax; Tauricæ Chersonesi incolæ, *Jel*, vita, sanitas; Saxones inferiores, Hiel; nos Germani superiores, Heil; Cambro-Britanni, *Hvvyl.* Sic inquam, Islandi, Ulf; Germani, Wolf: Dani, Ord; Belgæ, *VVoord*; Germ. Wort. Et, ut eò redeam, unde in hoc diverticulum excessi, sic Gothi dixerunt Oden & Woden; hinc legitur Onsdag & Wonsdag in *VVormii Fastis, lib. I. cap. 15.* Idem & apud Scotos obtinet, ut quartus septimanæ dies, *Odensday*, sive *VVednsday* vocetur.

Posterioris & regulam & exempla observationis nunc habes; sed nec prior de adspiratione consonarum initialium planè prætermittenda est, quæ idem commonstrat, *VV.* uti *H.* certas quasdam literas ab initio adspiratas reddere. *Arngr. Jonas lib. I. Crymog. cap. 3.* de Islandorum consuetudine scribendi monet, *L. N. R.* interdum *adspiratione* modernos; *veteres rariùs*, aut *fortè* nunquam. Benè profectò fecit, quod particula *fortè* usus, judicium suum lenivit; in lingua enim Runica, & Anglosaxonica, vetustissimi codices adspiratas ostendunt. *VVormius in Lexico Runico* hæc recenset vocabula, quorum initium est *L. N.* aut *R.*, & quidem adspirata: *Hlita*, obtemperare. *Hlydne*, obedientia. *Hlyfar*, arma munitiva. *Hlyre* frater. *At Hnifa*, strenuè scyphos exhaurire; inde nostrum Napf / & nüpfen. *Hnesig, Hnesigur*, lapsus, genulabatio, item diminutio, exinanitio. *Hnuskan*, agitatio, concussio. *Hra*, cadaver. *Hrak*, res abjecta. *Hreinn*, purus, sincerus; inde fluv. Rhein / adspiratione transposita. *Hröp*, clamor & probrum. *Hryd*, notabilis tempestas cum nive, grandine, aut insigni pluvia; & alia quàm plurima. Anglosaxonica in Lexico MS. Bibliothecæ Seldeni extant vel sexcenta: *Hladre*, scala. *Hleaa*, sedile. *Hleovvth*, apricitas. *Hleov vstede*, locus apricus. *Hlithe*, quietus leis. *Hlud*, sonorus, laut. *Hnap*, scyphus, ein Napf. *Hnol*, vertex capitis. *Hnon*, tonsus. *Hraman*, *Hryman*,

man, clamare, flere. Hr*eg*, inundatio, Regen. *Hrinan*, ornare. In libello quodam MS. Bibliothecæ Cottoninnæ, qui agit *de somniorum diversitate, secundum ordinem Abcharii Danielis Prophetæ*, inter alia observavi, *hlihtan*, ridere; *hnyte*, nuces. Item, in nobili illo Anglorum Grammatico, *Ælfrico*, qui nongentis abhinc annis Priscianum ac Donatum inter se contulit, adjecta versione Anglosaxonica, has reperi voces: *Hlehter*, risus; *hlænys*, macies; *hlyst*, auditus; *hors hnægth*, equus hinnit; *oxa hlevvth*, bos mugit; *hlaford*, dominus, herus; *hlæfdige*, domina. Evolvi prætereа Hymnos & Precationes MSS. in eadem Bibliotheca, cum versione interlineari; ex quibus tum temporis enotavi, de SS. Trinitate, hanc precationis clausulam: *Thas vvuldor* hlynth *on eallum middamearthe*. Id est: *Cujus gloria reboat in omni mundo*; ad verbum, *in omni media terra*. Evangeliorum interpretatio Gothica orationis Dominicæ *hlaif unsarana*, pro pane quotidiano habet. In brevi Glossario, de Legibus Regum Angliæ *hlothe*, cohors, & *hluttres* annotatur à *Lambardo*. Igitur Islandi, quorum idioma cum Runico Anglosaxonicoq; cognatione conjunctum est, veteres in hoc sequuntur; dum scilicet moderni prætereа consonis *L.N.R.* (testem *Runolphum Jonam in Rudim. Gramm. Island. pag. 2. & 3.* cito) præponunt H. ut in his vocibus: Hlaatar / risus; hlutur / res; hlaanar ade / nix resolvitur; eg hlô / rideo; hnaus / cespes; hneppe / quantum brachiorum amplexu includi potest; hnöttur / globus; hroosun / commendatio; hrutur / aries. *Arngr. Jonas in Crymog. lib. I. cap. 6. & 7.* de Islandorum Aristocratia perhibet, eos *hreppar* appellasse provincias, quarum quælibet regulariter ad minimum XX. (nam sæpè plures) colonos continebat, certo rei familiaris augmento definitos; earundemq; magistros, sive præfectos, *Hreppstiorar* dictos fuisse. Idem ille in *Specim. Island. Histor.* Borealis Islandiæ chorographiam exhibens, *Sect. 6.* Thorderum adducit, cognomine H*rada*, quasi timorem, vel terrorem; eò quod hunc fortibus ausis aliis incuteret. H*rolleifus*, homo nequissimus, flagitiosus, & tandem sicarius (à cujus nomine vallis intermontana, in tractu *Slieta-hlid*, postmodum H*rolleiffs-dal* appellata) inseritur *Sect. 13.* Islandis hlaust est cavum auris; ad hlausta til / aurem adhibere; ut in MSto Cottoniano, de Somniis, *rædende lystan*, legentem audire. Belgæ pro eo, *luysteren*, auscultare. Quapropter & in nominibus Germanicis, tribus mutis ac liquidæ *R.* apponitur spiritus densus; ceu indicant nomina illa, in Legibus Longobardicis, *Hlotharius*, *Hlimprandus*, *Hludovicus*, *Hrotharis*. De his benè monet *Vossius lib. I. Gramm. cap. 14.* plerosq; prælo excusos corruptè edere pro eo *H. Ludovicus*, & *H. Lutharius*; ut aliquoties factum ab editore synhodi Parisiensis de imaginibus. At rectè, inquit, *Hludin* perscriptum est in Capitularibus Caroli M. idemq; denotat,

quod

quod *Hludovicus*, sive *Clodovicus*, aut *Clodoveus*; quomodo & *Hlutharius* idem est, quod *Lutherus*, sive *Lotharius*. De hac ipsa veterum adspiratione agens *VVormius lib. V. Monum. Dan. mon. 7.* duo protulit numismata, in Dania prope Lethram (quam arcem primùm à Skjoldo Rege Daniæ exstructam, post à Rolvone Krage ornatam, Antiquitates Islandicæ *Hledro* vocant, monente *Stephanio in Notis ad Suenonis*, primi Danicæ gentis Historici, *Opuscula, pag. 16.*) effossa; in quorum altero crux visitur, quam ambit hæc inscriptio: HLUDVVICUS IMP. parte aversa figura templi, circa quam XPISTIANA RELIGIO. Nummus alter pariter in ambitu crucis, HLUDVVICUS IMP. ab altera parte majoribus, non ambientibus imaginem aliquam characteribus, VENECIAS. Cambro-Britanni *L.* & *R.* adspiratum, ætate superiore scripserunt; & illud hodieq; scribunt literis geminatis *Ll.* velut *Rr.* Nos radicalem R. semper adspiramus, ait *Jo. Davies in Rudim. Ling. Cambro-Brit. pag. 7.* Et cùm tradat Jo. Aventinus, veteres Germanos *L.* cum adspiratione usurpasse; Cambros suos excusat, nullamq; Ll. pronunciandi difficultatem esse disputat; cùm Hispanis insuper eadem sit scriptura, & sonus non multùm absimilis, in his, quæ à Latinis *Cl.* vel *Pl.* incipientibus, mutuantur; ut, *llamar*, clamare, Cambr. *llafaru*; item *llorar*, plorare. Idem repetiit de *L. adspirato*, in figura & potestate literarum Britannicarum; quam Dictionario suo præfixit.

Haud aliter Anglosaxones olim (ut Angli hodiè, ac Belgæ) pro *H.* usurparunt *VV.* in literarum *L.* & *R.* adspiratione. Eques ille Wilburghamensis, *VVilliam L'isle*, diversa linguæ Anglosaxonicæ Monumenta, cum versione Anglica, annis abhinc septingentis scripta, in lucem emisit; ubi in primo monumento, quod *de Vet. Test.* inscribitur, statim sub initium hæc leguntur: *Tha gimeleasan men, the beora lif adrugon on ealre idelnysse, and svva geendodon, heora gemynd is forgiten on halgum gevvritum.* Id est: *Homo salutis negligens, qui vitam transigit in omnibus vanitatibus, ejus memoria oblivione deleta est in sacra Scriptura.* Illis usitatum erat *gevvrit*, pro quo Angli *vvrit* dicunt. Et post nonnulla, creaturas pulcherrimas à Deo conditas affirmat auctor illius monumenti, ut essent viventes in perfectione, *libbende svva vvlitiges.* Regis Edelfridi filii (de quibus *Beda lib. III. Hist. Eccles. cap. 1.*) cum magna nobilium juventute (juxta versionem Regis Anglosaxonum Alfredi) *gemid Scottum, gemid Pehtum vvracode*, id est, *apud Scotos, sive Pictos exulabant.* In codice Cotton. de Somniis, occurrit *vvrohte*, accusatio. In eodem volumine, *fol. XXXV.* Tonitrua, pro varia temporum ratione, exponuntur; ibi: *Gif hit thundrath on tide feofian midre nihte, hit getacnath sumne svveg utgangende of vvuruldе, oththe* wrace *on middam earthe.* Id est: *Si tonitruaverit hora quinta media noctis, id significat aliquem sonum*

 egredien-

egredientem de seculo, vel vindicta *in mundo.* In Nov. Test. invenio *vvrecan*, vindicare: *VVrac me vvith minne vvithervvinnan*, Vindica me de adversario meo. Luc. XVIII, 3. & 5. In Psalterio Anglosaxonico (quod *Jo. Spelmannus*, Henr. F. cum quatuor vetustissimis exemplaribus MSS. contulit, ediditq;) lego *vvrithan*, constringere. Ps. XXX, 12. *Se gevvrith forgnisseddnissa heora*, qui alligat contritiones eorum. Ps. CXLVI, 3. *To gevvrithenne cyningas heora*, ad alligandos Reges eorum. Ps. CXLIX, 8. *He vvrath his vvunda*, alligavit vulnera ejus. Luc. X, 34. Notandus hîc venit interpres vetus Psalmorum, qui *Excussorum filios* reddidit, *vvregundra bearn*, Ps. CXXVI, 5. Legisse is autem videtur, *Excusatorum*, aut *Excusantium filii*; quoniam vox, *vvregan*, excusare significat. Ps. CXL, 4. Anglis adhuc in usu sunt sequentia: *VVracke*, violentia; *vvrangling*, litigatio; *vvrap*, intrico; *to vvrastle*, luctari; *vvrath*, indignatio; *to vvreath*, *vvrest*, & *vvrinch*, contorquere; *vvreake*, vindicta; *vvretch*, miser; *vvrie*, limus; *vvright*, faber; *to vvrinckle*, corrugare; *to vvring*, adstringere; *vvrought*, factum, effectum, &c. Postremò Belgæ his quotidie utuntur vocabulis: *VVracke*, vindicta, Rach; *vvreken*, vindicare, rächen; *vvryven*, terere, reiben; *vvritselen*, commovere, rittelen; *vvroeghen*, urgere, regen/ rüffen; *vvronk*, flexus, simultas, dolus, Ranck; *vvroeten*, runcare, reuten. Tantum de FREA scilicet, & WODANO.

Quid aliud de hoc literarum fasciculo (nam suo rem appellabo nomine) judicabis, VIR EXCELLENTISSIME, nisi ut de hac ipsa epistola usurpes, quod alii de re longa, & inexplicabili: Sardi venales! Sed eo nunc tabellario utor, qui bajulo munus surripiens, Hamburgum dum proficiscitur, has secum afferre haud recusat: Quare libertatem scribendi (dum charta & tempus superfit) calamo libenter indulgeo. Tradam apicum gerulo, ut amicus amici onus porrò perferre discat. Limprandus *tit. de Ariolis 73.* hanc tulit Legem: *Simili modo, & qui arborem, quam rustici SANCTUM vocant, atq; ad fontanas adoraverit, &c.* Lindenbrogius in vett. Legg. Codice legit, *rustici SANGUINUM vocant:* Sed in lectionibus variis, ac notis, addit: *Ita MS. melioris notæ. In alio scripto eadem: rustici SANGUINEM vocant. Editio Basiliens. SANCTIVUM.* Tandem in Glossario legendum putat, *quam rustici SACRIVUM vocant*; velut *arbores sacrivas*, in Concil. Antissiod. *cap. 3.* SANCTIVAM retinet *Schedius Syngr. II. de Diis Germ. cap. 24.* Glossa *Boherii* in vetere libro aliam lectionem notat: *Aliàs est, SCRINIUM vocant.* Quam igitur nunc viam ingrediar? aut quid potiùs sequar? Pro SANGUINUM, legere quidem animus erat, SAGMINUM, ex occasione Ejusdem glossæ: *Vid. tex. in l. SANTUM, ff. de re divis.* Nam statim in *pr. Leg. 8. d. tit.* dicitur: *SANCTUM est, quod ab injuria hominum defensum atq; munitum est.* Dein *§. 1.* id ipsum exponitur: *SANCTUM autem*

dicitur

dicitur à SAGMINIBUS; sunt autem SAGMINA quædam herbæ, quas legati populi Rom. ferre solent, ne quis eos violaret. Verùm, lectionem hanc doctam magis, quàm veram *Cl. Gronovius*, cujus accurato judicio usus sum, haud probavit; cum non verisimile sit, hunc ritum Romanorum ita Longobardis, doctrinæ politioris expertibus, innotuisse, ut *arborem sagminum* nominarint. Tantum verò abest, ut Glossa ista à vetere me absterreat lectione, ut potius confirmet, SANCTUM omninò legendum esse; ceu legit editio Basiliensis SANCTIVUM, quæ me non parùm juvat. *Max. Tyrius* memorat *Dissert. XXXVIII.* Celtas excelsam quercum coluisse, & *Jovis nomine* solemniter appellasse. Hi nimirum lucos eligebant, in quibus maxima robora, & vetustissimæ quercus essent; *nihil enim Druydæ habebant robore sacratiùs*, auctore *Plinio lib. XVI. cap. 44.* Certè ab arboribus, aut sylvis istæ videntur dictæ; quoniam *Prudentius lib. I. adversus Symm.* eas appellat *sylvas Dryadas.* Vetus Germanorum vocabulum Trô/ Danis pariter ac Norwegis usitatum, velut Anglorum *Tree*, id est, arbor, & Anglosaxonum *Afel-tre*, arbor pomifera (hinc nostri hortulani non nisi pomiferas Afalter / corruptè vocant) non leve testimonium præbent; quamvis postea Græcis species arborum, *quercus* δρῦς dicta fuerit. In superiore Germania non paucæ ostenduntur arbores, quas superstitiosa rusticorum simplicitas vulgo Druden-bäume/ q. d. *Druidum arbores*, vel lamiarum potiùs, ac veneficarum esse credit: Infelices ac tortuosæ istarum frondes Druden-büsche nominat; quæ inveteratam gentilium redolent impietatem. Rursus mihi *Plinius* est repetendus, qui *lib. XII. cap. 1.* de vetustissima sylvarum, arborumq; superstitione: *Hæc fuere numinum templa, priscoq; ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant.* Verbo, si potis sum, dicam: Arbores erant SANCTI rusticorum, quos Rex Carnutus alio nomine *gentium Divos, cujusq; generis arbores*, notavit in *Legg. Polit. cap. 5.* Apertè *Concilium Namnetense, cap. 20.* arbores *Dæmonibus consecratas* damnat, hoc ritu verborum: *Summo decertare debent studio Episcopi, & eorum ministri, ut arbores Dæmonibus consecratæ, quas vulgus colit, & in tanta veneratione habet, ut nec ramum vel surculum inde audeat amputare, radicitùs exscindantur, atq; comburantur.* Stolidam istanc superstitionem prodit *Lucanus lib. III.* quæ isti haud absimilis:

- - fortes tremuere manus, motiq; verenda
majestate loci, si robora sacra ferirent,
in sua credebant redituras membra secures.

En, inanis arborum, velut Deorum, timor! *Curtius lib. VIII. cap. 9.* de priscis Indiæ incolis: *Deos putant, quicquid colere cœperunt; arbores maximè, quas violare capital est.* Mercator quidam Beverovicensis, Vir integerrimus, in India simul

ſimul ac Perſia, per annos ſeptendecim, benè verſatus, ac nuper ex itinere longiſſimo in patriam ſuam reverſus, familiariter mihi narravit, per omnem Indiam, usq; ad regnum Chinenſe, præaltas arbores, ſi vaſtis diſponſæ ſint ramis, facilè cultorem ſacrificulum invenire; qui in ædicula, cominus exſtructa, degens, arborem multo inungat oleo: Hanc viatores (propter umbras fortaſſe) venerari, ad inſtar Dei; genua huic ponere, & ſacrificulo largiorem ſtipem offerre: Noctu candelas accendi ad arborem, ut peregrinantes hoc viarum ſolatio fruantur: De cætero tantum ſanctis arboribus honorem haberi affirmabat, ut non, niſi vento, folia iſtarum ſtringere fas ſit. Amicus meus ſingularis, *Georg. Gentius*, nuperrimè etiam ex itinere CPtano redux factus, de Perſis retulit, hos in arboribus publicas preces figère, ubi ſterilis & avida tempeſtas fuerit; uti viatores, huc transeuntes, pluvium exorent Jovem: Sacra ſub illis fieri memoravit, æſtivo imprimis tempore; quo nocturna, ob æſtus vehementiam, itinera, usq; ad menſem Septembr. inſtituuntur. Inter Amſtelodamum (ceu ferunt) & Ultrajectum integras ſæpe arbores effodiunt agricolæ, diluvio quodam abſorptas; quas hujuscemodi Sanctos gentilium fuiſſe, non levis conjectura eſt; ſi Willebrodi, Ultrajectenſis Epiſcopi, precibus fides habenda ſit: Is enim Hollandiæ Apoſtolus à Deo impetravit diluvium, quo omnes iſtæ arbores ſic perirent. *J. Parival*, in Deliciis Hollandiæ, recenter editis, *cap. 3. part. I.* Gallico verborum ſtalagmate fabulam hanc (neſciò, an veram) depinxit: *Quelques autres ſoutiennent, que ce deluge arriva du vivant de ſaint Villebrorde, Evesque d'Utrecht, lequel ne pouvant retirer par ſes predications, les habitans de l'idolatrie, qui adorojent les dieux payens, auxquels ils avojent dedié & conſacré les dites foreſts; obtint par ſes prieres de ce grand Dieu jaloux, que ces arbres fuſſent mis par terre, afin qu' ils ne ſerviſſent plus de retraite, & de cachette a ces idolatres nocturnes.* Talis profectò lucus iſte fuit, prope Upſaliam, Odenslund/ Odino ſacer; atq; in iſtorum Deorum cenſu *Tanfana* fuiſſe creditur, apud *Tacit. lib. I. Ann. cap. 51. §. 2.* cujus nomen verè derivatur à Tan/ vel Than/ abies, & Fahna/ vel Fan/ quæ eſt vox Gotho-Teutonica, *dominum* aut *numen* ſignans. Iſidorus in Gloſſis: *Fones, Dii ſylvatici.* Templum *Tanfanæ* (quod nomen *luci patronum*, vel *dominum* ſonat) fuit in luco inter Amiſiam & Luppiam, in Weſtphalia; ut ejus ſitum deſcribit *Cluverius lib. I. Germ. Antiq. cap. 11. & 47.* Sed nolo falcem immittere in meſſem uberrimam *Loccenii lib. I. Antiq. Sueo-Goth. cap. 3.* Vive & vale, VIR SUMME, Deus immortalis Te ſervet!

Lugd. Bat. a. d. XVI. m. Decembr.
A. S. cIↃ IↃc LI.

MAN-

MANTISSA I.
EPISTOLARUM
CASP. HOFMANNI
AD
VARIOS.

Casp. Hofmannus J. Casp. Bauhino.

LIteras tuas, mi Bauhine, VIII. Id. Aug. datas, rectè accepi, in quibus refers, Typographum vestrum dubitare de impressione versionis meæ. Ego verò dico ἀλιτηριῶδες, peccaturum eum in publicum commodum, si non imprimat. Hoc ut persuadeas illi, da Te mihi paulisper. Græcum quidem Theophrastum pauci legunt: Sed quia fundatur super illo Latinus, non potest ille salvus esse absq; hoc. Dico autem sunt imprimis in Græco, quæ parant offendicula. 1. Auctor ipse utitur quidem dialecto Attica: Sed est ipsa nō minus obscura quàm apud Thucydidem. De hoc autem dicunt boni viri, si quis veniat ad ipsum à lectione alius autoris Græci, eventurum ipsi, quod viatori, qui ex lucido campo veniat in silvam densissimam. 2. Idem scatet erroribus crassissimis plurimis, ignaviâ, credo, Monachorum superioris sæculi. Talis si est Græcus, quid speres de Latino? Et fuit Gaza tàm industrius, ut, ubicunq; offenderet, lacunam faceret, emendaturus & suppleturus per occasionem. Ut comparare possis cum Virgilio, qui idem cogitârat, sed infelici eventu. Quid igitur fecit primus typographus? Er hats alles fein zusammen gerückt/ ne absterreret emptores. Hoc facinus primus quidem propalavit Scaliger, unà cum erroribus versionis: Sed quis toleret tædium collationis? Sed & in paucioribus rectè consuluit illi. Successit illi Dalckampius, qui stupendo labore & Græca omissa reddidit, & Latina in melius mutavit. Verùm, tantæ ibi sunt in utroq; codice lituræ & confusiones, ut hactenus impressorem non invenerit. Sed & ubi Medicus aliquis misertus illius fuerit, supererunt σφάλματα infinita, quæ non patientur quenquam inoffenso pede legere Theophrastum. Ego postquam per XX. aliquot annos præsedissem cathedræ Botanicæ, multa notavi in utroq; codice ed. Heinsianæ; quæ opus habent curâ. Mirum enim dictu est, quàm omnes boni & industrii inclament (ne de Græcis dicam) interpretamentum illud αὐτοκάβδαλον, sive Tu malis αὐτοκίβδηλον. Ego, cum mirâ occasione devenissem ad scribendas Animadversiones, sæpenumero nauseavi ad Augiæ hoc stabulum, ut Heinsius vocat, cum modò huc, modò illuc verterem oculos, neq; tamen invenirem, ubi pedem figerem. Tandem, cùm re ipsâ convictus, fateri cogerer, rationes meas, quibus olim pugnaram contra Laurenbergium, novas Gal-

versio-

versiones meditantem, nullatenus heic locum habere, accingere me cœpi ad versionem novam Theophr., in qua heri ad finem lib. V. Caus. perveni suppleturus, benedicente DEO, reliqua per tempus hoc autumnale. Interim misi, subitò ac tuas accepi, ad Endterum Animadversiones, ut Francofurtum deferantur, ubi cùm viderit Rex vester, deponet fortasse dubium suum. Sin minus, rogo Tecum CL. Fischio, admoveatis machinas vestras, & tandem expugnetis hominem. Certus enim sum, vendibilius fore opus cum versione, quàm sine illa. Vendibilius etiam, si in folio, quod dicimus, quàm in alia forma imprimatur. De vulnere domestico, συμπάσχω Tibi. Tu verò fortis esto, ut Te decet. DEUS dabit alia familiæ tuæ fulcra. Benè & feliciter vale cum d. D. Fischio, quem saluto officiosè. Scribo Altorfii 15. Sept. 1644.

Idem Joh. Rhodio.

FAbulam Tibi narro, mi Rhodi, sed veram. Donârat mihi Candidatus Röder Hippocratem R. Marciani, cui ego ἀντίδωρον loco Obs. meas Montanianas. Quid fit? Post paucos venit ille dies, & ostendit mihi dedicationem ad Ducem Venetiarum, quam ego nullus videram. Ibi tum obstupefacto mihi Candidatus item Nicolai: Fortassis ne impressam quidem nôras? Memini quidem, me Patavium mittere ad amicos, verum consilii capiendi tantùm: qui cùm silentio suo juberent me caput plangere, quievi. Ibi iterum Nicolai: Hoc nimirum est, quod discedenti mihi in mandatis dederat D. Rhodius, intelligerem abs Te, acceperisné responsum Venetiis? Quid multis? Conclusimus tùm, quasi in senaculo Cecropidum, mitttenda esse, licet seriùs, aliquot exemplaria, sed cavendum esse sedulò, ne quod contigisse Ill. D. SALMASIO memorabant illi, contingat mihi quoq;. Hinc adeò factum est, quòd duo eant ad vos exemplaria, quæ, rogo vehementer, offeras cum commodo tuo, & exspectes eventum, si non mihi, tamen posteris futurum olim gratum. Quæris fortè, quod habeam solatium senectutis meæ? Post DEUM, Musas meas. Hac occasione cape hanc alteram fabulam. Legi his diebus phantasticas subtilitates Æmylii Parisani, animi gratiâ, cùm otium esset molestum. Sub harum finem cùm invenirem antagonistæ mei, Mundini Mundinii, librum de Genitura, subdubitare cœpi mecum, essetné alius ab illo de Semine, quem ego olim sub incude habui? Nec poterant me expedire Candidati mei. Citantur enim quatuor partes, cum duabus tantùm constet noster ille: Citatur pag. 300., quo noster non pervenit. Ad Te igitur, mi suavissime venimus, rogamusq;, significes primùm, sitné diversus? Deinde si sit, emas pro me, & des Dnn. Finnis al Fondaco, à quibus certò (si vivam) exspectabis solutionem. Ab iisdem satisfiet Tibi pro ve-

ctura duorum d. exemplarium. Facies autem citò. Non habeo enim, quo soler ignobile hoc otium. Idem statues de MS. Gal. περὶ συνεκτικῆς αἰτίας, nisi Tu malis vertere. Hæc habui, quæ scriberem. Tu vale benè & feliciter. Altorfii III. Non. Nov. 1644. ab Hofmanno, qui proximo die Veneris auspicabor annum ætatis 73. quo tempore utinam adesses, & videres pariter splendorem & miseriam meam. Splendor quidem erit, si volet DEUS, in solo ansere, quem die illo natali meo solenniter macto domesticis: Miseria, in deglutiendo, non quidem solida, sed liquida. Non enim possum ἀμύστι exhaurire tantillum pocillum, sed pitissare cogor. Ibi si deerret vel una gutta, videas silicernium illud periclitari de suffocatione! Habeo talium molestiarum aliquot: Interim benè comedo, sed exiguum, benè dormio, benè egero, per diem obambulo cum baculo in domo satis spaciosa, sine dolore, cum cautione accurata, ne cadam. Ex paralysi enim leviori dextri lateris, facta ante triennium, tantum mihi superest debilitatis, ut si parùm nutet pes, procumbam humi bos, veluti sideratus. Ideò in publicum non eo. Habeo & alia symtomata, quibus commemorandis nolo Te fatigare. Interim, quæ DEI Opt. Max. gratia est, constant facultates principes, dextera hæc ægrè pingit literas, quas vides: Ideò fero humaniter. Non diffiteor tamen, obrepere aliquando tædium vitæ, quale est illud, quod hodiè in lecto mihi natum est, & quod do, ut chartam impleam:

Quid sibi vult tandem mos refractarius iste,
Cùm frenum mordes, ceu violentus equus?
Si DEUS in vita hac vult Te esse, & ferre labores
Impositos, quorsum ringeris & trepidas?
Mollis es, & vano conatu evertere tentas
Ardua divini consilia arbitrii.
Fac tu, quod debes, & puncta in singula mortem
Exspecta, VENIET certa tibi, VENIET.

Iterum vale, mi Rhodi, & responde citò.

Idem Zeæmanno.

Absit frigusculum illud, mi Zeæmanne: Agamus autem illud, quod tu seriò dissimulas. Quid erit mihi præmii pro labore asinino? Quò minus enim expectem operis editionem, cùm aliæ tum hæc me absterret historia. Pepigerat Taurellus olim noster cum Palthenio Francofurtensi nescio quam summam pro Alpibus cæsis. Cùm enim solveret pactum, coactus est bonus senex eò ire pedes, & jure experiri cum homine. Quid actum sit, equidem me latet. Ulmam ego neq; pedes, neq; eques ire possum: Sed neq; si possem, vellem liti-
gare

gare coram Magiſtratu. Cur petam aliquid, cauſa eſt, quia non ſum ex novitiis iſtis, qui periclitantur famam ſuam, cum quibus etiam periclitantur typographi. Nec deſunt exempla. Huguetanus Lugd. dedit pro Inſt. totidem, quot heic expecto N. pro omnibus meis editis & non editis 100. fl. Ex qua ſummula Tu intelligis, quàm ſim æquus rerum æſtimator! Novi, qui pro ſingulis philuris accepit ſingulos aureos Hung. Hoc profectò injuſtiſſimum eſt. Cogitur enim emtor bis emere, atq; ita bis vapulare. Ego in univerſum contentus ero 30. Joach. ſive 15. Ung. qui diviſi per philuras facient tantillum, propter quod nemo bonus indignabitur. Hos ſi Kuhnius ſolverit per Gerlachium ſociumq; curabo illis dari opus per filiam viduam, Noribergæ degentem. Adde, opus eſt tale quale nunquam in hoc genere prodiit, quale meditatum quoq; fuiſſe Bauhinum noſtrum, conſtat ex Matth. ipſius. Ceterùm intelligo ex CL. Sponio, Huguetanum illum eſſe fratrem fraterrimum Gerlini veſtri. Tantum enim non conviciis perpulit illum ad initium faciendum: Poſtquam fecit, interea progreſſus eſt usq; ad 22. Atq; utinam non ſimiles ſint in aliis quoq;, de quibus Sponius! Deſtituitur hominibus aptis, tam componendis quàm corrigendis literis, præcipuè Græcis. Quamobrem miſertus & mei & ipſius d. Sponius recepit in ſe correctionem, quod gratus accepto, nec deero ſignificatione gratæ memoriæ. An in eventum licet mihi de te tale quid ſperare? Vix auſim. Eſt enim moleſtiſſimum verſari quotidiè cum hominibus tantùm non brutis. Vide igitur, quales habeat Kuhnius miniſtros. Imò vide etiam atq; etiam, an non ſit apud vos junior aliquis doctor, quem praxis non impediat! Fortaſſis ſcholaſticus aliquis fuerit commodus, qua de re agas, cum ſalute mea, rogo cum Dn. MERCKIO, Archiſynagogo. Baſileæ quid ſit acturus Lud. König, cudendis Animadverſionibus in Theophraſtum, propediem intelligam de amiciſſimo Bauhino, Noribergæ N. perpetuò cunctatur, difficultatem temporum cauſatus. Horum ego finem non aſpiciam, fortaſſis nec ille. FIAT DIVINA VOLUNTAS. Huic nos utrinq; commendo. Benè vale cum caritatibus tuis, mi Zeæmanne, & usq; proſpera. Scribo Altorfii XVII. Nov. anni 1644.

Idem Rhodio.

QUoniam video, mi Rhodi, Te pertinaciter repudiare conſilium meum de dedicatione, age, ſequor conſilium tuum, præſertim, poſtquam Reſp. illa jam implicita eſt bello Turcico, quod opto finem habere eum, quem illud anno meo natali ſuperioris ſeculi LXXII. ad Echinadas. Libros de Opobalſamo, quemadmodum balſamum ipſum, à Te profectos eſſe, jam demum intelligo. Quamobrem gratias, quas Schefero & Volcamero egi, jam Tibi transſcribo, & tantò

& tantò volentiùs, quò promtiorem video animum tuum in me munerando. Misit enim ad me Dn. D. Nicolai per D. Garziam, Hamburgensem, Unicornu tuum, cum Aneurysmate Bartolini, pro quibus gratias ago gratas, facturus propediem æquum, ubi Jansonius se stiterit. Indicem in Unicornu, cum delineatione auris internæ, seorsim habui, pro quibus pariter gratus sum. Hujus rei nuncius mihi esto etiam apud CL. Weslingium, qui factus mihi est Harpocrates. Sed quid? Animadvertistiné τὸ TUUM? Ne credas, esse nos tam obesæ naris homines, qui non sentiant Genium tuum, in isto scripto spirantem! Vix inspexerat RUPERTUS noster, cum moto capite, *Credin' Tu, esse hoc opus juvenis annorum XXIIX.* Et cujus? inquam ego, putas esse. Procul omni dubio, RHODII ἐκ πάνυ. Huic ego post paucas horas consensi. Et quid moratur Celsus tuus? quid Scribonius? quid alia, quæ affecta habes? Institutiones meæ Lugduni quidem absolutæ sunt: Sed Lindaviæ hærent, ob vias parùm tutas. Interea adornavi ege Officinalia, quale Bauh. etiam minabatur opus grande, in quo describendo laboravi hactenus ad sudorem usq;. Certum est, deliberatumq;, velle hoc quoq; ad Gallos mittere, postquam nostri homines præ metu Mavortio torpent & stupent. N. licèt vocalis aliàs admodum sit; nihil tamen dat præter verba. Pepigit mecum de omnibus operibus meis, quà editis, quà ineditis tribus tomis in Regali, ut vocant, cudendis, pro quibus solvit 200. florenulos, sed jam biennio cunctatur. In hoc si velis quid versuum facere, gratum erit, si alloquêris MANES MATTHIÆ SCHILHERI, qui in Patris demortui locum succedens dederit Reip. literariæ eum, qui tantoperè solicitus sit de adolescentibus rectè instituendis. Hanc enim laudem solum ambio, non opes, non honores, non quicquid Mundus adorat. Theophrastus jam totus Basileæ est, an initium sit factum, nescio. GALENUS dormit in utramq; aurem. Clamant amici, *Et quando dabis?* Quando ero typographus, & quidem dives, qui sumtus tolerare possit. Nec tamen pænitet operæ. Feci, quod debui, quia verna DEI mei sum. Is suo tempore refodiet me, si judicaverit me luce dignum. Et quidem hactenus. Folius, novus Anatomicus, satis industrius est. Vellem, si per occasionem liceret, auctor illi esses, inquireret in arterias cerebri, quibus inædifico motum cerebri. Nôsti enim, Fall. quidem impugnâsse: Riolanum autem suppetias illi ivisse. Consului super ea re celeberrimos nostri temporis Anatomicos, Weslingium & Rolfinccium: Verùm neuter respondet ἀξιοπρεπῶς. Juva me, sodes, si potes, apud hunc. Quid sentis de novo invento Wirsungi? Postulor è Gallia rationem, cur non meminerim in Inst. meis? Respondere fortè possum: Est alienum ab instituto meo, necdum satis cognitum. Quidam è nostris experimentum

facere

facere volentes, frustrà fuerunt, nescio satis, an non dexteritas & industria illis defuerit? Tu, mi Rhodi, benè vale & benè age. Scribo Altorfii, quod in Norico, Prid. Cal. Septembris A. cIↄ Iↄc XLV.

Carol. Sponius Casp. Hofmanno.

NObiliss. atq; Excell. Dn. D. Hofmanne, Vir nunquam satis pro meritis honorande. Singularis tuæ humanitatis, non minus quam eruditionis fama omnium qui Te nôrunt vocibus celebrata, præfidentiam mihi, minimo licet Medicorum, inspirat, te Asclepiadarum κορυφαιότατον his adorandi literulis; tùm ne amplius, quàm tui vivam nominis studiosus, ignorare possis, tùm ut de te, quæ tuam ad dignitatem visa est oppidò pertinere, certiorem te facerem. Ex literis quippe aliquot amicorum, quos vestra in Germania habeo, dudum intellexi, elucubrâsse te summâ accuratione (uti quæ abs Te proficiscuntur omnia) Medicas institutiones, quas pro tuo candore non sis publico fortassis invisurus. Id ipsum cùm ego Bibliopolæ cuidam nostrati, Viro bono & industrio (cui nomen Joan-Antonius Huguetan) nuper significâssem, rogavit me, tuam ut Exc. per literas solicitare vellem, ut sibi libri hujusce Tui edendi copiam facere digneris: Daturum se operam, ut elegantissimâ formâ lucem hic tuus aspiciat fœtus: Spondet insuper, XXV. exemplarib. libri impressi, te Auctorem libenter muneraturum; aut si malis, sex libri exemplaria oblaturum, prætereaq; libros alios donaturũ, ad XXV. florenorum vestrorũ valorem usq;. Majora quidem ut offerret, homini suadebam, sed quò minus id facere possit, insignem temporum quæ volvuntur miseriam, non planè de nihilo (ni fallor) causatur. Præ qua mercimonia non nisi periculosâ cum aleâ hodiè exerceantur. Tuum erit (Vir sapientissime) deliberare, quid heic facto tibi opus sit. Quod si conditio proposita animo arriserit, poteris citra moram MS. tuum, probè convolutum, Norimbergam mittere, ad negotiatorem ejus loci, Petrum-Paulum Fermund (ad quem & hac ipsa occasione, rei istius gratiâ, literas damus) qui tutò illum curabit ad vehendum. Sin aliter statueris, verbulo saltem quid ceperis consilii, nobis exponas, peramanter obsecro: Idq; per jam nominatum Dn. Fermundum. Etiam atque etiam vale, Vir Exc. Datum Lugduni-Gallorum d. XI Jan. stil. recentior, A.C. 1643. quem tibi fortunatiss. ex animo precamur.

Hofmannus Sponio.

HEm tibi autem fortunam meam, mi suavissime, dum vel tandem satisfacere cupio literis tuis, auro contrà mihi caris, nuspiam comparent illæ, tam benè custodivi scilicet. Intereà significo tibi, mittere me hâc occasione ad D. Fir-

mundum

mundum Institutionum mearum libros sex, & rogare per amicitiam recens initam, habeas tibi commendatas operas typographicas, & accures, quantum fieri potest, ne illæ solitâ suâ negligentiâ usæ, corrumpant nobis opus, tantis laboribus quæsitum. Scribo Nobis: Tibi enim magnam ejus partem merito jure arrogas, qui in obscuro meo gurgustio latitans illud, trahis in publicam lucem. Quâ in re tantò magis obsecundo tibi, quò clarius video, te quoque thyrso VERITATIS percussum, quærere potius Dei honorem, quàm favorem hujus, illiusve MENDACIO, (heu, cujus sobole) patrocinantis. Quid passus sim ego, & patiar hodieq; constare tibi sit ex ἀποσπασματίοις meis, hactenus editis, si modo ad te pervenerunt. *Quæ tamen quò magis contemnam, facit bonorum consensus, qui indies major & amplior fit.* Inprimis valdè erigit me conatus cujusdam triconis, qui omnia mea opera, quà editâ, quâ non edita, conjungere cupit tribus tomis in folio, ut loquitur: Verùm conditionibus tam iniquis, ut pudeat commemorare. Jansonius Amstelodamensis jam toto biennio secum habet tres tractatus, de Calido & Spiritibus. De Humoribus de Partibus-solidis: Sed neq; imprimit, neq; explicat mentem suam de honorario, quod petii, æquissimo. Alius, Francofurtensis, postquam χρηστομαθείας meas εἰσαγωγικὰς καὶ φυλολογικὰς (præter has sunt παθολογικαὶ non minores opere hoc Institutionum) extorsit mihi è manibus, Cum JCtis Terentianis DELIBERAT. Te quæso, si possis Juquetano nostro similem invenire, significes revocarem ista omnia. Ad rem nostram ut veniam, cupio intelligere, an Noster ille consenserit in duo à me proposita capita. I. ut liber fiat in quarto? II. ut alia litera sit pro ἔργῳ, alia pro παρέργοις, major inquam, pro iis quæ atramento scripta sunt, minor pro iis, quæ rubricâ? Cæterùm, quia D. Renatus Moreau valdè indignatur, quod durius tractem amasium suum, Fernelium; mitto heic simul Rejectanea mea, ut à te quoque intelligam. An quicquam heic datum sit affectui sinisteriori? Oro autem ut postquam legeris, mittas ad illum, veluti inscriptio præ se fert. Ego valdè videre cupio GALENUM Parisiensem! Dictus D. Moreau promittit operam suam in meo quoq; promovendo, fortassis quia ex l. de Off. meo cognovit, Galenum plus petere à nobis quàm correctionem errorum typographicorum. Quid si tu quoque (vides, quid mihi persuadeam de te?) te jungas illi? Nosti enim illud, σὺν δὲ δύ᾽ ἐρχομένω. De THEOPHRASTO idem dictum esto. Absoluto enim Gal. accinxi me ad duo ipsius opera principalia, Historiam & causas Plantarum, &, scriptis Animadversionibus, æmulatione Casauboni in Athenæum, testatum feci bonis, & publici boni amantibus, quid & quantum à nobis desideret magnus ille Herbarius. Habui autem subsidia, præter Scal. labores, & Dalechampii Notas MS, marginalia quædam, congesta mihi per viginti aliquot

annos,

annos, quibus profui cathedræ Botanicæ. Cæterum, quia hodiè moris est, ut vestibula librorum quam festivissima sint, excogitavi hoc, quod vides, emblematicum, quod D. Juquetanus haud gravatim jubebit æri incidi. De Pergamento, quod scribis, frustrà est. Non enim patitur stricturam. Magno igitur, cum labore nactus pannum cereum, curavi insui quàm diligentissimè, ne quid damni patiatur liber. De dedicatione diu multumq; cogitavi: Sed obtinuit tandem hæc quam vides. Pro sumtibus in pictorem & pannum factis, dabit mihi spero, typographus aliud exemplar, ut ita in universum 4. sint. Hæc potui manu ægrâ, ob paralysin, quam passus sum anno abhinc altero. Tu benè vale, & benè age, ô suavissime. Scribo Dom. Judica. Ao. 1643.

Idem Eidem.

NOn falleris, mellitissime mi Sponi, multimodis divexor morâ istâ penè annuâ, quâ carendum mihi est Institutionibus meis! Est autem illa tantò mihi gravior, quò majori desiderio teneor cognoscendi σφάλματα mea, in dictis Inst. admissa. Tantò rursus molestior, quò plures inter amicos laudant perspicuitatem scriptis meis tantùm non nativam. Quò fit, ut non rarò litigem mecum, in me, an in anagnoste, sint tenebræ illæ Cimmeriæ? Feceris igitur rem gratissimam, si uni alterivé loco stylum infixeris, in quo tantoperè delirârim. Memini, cùm ante multos annos animadverterem neophytos quosdam ex inferioribus subselliis nâsum surrigere, & patulo ore quasi captare verba mea. Quibus per occasiones respondi, ὦ οὗτοι, nimis maturè ad me venistis, apud quem vellus non pectitur, ut Xenocrates apud Laërtium loquitur. Sed his dimissis, verto ad alia. Literas Huguetani misi ad Varamundum, qui respondit: A se quidem nihil tale expectandum mihi: Irem potiùs ad Schnuecium, qui jam dudum merces expectet Lindaviâ. Hoc feci: Sed nihil responsi habeo. Interea N. promisit, se Inst. Francof. curaturum. Ibi cùm jam Typographum habeam pro Officinalibus meis, qui tamen in sacco non vult emere: Inclinat tamen animus ad vos potius. Quod consilium meum cùm nuper exponerem in cæna Volcamero nostro, non probavit ille tantùm, sed & sibi commissum voluit fasciculum Tibi transmittendum. Fore enim ajebat, ut Huguetanus, viso tam utili opere, tractabilior sit. Dedi igitur, & jam, ut puto, in via est cum libellis quibusdam meis, de quibus scripsi. Ubi appulerit, & Huguet. tamen refractarius fuerit, licebit, Tibi Lutetiam cogitare, ubi, ut spero, pararium habebis Guidonem nostrum, ad quem, si DEUS volet, scribam cras, inclusâ icone mea. Hanc si accepit Cousinorus noster, & tamen non respondet, habeo pro injuria non minore, quàm si juvenis à virgine corbem acciperem, si ferre potes

ſenem jocularem. Huic (niſi ſecus Tibi videbitur) dedicare velle animus eſt Officinalia mea, adjuncto illi, Theodoro Mayernio, regio Medico Anglico, ſi modò is eſt, qui anno 1603. Monſpellii Profeſſorem egit, & pro Chymia Apologiam ſcripſit Rupellis in 8. SCHERBIUS, ὁ πάνυ, Helvetius fuit natione, ein Kühmelker/ ut ipſe jocari ſolebat, von Biſchoffzell/ homo præter modum hilaris & jocoſus, qui Baſileæ Profeſſor Ethicus fuit à ſuo ex Italia reditu, unde vocatus ad nos, Logicam heic & Medicinam practicam, quam vocant, docuit. Reliquit filium unicum eumq; degenerem adeò, ut coactus fuerit excubitorem diurnum agere ad portam. Hunc ego καθ δύναμιν celebravi in Epiſtola præliminari theſium ipſius Medicarum, à me editarum Lipſiæ 1614. Filius an ſuperſit, neſcio: Pater mortuus eſt 1605, cùm ego Baſileæ Docturam ambiebam. Si Tibi res cordi eſt, nec pauca hæc Tibi ſufficiunt, ſcribam Noribergam.

Idem Guid. Patino.

QUas heri à Te accepi literas benè longas unà cum imagine tua, de duobus me certiorant; altero, quod verè & ſincerè abs Te amor: Altero, quod optimè conſultum cupias rebus meis. Atq; utinam animo promto reſpondeat dextra hæc paralytica, quæ vix patitur me pingere literas! Pingo tamen, ut quovis modo ſatisfaciam Tibi. De Officinalibus Tibi quoq; gratulor, quòd incideris in bonum virum: Ego contrà lupum auribus teneo, nec facultatem habeo vel dimittendi Euclionis mei, vel retinendi. Nam neq; ipſe maturat editionem χρηστομαθειῶν vel φυσ. vel παθ. neq; ſinit alios agere. Ejuſdem farinæ eſt Janſonius Amſtelodamenſis, qui jam in quintum annum me tradit. Quò minùs licitum eſt mihi vel vobis gratificari, vel aliis, qui bonis cum conditionibus imprimerent mea. Interim expecto eventum, & commendo DEO OPT. MAX. Atq; ut paucis me expediam placet & charta & litera: Sed ſummoperè diſplicet titulus, præſertim ſi duplex ſit, ut in Inſtit. eſt. Placet judicium SCHERBII τοῦ πάνυ, cujus verbum πολυθρύλλητον erat,

- - - *ſit ſimplex duntaxat & unum.*

Sit ergò primum, qua de re dubius fui in literis ad Sponium noſtrum. Auferatur totum emblema cum imagine mea vitioſa, & plantis deformibus. Alterum ſcribas in medio,

CASP.

CASP. HOFMANNI DE MEDICAMENTIS OFFICINALIBUS TAM SIMPLICIBUS, QUAM COMPOSITIS.

LIBRI TRES &c.

DE Typographicis operis quæ ſcribis, vera ſunt, ſed nulli mutanda. In augenda & locupletanda ſecunda editione non ero ſegnis, ni DEUS prohibeat. Quæ ſcribæ mei delirârunt, non excuſo. Genus hominum mendicum, ſed arrogans. Habeo αὐτόγραφον, quod etiam, me mortuo, loquetur. Τῦ χαθαιρω ſcriptura ſi vera eſt, Attica non regularis eſt. Eſt enim ἀπὸ τῦ αἴρω, quod tenui gaudet ſpiritu. Cartam eſt vox Arabica, & nihil commune habet cum τῷ χαθαιρω cum ſibilo. In libb. de Uſu part. obtuli Aubriis operam meam: Sed noluerunt. Idem feci Huguetano nuper, ſed nondum explicuit ſe, quid velit aut nolit. Inſtit. illæ, quod miraberis nondum in Germania publicatæ ſunt, ob clauſum à veſtro milite Rhenum. Epiſtolam ad Te dedicatoriam hem tibi! Fortaſſis in laudibus tuis fui parcior? Dabitur alia occaſio, etiam rhetoricandi Tecum. De Stilio, quod Sponius juxta Tecum dat conſilium, audio & auſculto libens & lubens. Si amplius quid vultis, erit in veſtra manu, ut ſcripſi. De Fernelio videris præter rationem ſolicitus eſſe, cùm pro amaſio tantoperè pugnas. Ego, nullo præpeditus odio, redandruo, Immerito ſuo tantus eſt? Et quid habet peculiare, niſi quod Philoſophiam Stoicam cum Peripatetica confundit? cum cœlo terram? Reſponde vel ad unicum argumentum, quod in Reſolutiancis meis habeo contra morbos formæ & materiæ? Reſponde, inquam, & en Tibi herbam. * * * *

Idem Lud. Camerario.

QUod nunquam putâram, fore, ut ad TE ſcribendi mihi imponatur neceſſitas, id attulit dies abhinc duodecimus. Cùm enim in prandio Doctorali Magnificus, Nobiliſſ. & Ampl. DN. LUCAS-FRID. BEHAIM, &c honorificam tui feciſſet mentionem ſimulq; imperâſſet, mitterem ad Te, ſi quas haberem literas clarorum Virorum, ſpondere ſe non fore me ingratum: Reſpondi pariturum me, ſiquidem A. ipſius præſtare poſſit eventum. Poſſum, inquit. Nec mora. Cùm propter alias occupationes non haberem vacuas horas, mandavi D. CHRISTOPHORO ADAMO RUPERTO, adfini & Hiſtor. PP. excuteret ſcriniolum meum, &, habito delectu, mitteret ad

Te literas, quas ille dignas judicaret adſpectu tuo. Fecit, & jam mitto ad d. Dn. BEHAIMUM, qui ipſe ad hoc officium ſe obtulit. Porrò autem cùm in diſcurſu fieret mentio GALENI mei, quem jam tot annis minitor fruſtrà, ob defectum typographi. Quid ſi, inquit, mi Hofmanne, ſolicites hunc cognatum meum? Nam & amat ille bonas literas, & Academiæ noſtræ prolixè favet. Quâ occaſione cùm narrâſſem illi inter pocula, & occaſionem ſuſcepti à me laboris hujus, & hiſtoriam quæſiti hactenus typographi. Bene eſt, inquit hilarior, quia Illuſtriſſ. Ordines confœderatarum Belgii provinciarum ſoli nôrunt artem conciliandi nuptias inter Martem & Pallada, quod teſtantur tot egregia opera, ſtante bello flagrantisſimo extruſa, excute, age, hanc etiam quercum, & toga CL. Camerarium, patiatur ſibi imponi hanc ſarcinam, ut ſit pararius apud unum & alterum typographum. Quod enim Itali in proverbio dicunt, *Præſtat in cœlo habere unum aliquem majorum gentium ſanctum quàm exiles multos:* Id heic quoq; locum habet. Hoc adeò ago nunc, & ſignifico 1. Quale ſit hoc opus, teſtari σύγγραμμα meum, quod ad Virorum eximium, D. GOLDASTUM p. m. miſi olim, librum de Oſſib. Gal., Francofurti impreſſum 1630. in fol. 2. Cùm non ſatis fore intelligerem erudiendis illis, ablegavi ad Janſonios Amſtelodamenſes, qui jam excudere cœperant aliquid ἐπὶ τῶν δογμάτων meorum, univerſa prolegomena, quæ poteris, ſi voles, repetere ab ipſis, ut diſcas ipſe reſpondere triconi cuidam, editionem Lutetianam urgenti. Cùm in illa præter errores typographicos ejectos nihil actum ſit, non fore tam ſtultum ullum emtorem, qui hanc noſtram non ſit prælaturus illi. Accedat, quod VERITAS, quam præ me fero, adeò obſtrinxerit animos Italorum, Gallorum, Belgarum &c. ut ſit inventus, qui velit conjunctim edere omnia mea opera, quà edita, quà non edita. Quod ipſum tamen adhuc ἐπὶ γόνασι κεῖται Θεοῦ. Hæc volui & potui, mi Camerari, ægrâ manu. Scribo autem IV. Eid. Maj. A. 1643. Altorphii.

Idem D. ESAIÆ SACHS, Med. D. Comiti Sacri Palat. Cæſ. nec non Medico Cubiculario ejusdem Cæſareæ Majeſt. &c.

PRælata mihi hac occaſione per Rev. & Doctiſſimum Virum, Dominum M. Johannem Henricum Blendingerum, convictorem olim meum, nolui committere, quin ſalutem veterem amicum, vel in tranſcurſu. Quin imò videtur mihi divinitùs contigiſſe, cùm ceciderit hoc iter in illum temporis articulum, *quo deliberatur de valetudine mea:* Poſſit ne illa ampliùs tuta eſſe à fluxionibus,

nibus, & concomitantibus gravissimis Symptomatis; usu cucurbitularum, singulis menstibus scarificatarum in dorso? Præsertim, quia in tanta copia it sanguis ad ... ? Quod magis, quia non sufficit hæc vacuatio minuendo sero, quod sanguinē facit tam fluxilem, ut biduum vel triduum antevertat menstruum tempus! Imo verò hoc mense Majo per totum octiduum antevenit, simulq; causata est paralysin linguæ; unde loquelæ impedimentum, cum læsa deglutione potulentorum, ab occupatis simul musculis æsophagiis. Utroque hoc malo per gratiam divinam, auxilio medicamentorum, quovis modo lento deliberatur, ut dixi, quid sub finem Junii faciendum sit? Proposui ego duplicem scarificationem, alteram ante plenilunium, alteram ante novilunium. Resilit totus Dn. D. Heinlinus: Sanguinem quidem, Naturæ thesaurum, hac ætate servandum esse; absumendum autem serum, præmisso vino medicato, sudorificis. Cui ego: verisimiliter valdè loqueris; ego verò dubito, an ... neglecto remedio certo, & in hoc corpore hactenus satis comperto ... o quippe ab ipsis natalibus, substituam incertum & dubium? Accedit, in lecto sudare non possum: Sed nec in balneo, nisi derasis cutis sordibus. Sed si igitur ante plenilunium, accipiam Ther. vel Mitrid. 31. & post sudorem, sic satis copiosum, applicem cucurbitas meas, facta una tantùm incisione? Et sic deinceps ante novilunium? Sed perdis naturæ thesaurum? Nil refert, recupero iterum victu, parco illo quidem, sed εὐχύμῳ, quem scilicet concoquere possum; sed & potu sarcio, quod in solidis deest. *In prandio* exhaurio sextarium integrum cerevisiæ nostræ rubræ, benè crassæ: *in cœna* sesqui sextarium vini nostri Francici. Hoc nisi faxim, dormire non possum: Sed & meridior in lecto, benè munito ventriculo plumis. Summa concoctioni studeo omnibus modis. Hæc ego scribo eo momento, quo consilium Heinlini legi; istud licet tardum futurum sit, expecto quamprimum. Fortassis solicitabo etiam alios amicos: Pertinet enim ad summam rei. Benè vale, mi D. D, Esaia, & ignosce rusticitati. Scribo ipsis Cal. Junii, 1643.

MANTISSA II.
EPISTOLARUM,
QUAS VARII
AD
CASP. HOFMANNUM
SCRIPSERUNT.

Jan. Gruterus Casp. Hofmanno.

S. P. Amicorum primas! Nihil mihi gratius epistolâ tuâ, cui adscripta Augusti XX. non eò tantùm, quòd indicabat plurima, quæ scire avebam, quàm quòd etiam ea præscriberet huic homini, quibus vivere posset annos Nestoris. Nam ita sanè est, omne malum meum venit à largiore potu & studiorum intentione. Sed quid? consuetudo jam vertit in naturam. *Video meliora proboq; : Deteriora sequor.* In eo tamen bellè mecùm convenis, quòd me arceas à medicamentorum multitudine, & unum tantùm imperes cibum. At quòd jubes, cœnam inchoem horâ quintâ, res mihi impossibilis, qui hactenus suetus fui, à mensa rectà tendere ad lectum. Horâ, inquam, semioctavâ cœnæ initium erat, finis nonâ; ita tamen, ut tempus id potissimum producerem fabulis, si plures adessent; lectione, si tantùm familiares. Jam vivo cum filia superstite Brettæ; abiturus tamen intra decem dies Heidelbergam. Quippe in monte Caprario, urbi illi à meridie opposito, habeo prædium centum ferè jugerum. In eo animus est traducere vitæ reliquias, si modò licuerit per religionem ac conscientiam. Villa incendio Bavarorum incensa jam restauratur à genero. Ut quovis vento, quovis tempore exire possim in agros, in silvas adsitas, paravi capiti quidem cucullam monasticam, pedibus ocreas piscatorias, quare decretum est, præcepta tua ibidem examussim observare, nisi quòd abiturus sim à mensura vini; bibiturus in prandio sextarium, in cœna alterum ferè tantùm. Ad somnum quod attinet, eum mihi conciliare possum, ratione victus calidi frigidiq;. Si enim malignus est, augeo ipsum acetariis, nullum adhuc amisi dentem. Oculis nunc clariùs video, quàm antè annos quadraginta, falleris tamen largiter, dum mihi tribuis ætatem ultimam. Jam enim primum ago annum sexagesimum septimum. Multum hac hieme studui. Itaq; nunc recurrit stomachi dolor ante prandium ac cœnam. Capitis tamen gravedo maximâ parte desiit. Tinnitus auris sinistræ adhuc continuat; qui meâ culpâ factus est, dum enim intentiùs mastichen dentib. subigo, sensi ligamentum aliquod in aure quasi rumpi, & fuit certè id ipsum, quod etiam læsum fuit ante annos sexdecim. Cùm enim tum fortè prospicerem de fenestra in plateam, occupatam militibus armatis, à quibus reciperetur ex Britannia adveniens Principissa nostra; ecce rusticus quidam, honoris ergò, salutat me bombardæ suæ explosione. Cum autem impetus ejus è fenestræ radio ligneo in aurem impelleretur, exinde

exinde semper per sex, septem annos eadem auris sonuit. Socer Smetius olim præscripserat, quæ infunderentur auri: verùm dum id fit, remedium mihi fuit morbo ipso molestius, itaq; nolui eo uti; tantò magis, quòd vererer, ne majus illi loco accerserem malum, sciremq; paucos esse chirurgos, qui gloriari possent de aurium curatione luculenta. Natura ergò ultrò vitium illud emendârat. Auditui interim nihil detractum est. De trochaico, quid dicam, quid non dicam? Ex quo absq; Tubinga nihil potui poëtari, quod vel mihi ipsi placeret satis alioqui philauto, nedum alteri. Ne tamen omninò videar nomen malum, ecce id, quod exsculpsi quasi ex quercu. Ubi fuero in villa mea Berhelden, & à Faunis Nymphisq; ibidem degentibus œstro inflammatus fuero, totum eum reformabo, & de ferreo faciam argenteum. Interea isto contentus esto.

In Galenum Viri Amplissimi & antiquis Medicis comparandi Dn. Casp. Hofmanni Trochaicum Jani Gruteri Amori atq; Invidiæ, aliter atq; aliter sacrum.

Qualis heu, morum sinistra temporumq; tristitas!
Quisq; laurum Apollinarem, quisq; olivam Pallados
Censet esse laude dignam splendidoq; encomio.
Plebs, Eques, Senatus omnis, literatorum gregem
Innocentem honorat ore, fronte, voto, plausibus:
Ordinum sed ecquis horum est, qui teruncio juvet
Vel Camœnarum clientes, vel Minervæ antistites?
Languet eruditio omnis, friget omnis dignitas
Artium bonarum; opima nuncupata Inertiæ,
Tanquam habenas civitatum temperare nescia,
Nec rei tractare dignè munus ullum publicæ.
Præmia interim omnia horum transeunt ad simias.
Nudiclunes, aut nigrante corde Corvos aut Lupos
Aut Leonis pelle Asellos involutos mortui.
Talibus sagi pericla, talibus cedunt togæ:
Talibus sellæ curules, talibus provinciæ
Oggeruntur. Quos ubi alma Sortis indulgentia
Primo inebriavit haustu nectaris sui, omnibus
Larva sumta vix ferendo est. Ergò sensim decidit
Fucus omnis ac patescit indoles mercis malæ;
Seq; clarè dat videndam lumine Assentatio,
Fronsq; fronte destituta, mensq; egens Modestia,

Ergò sunt naves saburræ, queis abest onus sua.
Dumq; Neptuni propinant fluctibus ludibria,
Dissipata in frusta mille, per vada atq; aras breves;
Patria incestatur omne quà profanum quà sacrum:
Inferiq; mixti Olympo, bella per civilia,
Differunt in omne littus naufragam Germaniam.
Quid taces Hofmanne? nonné vapulamus undiq;
Ob magistratus pudendos, ob potestates datas,
Non Bianti, non Catoni, sed meris Vatiniis?
Sic profectò est: & manebit perpes istud nos malum,
Quamdiu Dei cathedris insidet Sus vel Lupus,
Quamdiu forum canina possidet facundia,
Quamdiu morbis medetur archiater Carnifex;
Quiq; fontibus lacunas quæritat spretis putris,
Vanam & amplexatur auram pro Rheæ propagine.
Nam quotus, quæso, est Medentum, qui legat Coi senis,
Qui libros legat Galeni, linguâ eâ, quâ primitus
Publicârunt universo? nemo non Interpreti
Credit inficetiori; bubalumq; se facit,
Quolibet qui perforatâ nare circumducitur.
Sed benè est, Hofmanne! cunctos hic stupor non fascinat,
Mensvé læva: suntq; pauci, literarum queis parens
Artium censetur Hellas; Hellas, è qua, ceu mari
Ubere, Orbi literato docta prosata est Venus
Omnium scientiarum: quæ modo, eheu, territa
Pestilenti insanientis sæculi contagio,
Sponte se tuam recepit hospes, Hofmanne, in domum.
Ubiq; ibi invenit Monetæ pignora atq; Gratias;
Numina, à queis educata est à tenellis unguibus;
Numina, in quæ nulla Sortis, nulla Mortis vis cadit:
Non modo Tecum libenter vivit, ast jucunditer:
Namq; Musa ubi Charisq;, gaudii est perennitas.
Ergò tali hinc inde cinctus Cœlitum consortio,
Archimedes factus alter; vel novem cœli orbitas
Circinas, Hofmanne, plenus ter sacra symphonia;
Dumq; cogitas, caduca quàm nihil sint, sis Deus:
Vel per artes liberales fers, refers vestigia,

Quæ sua in crementa debent usui ac prudentiæ.
Ante ceteras Medentum disciplinam amplecteris;
Nuncq; Naturæ potentis dia per miracula
Duceris. Nil terra curva, nil salum ingens possidet,
Aëris nil tractus ambit, quin peritè examines.
Nunc vetustate obsoleta scripta lurore ac situ
Exuis, plagasq; sacris non bonâ inflictas manu.
Inter hæc vigent Galeni docta dicta, millibus
Integrata luculenter dexterâ tuâ locis:
Quod negat nec ipsius. Imò civicam ultrò muneri
Fert Tibi sanus coronam, Teq; Patrem nuncupat
Patre quovis cariorem, dote gratitudinis.
Nec decus tale immerenti contigit. Nam perdius
Atq; pernox, lustra multa, maximis sudoribus
Vix opus tantum beâsti fine felicissimo.
Nullus hìc Dynasta, nullus hìc Senator Noricus
Civitatum nulla, nullus civium heic opem tulit
Improbissimo labori. Nemo nummis, muneri
Nemo juvit implicatum mille tempestatibus.
Unus, Hofmanne, unus instar rupis immota, minas
Fulminum Marisq; quæ fert, mole constans es tua.
In gradu stat usq;, pelli nec potest Virtus loco:
Quam colis mercede nullâ, sat suis splendoribus
Fulgidam ac decore pulcri, nil habentem sordium.
Regium est quidem, esse largum consulenti publicis
Commodis, nedum Orbi utriq; servienti perpetim.
Sed quid? est mos hujus ævi, nil adusus nobiles
Erogare. Heic arca clausa, clausa cunctis dextera est.
Pauperem se quisq; jurat, largiendum ubi probis.
Sin benignus esse forsan unus aut alter velit;
Munera ejus immerentes non cadunt, sed in malos.
Moriones ac Thrasones, scorta deniq; ac fera.
Sortiuntur largitates debitas solertiæ.
Talis haud fuit priorum Principum ignorantia,
Talis haud fuit priorum Civium incivilitas.
Talis haud fuit priorum Sæculorum scævitas.
Eruditos eruditi sublevabant, qui bono

Publico sese applicabant. & talentis pluribus
Munerabantur reperta vel rei vilissimæ.
Quin Apollo se medentum non negat primum caput:
Quin Deum ipsimet nepotes filiiq; inglorium
Non putârunt admovere stirpibus longas manus,
Et sinus succo salubri mitigare vulnerum,
Graminumq; humore telis liberare corpora.
Imò nomen tradere herbis autumaverunt decus,
Unde noscerentur equè quàm sacrato numine.
Hinc diem toto Orbe in istum noscitur Chironium
Herbaq; Panaces celebris atq; Achillis syllabo,
Aesculapiiq; nec non Paeonis vocabulo.
Principum sanè interîsset plurimorum stirpitus
Claritas honorq;, quo jam stant pares Cœlestibus
Nomen illorum nisi Herba consecrâsset posteris;
Quò celebrantur perennes quasq; per mundi plagas.
O beata secla, laudis secla opima mascula,
Nemini cum templa Honoris masculi patescerent,
Antea quàm qui litâsset aureis Virtutibus.
Vos sedite Purpurati, vos sedite Reguli,
Funerum in victis helluones & cruorum hirudines,
Et tropæa suscitate de revinctis gentibus;
Perq; templa perq; muros literis pedum decem
Vestra commendate facta, facta, per quæ vulturum
Occupat caterva mundum; dum sciatis, posteris
Vix superstites futuros laude eâ, quâ Herostratus.
A polo venire debet omne, quod nunquam perit.
At manus mortalis orsa, magna, lata, seculo
Non honorantur trimembri. Marmor, æs, ebur, cedrus,
Aurum & argentum, imò quavis gemma, quavis unio,
Sive Fanorum sacrentur proximè Deos tholis,
Sive luceant celebri plurium Urbium foro,
Sive adorentur supremis Arcium fastigiis,
Haud queunt durare longùm; perdomanda deniq;
Impotente abominandæ Mortis aut Sortis lue.
Sola charta, æternitatis ala, vitaq; omnium est,
Qui fideliter Moneta diligunt antistites.

Jusq́; eorum prosequuntur examussim, ceu suum.

Huc adesdum, Hofmanne, Phœbi duplicis duplex decus;
Dædalæ Naturæ agalma, regula Indolis bonæ,
Unicum exemplar Pudoris, ac Pharus Modestiæ,
Huc adesdum! atq; ipsa quamvis præmium primarium
Sit sibi virtus, beata sat typo innocentiæ,
Sat beata flore honesti, conscientiæ ac bono:
Attamen ne sperne laudes, quas theatra musica
In caput pium merentis mille spargunt vocibus;
Attamen ne sperne honores, quos medentium chori
In caput pium merentis mille spargunt dexteris:
Attamen ne sperne amores, quos Olympi numina
In caput pium merentis mille spargunt imbribus.
Circus est vita pusillus: nulla meta gloriæ est.

Haud dies profectò longè est, quâ Deæ Novensiles
Quaq́; Apollo Apollinisq́; multiplex cognatio,
Te, velut Pompam, per orbis cuncta ducent climata,
Omnibus palàm colendum pro Deo mortalibus.
Nempe de terra levatum bis ter ulnas, aëre
Pendulum Te sustinebit hinc Minerva inde at Venus;
Et volatu delicato quatuor per angulos
Ambulabis universi. Vos suprà Cupidinum
Ludibunda natio alas pandet umbellæ in modum.
Ante Comus ibit atq; Juno, terna cum Chari:
Pone, Flora cum Juventa, cum Lubentia ac Choro.
Subsequentur, inq́; laudes ora dissolvent tuas
Absq; fine hymnis beatis: quorum ad accentum, Noti
Flabra ponent, fluminum unda stabit immutabilis,
Montium umbra jubilabit, vallis attollet comam:
Terra sed novos colores suggeret cum balsamis:
Vina petra, mella rupes funditabunt. Aëris
Atq; Vocis filia Echo plaudet ad miracula
Talia integrasq́; linguâ mutilatâ reddere
Nescia odas, verba saltem reppetet novissima.

Pausam ad unamquamq; Fama Gloriaq́; ingens tuba
Subditas gentes monebit, ut sacro silentio
Hos honores hos amores insequantur Cœlitum;

Et si-

Et simul Te, Hofmanne, nôrint esse factum Cœlitem:
Dum scientia medendi multa Mortis millia
Pestilenti è fauce purum provehis cursum ad jubar:
Dum Galeni mille libros, perditos rubigine,
More servilíq; plagis ostreatos, liberas
A malo damnoq; turpi; dasq; luce perfrui
Solis æmulâ atq; Lunæ grandiumq; siderum.

Vides quàm prolixè excurram, sed indignitas seculi me abripuit. Privilegiorum vestrorum promulgationem nondum vidi. Mortuo optimo Remo diremtum mihi omne cum Noricis commercium. Ille mihi Mercurius erat internuncius. Si quando mecum literis libet loqui, rectè id fiet, si commendaveris Dn. Berneggero, has scribo per mercatores, ad nundinas Francofurtum euntes. Orationes tuas avidè legi, hoc in eis solùm displicebat, quòd essent breviusculæ. Hæc scribebam raptim postridie Cal. Mart. 1627. Tuus tuo merito totus. Nactus hominem fidum, filiam tuam minorem Rosato mittam strenæ loco. Interim ei, ut & ceteris, nec non Parentibus, hunc annum opto vaveoq; felicissimum.

Idem Eidem.

S. P. amicissime Hofmanne! Imò Hegenitius nullas à Te mihi attulit: eas heri demum ecce tabellariolus Noricus exhibet. Verùm quòd gratularis Tibi de meo auxilio circa lucubrationes tuas medicas, largiter falleris; dum ea simpliciter non interpretaris, quæ scripseram absq; figurâ. Cum significares inter alias Scholæ vestræ accessiones, esse etiam hortum medicum, eidem illi horto ego me comiter oggerebam pro hortulano, si fortè Inclutus Vester Senatus meâ operâ uti cuperet, inopiâ melioris. Hortulanus, inquam, facultatis esse medicæ cupiebam, qui sub vicario uno aut altero vel præirem vel præscriberem ea, quæ ad Horti talis curam, cultum ornatumq; spectare possent. Nonnihil enim profeci in ea arte, certè omnium scripta, qui de re rustica ac botanica unquam prodierunt, diligenter examinavi: neq; ullũ adhuc extitit Herbarium cum figuris, cujus exemplar mihi non comparaverim; etiam Episcopi Frisingensis. Et verò, si Senatus Noricus eo titulo me hinc ad Vos evocaret, non horto solùm vestro me impenderem, sed & Auditorio singulis minimum mensibus impenderem publicè Orationem Dissertationemvé super materie aliqua ethica aut politica notabili: ad exemplar scilicet eorum, quæ illud aureæ ætatis nostræ reliquum germen Dn. Camerarius prodidit in meditationibus suis historicis. Ergò Gruterus de bibliothecario Palatino, de historico Electorali, descenderet ad

Hortensia? ita prorsus: cum & Dionysius è regno ad scholam transierit. Sanè cùm Deus opt. max. homini imposuerit, non, ut cerebrum ac mentem nescio quibus exerceret inaniis, sed ut labore manuum vesceretur è terra prodeuntibus; non video, cur ego, post magnum meum climactericum, à terra abhorrere debeam: utiq; paullò pòst ab ea excipiendus. Quippe cùm omnium ferè linguarum cognitione, nihil unquam consecutus fuerim, quo caput unctius referrem: Cum meditationibus meis in bonos auctores atq; artes humaniores, illud unum consecutus fuerim privilegium, ut in hunc usq; diem Heidelbergæ domi meæ alam Stratiotas quatuor: Cùm deniq; prædiola & agelli oppignerata mihi, vel fument adhuc recenti incendio, vel putreant sanguine; eaq; propter nullos ex eis recipiam reditus, neq; adeò, ob bellum istud magis latiusq; gliscens, brevi sperare debeam; an præter rem Vobis videtur, si imiter formicas, & saltem de doliolo mihi prospiciam, in quò repræsentem Diogenem? Decreveram quidem ante annum, & quod excurrit, insinuare me Danicæ bibliothecæ, sicuti videbis ex Dedicatoria Polyantheæ nostræ, Argentinæ hoc anno editæ: Sed Martialis flamma vias, quibus eò venirem, jam interclusit: Eodemq; simul modo Sueciam mihi eripit; ubi habeo, in aula, disciplinæ meæ alumnum primarium, Joh. Casimirum, Bipontinum Ducem. Poteram præterea abire in Galliam, eò etiamnum honorificentissimè invitatus, ab amicis meis aliquot, unà & Connestablio Franciæ. Verùm, quòd ea gens aliquid hauriat à Vertumno, & Ledigerius alioquin jam alterum pedem habeat in fossa, nondum possum longius abire à meis. Præferrem his omnibus Altorfium vestrum; ex quo & hoc consequerer boni, quòd Te haberem ad manum, & artem tuam. Etsi enim nondum sentiam ullum senectæ malum; attamen cùm ipsa sit morbus; requirit sanè aliquem, à quo deinceps regatur. Ea autem sum in opinione, ut neminem arbitrer satisfacere officio medentis, qui non intelligat Hippocratem & Galenum loquentes suâ linguâ. In horto igitur Medico Vestro, mi Hofmanne, experturus eras vim dexteritatemq; Gruteri tui; non, ut ipse putabas in scriptis nodisq; Galeni tui: De quibus, ut tandem etiam aliquid dicam; arrige, quæso, aures, sed & dein demitte. Haukius ille semel iterumq; mihi factus fuit obviam, sed verbum nullum de quæsitis tuis. Cujus silentium interpreter confessionem ignorantiæ, aut certè, quòd non extet Tubingâ totâ Galenus Græcus. In bibliotheca non esse, ipse scio; qui inde sumsi Latinum domi. Verùm cùm aliter divisa sint opuscula Græca ac Latina, numeriq; tui respiciant textum Græcum, non potui invenire illud γραφεῖον καταπήγνυσθαι, nisi sit locus, ubi styli mentio fit, quem è ferro fuisse etiam nôsti. Nuspiam mihi etiam occurrit τὸ ἐν γράμμα. At περιάπτεσθαι καὶ σωματομαχεῖν, videtur fuisse pancratii species, de qua nihil aliud dicere possum, quàm

quàm quod scripsit Hieronymus Mercurialis lib. 2. c. 9. lib. 5. c. 6. rei Gymnasticæ. Illustravitq; loco Gellii lib. 13. c. 26. quibus forsan aptari possent allegata à Petro Fabro ad lib. 1. Agonisticῶν c. 14. pag. 59. f. pag. 47. m. pag. 139. m. γεγραφόμενον τῶν ταῖς ἀφαιρέσεσι. juxta Tecum intelligo, sive potiùs minùs. De Columbis, quibus nomen σκύφωνες, idem dictum volo. Nihilné de iis Gesnerus vel Aldobrandinus? Tabellæ Cephalitæ cerebrum mihi ferè excutiunt. Certè nihil de eis uspiam mihi lectum, quod meminerim. De annulis bigarum fortè aliquid invenires in Cæsaris Bulengerii Circensibus. Frustrà quæsivi in textu Latino, qui agit de monomacho. Sed enim cùm Dio Cassius, Josephus aliiq; Galeno coætanei, id verbi usurpent pro Latinorum gladiatore, talem potiùs putarem, quàm pugilem Græcorum. Scripsit autem Lipsius de Gladiatoribus iis prolixissimè. Ὀφιόμαχοι κόγχλακες quinam sint, ut nescio, ita arbitror, ad eosdem respicere Aelianum lib. 9. Anim. histor. c. 20. Hæc erant, quæ poteram ad tua, destitutus & locis meis communibus, & libris melioribus. Forsan aliquid hujus elucidavit vel Jac. Leopardus, vel Hadr. Junius in Criticis suis, quos memini vulgare ante annos aliquot viginti; sed non etiam hîc habeo ad manum. Ita me Deus amet, unicè Te diligo, quòd etiam divertas ad ea, quæ artem Vestram non tam stabiliunt, quàm illustrant: quemadmodum est illud ῥοδοδάφναις τὰ νῶτα διαχναίεσθαι; quod rectè quidem explicat P. Faber Agon. pag. 297. a. m. sed non etiam firmat exemplo aliquo, mastigophori virgam rudemq; eo etiam vocatam nomine aliis. De Aubriis quidni verus fierem vates? pejora multa docuerunt me meo periculo. Ante biennium multis verborum lenociniis extorserunt à me Dissertationes meas ad Tacitum, Discursibus pluribus auctas, tanquam statim publicandas. Nunc quid? non solum non vulgant, sed negant restitutionem exemplaris unici. Haud tamen est, cur deseras honestissimum propositum tuum illustrandi fovendiq; artem Medicam. quin imò tanto contrà audientiùs ito, ut facias convicium sæculo isti tenacissimo: Quod Principes & Respublicæ illud ipsum maximè faciunt, quod mirabitur & detestabitur posteritas. Carmen alterum, de schola Vestra, misi ante sex septimanas per Hegenitium juniorem ad D. Remum, credo, recepisti. Ego dudum perfecissem invectivam meam pro Te & Galeno tuo, nisi totus occuparer in concinnanda *Bibliotheca Exulum*, quam cuperem vulgari nundinis vernis. Eam moram ne ægrè feras, obsecro. Fœnore compensabo tarditatem. Interim mutuò amemus. Valdè placuit mihi programma tuum. Sed quid? nihilò magis operam impendunt linguæ Græcæ vestræ Aselli. Hæc uno impetu fundebam quarto Decemb. postridie natalem meum LXIV. in cujus salutem plures à Professoribus præbibere, invitati à Principe absente in Collegio Tubingensi heri in cœnam, cui etiam intereram.

P. S. Mul-

P.S. Multum debeo Tibi ob curatas literas ad sororem meam. Ecce & alteras, quas tuæ quoque fidei committo: Sed nollem mitti, nisi occasione certâ. Misera mulier se eis implicavit, quibus non facilè expediet, nisi imitetur Alexandrum Magnum circa nodum Gordium, h.e. omnia simul abrumpat abscindatq;.

Idem Eidem.

S. P. *Virorum eximie!* Nullus dies est, quin artem tuam suspirem; nulla hora, quin obversetur Hofmannus. Jam ferè annus est, quòd vocem nullam ad te permiserim; non mea culpa, sed inopia tabellariorum, & morte Mercurii mei, Dn. Remi. Te quoq; nondum oblitum mei, haurio ex epistola tua ad Dn. Berneggerum, quam mihi dabat legendam in thermis ferinis; ubi eum ibi visitavi, ne cogeretur ipse, nondum satis confirmata valetudine, venire ad me, itineris sui magno dispendio. Et verè jam annus est, quòd me conjeci in morbum, studiis meis & genio inimicissimum. Dum enim uno eodemq; tempore paro ad prælium *Livium* meum, & *Senecam* confero cum tribus MSS. Gallicanis, idq; urgeo à summo mane ad stellam vespertinam; ita stomachum meum corrupi, ut & capitis vexer gravedine, & tinnitu aurium. Itaq; medio illo intervallo suis vitam ago tantùm; vel saginæ addictus, vel somno. Ut malum illud corrigeretur, tot usus sum remediis calidis, ut naturæ crasin subverterim. Jam annus est, quòd nullam omninò senserim distillationem: Ructus nonnunquam patior; sed nunquam acidos. Cibus benè concoquitur, habeoq; sedes ordinarias statuto tempore: A cibo venter nec dolet, nec intumescit, nec murmurat; solummodò circa quintam vesperi sentio requirere confortantia; adhibeoq; vel aloës pillulam, croco aliisq; aromatibus correctam; vel nucem mysticam, vel obvias alias radices. Si possem abstinere vino fortiore, (quo sumto, sentio manifestè pati caput, vel statim, vel finita concoctione prima) video me recuperare posse sanitatem priorem, sed id nequeo ob assuetudinem, tanto quidem magis, quòd cùm sentio me habere melius, relabar ad labores scholasticos, & meditationes intentiores; scripturam deniq; laboriosiorem. Sum igitur vivum cadaver, & terræ inutile pondus. Medici varii varia mihi, pro amicitia, & mittunt & præscribunt; eaq; confero etiam ad usum: Sed quid? harmoniam horologii mei non consequor. Si tecum essem, si cum medico ætatis feriæ, non id desperarem. Venit huc quidem, ut pharmaca omnia meo permittat arbitrio; sed nec medicus Pforzhemensis audet me recipere in suam curam, ignarus complexionum mearum. Sic igitur animam extrema per omnia duco: Atq; utinam vel in urbe natali Melanchthonis liceat mori! Nisi impetro ab Bavaro, ut uni filiæ liceat mecum privatæ vivere, in prædio suo, extra censuram Ecclesiasticam;

decrevi

decrevi eam ducere cum familia mecum Groningam, ubi moriar, cum bona saltem conscientia. Nam Germaniæ urbem nullam novi, ubi tale aliquid obtinere sperem; adeò incendium istud Martis, etiam remotissima invadit, cursu plusquam volucri. Habes de me, quæ vis, imò quæ non vis: Te immori Galenianis, rectissimum est decretum; persevera tantùm; eo consequeris à morte sera vitam novam, more Phœnicis; ita opto, ita spero. Et verò quia altera processit pagina, non possum, quin conquerar de liberis amicissimi Viri, N. p. m. cùm me possint habere æquè amicum, atq; Parenti ipsorum fui; nemo eorum est, qui me vel epistolio compellat, vel per tertium saltem salutet; & tamen major natu mecum locutus est Francofurti, patre adhuc vivo: An forte censent olim sibi futurum dedecori, si dicantur continuasse mecum fœdus paternum? Plura erant, quæ garrirem, sed capiti parcendum est. Vale igitur, & salve Virorum amicissime! & salutes uberes Domino Queccio, Domino Virdungo; Domino Mauricio, adjicerem & Dominum Freherum, nisi diceretur obiisse. Brettæ prid. D. Johannis.

Idem Eidem.

S. P. Tabellarius vester me deprehendit planè tempore inopportuno; nam modò arbitrabar, illum emansurum adhuc plures dies: Unde fit, ut tuis accuratiùs respondere nequeam, qui non invenio priores tuas, in quibus recordor aliquid fuisse de *veteribus interpretibus* in Galenum, & *Usu Partium*. Interim quod attinet ad alia Galeni opera, invenies nos promtissimos, dummodò reperias, qui tutò & auferant & referant in bibliothecam Electoralem. *Florentiæ* habeo amicissimum mihi Ducis magni secretarium *Pichenam*, sed mortuo Velsero neminem habeo directorem epistolarum. Est etiam mihi notissimus *in Gallia Rigaltius*, successor Casauboni. Si putas scriptione mea causam tuam promoveri posse, perscribe tantùm, quæ velis impetrata, lubens meritoq; adero industriæ tuæ. De libellis tuis plurimùm mihi gratulor: Sunt enim opus commatis, ut te magis magisq; suspiciam, magni faciamq;. D.D. Piccarto & Virdungo fausta omnia precor, ac felicia, in hunc & sequentes multos annos, cui voto Te tuosq; etiam includo. Non quidem mihi liticula est cum *Pareo*, sed aliud quiddam; homo totus furit, & libello famosissimo ita me horribiliter excepit, uti ultrò Senatus summus exemplaria omnia confiscaverit: Interim hic volitant passim per tabernas. Ego me tueri non possum ab hujus canina rabie, nisi silentio: Quid enim contra discipulum, nulla virtute rédemtum; & quem crimine falsi, ac stellionatus convincere possum sua sibi confessione? In Libraria habemus numero 20. *Galenum de simplicium medicamentorum facultate lib. XI.* de quibus tamen *priores duo*

res duo disiderantur, *tertius* media sui parte; *ceteri* aliquot foliis mutilati sunt. Numerus 54. continet Galeni *ad Glauconem Therap. libros 2. De locorum affectorum dignotione librorum sextum. De compositione medicamentorum secundum locos libros.* Deinde *de febrium differentia duos.* Numerus 128. continet Galeni *artem medicam parvam*; in cujus fine de suis libris differit: Item *Hippocrates aphorismos XIV. priores cum Galeni commentario*, & eo quidem imperfecto. Numerus 157. complectitur textus *Hippocratis, de Crisibus*, seu Judiciis *libros tres: De Judicatoriis diebus libros tres*; quorum *postremus* fuit mutilus, *secundus* verò uno folio mutilatus. Numerus 199. præfert è Galeno *Excerpta de Erysipelate; de lacte, de novatione nominum; de dulcedine, cæterisq́, saporum qualitatibus; de sero lactis.* Galeni *de sectis* introductorium tractatum; *Artem Medicam; de febrium differentia; medicamenta, quæ pro quibus sumantur, in compositione pharmacorum urgente; de ponderibus & mensuris.* Galeni *de alimentorum facultate libros duos; librum qui purgandi sunt, quibusq́, purgatoriis, & quando?* Numerus 299. exhibet Galeni *definitionum medicarum libros duos:* Ex eodem, *de febrium substantia & differentiis, cum appendice de aliquot febrium speciebus, earum deniq́, curatione:* Ex eodem, *de sectis, & de causis sanitatis ac morborum.* ** Vale.

Idem Eidem.

VEllem ut vis: Sed omne tempus præcludit mihi bibliothecam Principis, non audeo, inquam, diutiùs hærere in frigore, inter crassissimos templi muros. Itaq; non licuit, excutere latina multa, quæ præferunt nomen Galeni. At librum ejus *de usu partium*, bis habemus Græcum. Itaq; si commodari Tibi vis, fac sciam brevi, quî ab Ill. nostro queat impetrari; transmittiq; Tibi per aliquem mercatorum, qui hac transeunt, redeuntve ad nundinas, ex nundinis Francofurtensibus; nihil enim mihi antiquius, quàm gratificari bonis doctisq; nedum eis, qui laborem suum impendent Æsculapio, suoq; incommodo, vitam nostram nobis reddunt, magis commodam. Quidnam librariæ suppellectilis restet in aliorum Bibliothecis, parum novi. Extat *Monachiensis* & *Augustana* catalogus, quos procul dubio vidisti. In *Oxoniensi* aut. *Lugdun. Batavico*, nihil ferè compareret librorum, calamo exaratorum: Hæc habebam, quæ obiter tuis reponerem; fausta item omnia ac felicia precatus studiis tuis honestissimis; quod erit, dum tibi fuerit mens sana in corpore sano, quod animitus tibi, ut & collegis tuis, Domino Dinnero, Domino Piccarto, Domino Virdungo voveo, optoq;. Heidelbergæ 22. Febr. A. S. 1618.

Idem

Idem Eidem.

S. P. Vir & Amice Clarissime: Concede facilem veniam, quod desideratissimis tuis, scriptis VI. Septembr. nunc primùm respondeam; utpote eas hodiè nactus: Interim non est, quod nimiùm satagas de restiuendo MS. Indulsit eum Tibi Illustriss. noster in annum vertentem, neq; obligatus es pretio ullo ad restitutionem, multò minus florenorum. Cum bonis benè agere oportet: Si Aubrii tecum agere voluat de emendatione Galeni Græco-Latini, scelus est deliberare, facere ne id debeas, an non? imò omnibus modis, mi Hofmanne, id in Te recipe; & varia hinc inde compara præsidia, atq; ornamenta. Nam quamvis ii videantur jam statim aggressuri editionem ejus auctoris, ita eos novi, nunquam id facient, ante quadriennium, aut amplius. Interim multa expediri possunt ab ingenio tuo, hoc est, acri atq; igneo. Nuper enim inspexi Varias tuas, & mirificè placuere; quod nusquam aut fucum ageres, aut naso ducere patereris. Macte hac mente, hoc proposito! Nos Tibi è Bibliotheca parati sumus suppeditare omnia: Tu tantùm vide de ratione. In summa, noli omittere Galeni editionem: Fata viam invenient. De pagellis ad me missis, multas Tibi ago, habeoq; gratias. Video omnia monumenta tua spectare ad utilitatem reip. literariæ, imò generis humani; quo ipso, immortale Tibi comparabis nomen. Saluto perofficiosè Dn. Virdungum, à quo peterem Epigramma in *Plautum* meum, jam sub prœlo secundo comparatum, emendatumq; ad MSS. Pall. (in eo infinita restitui, versusq; quàm plurimos pedibus suis reddidi, hactenus vel mutilos, vel ægros) nisi fortè occupatior esset: Sed vel divertisse aliquantulum ad Gratias Camœnasq;, foret ei forsan incentivo potiùs, quàm ut remora dici posset. Ut ut fuerit, saltem benè vovebit illi editioni; vel ea propter, quod fraudes, præstigias, mendaciaq; Pareana videbit detegi in commentariis Taubmanianis, quæ accedunt auctori. Domino Piccarto item salutes plurimas, cujus accuratissimæ epistolæ industrius respondi, remisso item specimine. Tu ejus valetudinem fac insigniter regas, curesq;. Hæc erant, quæ raptim tuis reponerem, iratus casui, qui jam tot septimanas spes tuas distulit, meumq; gaudium: Quidni enim gaudeam, inventum, qui possit Galeno salutarem applicare manum; cujus lectioni alquando indulgere soleo, non tam ob Æsculapium, sed *historica*, & quæ ad *mores sui temporis*. Vale, & salve ex animo, Vir Insignis 16. Novembr. 1619. Heidelbergæ.

Idem Eidem.

S. P. Amicorum optime! Tuas initio Junii datas, recepi demum, præcipiti Septembri, & quidem Brettæ; ubi redii ante tres menses, haud satis firma

valetudine; utpote stomacho corrupto. Jam unde tamen videor rediisse cum sanitate in gratiam.. Franckeræ in Frisiam vocatus sum, stipendio 320. Joachimicorum: Sed displicet professio Græcæ linguæ. Videor enim hac ratione, tanquam ad molam detrudendus; vincere antea suetus Nemea & Olympia. Annui tamen, me muneri illi præfuturum biennio aut triennio; si adjecerint ædes cum horto, quem colere possim mea manu; item quot annis vini plaustrum; deniq; sumtus itineris restituant. Quod si aliam quamcunq; lectionem, huic Seniculo concesserint; præ me tuli, velle ibidem hærere, dum superest, Lachesi, quod torqueat: Nondum responderant, neq; ego festino. Cupiam enim prius audire, quem habitura sit exitum Bredæ obsidio. Heic sum circumcinctus militum excursionibus, qui regionem nostram insident. De Galeno ne mutes propositum. Si nihil extorques à typographis; at nos profectò faustis acclamationibus te in cœlum sublevabimus, seculi hujus Machaona, imò Æsculapium. Benè mones, de satyra mea: Sed vide fatum. Tam benè exordium illud, ad Te, custodii, ut id jam nuspiam inveniam: Haud tamen fallam expectationem tuam, ô fidum Musis caput! Dn. Virdungum, Dn. Mauritium resaluto quàm officiosè, & quidem cum fœnore certissimo. Tu etiam, mi Domine, benè vale, benè salve ab omnibus modis. Brettæ 25. Sept. cum mercatoribus, qui è Francofurtensibus nundinis Ulmam remigrabant. Implendæ chartæ adjicio:

Ergo Philippus *obiit* Camerarius? *ergo perennis*
ille Senex dignus vivere, morte ruit?
Ah, quanta eripitur tibi, Norica Curia lampas!
Ah quanta Altorfi sub schola nocte gemis!
Vester erat certè velut alter Conjus & alter
Lucifer, ingenii judiciiq; favis.
Vester erat Sol, atq; Cato; reparare deinceps
lucem frustra quærit forsitan ulla dies.

Idem Eidem.

S. P. De Aubriis, nihil mihi narras miri. Quotidiè & ego eorum experior vaniloquentiam: Non est tamen quòd desistas à labore omnium pulcerrimo quoq;; profectò si non ævum nostrum, at demereberis tamen omnem posteritatem? Et quid aliter, quotidiè fit à senioribus, qui arbores? ferunt profuturas posteris? Quare quantò magis fueris iners (famam hanc Tibi invident) tantò eam magis invade. Tempore habebis industriæ tuæ testimonium mansurum; neq; enim unquam tàm male agetur cum artibus humanioribus, uti etiam opprimantur ab inscitia. Verùm quid ago? Tu, uti video, etsi omnia prævideris,

tamen

tamen imbibisti, *contrà audentiùs ire*; hocq; decet conscientiam tuam. Cæterum non erat, quòd tam ambitiosè gratias ageres ob ea, quæ impetrasti per *Rigaltium*: Nihil præstiti, præter officium meum. Scripsi etiam ut vides, *Florentiam* versus? Ubi tamen jam neminem habeo notum, præter hunc *Pichenam*; de quo à multis annis nihil inaudivi: Adeò, ut nesciam, an adhuc restet in vivis? Quare studiosus, qui eò iturus est, illo mortuo, alicui alii docto aperiendas tradat, licet. Habes etiam meas ad *Laurenbergiam*. Sed & quia de Britannia memineras, ecce tibi quoq; aliquid ad *Camdenum*; cujus literis nuperis ad me debebam alioquin responsionem. Novi ibidem *Thomam Jamesium*, Oxonidensem Bibliothecarium; novi *Savillum*, cui plurimùm debet D. Chrysostomus. Sed & in aula habeo familiaritatem cum *VVottono*, cum *Cottono*, jam veterem. Ii, si meo nomine à Te interpellentur, nihil non præstiterint mihi; aut potiùs publico, cujus heic propriè negotium agis. Hoc scribo, quia jam extremæ est ætatis *Camdenus*, & valetudinis valdè projectæ; ut si fortè quid humanitùs ei contigerit, res interea non deseratur. Hoc libello remittendo, tanti non est; ideò hunc misi, ut videres, quàm adversarius meus desciverit ab homine, & humanitate. Jam modo molitur scriptum, quo provocat ad Senatum Criticum; ab his, si Hipponæ placet, à minimo ad summum absolvendus. Nihil aliud desiderat insanus ille, quam ut ego cum eo certarem: Quod tamen nunquam faciam. Admodum sanè doleo, ob Piccarti obitum; facit in eo res literaria jacturam grandem: Multa erant in eo Viro egregia. Salutem plurimam adscribo Dn. Virdungo, amico reliquo, post abitus Gentilis, Rittershusii, aliorumq;. Tu quoq;, Virorum modestissime, eruditissime, iterum iterumq; salve à Grutero tuo: Isthæc præcipitanter. XII. Augusti 1620. Heidelb.

Idem Eidem.

Amice plurimùm observande: Tuas recepi, unà cum *Pichena* epistolio, quo renovat quasi pristinam amicitiam; & excusat se quod non potuerit, ut volebat promovere negotium Galenicum. *Casaubonum* optimè novi; non etiam *filium*. Intellexi, occupari potissimum Mathematicis; haud tamen nocuerit eidem scribere: Adolescentia enim ambitione ducta, multa sæpè perficit, quæ temerè expedimus ab aliorum fastidio. Londini notos habeo plures è Proceribus doctrina celebres. Sed & è vetustissimis amicorum est *Guilelmus Camdenus*, homo aurei seculi. Si cupis, ei scribam; aut etiam *Thomæ Jamesio*, Bibliothecario Oxoniensi, mihi etiam cognito rerum usu, atq; officiis; tantùm indica: Statim ad te mittam meas. Hic Mars omnia vastat; neq; speramus, isto vivo, meliora. Ego autem IV. menses excessi Heidelberga, hæreoq; Brettæ, apud

apud generum meum; inde faciliùs exiturus, ad exilium longinquius, si propius ingruerit fax isthæc bellica. Ob Piccarti obitum, diu est, quod seriò indoluerim: Utinam, cum familia ipsius ageretur meliùs; sed id hodiè est fatum artium bonarum: Laudantur, & algent. De Serenissimo nostro nihil, nisi adversissima, sparguntur. Nimirum Deus vult, ut à se magis pendeamus, quàm à potentia ejus, cujus spiritus consistit in naribus: Is nostri miseratur. Hæc licebat obiter ad amicissimas tuas mi Hoffmanne, cum voto quidem anni hujus fausti ac felicis; sed cui animus nondum ipse meus acquiescit. Imminebit potiùs horridum bellum, & bona pars Germaniæ vertetur sursum deorsum. Ita meruit luxus noster; ita, sed reprimo me, mandoq;, famæ gloriæq; tuæ faventissimus, Janus Gruterus Brettæ XXV. Januarii A. S. cIↃ IↃc XXI. Saluto perofficiosè Queccium, Dn. Virdungum, & si quis præterea apud Vos nostrorum studiorum.

Idem Eidem.

S. P. Amicorum Eximie: Binas tuas, uno eodemq; tempore accepi, per tabellarium Noribergensem; nam Helfrichus tuus nullus huc venit. Fasciculum rescriptum Dn. Berneggero statim misi, per tabellarium nostrum, Argentinam. Dicto Rigaltio, miror; mihi certè largiter omnia est pollicitus: Neq; ambigo, quin sis impetraturus, quæ ab eo velis; dummodo ipsum epistolio peculiariter compellaveris. Bonum factum, quod excuditur Galenus, à Morella, Græco-Latinus. Cùm enim sis futurus posterior, poteris omnia tuæ editioni applicare, quæ ipse primùm intulit. Neq; enim dubium est, quin quicquid anecdotum est in Bibliotheca Regia, id curis suis addiderit. Verùm, quid si editio illa morte ejus intercideret? nam Fredericus sanè Morellus diem suum obiit; frater autem ejus, qui etiam typographiam curat, est ignarus linguæ Latinæ, necdum Græcæ. Det Deus Opt. Max. ut aliquando ad nostra redire possimus, & moneta isthæc adulterina in malam facessat rem, unde venit. Medicos nondum conveni, id facturus hac septimana sequenti. Vereor tamen, ut parum Tibi præstent præsidii. De hostis adventu mira sunt, quæ scribis. Multum in eo est pertinaciæ. Sed, Deo tamen esse nequibit superior, cui Te, mi Domine, cum lectissima conjuge, ac dulcibus liberis, animitùs commendo. Hæc raptim, 22. Maji. A. S. 1622.

Idem Eidem.

S. P. Ignosce, mi Domine, si tuis respondeo tardiùs. Tabellarius jam accinctus erat ad iter, priusquam noram advenisse; itaq; vix fuit tempus scribendi. Rectitudinem propositi tui laudo, atq; exosculor, & quamvis non respicere-

ceres bonum commune; at pergendum Tibi erat in Galeno, ut averteres animi oculos à contemplatu calamitatum communium; quæ quotidiè ingravescunt non istis modò locis, sed & in Turcia, & Gallia. Quin & vereor, ut brevi Britannus vel excidat regno suo, vel introducat civile bellum; alterutrum certè fit. Ego me quidem involvo scriptis, librisq;, sed non abigo à me curam, sollicitudinemq;; quæ eodem me sequitur, occupatq; tergum. D. D. D. Rehlingus, Lansius, Wellingus perofficiosè te resalutant; etiam Gruterus, qui si aliqua in re usui esse Tibi potest, aut voluptati, impera; & impetras. Utere tamen me, dum potes, perseveresq; tuam erga me amicitiam, cui nihil antepono. D. D. & Dinnero & Virdungo uberes à me salutes, itemq; si apud vos, Dn. Hegenitio. Tubingæ 28. Augusti, 1622.

Idem Eidem.

S. P. Virorum amicissime: Literæ tuæ postremæ Lapidem me fecerunt; adeò incredibilia renunciabant, & longè alia, quàm tuæ priores. Si vellem prensare, aut Principes, aut Academias, nusquam non invenirem me dignam cathedram, aut stationem: Sed hactenus nemini operam meam obtuli. Imò ultrò jam modò ad me itum est à Frisiis Franckerensibus, ut ibidem veniam ad professionem historiarum. Idem petituri sunt Leydenses; sed quid? annon hoc foret de fumo currere ad flammam? Si miles nullus fuerit in Palatinatu, hac æstate migrabo ad alterum generum meum, qui castrum & prædia Nobilis cujusdam sibi comparavit; ibidem absolvam monumenta ingenii mei, semiperfecta: In primis *Discursus ad totum Tacitum, Proverbia omnium linguarum, & XXX. libros Suspicionum.* Si miles ibi potrò sederet, vel in Galliam concedam, ubi Ledigerius agit, vel petam Franekeram; neque enim diutiùs heîc agere possum sine Bibliotheca. *De pede præconum* nihil memini me legere, quàm illud *Pollucis*, citatum *Mercuriali*: Sic tamen per somnium recordor, tale quid reperisse me in libris *Joh. Chrysostomi*; ubi agebat de voce Dei, cum publicaret decem præcepta; sed locus non occurrit. Ago gratias de curatis literis; in tua causa quicquam possem, agnosceres me amare Te, & æstimare pro vero pretio; hoc est, habere pro ævi hujus Æsculapio altero. Verùm de eo aliàs; nunc salve cum tuis, in hunc, & multos annos, ex animi mei spe, sive tui sententia. Raptim. Tub. 16. Febr. 1624.

Nic. Rigaltius Eidem.

QUam lentè tabellarii vestri festinant! nam hodiè tandem accepi datas abs Te anni superioris Calendis Novembribus; quibus significas, Te antea dedisse

dedisse prolixiores, eas autem intercidisse, equidem doleo: Neq; respondendi officio defuissem. Quod de Galeni officio Morelliana sciscitaris, ita res habet. Typographi Græcolatinam moliuntur: Sed meliorem Frobeniana fore, quò minùs sperem, faciunt nostrates Medici, artis equidem suæ peritissimi, verùm tam multis imperantibus occupati, ut vix, quantum reficiendo corpori satis est, quiescant, tantum abest, ut otio illi negotioso, quod MSS. Codd. conferendis examinandisq; opere in magno necessarium esse nôsti, abuti velint cum rei familiaris detrimento. Audio tamen Joann Benedictum Salmurii perstare expectantem, si quis adjutet, & est sanè duobus artificibus strenuissimis operæ satis. Itaq; si societatis conditionem non recusas, patebit ambobus Regia Bibliotheca, & suppeditabit codices complures MSS. Hippocratis & Galeni operum jam editorum: Sed & aliorum Medicorum ἀνέκδοτα non pauca. Tuum est per Te aut per quoscunq; idoneos experiri, quid inde possit in publicam utilitatem redundare. Scripsit amicissimus Gruterus, se proximo vere ad nos venturum. Quare non rescribam; ut sit præsentiæ exoptatissimæ gaudium indelibatum. Salutem illi interim à me plurimam dicas, etiam atq; etiam rogo. Vale clariss. Hofmanne. Lutetiæ Parisior. V. Cal. Mart. CIƆ IƆC XXIV.

Jano Grutero, Bibliothecæ Palatinæ curatori, Nic. Rigaltius.

INiquus aut etiam barbarus dicar, amicissime Grutere, si tuas petitiones vel tantillum morer. Nam quid justius Hofmanni desiderio in causa publica opem sibi de Bibliotheca Regia, h. e. de publico, flagitantis? Quid verò dulcius atq; efficacius imperare potest, quàm Amici ad amicum literæ, ex veteris amicitiæ formula benè merentis, votum commendantes? Omninò igitur Te impetrâsse, scito quod me Tibi denegare summum esset nefas. Si quid Gal. ad Regiorum Ex. fidem examinari cupit Hofmannus, cùm primum nobis significaverit, experietur sedulam sive meam sive Amicorum diligentiam. Atq; ut sciat, quibus in partibus juvari isthinc possit, indiculum ecce in scida ad Te mitto librorum Galeni, qui in regio penu adservantur. Consilium verò suum cum Medicis nostratibus communicari minùs, ut opinor, urgebit, si per Te resciverit, eos quidem artis Medicæ esse peritissimos, verùm tot habere cotidiè imperantes, ut otii beati, quale ad MSS. Codd. discutiendos necessarium esse nôsti, nihil sibi reliquum facere possint. Deniq; hoc etiam ut scias, velim, me Sulpitio parente, viro optimo, Doctore Medico Parisiensi, natum, Joannis Altini, qui nuper inter Regis Christianissimi Archiatros primarius erat, generum, nihil unquam,

quam, quod ad præstantissimæ artis gloriam conferre possim, prætermissurum esse. Benè vale. Lutetiæ Parisior. Postridie Eid. Jun. cIↄ Iↄc XX.

In Bibliotheca Regis Christianissimi.

Γαλήνου περὶ πυρετῶν. Ἰατρός. Περὶ χυμῶν.
Περὶ ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως, βιβλία ε´.
Περὶ τόπων πεπονθότων, β. γ.
Περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ τόπους, β. ά.
Περὶ τῆς τῶν κατ᾽ εἶδος ἁπλῶν δυνάμεως. λο. γ.
Περὶ χρείας μορίων καὶ ἐνεργείας.
Περὶ τῶν κατὰ τόπους πεπονθότων, β. γ.
Περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους, β. γ´. ε. ς´. ζ´. η. θ´.
Περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως, β. ιά.
Πρὸς τοὺς περὶ τύπου γράψαντας, ἢ περιόδων.
Περὶ διαφορᾶς καὶ αἰτίας νοσημάτων, β. ς´.
Θεραπευτικῆς μεθόδου, λ. δ´.
Ἐξήγησις εἰς τὰ προγνωστικὰ Ἱπποκράτους, τμήμ. ς´.
Ἐξήγησις εἰς τοὺς ἀφορισμοὺς, τμ. ζ´.
Τέχνη ἰατρική.
Πρὸς Γλαύκωνα, β. β´.
Περὶ τῶν ἐν τοῖς παροξυσμοῖς καιρῶν.
Πρόγνωσις περὶ φλεβοτομίας.
Περὶ μήτρας ἀνατομῆς.
Περὶ τῆς ἐξ ἐνυπνίων διαγνώσεως.
Πῶς δεῖ ἐξελέγχειν τοὺς προσποιουμένους νόσους.
Περὶ βδελλῶν, περὶ σικύας, περὶ ἐγχαράξεως.
Περὶ τῶν παρὰ φύσιν ὄγκων.
Περὶ τοῦ ὅλου νοσήματος καιροῦ.
Ὑποθῆκαι ἐπὶ ἐπιληπτῷ παιδί.
Περὶ μελαίνης χολῆς.
Περὶ τρόμου καὶ παλμοῦ, καὶ ῥίγους καὶ σπασμοῦ.
Εἰς τὸ περὶ διαίτης.
Περὶ διαφορᾶς πυρετῶν. β. β´.

Περὶ συνωνύμων σφυγμῶν, ἐπιστολὴ πρὸς Τεύθραν.
Περὶ τῶν ἐπὶ χυμοῖς σηπομένοις ἀναπτομένων πυρετῶν.
Περὶ τῶν κατὰ περιόδων παροξυνομένων πυρετῶν.
Περὶ κράσεων, β. ϛʹ.
Περὶ φυσικῶν δυνάμεων, λ. ϛʹ.
Περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτη στοιχείων.
Περὶ κρίσεων, β. βʹ.
Περὶ κρισίμων ἡμερῶν, β. γʹ.
Ἀπορίαι καὶ λύσεις περὶ ἀναγκαίων τινῶν.

E Bibliotheca Medicæa ab eodem Rigaltio.

GAl. Ars parva. Therapeutica ad Glauconem.
De diff. cauſ. ſympt. morborum lib. 6.
Therapeutica magna, lib. 3.
De partib. affectis, lib. 6. cum ſcholiis.
Introductio & definitiones Medicæ.
De ſimplicibus. De curandis morbis.
Therapeutices lib. 14. cum Introductorio.
De uſu partium. Et iterum lib. 17.
De ſimplicibus & de ſemine.
De pulſibus lib. 16.
Anatomica, & de motu muſc.
Officina Medici.
In Aphoriſmos Hipp. libb. 7.
De cauſis ſymptomatum.

Index his Latinè conceptus eſt: At libri omnes habentur Græcè.

Idem Hofmanno.

INtellexi ex nobili Viro, qui ſe iſtas curaturum recepit, ſuperiores ad Te meas intercidiſſe. Et mirabar, quid aliud accidiſſet, quòd ad eas tamdiu non reſpondiſſes. Nam indiculum miſeram operum Galeni, quæ in Bibliotheca Regia ſervantur: ut ex eo perciperes, quid iſthinc editioni tuæ adjumento eſſe poſſet. Eum verò lubens denuò mitterem, ſi per occupationes excerpere mihi liceret, aut ſi ad manum eſſet, qui id rectè & accuratè præſtaret. Eſt enim ea cura non omnium artificum. Et ſunt opuſcula & fragmenta quamplurima variorum auctorum voluminibus inſerta, quæ non extricari, niſi per otium queant. Quare, ob-

re, obsecro, moram pauculorum mensium feras. Neq; me propterea sive tui, sive publicæ utilitatis cultorem minus studiosum putes. Oppressus sum nihil tale cogitans repentino discessu Viri clarissimi, qui mihi tuas per salutationis officium ostendit, & se in procinctu esse, ut abiret, significavit. Itaq; mihi tantum licuit hæc ad Te paucula raptim exarare. Vale, Virorum eximie, & benè de humano genere mereri perge. Lutetiæ Parisior. postrid. Calend. August. CIↃ IↃC XXVII.

Idem Eidem.

QUas ad me tertias dedisse scribis, eas nunc primùm & solas accepi. Atque id Tibi esse persuasissimum valdè meâ interesse existimo. Nec deprecarer quidvis opprobrium pro barbarie silentii tam incivilis erga Virum tam insigniter de Republica meritum. Ut primum igitur accepi tuas, quæsivi ab heredibus Amplist. Thuani si quid penes ipsos esset Casauboni ad Theophrastum. Quæsivi etiam ab Clariss. Puteanis. Adfirmant, se non habere quicquam. Neq; sanè credibile est, Viros rei literariæ & famæ Casauboni studiosissimos hujusmodi aliquid supprimere voluisse. Vale mi Hofmanne, & me amare perge. Lutet. Parisior. XII. Cal. Jan. CIↃ IↃC XLIII.

Goldastus Eidem.

CL. Dn. Doctor; Missurus ad Vos conjugis meæ fratrem, Nobiliss. adolescentem, Hieronymum Petrum à Stetten, ut ubi ego florem studiorum meorum non infeliciter libavi, ibi & ipse sub suavissimorum meorum, Amicorum magisterio fructus decerpat ac ferat olim non pœnitendos; non potui nec debui facere, quin eum, jure veteris nostræ amicitiæ fretus, de meliore notâ Tibi commendarem. Juri utriq; operam est daturus. Itaq; id tantùm abs Te petiturus venio, ut ei, quod commodo tuo fieri velim, de mensa parabili & habitatione commoda prospicias, ceterisq; in rebus necessariis ope consilio tuo juvare non dedigneris. Memorem dices beneficii, quodcunq; in eum pro re nata contuleris: Nec Te facturum diffido, quem scio à me mutuum expectare. Quod noli dubitare, quin gnaviter præstiturus sim. Sleichius noster semel atq; iterum me convenit, rogitans, ad Te uti scribere non dedignarer auremq; super Galeni operibus vellere. Quæ memini abs Te eadem operâ ac industriâ adornari, quâ Foësius nobis Hippocratem exhibuit. Ille ex Te rescire studet, an nondum ad exodium perduxeris, & quid spei sibi facias de ejus impressione, ad quam sine ulla mora paratus est accingier, Tecumq; in æquas conditiones convenire. Fac ergò, sciat, an opus ad effectum spectet. Non gravatur ad Te Altorfium excurrere,

currere, & (ut dixi) honeſtis conditionibus Tecum impræſentiarum transigere. Si quid ego hac in re præſtare potero, quod in rem tuam ſit, jube, quæſo, pro jure amicitiæ noſtræ, & impetratum putato. Æternabile opus es aggreſſus, & divinitate dignum. Macte hac virtute, mi Hofmanne, & cœlum Tibi applaudentes ſpondebimus. Utinam nobis alius aliquis Hercules oriatur, qui vetuſtos Medicos, quà Græcos, quà Latinos, in unum corpus compingat, & ex eadem fidelia dealbet! Num tuis humeris hunc quoq; Atlantem imponi ſuſtinebis? Erunt fortaſſis in Bibliotheca mea, quibus inſtitutum hujusmodi non parum adjuvari poterit. Et idem Sleichius videtur ab eorum Medicorum editione non eſſe alienus. Quod Te ſcire volui, & benè feliciterq; valere. Audio, Magiſtrum illum meum Queccium abiiſſe nuper ad plures. Benè ſit manibus ejus. Ita uno eodemq; anno duos amiſi Magiſtros, Henricum Honſelerum in Helvetia, virum octogenarium, à quò primas ſyllabas legere & ſcribere doctus eram: Et M. Queccium, ſub cujus Magiſterio claſſico tres fermè menſes anno 1593. transegeram. Iterum vale, & per occaſionem, quid Tibi ſit animi reſcribe. Dabam properanter Francofordiæ a. d. VII. Eid. April. ſtylo Juliano A. C. N. cIↃ IↃc XXIX.

Idem Eidem.

ITa eſt, ut ſcribis: Domini noſtri Natalitia conſtitueram domi cum familia mea celebrare: S[illegible] [illegible]eniſſimi Electoris ac Principis mei diuturnior abſentia propoſitum meu[illegible] [r]etardavit. Redux literas tuas cum aliis quamplurimis offendi. Sleichium non item, qui totam hiemem Lipſiæ contrivit in ordinanda ſua libraria, quam conturbâſſe procurator ejus dicebatur: Tum ut lucrum quoppiam captaret in conventu Principum Evangelicorum inibi congregatorum. Itaq; cum illo de rebus tuis agere ante haſce nundinas, in quibus demum ad nos rediit, non quitus ſum. Compellatus à me tuo nomine, vehementer etiam atq; etiam conqueri cœpit de damno, quod in libris tuis excudendis faciat, in tanta præſentium temporum injuria, per quam Medicorum ac Philoſophorum ſcripta velut animam agere videantur, adeò ab emtoribus deſtituuntur. Accedit injuria peſtilentiæ undiq; graſſantis, per quam toto jam biennio omnes libri Transalpini ab Italia & Hiſpania arcentur. Petit aliquantulam dilationem, donec videat, quorſum præſens bellum caſurum ſit. Et profectò, niſi Deus ἀπὸ μηχανῆς pacem oſtendat, actum erit de omnibus librariis, bibliopolis ac typographis: In hiſce nundinis iterum quinq; verſuram fecerunt: Et ſuſpicio adhuc eſt de tribus aliis. Ego verò non acquieſcens ejus ſermonibus, repetii inſtanter commentarium tuum de Calido innato, cujus Prolegòmenis nihil vidi in hoc genere elegantius,

gantius, nihil eruditius, nihil verius à quoquam scriptum esse, quibus ita captus fui, ut non destiterim tum Gallis, tum Belgis de optima nota commendare. Sed à tricante Sleichio, & de die in diem protelante, necdum potui impetratum auferre, ut alteri darem procurandum. Georgius ille Langius, quem indicas, in literis me nullus convenit, ut ei aliquid ad Te perferendum committerem. Quod Te scire volui, & benè valere. Scr. Francofordiæ inter occupationes postridie Paschatis, A. cIↃ IↃcXXXI.

Idem Eidem.

Sleichio nostro perstat sententia de Galeno tuo Græco - Latino suis sumtibus procurando & publicando. Sed in ea (proh dolor) tempora incidimus, in quibus literæ ab armis opprimuntur, & Mars Minervæ dominatur. Ut leges, ita & literæ silent inter arma. Speramus tamen meliora, & dabit Deus his quoq; finem, ut, placato & pacato Marte, Palladis artes reflorescant. Indices in Galenicas notas accepi. Perplacent; & industriam tuam diligo. Si tamen meo consilio rem gessisses, auctor Tibi fuissem, ut notas gemmis veterum Medicorum paululùm ampliâsses. Sed (ut est in proverbio JCtorum) brevitas placet modernis. Mitto Tibi Lotichii commenta in Petronium cum aliorum Notis; nec non & Cransii tractatum de Coralliis: Additurus plura: si per præsentes occasiones licuisset. Quod differtur, non aufertur. Vides, quantum abs tuo instituto ac judicio Lotichius dissideat. Volebam hominem amicum hac occasione ad lectionem veterum Medicorum deducere, quorum illum prorsus expertem & negligentem esse advertebam. Sed judicio destitutus nec in bonis auctoribus versatus nobis undiquaq; compilavit, quæ ad grandiendum librum convasare ex Cornucopiæ, Calepino, Textoris Officina, Erasmi Chiliadibus, & consimilibus scriptis poterat, ut tandem monstrosum, horrendum & insanum magnum istud commentum pareret. Adeò sibi philautia placet, ut etiam sordes suas putet mera olere cinnama. Sed illo misso, ad Te redeo. Tractatum tuum *de Calido innato*, denuò à Sleichio repoposci. Verùm is manu stipulata editionem maturare promisit. Alioqui cum Guliel. Fitzero Anglo agebam, ut eum imprimendum curaret: Qui & ultrò manum adhibere obtulerat. Quod ad tuas rescribere placuit, cujus commodis ut consulam, quantum in me est, semper paratus sum; nec defuit occasio, præstantiam tuam Legatis Reip. Vestræ, Dn. Volckamero & Dn. Tuchero, de optima nota commendandi: Nec cessabo, donec certior extitero aliquem inde fructum in Te Tuosq; redundaturum esse. Vale, & me amare pergito. Dabam Francofordiæ a. d. VII. Cal. Octobr. A. C. cIↃ IↃc XXXI.

P. S. Etiam illud Te ſcire velim, parari ab eodem Fitzero elegantiſſimum opus, in quo nobis effigies virorum literis præſtantium & toto orbe fulgentium effigies ære ad vivum expreſſas repræſentabit, ordine quodam juxta facultates & tempora diſpoſitas. Deſiderantur autem Altorphinorum Profeſſorum imagines, putà Thomæ Freigii, Giphanii, Scherbii, Taurelli, Scip. Gentilis, Rittershuſii; Matth. Bergii, Edonis, Hilderici, Clapmarii, Crineſii, & aliorum apud Vos olim præluentium, quorum nomina non ſuccurrunt. Sed & viventium adhuc & aurâ veſcentium, inprimis tuam, idem Fitzerus deſiderio quodam ſingulari expetit, ſin minùs jam vel ligno vel ære expreſſas, ſaltem nudo penicillo delineatas. Quod modico ſumtu fieri poterit, pictore Norimbergâ accito, quem impendere Academia honoris ſui cauſâ haud gravabitur.

Idem Eidem.

FAteor binas me abs Te accepiſſe: Quarum prioribus ſtatum calamitoſum Veſtræ Academiæ fuſiùs exponis, nec habebam, quod regererem, niſi Chriſtianam, imò humanam commiſerationem. Et DEUM veneror, ut & nobis & Vobis tandem aliquando dignetur otium illud Melibœanum, quo abuſi fuimus ingrati, reſtituere. Nos adhuc in media belli flamma verſamur, nec finis apparet usquam. Quòd ſi vera ſunt, quæ de Fridlandio duce ſparguntur, ardentes Bellonæ faces magis accenſas quàm extinctas videbimus. Tractatum tuum *de Calido & Spiritibus* Sleichius ſub ſacroſancta appromiſſione edendum hac hieme recepit. De Galeno Tecum ſentit, ut interim, dum hæc calamitoſa rei literariæ tempeſtas conquieſcat, perficiatur, & reſpirante pace publicâ redditavè literis ſalute procul mora poſſit prælo ſubmitti. Effigiem tuam nondum accepi. Sæpe mihi & Helfrico Dieterico, Ill. Principis mei Archiatro aulico, ſermo eſt de Te tuisq; laudatiſſimis & utiliſſimis operis generi humano navatis & elaboratis. Is curam mei corporis, ſcabie jam à triennio vexati, recepit; ſed ſine conſtanti operatione. Singulis enim vernis temporibus, & quidem in Aprili, ſolet recurrere. Valdè me vexat, & in ipſa functione publica moleſtat ac impedit. Varios conſului Medicos, variisq́ uſus ſum remediis, nec ſublevor tamen, quòd ſanguinem rectè purgare non attendant. Inde enim origo mali. Nunc nihil eſt ad manum, quod honorarii Tibi mittam. Erit fortaſſis, Deo volente & vitâ comite, proximis nundinis. Interim vale, & me amare (quod facis) pergito. Francof. a. d. XXII. Sept. Anno cIↃ IↃc XXXIII.

Idem Eidem.

LIteras tuas humaniſſimas, quas nonâ die, antequam ego in graviſſimum morbum Hemiplexiæ inciderem, ad me ſcripſiſti, multò poſt demum in A. 1633. accepi.

accepi. Initio non licuit mihi eas, obstante morbo, perlegere, sed nunc demum video, eas continere morbi præcavendi consilium. Cujus causâ Te vehementer etiam atq; etiam amo. Video enim ab amico pectore esse profectum, sed meo morbo non videtur admodum congruere: DEO fretus Deo confidam, qui non patietur me suo auxilio destitui. Aulicus fui inde post Academicam vitam, nec potui aliter facere, quàm aulici solent, quamvis sæpe meis ingratiis vixerim. Quid tuis laboribus fiat, jam diu est, quum nihil rescire potui. Nam Sleichius nihil ad me jam ab anno, & quod excurrit. Si DEUS vitam prorogaverit, & vires corporis adhuc vacillantes restituere dignatus fuerit, videbo, ut res tuas curem, sicuti decet, & par est. Interim Te Deo commendo, & vivere optimè jubeo. Dabam Giessæ 8. Sept. A. 1634.

Idem Eidem.

S. P. *Clar. & Excell. Dn. Doctor*, literas tuas cum incluso fasciculo, labentibus jam nundinis, ex aula Electorali Treveria reversus, in ædibus socrus meæ, fortuitò offendi. Pro honore, quem mihi habes, quemvè ego gratum, acceptumq; habeo, quàm possum maximas ago gratias; relaturus cum tempore & occasione. Est enim mihi testimonium tuæ constantis in me veteris amicitiæ ac voluntatis: Neq; etiam fiduciam tuam falli committam. Et in ipso momento me ad Sleichium contuli, oblataq; tua scheda rem tuam seriò seduloq; commendavi. Is quidem gaudere videtur de transmisso libello, eumq; statim Hanoviam, ut durantibus adhuc nundinis protruderetur, ablegavit: Sed jam præla cessabant, dilapsis operis. Libri *de generatione hominis*, nec non *de formarum origine*, jam ad exodium erant deducti. Cæterum visus est Sleichius in iis conditionibus, quas scheda tua proponebat, universis acquiescere; exceptis, quæ non præstare inpræsentiarum posse, in tanta rerum librariarum inclinatione, obtestatur. Et sanè ita est, ut qui ante hos annos bibliopolæ cum Crœsi divitiis certare videbantur, nunc ad Iri incitas fermè redigantur. Audeo tibi confirmare, Sleichianam officinam totius Europæ librariis longissimè antistare: Sed desunt emtores; & minorum gentium bibliopolæ fide Græca mercantur, quam rarò præstant. Ita homines isti cum infelicitate horum temporum conflictantur. Quod ad *librum de ossibus* attinet, recepit Sleichius editionem, hac hieme procurandam. Nam interea dum à Serenissimo Electore Moguntino evocatus absum, ille ad nundinas Lipsienses profectus, nec dum rediit. An exemplaria librorum *de generatione hominis* ab eo acceperis, scire velim. Neq; enim significasti, cui ea committere deberem: Et gustus iste libelli de ossibus in tantum mihi salivam movit, ut desiderium videndi Galeni, abs te in vitam restituti,

tuti, vix feram: Matura, sodes, quod tam feliciter instituisti; facto opus est. Noli dubitare, quin Deus honestissimis tuis conatibus adfuturus sit. Ipse humanam ingratitudinem sua divina benedictione liberaliùs compensabit, ubi, & quando minimè speres. De me exemplum cape, & quam Opt. Max. Deus in se sperantes non deserat, nec confundi spem eorum patiatur, mei ipsius experimento disce. Laboribus Deus bona sua vendit; labores isti famam tibi parabunt; fama promotionem: Ista rerum familiarium sublevationem. *Rex Daniæ* Medico primario *in Academia Sorana* 800. thaleros imperiales pro annuo salario constituit; alteri 500: Qui si Philosophicam professionem simul exerceat, duplum recipit stipendium, nempe mille thaleros imperiales annuos. Et est illic rerum venalium, maximè vectualium, longè mitius pretium, quàm istis in regionibus. Intelligis, quid velim, & simul meum in te benevolum agnoscis affectum, in quo finio; & simul te plurimum salvere & sospitari cupio. Francofordiæ, d. 4. Octobr. A. 1629.

Idem Eidem.

Vix domum reversus etiam in nundinis autumnalibus, dum mihi literæ à Serenissimo Electore Trevirensi offeruntur, in aulam revocabar. Ita turbæ istæ publicæ, & periculosa tempora, in quæ incidimus, me subinde à studiorum quiete abstrahunt, dispelluntq;. Et totum trimestre, quodve excurrit, in Aula illa degens, vix erat, ut à continuis laboribus respirarem; nedum ut literis privatis exarandis operam darem. Et adhuc in illo *miseriarum splendore* hærerem, nisi me dilectissimæ conjugis morbus lethalis avocasset. Quam ut offendi tàm miserè immutatam, non tantùm hydrope, sed mille morbis, ut ita dicam, & cum letho confligantem, non poteram pro mœrore & angore in amplexum ejus ruere, quin subitò quasi paralysi quadam perculsus, & pedum & digitorum usum amiserim. Qui morbus me quoq; lecto afflixit, & per ipsas quinq; septimanas, adeoq; ad uxoris usq; obitum cruciabiliter detinuit. Interim tamen terna tua epistolia, quæ, me absente, conjugi ægrotanti fuerunt reddita, cum quamplurimis aliis amicorum literis, perlegere non sum gravatus. Moram facilè excusabit prudentia tua, quæ mihi multis exemplis explorata est atq; perspecta. Indicem dextræ manus nec dum benè licet porrigere, & tamen vel à retinente officium hoc extorsi, ut ante instantes nundinas tibi rescriberet, atq; ex incerto certior ut fieres, has concinnaret. Libri tui *de generatione hominis*, sunt typis Sleichianis evulgati: Quos ego & hisce oculis meis usurpavi, & manibus tractavi; qui (ut soleo) avidè totos perlustravi, nonnullaq; in usum meum privatum enotavi. Itaq; re amplius non integra, quæ amicè monebas, emendare, & mutare non licuit.

licuit. Ipse Sleichius totam hiemem Lipsiæ hibernavit. Infortunium, quod passus est, non modicam rei literariæ moram & calamitatem afferet; societatemq; Wechelianam, qua majorem res libraria nullam habet nec illustriorem, à librorum impressione suspendet; protelabitq; in annos non paucos. Quare *librum de ossibus* ab eo repetam, alteriq; idoneo commendare satagam. Quod te scire volui, & bono publico superstitare. Scrib. 7. Febr. A. 1630.

Idem Eidem.

S. P. D. Res salva est, *mi Hofmanne*, & libri tui in portu. Nec enim *commentarios* tantùm *de generatione hominis*, qui ante semestre prodierunt, sed & *Galeni de ossibus*, notulis tuis illustratum, à Sleichio accipies. De Galeni operum promisso non vult se liberare Sleichius noster, promittens tecum conditionibus æquis convenire, vel ad arbitrium bonorum virorum & amicorum; inter quos uterq; etiam me esse voluistis. Faciam tum, quod in rem tuam esse ipsemet suggesseris; & ego videro. Interim vale, & pro honore, quem mihi in dedicatione habuisti, gratias ago, quantas possum, maximas; relaturus, simulatq; sese occasio obtulerit. Nunc enim in promtu nihil est, quo te possim, aut debeam beare; præter *commentarios* Medicos Philologicos *Doctoris Lotichii in Petronium*. Quos si nec ab auctore, nec aliunde accepisti, à me poteris expectare, si gratum tibi fore munusculum intellexero. Interim vale, & Reip. literariæ feliciter superstita. XXIV. Martii. A. C. N. 1630.

Idem Eidem.

DOmum ex longa absentia in hisce nundinis reversus, binas tuas offendi, non dissimilis argumenti: Utræq; enim plenæ sunt querelarum. Et justè quidem quereris de insubita impressione libri de ossibus, si abs te ad eam faciem, ut mihi nunc depingis, fuisset conscriptus. Nam operæ solent ductum ac filum scripti codicis sequi, nec patiuntur sibi à quoquam imperari, ut hoc vel illo modo literas componant, aut varient. Vidi ego non semel, quum operæ typographicæ, projectis chartis, cum indignatione officina excederent; non rediture, nisi author librum præscripto modo exarari curaverit. Tanta est horum hominum protervitas, & malitia. Sleichius necdum abjecit Galeni operum editionem: Qui si quid passus est per temporum & hominum injuriam, non tam ad eas incitas redactus, ut tantum opus nequeat suis sumtibus sustinere. Equidem jam ante triennium illi auctor fui, ut tempora hæc ærumnosa & calamitosa, librisque maximè damnosa, respicere, atq; in sumtuosis grandium voluminum impressionibus aliquandiu sibi temperare vellet; donec Deo respiciente gratior aura afflaverit,

verit, & puto facturum. Tamen librum illum tuum *de calido innato*, quem hisce nundinis ad me misisti recepit ea conditione, ut circa Bacchanalia prælo committat; nisi iniquior fortuna prohibeat. De cæteris tuis libris, præsertim Galeni *de usu partium*, noli, quæso, tibi à studiosis, nec rectè, persuaderi. Vidi ego ipsemet hisce oculis meis, & tractavi manibus aliquot centū exemplaria, quæ adhuc supersunt. O si talis esset librorum conditio, quam pleriq; in Academiis sibi imaginantur, non foret, cur omnes ac singuli librarii in universa Europa tantoperè conquererentur; nec paucos nō maximi nominis typographos facultatibus labi, & forum vertere in nundinis cerneremus. Quod si tamen Sleichius dicto tempore fidem præstare tergiversabitur, dabo operam, ut alium typographum reperiam. Nam libri illius *prolegomena philologica* ita me ceperunt, ut nihil magis. Nec quiescam, donec bono publico expositum videro. Certè liberasti me à magno errore, qui *Trismegisti illius theologumena*, vulgus imperitum & chymicum secutus, longè aliter hactenus intellexeram: Qui nunc te Doctore, non illum modò, sed & Platonicos, *Proclum*, *Porphyrium*, *Jamblichum*, *Plotinum*, primùm disco & legere sanctos, & intelligere mentem ac sententiam eorum rectius. Palmam tibi porrigerent omnes, qui non sunt à mala mente fascinati, aut invidia præstricti. Quæ tibi ad humanissimas literas tuas præfestinanter, inter summas occupationes, volui respondere, veniam rogitans diuturni silentii, qui totam æstatem in commissionibus Cæsaris, ac Electoralibus absens non potui tibi, aut aliis, consuetam meam humanitatem reddere. Crastino die rursum cogor in negotiis Electoralibus discessum parare, vix ante natalitia Salvatoris nostri reversurus. Vale vir Clarissime die 19, Septemb. A. 1630.

Idem Eidem.

S. P. D. Ego verò *Clarissime & Amicissime Hoffmanne*, tantùm abest, ut aut vetustate nostræ amicitiæ oblitus, aut officii decentis immemor, curam negotii tui deposuerim, ut bis ædes Sleichii interviserem; cum eo collocuturus, & quid animi haberet, exploraturus: Sed neutra vice domi aderat. Et ego interim negotiorum publicorum ac herilium mole obrutus, à literarum studiis ad militum conversationem, in Serenissimi mei Archiprincipis Electoris servitio, traducebar, ut illum convenire per occupationes minimè licuerit. Cujus rei testis mihi esse poterit Doctor Hulsius, Illustriss. Reip. vestræ Consiliarius. De dedicatione titillasti aures meas. Neq; enim de te, licet veteri amico & commensali, meritus sum, ut tanto me honore dignareris: Neq; etiam tam beatus existo, ut laboribus ac impensis tuis possim respondere. Ego ab ineunte ætate sic vitam meam institui, ut honestas literas amarem, opes ac divitias contemnerem,

nerem. Haud feliciorem in ipsis studiis, quam diuturnis meis officiis, Mercurium expertus sum. Non commemorabo, quantum laboris, sudoris, lucubrationum, & sumtuum fecerim in libros à me compositos, & Cæsari, Regibus, Electoribus, Principibus Rebuspublicis, dicatos, inscriptos; à quibus tamen, (fidem meam testor) ne ternuncium quidem, vel honoris ac moris ergò, unquam accepi. *Hoc fato reguntur nostra studia.* Si tamen omninò cum animo tuo constituisti, hunc mihi velle honorem habere, meamq; tenuitatem tot assiduis locupletibus, & munificis Patronis præferre; faciam & ego, ut intelligas, me benignam voluntatem tuam non ingratam, neq; irritam habuisse. Nuper Doctor Lotichius sua epigrammata Illustrissimo Mauritio Hassiæ Landgravio inscripsit, & inpræsentiarum obtulit: Qui ei epigramma euchatisticon, honorarii loco, redonavit. Ego aut liberalior tibi apparebo, & privilegium, quod petis, Galenicum à S. Cæsar. Majestate impetratum præstabo, sed typographi illius qui libros excusurus est, necessariis sumtibus, quod meæ curæ committas. Interim vale, mi amicissime, Scripsi die S. S. Petri & Pauli.

Joh. Gronovius Eidem.

ECce Tibi, CL. & Experientiss. Vir, Domine & Fautor observande, Cambdeni illam, quam petieras, præfationem bonâ fide descriptam. Næ autem ignavum illum Amicum tuum, qui in re tam levi cum Amicitiæ muniis defuit, prostituit ignavam suam operam! Ego sanè impio scelere me obligatum putâssem, si vel à conversatione mihi ignotus (à nominis enim fama cui potes?) refractario hoc negotii dedisses. Itaq; lubentissimè & mihi ipsi gratulabundus Tibi servire volui, oroq;, ut in aliis, si quid Tui gratiâ me velle vis, liberrimè imperes. Ita me Tibi vadatum & nexu mancipioq; obstrictum tenes, à quo nunquam nisi doctior recessi. Quod ne nunc velim, si occupationes tuæ ceteræ tantum Tibi indulserint, ut rescribere liceat. Docebis me, quid Medicis sint εἰκόνα illa, quorum mentio in hac præfatione. Memini apud Martianum Capellam lib. VIII. de Nupt. Philolog. & Mercurii: *Tunc quoniam credita jocos nuptialis deest vox non vetare, famulitium Veneris, vernaculaq; Bromiales tantos cachinnos concussis admodum tulere singultibus &c.* me invenisse in MSto libro optimæ notæ, pro jocos, Ycos, cum glossa: *Imago vel forma.* Quod non satis capio, nec tamen MS. fidem sugillare audeo ob alia plurima, quibus optimè locis desperatissimis, etiam Hug. Grotii judicio, medetur. Nova hîc pauca aut mendacia. De victoriola Hornii & Banierii adversus Bavarum puto vos inaudivisse. Rumor validus est, agitari inter Bavarum & Palatinos pacem hac conditione, ut ille depositâ Electorali dignitate retineat, quibus in Palatinatu superiore adhuc possessor incubat.

Non sperant tamen alii hoc temporis articulo istis tam lævam mentem futuram. Salve, Virorum Clarissime, & vale cumtota familia, mihiq; favere perge. Noribergæ postridie ejus, quo tuæ mihi traditæ. A. cIↃ IↃcXXXIII. quem felicissimum Tibi & omnibus bonis precor foveoq;.

Petii antehac à D. Jungermanno, quæ frater ejus Gothofredus ἀνέκδοτα in Plautum aliosq; notaverat, ipseq; hîc se mecum communicaturum promiserat, sed frustrà, nescio quâ diffidentiâ animum ejus alienante. Quod si Tuâ auctoritate interpositâ fideq; illorum mihi intuitus concederetur, esset, unde æternum Tibi deberem. Salve iterum Domine colende & hac molestiâ occasione datâ sine molestiâ defungere.

Idem Eidem.

CLarissime Virorum. Quam gratæ mihi fuerint literæ tuæ, quibus non satis fuit insinuare rursum Affectus Tui teneritudinem, nisi & multa mihi antehac inaudita, sed usui futura, me docerent, noli quærere. Hæ meæ vel si tacent, satis loquuntur, verum esse illud Poëtæ: *Quò plùs sunt pota, plùs sitiuntur aquæ.* Itaq; rursum alium Firmici locum felicissimæ Tuæ Medicinæ subdo, si tamen ægrotat, quem non ego, sed MS. dubiæ sanitatis arguit. Lib. I. in Præfat. *Nam alii & figuras his (diis) pro arbitrio suo tribuunt, & loca assignant, sedes etiam constituunt, & multa de actibus eorum vitaq; describunt* &c. MSC. *& longas adsignant.* Item l. VIII. c. 6. *exoritur Capra, quam fabulosi Poëtæ alimenta volunt Jovi infantulo præbuisse. Quicunq;* &c. MSC. *quam fabulosè Poëtæ lamenta* (an, *lamentanti?*) *volunt Jovi in multis esse nutritiam. Quicunq;*. Ex quibus nihil extrico, Tuæ verò edecumatæ censioni subsistens ipse lampada trado. Multa, in quibus deprehendo & facile est, benè consulere scriptori illo MStum nostrum, faciunt, ut de iis, quæ intelligere & assequi non possum, non statim sinistrè judicem. Subit illud Socratis dictum, qui cùm librum multis locis non intellectum perlegisset, rogatus judicium. Quæ ego, inquit, intellexi, non mala visa sunt; cetera damnare non possum. Id tamen hactenus, donec *à Te* Tuiq; similibusq; lutum ab auro secernere discam. In isto lib. VIII. alicubi, ubi vulgo, *feras variis casibus ferroq; sectabitur*, elegantiss. MS. *variis formidinibus* f. &c. Alibi, *venatores, arenarii, & qui, MS. arenarii, parabolarii, qui.* Iterum: *Qui publicis conviviis praferat gratiam,* MSC. *qui rebus publicis conviviorum præf. gratiam.* Rursus *anguis ** in modum fluminis fumosis flexibus labitur,* MSC. *sinuosis flex.* Quæ addidi speciminis loco. Sed fortasse jam ab aliis hæc emendata. Nam editio, quâ utor, Aldi est ante annos plus centum procurata: Nec fortè alia in hac urbe. Interim ne nihil agam, vel sic actum agere libet. Exemplum emendationum

Salmasii

Salmasii in Galeni duobus locis hîc habes, quæ si poterunt usui esse, ceteras plures notas ejus per otium describam. Ego sæpissimè in ceteris ingeniositatem & judicium acerrimum Viri illius miror: Adeò acutè inquirit in singula, estq; in magno illo opere vix pagina, in qua non vel à Scaligero vel à Casaubono in diversum abit, nec sine ratione. Novi hîc nihil præter transitum per viciniam Vinariensis exercitus, qui procul dubio jam vobis innotuit. Quo expeditio illa suscepta sit, nec scire fas nec quærere, adeò omnia in abstruso. Landgravius Hassiæ Cassellis Academiam erexit vicem Marpurgensis, ab agnato raptæ. Ipse in Bataviam abiit coràm cum Ordinibus fœdus icturus. Sed & Bremenses mei feruntur, ob injurias Comitis Oldenburgici, vicini sui, qui ab Aulæ Cesareæ ministris, ad alia quævis animatur circà Visurgim fluvium, sub Belgarum se dedituri ditionem. In imperio enim ut olim cùm non esset Judex in Israële, nulla justitia, agit quisq;, quod vult. Sed unicuiq; terræ privatim tantum querelarum, ut publicarum non satagamus. Tu salve & vale cum tota familia, Vir & Amice magne, in hac omnium rerum rutuba Dei præsentissimo præsidio commendatus fidelissimè. Scripsi raptim Noribergæ XI. Cal. April. A. cIↃ IↃc XXXIII.

Idem Eidem.

SAlve, CL. Vir. De Indicata in Horatium conjectura magnas ago gratias, & per occasionem promam apud V. Nob. I. Ulricum, qui commentationes in eum suas, opus juvenile & per triginta annos desitum, per otium resumit & fortè dabit aliquando publico. De D. Jungermanni morosa diffidentia non aliud responsum expectabam: Speraveram tamen, aliquid auctoritati Tuæ daturum. Antea per Bitnerum prætendebat, se cùm id non mandaverit frater, ὁ μακαρίτης, vulgandorum istorum, quæ ipse non vulgâsset, potestatem nullam habere. Nunc prodit se suo indicio sorex, unde scilicet illæ lacrymæ. Cur enim non consultum, ut Noribegam mittantur, viis latione vacuis? An me adeò felem librariam putat, quòd cùm cotidiè CL. Virorum, Senatus, Pirckheimeriana, I. Ulrici, Dn. Procancellarii, Rittershusii, Rhumelii &c. bibliothecæ mihi pateant, quod præcipuum ἐλλυχνιόν est, quod Norinbergæ me attinet, iste liber sit Strabonem me redditurus, ejusq; magnificæ opes meas reculas augere hîc necesse habeant?

Scilicet hic superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat.

Saltim mitteret hic ad amicum quendam, qui pignore à me accepto, donec restituerem, usum ejus mihi concederet. Per me imposterum habeant Hesperii Dracones thesauros, quos putant, suos, vel gallinæ potiùs in sterquilinio repertos

uniones ex fabula Æsopica. Ego Deum testor, nihil hic meæ, sed ipsius fratrisq; Gothofredi, qui breve literarum gaudium fuit, vel eâ re mihi amati, quòd Germanus gloriæ bonorumq; auctorum bono me velificatum esse. Alia erunt cui istam, si quæ speranda est, debebimus. Tu verò, CL. Hofmanne, cum tui similibus, quibus studium est curare, ne quid lateat seculis profuturum, pergite de me benè mereri; nulla ætas permittet aut sors, ut in officiperdam incidisse conqueramini. Nunc, si lubet, judicium Tuum audire velim de his Jul. Firmici locis Lib. VIII. c. XVII. *Quòd si benevola stella cum malevolis juncta, hunc eundem locum respexerit, ergastulis præpositos faciet, aut fodiendis metallis.* MS. bib. Noricæ: *Quòd si benevola st. c. malevolis juncta*, h. e. l. *viderit, ergastulis præpositos facit, aut metallis, omisso τῷ fodiendis.* Optimè. Appinxit id glossa putidi lectoris qui non intelligebat loquendi genus, *ergastula* & *metalla*, pro ergastulariis servis aut in metallum datis. Ut servitia pro servis, conjugia pro conjugibus, & mille talia, quæ sciunt, qui nondum ære lavantur. Tertullian. Apol. CXXVII. vice rebellantium ergastulorum sive carcerum sive metallorum, quæ non intellexit Fr. Junius, nec qui paraphrasin illius libri fecit Fr. Zephyrus. Columella l. 1. c. III. agros occupatos *nexu civium* & ergastulis tenent. Ubi videbis ab Hier. Commelino asterisco suspecta fieri vocabula, *nexu civium*. Nempe F. Ursinius *nexu crurum* emendaverat, & omninò hanc veram lectionem esse fuerat persuasus in castigationibus suis. Sed *nexus civium*, quid aliud quàm *nexi cives* ob æs scil. alienum & addicti, de quibus uberrimè Festus, JCti & Historici? Ita viros summos quotidiè in levissimis labi animadvertimus. Porrò in Firmico c. XX. *exoletos faciet & ad omne vitium impuritatis applicatos, irrumatos, cinædos, & quos gravis semper pulset infamia.* MS. pro *irrumatis* repræsentat clarè *rheumaticos*. Quod intelligebam de iis, quem, ni fallor, Cœlius Aurelianus *seminis lapsum* vocat. An potiùs capiendum de iis, qui destillationibus, seu, ut Symmachus loquitur, Humoribus laborant: Ista significatio est affinior ceteris, quæ ibi recensentur. Sed Tu, Vir CL. judica, & alterutrum exemplo ex arte tua muni, aut aliud me doce. Incidi his diebus in Claudii Salmasii Notas in Historiam Augustam, & deprehendi in indice trium Galeni locorum emendationes eum promittere. Si non vidisti, indica & descriptas mittam. Salve & vale, Domine & Fautor è paucis, & justo dolori meo deq; Tuo sincerissimo amore fiduciæ calami libertatem caloremq; condona. Scripsi Noribergæ Prop. prid. Cal. Martii A. 1633.

Idem Eidem.

Vir magne, Quum diu nihil de Te inaudivissem & subdubitarem, an hæreret adhuc Tibi nomen nostrum, delata ad me schedula est, in qua statim manum

manum tuam poscentis responsum ad literas tuas recognoscebam. Ea, pro illo ac debui, variè sum affectus. Lætabar quippe ac bono publico gratulabar, Deoq; laudes & grates agebam, quod venerandos canos tuos ad feliciores dies hactenus servâsset. Gaudebam quoq; pristinæ amicitiæ memoriam nondum excidisse Tibi. Sed periisse Tibi quantivis pretii officium, meq; honore alloquii tui post tantum silentii intercapedinem, id verò mœstus angebar. Nihil enim vidimus tuarum, quibus religioni semper fuit dissolutè colere veteres necessitudines, ac præstantium Virorum affectum ἀντεμαίβειν literarum non honorare. Cujus ut expressum haberes signum, de futuro prævenire statuimus Te &, ne quid suspicarere, à culpa sive tabellariorum, sive qui perlatas curare debuerant, nos liberare. Itaq; in posterum meliore auspicio electamus tuas ac promittimus, si quando videre tuas contingat, nullâ re nos respondendo fore omissiores. De me scito, Dei gratiâ valere me, & obtinere antiquum, hoc est, conjungere prudentiam civilem pro modulo nostri ingenii cum elegantibus literis, unde κλέος ἔρχεται ἀνθρώποισιν. Hagam verò sedem delegimus præ Lugduno cujus rei, ne mirere, graves extiterunt causæ. Inter eas, quòd secretius majoriq; cum otio hîc nobis Musisq; canere posse crederemus: Tum ne familiaritate nimiâ & convictu quotidiano æmulationibus eruditiorum, quæ hîc sanè maximæ, misceremur. Itaq; benivolentiam nacti sumus parem omnium, bibliothecâ publicâ, gratiâ eorum non aliter ac præsentes utimur, & si qua in re consilio ac doctrinâ eorum opus sit, literis fruimur affatim. Quid ego prædicem Tibi incomparabilis herois Claudii Salmasii humanitatem, quo nemo vivit mortalium, qui aut plura nos docuerit aut omnes docere possit? Præ ea nullas ego Crœsi divitias æstimem, eamq; demum felicem mihi horam illuxisse arbitror, quâ tanto Viro probare me meaq; studia potui. Parcum testimonium facilitatis ipsius in communicandis abditissimæ & consummatissimæ eruditionis thesauris præbere Diatribe nostra potuit, siquidem ea sub oculos tuos venit. Ausi enim sumus, mi Hofmanne, magis autoritate suadentium magnorum Virorum, quàm fiduciâ ingenii tentare operam in P. Papinii Statii Silvis, libello ut eleganti, ita propter plurima παιδείας non vulgaris indicia corruptissimo, ac minimè ex omnibus Poëtis Latinis cum cura ab interpretibus habito. Dedi non ita pridem duo exemplaria Heigelio Noribergensi, quorum alterum Amplissimo Richtero, alterum Clarissimo Virdungo traderetur. Si nunc suppeteret occasio, ad Te quoq; fœtum illum, observantiæ meæ testem, legarem. Interim ab utro horum petes, si lectione tuâ scriptum tam exile dignaberis, quæ hactenus spero, proderit mihi, ut errores nostros annotes, & quæ non potuimus ipsi indagare, nos doceas. Si Deus dederit, speramus de toto illo vate civicam, præsidiis instructi plurimis,

plurimis. Tu quoq; si quid in eo observâsti, ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω, nec dubita gratum fore in prædicandis illis, per quos profecimus, VV. CLL. Ludwellium, Nœslerum, Rittershusium, Virdungum & si qui sunt alii nostri memores, amanter saluto ac omnia ipsis prospera opto. Tu quoq; salve ac vale cum omni domo tua, magnum decus literarum καὶ τῆς ἰατρικῆς. Hagæ a. d. III. Cal. April. Juliani A. cIↃ IↃc XXXVIII.

P. S. Si quando ad me scribes, Amsterodami destinabis illas Ten huyse van Samuel Bayard Franc, oische schóolmester op het Rock-in by-de langhe brugghe: Aut Hagæ, in de Wagestraete, allernaest de drie goude messien.

Puto Latinis literis imitari Te posse hos apices dialecti Belgicæ. Potest sanè & Salmasius noster, homo Gallus ac Belgicè ignarus.

Jac. Philipp. Tomasinus Eidem.

NObilissime & Eruditissime Vir, Reversus pridem ex Flaminia & Romandiola tuas optatissimas apud erutidissimum Jo. Rhodium offendi. Agnosco in iis eximiam erga me humanitatem, cujus inprimis evidens argumentum singularis eruditio, quâ rem literariam auges, atq; exornas. Elucet ea in egregio variæ doctrinæ libello ad me tam amicè transmisso. Dolendum sanè perturbato patriæ tuæ statu Galenum tuum tamdiu à nobis desiderari. Quem utinam aliquando Te vivo ac vegeto publicæ luci expositum videamus, aut saltem cetera, quæ memoras, nec malè auguror, Medicis multum profutura. Erit fortassis aliquid non à tuo sapore alienum in Bibliothecis Patavinis MS. quas non minori patriæ dedecore quàm doctorum incommodo diutiùs latere nolui. Sed mirum, quàm lentæ nobis hîc operæ. Accedit moræ, quòd rationibus Societatis nostræ præfectus propediem Galliam Cisalpinam sim obiturus. Spero tamen, inter paucos menses eas cum amicis communes fore, etiamsi tarditatem minari videtur inexpectata, dum hæc scribo, typographi mors, forsan & mendas. Sed quicquid futurum, nolo id fraudi esse expectationi eorum, qui ista omnia æquè ferenda noverunt cordati animi Viri, inter quos Te mihi conciliatum jure gratulor. Philuram in opere meo desideratam addo, submissurus, ubi licuerit, per negociatores Petrarcham meum Redivivum, ceteraq; ingenii laxamenta, ut aliquando tuam de iis sententiam experiar. Vale, rei literariæ decus nostræq; amicitiæ præsidium, meq; Tibi addictissimum puta. Patavii d. 7. Januar. 1638.

Idem Eidem.

AMpliss. Vir, Quòd publica dudum fama ab eruditis acceperam, Virum Te, sine ullius injuria, omnium prope in Germania eruditissimum, id mihi ab Joanne

Joanne Rhodio, probatæ fidei Amico, jam confirmari lætor. Et sanè testatur, id satis animus tuus in omne literarum genus propensus. Quid enim subest aliud, quòd mea etiam Elogia desideres, quàm quòd de omnibus rectissimè sentias ac judices? Honestæ petitioni ut satisfiat tuæ, imò meæ in eruditos observantiæ, quâ Te in primis prosequor, en ea qualiacunq; sunt studii in Te mei argumentum. Filum illud, quantum per negotia licet, eâdem serie pertexitur: Cui splendorem addet primi nominis Philosophus tuus olim Cæsar Cremoninus; nec deerunt suis meritis Joa. Prevotius & Bartholomæus Souerus, vestræ nationis non minùs quàm urbis Patavinæ ornamenta. Erit fortassis, quando, quæ nunc legis, emendatiora & acutiora in lucem venient. Ejusdem argumenti nunc Livium addo, & compendii causâ reliquorum syllabum, ut inde seligas in posterum, quod tui videatur esse saporis; Quanquam ea veniam potiùs apud Te limati judicii Virum quàm censuram expectant. Interim pergratum mihi fuerit, si ad Philologiæ incrementa Variarum Lectionum tuarum mihi copiam feceris, quas hîc incasso labore undiq; perquisivi. Ignosce libertati, quam semper communi Amicitiæ lege mutuam posco & admitto. Vale. Literarum decus, & publico vive feliciter. Patavii d. 11. Julii A. 1637.

Jo. Rhodius Eidem.

SAlve, Amplissime Vir: Anxio mihi de aliqua benè merendi occasione tandem obtigit commodè GALENUS *editionis Valgrisia*, V. CL. *Jo. Tho. Menadoi*, quondam Professoris Patavini, magnum certè singularis industriæ monumentum. Totum nempe perpetua textuum harmonia, variis lectionibus, & interpretationibus, obscuriorum expositione illustravit, propriisq; inter Artis operas, Historicis locupletavit: Imò, nec indicem reliquit intactum. Hunc meis usibus quamvis destinaram primitùs, malui tamen boni publici causa aliquid inde vestris laboribus accedere; si vobis operæ fuit, me symbolam contulisse: Hac tamen lege, ut possessione meus sit, usu vester, vestraq; prudentia integer ad me redeat. Cætera norit Ornatissimus *D. Rötenbeckius*, meus non infrequens in studiis socius; quem, me absente, doleo abiisse: Singula ipse vidit, fidus meæ in vos observantiæ testis ac interpres. Quæ etiam Galeni versione *Vicentia*, apud Massaniæ hæredes, latente à Typographis Italis sparguntur, nulla sunt. Mihi hac de re diligenter inquirenti retulit Nepos Medicus, tale quid olim *Jul. Pacii opera* tentasse Virum, eventu irrito. Quod Te, Clarissime Vir, ad curiositatem latere nolui. Vale, meq;, ut soles, ama. Patavii raptim, XVII. Maji. CIↃ IↃCXXX.

Idem Eidem.

AMplissime Vir, Divinæ providentiæ munus est, quòd difficilimis temporibus arduo in Galenum labori adhuc superſis, in literas natus, quibus fatalis quædam calamitas imminet. Prudenti verò pioq; consilio, nequid mortalium desit commodis, rem iis juvas literariam, quæ maximè desiderari possint, donec Galeno melior dies affulserit. Faciliori, quam Te meditari audio, medendi viâ quid non mereberis? Profectò non minorem hujus quàm Galeni usum auguror in Germania, ubi sanior magnisq; constituta rationibus Medicina fermè in Empiriam abiit. Hippocratem tamen multi jactant, pauci intelligunt, nec magis forsan Galenum. Tuum vero est, his olim lucem adferre, quam nunc adversa bonis ingeniis tempora premunt. Neq; enim felicitatis minimum æstimo, quòd tentatum à diversis ingens illud monumentum peregeris. Massarias noster potiorem Galeni versionem cum Scholiis à Fabio Pacio Vicentino Artis & utriusq; linguæ perito impetraverat. Sed institutum nescio quæ simultas evertit. Londinensis pariter istius apparatum vitæ brevitas destituit. Interim nos in salebris! Omnes evasisse, vix unius est: Suo etiam arbitrio quidvis decernere, vereor ne arrogantioris. Quid Galeno in vulneribus uniendis Fibula, quid Ἀγκτηριασμὸς, ex Te seriò audire cupio. Sed primis. Causa quippe non est prorsus nulla. Triennium prope est, quum novus Chifletii V.CL. de ACIA libellus in Italia variis eruditorum judiciis exciperetur. Rogatus ego sententiam, liberè dixi. Quæ nonnullis ita placet, ut in lucem omninò produci velint. Quum verò is Fibulam suæ opinionis fundamentum statuat, ut remotâ ambiguitate veritas ipsa conspectior foret, rectam Fibulæ maximeq; vulnerariæ conditionem ex antiquitate protuli. Tu, Clarissime Vir, tuam hîc mentem sic aperies, ut mea Dissertatio abs Te auctoritatem & incrementum accipiat. Sed & eruditissimi Collegæ tui Jungermanni de hac stirpe judicium expecto; quam suâ magnitudine exactè delineatam habes. Fumanam vocant Montis Zibii accolæ prope Mutinam, quam Franc. Ariostus, A. 1464. perperàm descripsit in libello de hujus montis Oleo, qui Historiis Medicis lucem meretur. Parisienses responderunt Cistum esse lini folio. Sunt, qui Helianthemum fol. Coridis credunt. Annon Chamæcistus Ericæ fol. luteus foliis longioribus? Pauci nunc harum in Italia literarum. Fab. Columna Neapoli obiit, Pisis quoq; magnæ spei Monachus. P. Thomasinus, Vir Optimus, sua quædam monumenta D. Zeæmanno ad Te tradidit. Is verò cum Schlegelio in montem Baldum secessit. Ideoq; moram æquè feras. Epistylii in Palatio D. Marci Ichnographiam addere volui, At quoniam promissam diu à Belga frustrà desidero, Fendii Noribergensis

bergensis promtiorem spero penicillum. Sed manum de tabula. Benè vale, & vive. Patavii IX. Julii M. DC. XXXVII.

Idem Eidem.

QUòd tuâ expectatione, Vir Amplissime, meové desiderio seriùs rescribam, valetudini meæ imputabis. Dum enim responsum paro, alvi resolutione variâ, majori languore quàm discrimine, cum multis communi deprehensus serias omninò cogitationes deposui, donec vires paulatim resumerem. Voti igitur mei compos ad tuas reversus eruditissimas compendio omnia percipio, quæ laboriosis plurimorum Commentariis excussa, quæq; jam intentâ meditatione fermè prævideram. *Glutinum* quidem omnibus prope, quos videre licuit, Galeni interpretibus Fibulæ loco esse fateor. Et verè, si medentis scopum spectas, aut Latini sermonis usum, quo similitudine satis concinnâ Fibulam dicimus, quicquid diducta invicem unit atq; continet. CELSI tamen longè aliam fuisse mentem, verbis ita vivis ostendit ipse Lib. 7. Cap. 22. ut mirum ab eo discessisse Fabricium ab Aquapendente, cujus beneficio scriptor politissimus sæpius lucem accepit. Suturam verò intellexisse Romanum Hippocratem, satis indicant, quæ Lib. 5. Cap. 26. de Vulnerum glutinatione prolixè disserit; sed intercisam. De reliquis enim suturæ generibus cetera ibi proferuntur; quæ num ad Glutinum faciant, eruditis perspicuum erit. Nec sanè veteres Græcos aliter credidisse, suadet inprimis Hesychii observatio, qui sua Glossemata è priscis congessit. Apud hunc videre est: ῥαφὶς, περόνη. Malo tamen, si Tibi, Vir Doctissime, ita visum, reponere ῥαφὴ. Nôsti enim, quàm hic autor mendarum plenus. Accedit, quòd Phrynicho, etiam homini Græco, hæc extorserit verba vocis obscuritas: ἡ ῥαφὶς τί ἐστι, οὐκ ἄδηλος γνοίη. Rapium tamen ex emendatione CL. Salmasii vertit Glossa vetus. Quod licèt acum velit, eam tamen omninò speciem contenderim, quæ Celsi præcepto filum ducit. Ejusdem videtur sententiæ Galenus vester, apud quem ῥαφὴ, ἀγωγὴ κατὰ θῆξιν, quam rectè *Acus transmissionem* exponis. Θῆξις namq; Hesychio στιγμή: Quam ego punctum seu puncturam interpretor. Quorsum verò ista? Eum in finem omnia, ne quis Celsi, *Aciam* opinetur Metallicam. Quod Rationibus gravissimorumq; autorum exemplis me prorsus diluisse confido, modò ipsorum arbitrio standum, qui de ejusmodi rebus cernere nôrunt. Interim Caji sententiam amplector, quamvis nondum is visus: De quo tuum ulterius judicium, fac, exorem. De Fumana, bona cum venia, CL. Jungermanni judicium aliorum calculis in mea Dialexin adscribam. Tomasinus noster brevi Bononiâ aderit, cui tuas dabo. Vale, Vir CL. & vive, ut Tibi Nobisq;, qui literas miramur; è quibus nemini secundus maxi-

mi Vir ingenii Octavius Ferrarius, Eloquentiæ primus interpres, qui tua in Galenum sedulò volvit, licèt ipse Antiquitatibus sacris quàm humanis paulò addictior. Iterum vale, meq;, ut soles, ama. Patavii XXVI. Nov. cIↄ Iↄc XXXVII.

Idem Eidem.

TErnis tuis seriùs respondeo, ob diuturnam Thomasini nostri absentiam, qui Visitator generalis menses octo abfuit; breviùs etiam, propter adflictissimam valetudinem à luxatione dextri femoris in partem interiorem, quò aptè reposito jam post trimestrem decubitum grallis incipio gradum firmare, supremum ab aquis lutisq; thermalibus beneficium recepturus. Ita inexpectato casu rerum arbiter patientiam meam exercere voluit! Postremæ tuæ, quas Venetiis Chemnitius reddidit, mali molestiâ non parùm me sublevârunt, dum novi operis tui summam lustro. Brixiâ sub id tempus commodè redierat Thomasinus, quo cum rem totam communicavi. Paratum se præbuit. Quin hac ipsâ occasione, non solùm suam in promovendo apud Juntas negotio operam, verùm de Societate quoque pro Galeni typis se quidam non infimi ordinis Medici studiosè laboraturos promisere. Superest, quod ipsi efflagitant, primis utriusq; operis molem significes. Eo namq; hodie typographi sunt ingenio, ut foliorum numerum sibi antea explicari velint, quàm laboris rationem ineant. Inter alios Joseph. ab Aromatariis, Medicus Venetus, rem sibi admodum cordi esse testatur. Græcum habet sibi familiarem, literarum satis peritum, cujus operâ nescio quid moliatur. Fama est quosdam apud ipsum esse Galeni libros necdum editos. De quibus fortassis mihi restitutus aliquid ad Te certiùs potero, quàm nunc alienâ fide. Thomasini Bibliothecas Patavinas & Ceretæ Epistolas pridem ejus studio publicatas Volckamero ad Te curandas dedi. Petrarchæ nullum autori exemplum est: Qui, ubi juxta Cremonini aliorumq; elogia propediem cultior prodierit, in vestram bibliothecam inferetur. De Acia mea vestram expecto sententiam. Avidè profectò, qui germanam scio. Itali namq; & Galli amicè nimis exceperunt. Illud ei malè accidit, quòd summæ auctoritatis patronum amiserit, dum hîc emittitur. Nec plura. Jam enim temporis non libet esse prodigum. Valetudo firmior brevitatem compensabit. Vale, Vir optime, Tibi Tuisq;. Patavii 28. Maji 1640.

Idem Eidem.

POst-curas tuas quum accepissem, opportunè Venetiis accessit Justus Wistedich Bibliopola ad insigne Coloniæ, qui meo periculo eas libenter suscepit. Caput penultimum ipsius consilio intactum reliqui, nec quidquam præter sacrificuli

ficuli nomen expunxi, & ubi de gremio Ecclesiæ mentio, substitui, *Optavit me sic esse* &c. Reliquum est operis initium atq; indicem Tomasini nostri incuriâ deperditum mittas. Inscriptio non adeò insueta. Varro de re rust. lib. 2. c. 4. portus post-Italicus. Lucretius lib. 4. vitæ post-scænia. Apul. l. 2. Flor. post querela. De Galeno per valetudinem necdum aliquid tentare licuit, nec per Veslingii nostri occupationes, qui cum Rehlingera Baronis Geitzkofleri agnata nuptias meditatur. Quamprimum licuerit, rem seriò ac diligenter tractabo. Tomasinus abest. Clarissimus Octavius Ferrarius Te salutat officiosissimè. Patavii IIX. Novembr. cIↃ IↃcXL.

Idem Eidem.

SUbitum itineris consilium me breviloquentem facit, amicum tamen Vildium nostrum sine prolixi in Te affectus mei argumento nolui vacuum redire. Is, quem Chemnitius reliquit, Petri Castelli de Opobalsamo librum dabit. De cujus sententia tuum peto judicium. Occasionem ne ignores, Medicis Romæ cum Seplasiariis contentio fuit, quæ accersitis aliunde subsidiis multorum ingenia traxit in diversas partes. Calor primi tamen impetus jam aliquantulum remisit. De Galeno tuo cogitationes video longi fore consilii, utinam non ambigui. Plerosq; enim fatigat major lucri cura, quàm honesti. Desperare tamen noli, reduce Thomasino, qui se Tui studiosissimum fatetur. Nec me desidem putabis, etiamsi ad scipionem cespito. Meo sanè consilio post Curæ jam Recognitori traditæ, ut ipsius auctoritate prælo adjudicentur. Bibliopolæ, fateor nihil æquè visum fuit grave ac frequentior Græci sermonis usus: Cujus ex errationibus aptum sibi correctorem futurum desperabat. Tomasinus autem Græci cujusdam monachi satis periti nobis spem fecit. Quâ si frustrabimur, meâ utiq; opellâ non deero, modò chartæ tempestivè mittantur. Liber enim, ni fallor, publici saporis erit; ingeniisq; amœnioribus valdè gratus. Indicem olim missum si recuperaverit Thomasinus, maturè monebo, ut eo describendo supersedeas: quamvis ex Capitum titulis nullo studio hîc putem posse confici. Prolegomena in Galenum inspexi. Scribonium Largum, si memini, Græcis accenses. Scio hanc quidem fuisse Jani Cornarii & G. Barthii mentem. Quibus si subscribas, aliis id rationibus Te facturum spero. Isti enim meris conjecturis egerunt. Seriam verò animi tui sententiam expecto. Autorem quippe non inelegantem, cujus nullâ unquam diligentiâ inter Gallos aut Italos MSS. invenire licuit, Octavii Ferrarii consilio sic emendavi ex ingenio, ut pauca certè sint aut nulla, quæ lectorem in posterum morabuntur. De iis Tecum omissior: Nunc otii mei tædium quâ ratione diluerim, indicare sufficit. Unum addo, cre-

dasné Scribonii fragmentum esse, quod Brunsfelsii Tomo II. insertum? Libro destitutus nihil pronuncio, tuâ sententiâ omninò contentus, quæ mihi prætoria erit. Vale, ut vivas. Patavii XX. Decembr. ϽIϽCXL.

Joh. Henr. Bœclerus Eidem.

PÆnè negligens fuissem, dum ad humanissimas tuas responsum hactenus distuli, ut pro addito à Te munere Orationis Rupertinæ, quæ mihi apprimè placuit, muneris quandam imaginem possem transmittere, Nepotem meum. Verum sic quoq; frustrà expectavi, & frustra Tibi cogor transmittere ejus Auctoris, quàm si per typographi negligentiam licuisset, pridem totum vidisses. Non commendo Tibi, Vir Doctissime, laborem meum, à quo satis habeo, si gravius deprecari judicium queam: Sed cùm aliter non licet, sic saltem tuam benevolentiã veneror, nam ut merear, utinam sic in potestate esset mea, ut est in votis! CL. Rupertus Vester, quem generoso favore Tuum vocas, non opus habet nobis commendari: Quippe qui se ipsum commendavit egregiè. Igitur nuntia illi, quæso, *Berneggeri* (heu jam nimiùm adversâ valetudine depressi) favorem; *Freinshemii* autem & meam promtitudinem ac amicitiam, quam occasione ita ferente, diligenter pro nostris viribus præstabimus. Proximâ occasione tum illi exemplar integrum, tum Tibi, quæ adhuc desunt, mittam. Opus in puerorum gratiam elaboratum & propterea puerile, quid tum? Sic mea fert ratio: Malo juvenibus utilia; quàm doctis speciosa scribere. Quod si DEUS ad plures curas vitam nobis producet, ostendemus fortasse sæculo, nos libentiùs in graviore argumento occupari. Quid Obrechtus Noster apud Vos? qua fama, aut industria? Discipulus olim meus (interioris admissionis ac familiaritatis) omnem ut video, mei memoriam deposuit. Res nec nova, nec mihi molesta, nam hæc obiter, Vale, Senex Venerande, meq; ama: Sic Te DEUS amet servetq;.

Idem Eidem.

ACcepisse Te Nepotis mei partem pleramq;, satis confido; complementum nunc mitto. Boni consules, quod observantiæ in Te meæ pignus, non conveniens tuæ dignitati munus esse volui. De luctuoso nobis omnibus totiq; orbi literario Herois nostri Berneggeri excessu haud dubiè jam comperistis. Vulnus grave! Et intolerabile futurum penitùs, nisi spes tantorum meritorum in genero revivisceret. Amisimus tamen, quod ad omnem rem mathematicam attinet, artiumq; plurimarum rarissimas laudes, plura, quàm fors quisquam in Germania hoc tempore adspiraverit. Officio funebri nondum functus sum, faciam

faciam tamen propediem, ut rescifcat patria, me non ingratum adversus Præceptorem Optimum esse discipulum, cetera, quæ ad æternitatem famæ pertinent (mihi enim pietas unicè est proposita) abundè præstabit amicissimus noster Freinshemius. Vale, Vir Exc. ac mihi fave. Scr. Argent. 16. Febr. 1640.

Idem Eidem.

VIr Exc. Doleo Tecum ob excessum dilectæ Tibi feminæ honestissimæ: Atq; ut Deus levet istum luctum, lætiorisq; fati permutatione te revisat, ex animo precor. Gastelii res desperata est: Publicè habita in ejus reculas exploratio nihil ostendit, quo satisfieri creditoribus possit. Ut frustrà existimem, Te imploraturum opem vel consulis Meieri, Viri optimi, vel Magistratus Inclyti totius. Si tamen lubet recolere notitiam Viri Amplissimi, literis ad eum exaratis, feceris id, me nequaquam dissuadente. De Titulo non est, quòd solicitus sis. Habet hoc cumprimis Nostra Resp. ex antiqui moris civilitate, ut titulos morosè non exigat. Scribam tamen infrà, ne quid in me desideres. *Freinshemius*, cui petitio tua non satis intelligitur, plurimum Te salutat. Succedet socero haud dubiè, nobis omnibus optantibus & desiderantibus: Imò seriò jam pridem apud Magistr. agentibus. Moræ causas excusârunt nobis hactenus prolixè: De cetero, promtè annuerunt. Rigaltius vivit adhuc, & floret Parisiis. Parentatio Berneggeriana, sive potius pars ejus, festinata ad nundinas Francofurtenses (desunt autem adhuc tam imago τοῦ μακαρίτου, tum alia quædam) hac occasione Tibi transmittenda visa est. Vlae, & me ama. Scrib. 10. Septembr. A. 1640.

Joh. Freinshemius Eidem.

QUæ mihi 18. mensis hujus abs Te reddita fuit epistola, Vir Excellentissime, tantum humanitatis atq; candoris prætulit, ut conceptum exinde gaudium primâ statim occasione testari, proq; tam insigni comitate gratias, quas possum maximas, persolvere festinaverim. Quanquam eorum, quæ à me, per amicitiam magis, quàm quòd meo auxilio juvari possis, postulâsti, opidò pauca reminisci licuit, nec inquirendi tempus superfuit, hesterno die per religionem exemto. Tamen adscribam vel illa confusè, & ut intelligas, velle me majorem imperii tui rationem habere, quàm imperitiæ meæ. Primùm igitur in mentem venit Alexandri (nam Curtium, ne & hoc nescias, editioni novæ paro) quem Arrianus lib. 1. sub fin. subindicat meridiationibus uti solitum: Ἔτι γὰρ πολιορκοῦντος, ait, αὐτοῦ Ἁλικαρνασσὸν, ἀναπαύεσθαι μὲν ἐν μεσημβρίᾳ &c. Plutarchus Lucullo c. 32. μεσημβρίας οὔσης, καὶ τῶν στρατιωτῶν ἐνδιαζόντων καὶ ἀναπαυομένων &c. Eandem

andem historiam narrans Appianus in Mithridat. ἧκεν ἐπὶ τὴν σκηνὴν αὐτοῦ περὶ μεσημβρίαν ἀναπαυομένου &c. & ne dubites consultò & ob curam valetudinis id fecisse, postulante barbaro, ut excitaretur Lucullus, ob rem necessariam, respondent ministri οὐδὲν εἶναι Λευκόλλῳ χρησιμώτερον τῆς σωτηρίας. Plutarch. in Apophth. Philippi Maced. Πάλιν δὲ ἡμέρας καθεύδοντος αὐτοῦ, καὶ τῶν ἠθροισμένων ἐπὶ θύρας Ἑλλήνων ἀγανακτούντων. Strabo l. 15. de Rege Indiæ οὐδ' ὕπνοῖ μεθημέρας. Quod de Taprobanis item Plinius l. 6. c. 22. *interdiu nullus somnus.* Quod arguit, agnovisse eos morem aliis nationibus, & præsertim suis usitatum. Nihil enim esse frigidius quam observare unum aliquem non facere, quod reliquorum nemo facit: Quasi adnotâssent Regem Indum aut Taprobanos non volare. lib. 2. Samuelis c. 4. v. 5. narratur interfectus Isboseth, quo loco verba illa אתמשכב הצהרים והוא שכב interpretantur: *Qui dormiebat super stratum suum meridie.* Perinde quasi haberet textus: במשכב cùm habeat אתמשכב ut reddendum fuerit potiùs, *qui dormiebat somnum meridianum.* Et quidem, ut his verbum nihil fortuitum demonstretur. Sed ipsa consuetudo. Quam tamen ἀκρίβειαν vel si mavis ἔμφασιν Latino sermoni negatam noster exprimit, si ita reddas, Er schlieffe den Mittagsschlaf. Etiam primo (sive tertius est) Regum libro c. 28. v. 27. cum Propheta Baalitas Deum suum frustrà vocantes ridens, eum fortassis dormire ait, hunc morem respicere videtur, erat enim tum meridies. Quomodo & quod de Cæsare narrat Plutarchus in vita non procul principio, & in Apophth. Roman. c. 42. dum inter piratas captivus ageret, si quando dormire voluisset, silentium ipsis indixisse, de meridiatione capio, cùm si de nocturno somno ageretur, non opus fuisset indicto silentio, ipsis quoq; suâ sponte quieturis. Cicero de divinat. c. 68. *Nunc quidem propter intermissionem forensis opera & lucubrationes detraxi, & meridiationes addidi.* Cujus hominis exemplum magni momenti esse duco, etiam ad infamiam meridiationibus detrahendam. Nec enim iis usurum fuisse par est virum valetudinis suæ studiosum, & quem facilè credas, magnam naturalium rerum, ipsiusq; adeò Medicinæ peritiam habuisse, si aliquod inde maleficium aut passus esset, aut veritus. Sed audiamus & professione Medicum. Celsus is est lib. 1. c. 2. *Longis diebus meridiari potiùs ante cibum utile est: Sin minùs, post eum.* Nero quoq; hac consuetudine usus; nam ut Suetonius in vita c. 6. narrat, misit Messallina, qui *eum meridiantem quasi Britannici æmulum strangularent.* Sed excrescit hæc scriptio, & ferè ultra modum epistolæ protenditur, ideò non exscribo, quæ de hoc more Dempster. ad antiquitat. Rosini l. 5. c. 27. & Savaro ad Sidonii epistolam 2. lib. 1. & ep. 9. lib. 2. observaverunt. Ut ita tot rerum testimoniis facilè retundi possit iste, quisquis est, terræ filius, præsertim cùm à Medicina tua rationes addes, quibus

ostendas,

infr. 780.

ostendas, non omnia apud nostros meliora, sed prisca etiam secula multa reperisse, quorum ab institutis sequens forte magis quàm judicio secesserit. Quod quidem jam tum in egregia illa Disputatione tua (pro qua maximas etiam gratias ago) præstitisti, sed quoniam eam nunc curam sub incudem revocas, sperare licet aliquid exactius atq; floridius quàm disputationum modus capit. Quo quidem facto famæ tuæ jam circa suprema stanti haud multum addideris; omnibus tamen doctis novam materiam præbueris ad agendas industriæ doctrinæq; tuæ gratias, quibus rem literariam & artes usu egregias non sine maximo commodo publico tam feliciter hactenus quàm fideliter ornasti. Vale, Dabam Argentorati 20. Martii A. 1637.

P. S. Cùm nihil aliud ad manum esset, misi carmina, ex quibus affinitatem mihi cum Berneggero nostro contractam cognosces, atq; seriò (nec enim fallor, eximiâ Te in nos benevolentiâ esse credens) gratulaberis. Vale iterum. Socer meus, quam ob valetudinem & negotia per se non potest mittere salutem, per me adscribi jussit.

Idem Eidem.

Quanquam diu jam est, Vir Excellentissime, quòd intermisi literarum officium, adfectus tamen & erga Virtutes Tuas observantia mansit. Ergò quum his diebus à Sauberto vestro, magni nominis meritiq; Theologo, munere gratissimo honorarer; occasionem illam eò lætior accepi, quòd in tempus incideret, quo submotis paulisper impedimentis, quibus variè distringor, Tui quoq; salutandi facultas præbita videbatur. Quod ecce paucis hisce facio, & Tibi veterem erga me benevolentiam Tuam in memoriam revoco. Munuscula, quæ mitto, partim non magni momenti sunt, partim tristia. Hoc de iis dico, quibus B. Soceri mei exequias celebrârunt Amici aut Collegæ. Nuper & Bœclerus noster de Berneggeri laudibus facundè verba fecit. Sed quia nunc imprimitur oratio, post modo eam leges. CL. Ruperto tuo velim alterum exemplar Supplementorum, cum plurima à me salute, reddi; nam quod inscriptum est, Rev. Sauberto mitto, indicium magis animi non ingrati, quàm dignum suâ liberalitate ἀντίδωρον. Ausus sum paraphrasin in Tacitum: Eum laborem quia publicæ utilitati summo, rogare liceat, ut inspecto hoc specimine, liberè moneatis, quid in eo opere desideretis. Ii enim estis, quorum judicio, sicut debeo, plurimum defero, & monendi spatium erit, nondum parata papyro, qualem huic operi destinavi. Nob. & Doctiss. Dn. Georg. Philippum Harsdörffer per occasionem officiosè salutari rogo. CHRISTUS vos servet! Dabam Argentorati A. D. Propridie Cal. Aug. Anno Christiano. M. DC. XL.

Idem Eidem.

FAteor equidem, Vir Exc. siquidem mei fuisset arbitrii, B. Soceri mei diuturniorem in his terris vitam, quàm me superstite excessum maluisse. Verum quia multa me docuit DNI. misericordia, in primis autem pleraq; , ut opinor, mortis nôsse, cetera meditari; non eo usq; luctu provectus sum, ut aliud vellem, quàm DEO meo videretur. Illud autem quod & Tu suggeris, præ ceteris ingenti solatio est, quod benè ipsi nunc esse, non piè tantùm credo, verùm etiam quatenus homini judicare datum est, ex evidentibus argumentis haud obscurè colligo. Tibi verò ætatem & vires pulcerrimis molitionibus pares ex animo opto, ut quem verbis imitaris, pietate vincis, eventus etiam felicitate superes. Galenum Tuum tam iniquo fato premi mirarer, ni reputarem, in quæ tempora, quàm tetra, quamq; horrida, quàm omnibus bonis inimica inciderit. Et tamen spero hæc eum eluctari posse, & quantum in me erit, quod sanè perparum esse sentio, ipse etiam quæram aliquem susceptorem hujus egregii fœtus. Modò rescire possim, quàm in magnitudinem fermè sit excessurum opus; & quo typo, quibusq; conditionibus excudendum sis daturus. Rupertum Tuum, ut meretur, valdè amo, Tu fac, ut ille mutuo in me sit animo. Pathologiam expectamus avidè, gnari nihil ab incude ista proficisci, nisi eximiè politum & fabrefactum. Paraphraseos meæ specimen habebitis, Deo dante, proximis nundinis. Fasciculum literarum Bœclero nostro statim misi: Nam ipse eum visere per hos dies non potui, per causam, quam CL. Rupertus Tibi aperiet. Vale, Vir Exc., & bono publico diu incolumis vive. Dabam Argentorati a. d. Non. Januar. Anno Christiano CIↃ IↃCXLI.

Misi vobis exemplaria parentationis Berneggerianæ, quæ ob ipsius effigiem & quà cœlo sculptoris & quà ingenio Bœcleri nostri delineata est, sat scio, non displicebit.

Mich. Piccartus Eidem.

INjurius es, qui mendacii me insimulas, qui vix tuas accipio & respondeo, neq; enim impletus mihi animus lectione tuarum epistolarum, unde ut continuem voluptatem scribo, & absens cum absente colloquendo voluptatem ac delicias illas protollo. De libris omnia rectè, nisi quòd Mazonium emisti, quem misisti tamen antè Tu vel Geigerus. Habeo enim ligatum cum Cremonino, quare, si potest, permuta Bonamici de Alimentis libro, sin; mitte, & inter amicos facilè invenero, qui eo, quo emisti, precio suum facere volet, vellem mitteres etiam Duothi Disputationes super libb. de Anima, quos hîc vidi in 8. majori. At per

Deum ne me frauda exotericis Ferrarii sermonibus, sed statim mitte, si poteris aliud exemplum Mazzariæ habere, benè erit, sin; redibit sub reditum tuum ad Te is, qui venit ad me. Quare si me amas, mitte, & mitte, quantum potest, celerrimè. Salivam enim mihi movisti, adeò, ut insaniam penè amore libri. Accoromb. Scherbius mihi dare volebat 3½ R. Itaq; pretio Tu longè faciliori emisti, quo nomine mihi gratulor. Tibi gratas debeo gratias. D. Philippo pretium pro libris olim missis solvere volebam II. R. & his quidem aliquid amplius, & penè nolenti obtrusi. Jam video deberi ista Tibi, itaq; scribe, & cui solvi velis, & quando, ego rectè reddidero. Ad Bulium scribam, responsumq; urgebo, & ad Te curabo. Diu absfuit Urbe evocatus Coburgum ad Ducem Saxoniæ. De consilio tuo ecquid dubitas? Scribe audacter ad Dn. Furerum, quare vitio darent alii Tibi, quod facturi quoq; sunt suo tempore ipsi, virtute quandoq; tuâ niteris & eruditione non Cunonis aliusvé gratiâ, qui mortales nati sunt, & denasci, antequam Tu redeas, possunt. Fortiter ergò & cordatè rem age, & vel ad Juniorem dominum Compatrem scribe, qui deinde rem tuam apud Dn. Patrem agat, si putas aliquid me posse, tuâ causâ nihil negligam, utor enim utroq; & Patre & Filio benignissimo. Sed hæc tute exputaveris Tecum. De proposito contrahendi matrimonii; video mulierosum esse factum in Italia, atq; inclinâsse Te ad se calidas illas & callidas Solis filias. Verùm benè habet. Veni modò, & vide, quæ deliciæ sint, & Phryx mihi pro Thuringo eris. Nunc ad nova, quæ nescio quo fato semper ad Te referre debeo tristia. Clapmarius noster fuit, & sepelivimus illum ipso Trinitatis festo, extinctum biduo ante, hoc est, Cal. Juniis. Jactura Academiæ nostræ non brevi intervallo elugenda aut deflenda. De Lindemanno quòd scribis, ille hîc nunquam visus, Morselius mecum fuit & literas attulit cum munere tuo, quod gratissimum habeo. Ex eo tempore literam abs Te accepi nullam, quicquid excuses aut scribas. Libros, quæso, fac ut maturrimè habeam, & procura diligenter, si quos alios videbis tractatulos eruditos, etiam me non monente, unà mitte. Jamq; mihi vale, & salve ab omnibus Professoribus, à meis nominatim. Saluta omnes Amicos nostros, D. Lugkenium, D. Philippum, D. Geigerum. D. Murrium. Fuit nunc nuper apud me Vitus Engelhartus Holtzschuher/ qui mihi multa de vobis jucunda retulit. Salmuthus est in Castris Mauritii Nassovii apud Chirurgum, & Chirurgiæ se dat, fuit apud Libavium, & in Chymicis etiam aliquid vidit. Vale iterum 16. Junii A. 1602. cum accepissem tuas XV.

Idem Eidem.

SAlve & ignosce, quòd opinione tuâ scribo seriùs. Ecce enim ab itinere languidus adhuc scribo. Carmen Tibi mitto, & non solùm meum, quod ex-

pectabas unum, sed & Jambos simul Magnifici nostri Rittershusii, cujus judicium de Te exosculor ego, & Tu sat scio haud parum eo delectabere. Tu utrumq; habe amoris erga Te nostri & benevolentiæ singularis argumentum perpetuum, & paria facito nobiscum, atq; in amore præclarè responde. Librum tuum nondum mitto, quia necdum absolvi, quæ absolvenda mihi omninò sunt. Tu si abitum maturas, edoce me, quo curatum velis, & mittam. In Italiam cùm veneris, D. Geigerum primùm officiosè à me saluta, dein gratias age pro opera tam præclarè mihi navata, eiq; meis verbis, quæ à me cunq; poterunt proficisci beneficia, prolixè offer, tertiò roga, uti in reliquis, quos pollicitus est mittere, operæ suæ ne parcat, sed illud de me benemerendi studium continuet, ego ut in gratum hominem collocarit, rectè studioseq; videro. Tu verò de libro inquire, cui hic titulus: *Felicis Accorombonii Nobilis Eugubini, Civis Romani, Interpretatio obscuriorum locorum & sententiarum omnium operum Aristotelis Romæ in fol. 1590.* Pretium ad me refer, velim etiam, si commodo tuo fiat, inspicias, & quod tuum sit de eo judicium, liberè ad me perscribas. Atq; nunc quidem mihi vale & salve, Amicorum ocülissime, & trigam nostram solvi ne patere. Althorphii 5. Aug. Anni DIsCe MorI.

Idem Eidem.

INjurius es, Hofmanne amicissime, qui me neglecti arcessis officii ad Waldungum nostrum, & juxtà cum mortuis æstimas. Ego verò ut primùm tuas anteriores accepi, benè longas ad Te ire jussi, quæ ubi ubi perierint, nescio, at malè illis sit, quorum culpâ ad Te non pervenire potuere. Posterioribus respondissem eodem modo, nisi responsum prioribus debitum avidè & hiantibus propemodum faucibus expectâssem, nunc cum spes ea, ut video, calviat, eadem mihi retexenda tela sunt. Atq; exordio quidem huic epistolæ meæ fata meliora precor, & Deos viales faventiores. Itineris tui seriem & contextum adeò me delectâsse scito, ut legendo iterum voluptati meæ non satisfacerem, sed & tertiare necesse haberem, & ô facundum vobis in via comitem Rotastrum illum Illustrissimum si rotæ fortean incumberet futurum. Non tam autem miratus hominis ingenium fui, quàm villæ illius incolas adeò lentos, qui fastum Pyrgopolynicis illius non repressserint & spiritus retuderint. Mittite illum sodes ad nostros Rusticos, qui dedolatum fustigatumq; probè remittent dubio procul Vobis, & tantò quidem certiùs, quantò Nobilitatem sive veram sive fucatam oderunt pejùs. Quòd porrò Italiæ vestræ delicias propemodum ob oculos mihi ponis: Ita habe, nihil Vobis me felicius æstimare, me miserius. Tu Italiam lætus conclamabas, Ego tristis suspiro & eminus beatas illas terras veneror & adoro. Utinam verò per

octiduum

octiduum solum unum perreptare bibliopolia vestra liceret & seligere, quæ usui mihi forent! Quamvis & has cogitationes & hæc desideria temperat studium & officium utriusq; vestrum tuum dico & amicissimi Geigeri nostri, cui ego homini nunquam, ut est meritus, de me gratiam referre possum. Et vide, sodes, invidet mihi D. Scherbius felicitatem eam, quod Themistium Græcè ex Italia absens parârim, quem ille bis eidem præsens præstinare non potuerit. Vides ergò, quantum D. Geigero debeam. Pretium pro missis libris refudi D. Philippo. A Vobis verò, quàm potest officiosissimè, peto, ut Ἀπορίας Alexandri Græcè si possit, si non saltim Latinè alicunde expediatis. Flamin. item super in de Gen. & Int. Alexandrum item Græcè in Top. Nam Latinè versum legere non possum, neq; D. Scherbii exemplar proprium mihi erit semper. Boëthii item opera Logica, item Pachymerii Philopon. in Elenchos. Atq; hæc in Logicis. In Physicis videte an possitis habere Ammonii comment. in Physic. Francisci Vicomercati opera Physic. hoc est in 3. de Anima, lib. de Gen. & Corrupt. Animal. & Meteorologic. Simplicii in Physic. 4. de Cœlo 3. de Anima, Philoponum in libros de Generat. Animal. Alexandr. in Metaphys. Carpentarium in eadem & in Alcinoum de doctrina Platonis, Syrianum in eadem. In hoc verò totiesto te, ut habeam Ἀπορίας Alexandri (non illas Tralliani vulgatas) De Accorombonio planè dissuadet Scherbius, quæso, quid Tibi videatur, mi Hofmanne, edoce. Scis illum, qualis fuerit sæpe, itaq; plenè ei fidem non accommodo. De Pellegrino in Metaphys. nihil audis? nemo edet? an solus Scherbius eum audivit, vix est, ut credam, non superare aliquos apud Vos, qui eundem & audiverint & habeant. O utinam habere possim! Gryphes, crede mihi, non ita aurum suum custodiunt, ut ille suum Pellegrinum. Si tibi cum Cremonino, ut vix ambigo, aliquis usus aut familiaritas, arripe occasionem, quamq; ille Metaphysicorum Commentatorum aliis anteferat exquire, & ad me refer. Scaynum vidi, sed non est ad gustum meum. Aquarium verò dilutum esse audio. Sed de his judicium tuum audire omninò volo. Tu verò aliàs si quid intelligas edi boni in Italia, quod me legere ex re sit, compara, sodes, & mitte per eundem, per quem alii ad me iverunt. Ille jussus à meo adfine reponet pretium, & Norimbergam curabit. Noster Scherbius valde petit, ut Bonamicum de Alimento mittatis, de quo in prioribus etiam scripseram. Dedit hoc in mandatis Overio Guntheri filio etiam, qui, quod Tecum sit, causa quodammodo mortis fuit Wachsmuto nostro, qui officii causâ liberiùs paullò cum ipso vivens incidit in febrim putridam & petechialem, eaq; superatus occubuit. Et audi, parùm abfuit, quin omninò sa fuerit tua vox de mea morte. Circa enim festum natalitium gravissimè decumbere cœpi, (soleo autem quavis ferè anni hieme ita tentari) ca-

ri) catarrhus primùm erat vehemens, accessit tussis altero tanto vehementior quæ ita concussum caput vertigine tandem involvit, unde proximum erat Apoplexia, quæ me conficeret, jamq; putabam instare, accessit enim aliquando sedenti vertigo vehemens tremor totius corporis & tandem animi deliquium. Sæpe Te rogavi, ut amico adesses consilio, caput indigeret exsiccante aliquo remedio, quod vapidum totum esse animadverto. Adest enim & naturale & vehemens edendi bibendiq; desiderium, & omnia penè, quæ edo biboq;, in succum & sanguinem vertuntur, terrei solùm illi crassiusculiq; vapores adtentant cerebrum. Tu, qui non solum Medicus ipse es, sed & inter delubra Aesculapii constitutus es, mone, sodes quid è re usuq; meo videatur. Noster in tanto periculo constituto pro consilio misit versum hunc:

Esuriant, sitiant, vigilent, qui Rheumata curant.

At ille unâ operâ Hominem me esse aut animal vetet. Ego mori nondum elegeram, sed revalescere, ille consultus de salute mori jubet, & compendium monstrat, quò citiùs id fiat. Apage talem Medicum. Theses & carmina, quæ petis, diligenter asservabo, ut habeas, cùm redieris. Ego nuper respondente Helero disputavi nobilem illam Quæstionem de Causis, an sint rerum so lùm fientium, an factarum. Si quem habeas elegantem super ea quæstione tractatum, quæso, mitte, aut judica, quos legere debeam. Disputavi enim primò Aristotelicè, subjuncturus Apodicticam tractationem. De Morte Magnorum Virorum D. Hieronymi Baumgartneri & D. Joach. Nuzelii puto Te audivisse libet exclamare:

O Deus in qua nos protrudis tempora quavé
Intendis pœnas &c.

Ego utriq;, quod in me fuit, Feci. D. Baumgartnero tale:

Heu mihi, Noriaci ceciditné HORTENSIUS horti!
Atq; arbor, qua se patulis extenderat alis,
Quâ Sol metitur cursu spatia omnia cœli
Jam tandem viduata suo cultore fatiscit!
Ne Deus id sirit, multum ejus cura, fatendum est,
Juvit & in tantam fecit consurgere molem.
Ille rigare, putare atq; implantare sciebat,
Tempore quodq; suo, stirpemq; tuerier arte,
Non ejus jactura tamen spem sustulit omnem.
Namq; solum FRUGI (Nuzelius) *est, quâ consita germinat arbor*
Cultura patiens, DUCITq; (Fuerer) *ab stirpe liquorem*
Irriguum, in partem quoq; cura VILLICUS hujus

E SPE-

E SPECULA (Harsdorfer, cui turris insigne & in specula Urbis habitat) *veniet, ne contrà tormina Brumæ*

Qui VELET (Tucher) *deerit savi vim frigoris arcens.*

STELLA TRIPLEX (Geuderus, cui hoc insigne) *suprà rutilo splendore coruscans*

Calfaciet, sævo PACIS quoq, DEXTERA (Jobst Fr. Tâzel) *ab hoste*

Præstabit tutam Erucâ Bruchisq, nocivis.

Arboris at tanta tantaq, propaginis ingens

Atq, insigne decus passim omnis Lingua SONABIT (Haller)

Arborem & hac curâ dignam, tali arbore Curam

Per populos spargens docto omnes differet ore.

Hæc D. Baumgertnero Patrono benemeritissimo scribere placuit. D. Nuzelio Dialogismum hunc Ἐπιτάφιον feci:

V. *Cujus hic est tumulus?* C. *Nuzelii.* V. *quis fuit ille?*
C. *Nescin? Noriacæ prima columna Rei.*
V. *Dignus erat?* C. *Dignus si quisquam, nempe labantem*
Rem validâ poterat sustinuisse manu.
V. *Cur moritur?* C. *Vitâ longuâq, laboribus avi*
Fessam animam tandem reddidit ille Deo.
V. *Quæ sunt, quæ tumulum circumstant numina utrinq,?*
C. *Dextra illi Virtus, læva stat Invidia.*
V. *Numina quis Genius tam discordantia junxit.*
Atq, unum jussit flere dolere Virum?
C. *Utraq, Diva dolet, sed non causa una dolendi est,*
Illa suum luget sic cecidisse decus.
Hac contrà livore perit, quòd morte nec ipsâ
Tanti tanta Viri gloria conciderit.

Addidi & hoc Epigramma:

Nuzels cùm tu poteras Nuzelius esse,
Et Baumgartneri ferre & obire vices,
Te, ne Noriacæ Rei Jova præesse negaret,
Sustulit ex oculis, non etiam ex animis.

D. Baumgartnero parentatum fuit à D. Scipione præsentibus Scholarchis. D. Nuzelio à D. Rectore Ritterhusio, qui auctus iterum filio est. Sed heus dic Bonum Factum: Cur, inquies? * * * * Tu autem, mi Hofmanne, matris optimæ & pientissimæ excessu Te tantùm non concidisse scribis. Humanè quidem, piè item non satis. Ergonè illa Te, turbato quod ajunt JCti, mortalitatis ordine,

ordine, efferre debuit? Minimè, sed præsens adesse debueras, vale ultimum dicere, spiritum ex ore morientis haurire, oculos claudere, summa ea facere, quæ filii erant. Acerba quidem hæc, & quæ animum facilem exulcerent & emollescant. At Tu malagma impone θεὸς ἐσχλήθη παῖς non illa. Adderem alia, nisi scriberes ipse, consedisse paulatim fermentum illud, quod animum tuum ita luctu inflaverit & dolore. Tu nunc vale mihi, mi Hofmanne, cum ornatissimo Geigero Tuo, & salvete æternùm animæ suavissimæ, & utinam ille Trigam impleat Lugkenius meus. Salutant vos Scherbius, Rittershusius, Eysenmannus, alii complures. Salvete iterum. Bonamicus de motu quanti veneat, judicate, & petitioni meæ locum date. Altorfio Cal. Martiis Anni 1603. Salmuthus in Italiam non ibit; nunc salutat vos & Geigerum de Cremonino vehementer urget, si se amet, ut mittat.

Idem Eidem.

Literas tuas, suaviss. & eruditissime Hofmanne, easq; geminas unâ hîc accepi die, scripseras Tu priores quidem 26. Aprilis, posteriores 10. Maji, accepi ego 20. Maji stylo veteri. Si quæras, gratæne fuerint, operam ludis. Nihil enim (seriò) mihi vel amore tuo gratius vel ejus indicibus epistolis jucundius fuit, nec erit. Tu si constabis Tibi, facies omninò, ut sæpe hoc modo animum meum reficias, qui ut Imperator corporis hoc statum quoq; suum sequi jubebit. Nos hîc sic satis valemus, DEI beneficio, pacatis rebus pænè omnibus. Turbaverat quidpiam consalaneus olim tuus, Lerschnerus, qui Rectori nostro Rittershusio vim pugione intentavit, eumq; furiis actus confodere innocentissimum aggressus est, sed Deo præstite & Eysenmanni tui ac Dn. Balthasaris Croswievicii interventu repressus est impius ille conatus, & evasit Magnificus. Reus verò furiis suis relictus & è matricula studiosorum nomen ejus erosum fuit. Hoc fuit fortasse, de quo nobilis ille scurra, Suevum dico, conclamare apud vos potuit. Ille, profugus hinc creditoribus deceptis, sentiet ultricem fortean manum Domini in ipsa Italia. Sed de illo monstro nolo verba perdere. Rittershusio in imperio successit Taurellus, cujus fasces sine turba adhuc fuere. Venio ad officium tuum, quod in coëmendis mihi præstitisti libris. O videam illum diem, Hofmanne, quo Te & Geigerum amplectar, & gratas Vobis agam gratias pro laboribus tantis & molestiis. DEUS optime maxime repræsenta aliquando hoc mihi votum! De incommodis, quæ sese ingerunt ementibus, monuit me jam pridem Scherbius, qui non paucos prætinâsse sibi, ait excisos ex integro variorum librorum corpore. De Alesio etiam curam esto, nolim enim mihi emi, notus jam diu est & vidi quædam non ad meum gustum. Judicium Cremonini

monini de Pellegrino non mirari satis potui, an fortè corruptum est præjudicio. Scis δύναμιν κριτικὴν in Scherbio nostro, scis item, quanti hunc faciat. Is Scherbius amanter Te salutat, scripturus ipse, cùm primum per manum poterit, quæ afflicta morbo languet moveri impatiens. Libros missos accepit, quibus miratur non adsignatum pretium. Bonamici de Motu pretium 1½. R. si est, omninò eme mihi. Scherbius 5. R. vendi censebat. Accorombonius sibi res suas habeat. Quos posterioribus literis emisse Te significas, grati omnes, quamvis Ammon. & Simpl. in Categ. Græcè jam habeam, item Philopon. Græcè in priora. Verùm benè habet, facilè hos tam æquo pretio distraham. In omni hoc officio tuo duo mihi molesta. Mora; neq; enim dum accepi quicquam librorum. Poteris ergò per occasionem Venetias ad Helvigium scribere, ubi hæreant. Secundò, quod ἀπορίας Alexandri non inveneris: Si quid me amas, mi Hofmanne, operæ ne parcas tuæ, ut expisceris alicunde, quovis etiam pretio: Si spes omninò decollabit, vel latinè solum mitte. Inquire etiam in Ferrarii opera Logica & Maronii. Nam quod Geigerus Maronii misit, non est, quod volebam, item Mauzini. Atq; hæc de libris. Porrò ad funesta me tua vocat Epistola. Malè ominaris mihi & Volckarto. Ita enim ipse vocas, at ego secùs capio: Et quid per Deum teneat nos aut liget in hac fæce, ubi, qui pax esse debebant, hominibus fax sunt, ubi noxæ integritas, contumeliæ pudor, ludibrio fides est, adeoq; crimini datur crimine vacare. Pro valetudine tamen quod jubes, faciam omnia. Pro vita non ita multum, quam magnorum virorum suasu ut hospitem habeo, si manere volet, non ejicio, sin; & abire vult, non attineo, nec penulam ei scindo. Sufficeret enim mihi, memoriam mei, quâ notis quâ ignotis, relinquere bonam, etsi non magnam. Doldium libenter consulerem super rebus meis, sed vereor, hominem ignotum, & quod rei caput est, occupatissimum interpellare, velim Te interprete & parario conciliatum mihi eum, quod commodè fieri censeo, si literas quasdam per eum ad me mitteres. De Schillero quod mones, feci equidem jamdudum ejus honoratissimam mentionem in Epithalamio Andreæ Burgeri, Viti filii, quæ ipsa tamen mentio non caruit quorundam asinorum vituperio. Est verò Epistolicè directum ad Patrem Vitum Burgerum: *Vite cum meo Patre*

Leucoreum ad montem vixisti suaviter illic,
Quà vixere olim duo fulmina Relligionis
Ille admiranda doctor virtute Lutherus
Romulei excisor monstri atq; hujusce fidelis
Ille Parastates niveo candore Melanchthon,
Unica Pieridum vita & pietatis imago.
Illi ubi vidistis nostri miraculum id avi
Peucerum supera specimen ter nobile cura,

Ecce   *Nempe*

Nempe Viri hanc pietas meruit studiumq́, precandi
Ardens & crebrum, cujus Tu testis & ille,
Quem sibi nunc nuper Res Norica luget ademtum
Schillerus pariti cum Praeceptore Philippo
Et Virtute senex & religionis amator,
Discipul[illegible] pie constans, nec arundinis instar
Circumagi [illegible] ventorum aut turbine nutans.

Meditabor tamen tuâ causa aliquid amplius, eâ lege, si prius miseris ad me tuam Næniam. Tristia hæc excipiant lætiora, ad Luggenium meum venio, m[illegible] dico, etsi ipse [illegible] Is enim unus est, quem volo inter nos gratiarum facere numerum, is quid agit, sodes? cur ne salute quidem me dignatur? An fastus [illegible] Italiæ mihi ab[illegible]novit, u[illegible]q. flumina, cùm in mare influunt, salescunt; ita ille in pomposam sese ingerens Italiam durior mihi factus, & tanquam pro ignoto aspernatur. Hoccine autem verum est pectus tuum, mi Luggeni (Te enim nunc alloquor) rogo, non dicet id esse pro veteri illo & fido amore, quo inter nos amavimus, a[illegible] te sinistri aliquid de me suspicaris? *Dii tantum prohibete nefas errorem[illegible], Hostibus istum objicite:* Dii me tuentur; Diis pietas mea curæ est; non ego, ut Pindarus ait, φιλίας ἀναβαίνω ἀπίτας ἄλλο[illegible] τεῖχ[illegible] ὑψηλὸν, sed vinculum, quod Tibi me adstrinxit, nulla vis laxabit, nulla fraus solvet; donec Lumine ademto animam moribundo è corpore fundam. In viam ergò redi suavissime Luggeni, & si quod Tibi glaucoma objectum fuit, animumq; obsidet, toll[illegible], & puro me intuere corde; nam ut ego quidquam in amore mutarim Ζεὺς τόγ' ἀλλῆσειε καὶ ἀθάνατοι Θεοὶ ἄλλοι. Redeo ad Te, Hofmanne, & ad suavulum nostrum Inspectorculum venio, quem postquam compellavi, de quo volebas, frustrà id esse adserebat, se enim jam libellum misisse supplicem ad Amplisf. Senatum, ut sub reditum tuum eî id beneficium adsignetur. Interim nihil putat Tibi decedere. Sibi enim omninò expectandum esse, donec Tu redeas, sed satis nugarum. Salutant Te omnes Professores humanissimè. Salve & Tu à me cum Dn. Friderico Gunthero. Cornelius Martinus altum silet, sed pro eo aliq[illegible] me privatim Ingolstetterus, de quo aliàs. Salvete, animæ suavissimæ, Luggeni, Hofmanne, Gunthere, Geigere, Murri. Hujus ultimi pater emit nunc - nuper elegantissimum Rittergut / an scitis? Tu Dn. Luggeni in absentia Hofmanni resignatas literas iterum obsigna, & mitte, sodes, Florentiam. Altorfio 12. Julii stylo vetere Anni 1603.

Idem Eidem.

ITa verò oportuit, Hofmanne suavissime, peccare & alterum pro se deinde peccati arguere. Nam quid ego, obsecro, peccavi, qui responsum, quod mihi

mihi debere videbamini, magno studio exspectavi. Verùm hæc quia consuetudinis sunt, facilè fero; illud non item, quod de libris & petis ad Te referri, quæ nam, quæ velim, at ego perspicuè me satis scripsisse credebam. An fortasse Italia nunc Te mihi mutavit? an alius aliquis Genius, aut ludis me more tuo? Verùm ne quid querar is, sic habe, cupere me omninò Alexandrum Græcè in Topica, & e[illegible] is ἀπορίας Græcè, aut si negant, solum Latinè, non autem illius Pseudo-Alexandri, quem Trallianum multi fuisse censent. Item si quæ extent Octaviani Ferrarii, item Montecatinum in 1. Physicum. Deinde alia si quæ punctum tum recentiorum scripta abstulerint. Bonamicum de Motu si potes 1½. R. habere, mitte, sodes, & scribe pretium Accorombonii. Scherbius vult mihi vendere 4. R. sed puto viliori in Italia pretio haberi posse, quanquam in multis mihi non probatur, tamen vellem habere propter quædam non mala. Averrois editionem novam si 24. baziis habere possum, fac, ut habeam. Ut & Montecatinum in libros de Anima, quos citat Bonamicus de Motu lib. 10. pag. 985. Atq; de libris nunc satis; Profectionem Amicorum nostrorum, D. Lugkenii & D. Philippi Tuchscherii, votis optimis heic Altorphii prosequar; de eventu non dubitare possum aut debeo, aliter enim me jubet utriusq; Virtus & Eruditio, ut & Tibi reliquum vix esse video, cujus causa Te diutiùs teneat Latium. Vel ergò Galliam cum Diis volentibus adi, vel amicis tuis Te restitue. Medicina enim pænè sola relicta est fati injuriâ præstitibus ejus peremtis multis, superstitibus paucis. Sed, maturè sciam oportet, quare scribere adpropera, neq; tot responsum differ in horas aut potiùs menses. Nova hic nulla, nisi tristia. Amisimus enim ante mensem columnam tertiam Reip. nostræ D. Antonium Geuderum. D. Colerus in singula momenta dissolutionem expectat. Septemviri creati sunt D. Starckius, D. Nuzelius, Joannes, frater Joachimi. Noster etiam Volckartus, ab Ambergensibus in locum demortui Nuberi vocatus, dimissus est à Senatu nostro, itaq; propediem eò commigrabit. Noster interea Ἀρχιατρὸς non feriatur, sed occasionis suæ rationem egregiè videt, de nobis quid fiet, ἐν γούνασι videlicet τῶν θεῶν. Verùm aut valdè fallor, aut cogi nubes video, brevi tempestatem dabunt. Mihi quidem DEI virtute præsidii satis in conscientia positum est; sed publicâ causâ non possum non gravissimè commoveri. O Troja, ô Ilium exclamare licebit, nisi DEUS aliovorsum omnia trahat; quod sperare tamen, ut tempora sunt, vix licet. Sed audi etiam plura tristia, leviora tamen, quia privata. Uxor mea jam alterùm abortivit, & secundùm quidem gravissimo vitæ periculo, sic ut pro deposita haberent feminæ, quæ ei adsistebant, placuit tamen benignissimo Luminum Patri, precibus meis meorumq; parvulorum permoto, lucis hujus usuram ei diutiùs indulgere. Ursula item mea febri

tertianâ jam alterum laborat menſem, ſine tamen (ut ſperare me jubet Scherbius) periculo. De morbis Italiæ tuæ quòd ſcribis, ſcias, eosdem in Germania quoq; noſtra graſſari, qui abſorbſere multos magnos Viros, in primis nobilem illum JCtum D. Joannem Herelium, D. Geuderum & Leſcherum JCtum. Rottengatter etiam noſter jam planè deſperatus vix animam trahit; confirmatâ enim laborat phthiſi, quam contraxit inſcitiâ Medicorum Anglicorum. Cùm enim optimus adoleſcens in Anglia febri correptus eſſet, vocati Medici, nihil advertentes conſtitutionem corporis ejus in phthiſin ſuapte proni, vomitorium ei propinârunt, quod tanto impetu rem egit, ut venæ aliquot ei ruptæ fuerint, ſanguis ad pectus, defluxerit, & inflammatio ſubſecuta fuerit lethalis. Verùm verboſior ſum, nec excuſo, ſed exemplo Te ad literas longiores moneo. Tu, cùm ſalivam tuis mihi ſchedulis vix moves, taces. Aut in totum omitte, aut ſcribe pluribus. Ut corpus habeo cibo exiguo malè contentum; ita & animus meus τοῖς ἡδύσμασι uti vult ceu ἐδέσμασι. Oppianus meus prodiit bonis, ut me credere volunt Viri magni, avibus. Ejus exemplar habebis, cum DEUS Te nobis reducem faciet. Interea adſervo; Ambergenſes pro dedicatione miſerunt mihi XXV taleros Imperiales, honeſtum ſanè munus, & quod non paucis oculos læſit retortos. Gratia illis, licèt magnam partem ἀμύσοις, magnis tamen literatorum fautoribus. Verùm ſatis nunc. Tu vale, mi Hofmanne cum D. Lugkenio, D. Philippo, D. Geigero, D. Murrio, atq; à me ſalvete omnes, Tu etiam à M. D. Rectore Q. cujus Recturaiterum proh dolor! non ſine homicidio fuit. Studioſus enim quidam Criſpinus Schimelpfenning civis famulum nullâ idoneâ datâ cauſâ uno gladii ictu confecit. Dimiſſus tamen fuit perſolutâ mulctâ Senatui, & transactione factâ cum interfecti cognatis maximè interceſſione Marchionis Brandenburgici Joachimi Erneſti & ſtudioſorum noſtratium humilimis deprecationibus, qui procumbere etiam in genua coram Senatu voluerunt & more veteri ſupplices fieri, verùm prohiti ſunt à modeſtia Senatus & humaniſſimis verbis dimiſſi. Salve item à D. Ritterſhuſio, Hubnero, Volckarto, Jordano, Gellero, tuis olim convictoribus & quamplurimis aliis. Vale iterum. Altorfio 13. Aprilis 1604. cùm tuas 8. accepiſſem.

Idem Eidem.

DEſinam, mi Hofmanne, illud, quod Tibi moleſtum eſt, querulum Exordiorum genus & à lamentatione initium ducam. Scito enim, me 14. Junii, cùm dies ventis inquietaretur, tuſſi primùm gravi correptum, poſt febri catarrhosâ affligi cepiſſe. Exercuit ea me usq; adeò, ut vitæ dubius viaticum itineri XIX. Junii peterem & humanis valedicerem, paulatim enim vires meæ quaſi in ventos abibant,

abibant, verum ecce, dum cœlestibus intentus alta sapio, supervenit sudor copiosus, calidus tamen, qui Paroxysmi crisis & quidem bona dicebatur à Medicis, cœpi exinde recolligere viriculas aliquas minusq; male habere. Febris tamen invalescebat, quia fomenta subministrabat ei cibus, quem firmandis viribus stultus ego capiebam, cùm imminere paroxysmum existimabam. Traxi morbum usq; ad Festum Academicum Petropaulinum, & ecce venit ad nos D. Kuno, qui, rogatu matris, cùm me visitâsset, optima quæq; polliceri cœpit, & consilium adeundi Urbem dedit, ubi se affore mihi fideliter pollicebatur, monebat etiam horis VI. ad minimum cibum capiendo febrim præverterem. Quæ res mihi non infeliciter cessit. Placuit etiam consilium ejus de adeunda Urbe, quod die Lunæ secutus sum non infelice successu. Dum verò octiduum ibi integrum moror, ecce corripit me morbus, quem illi Episynanchen appellabant. Ita enim collum mihi afficiebatur, ut cibum respueret & potus per nares mihi rediret. Perturbavit ea res Medicum, & tertiâ pomeridianâ aperuit mihi venam sinistri (dextri enim sub initium morbi aperta fuerat) optimo & consilio & eventu, adhibiti deinde Chirurgi, qui syphonibus & gargarismis collo medicinâ faciebant. Abstulit ea res alterum octiduum, quo Febris recessit inediâ meâ expulsa, collo sic mediocriter restituto cepi edere, iterum cepi bibere. Non latuit id astutam Febrim, quæ secesserat solùm, non abscesserat. Cùm enim pabulum subodoraretur, reversa est post diem XI. sed purgantibus iterum remediis pôst alterum insultum expugnata. Nunc inter spem & metum medius expecto, quid porrò fata ferant. Hæreo itaq; adhuc in Urbe, sub tutela Nobiliss. Dn. Fuereri Duum Viri, qui non solùm penè quotidiè quæsitum de statu meo mittit, sed & Medicum meum ad se vocavit, eumq; monuit, ne quid negligeret, & si opus esse censeret, plures in consilium adhiberet. Deinde subsidium sumtibus morbi misit 12. Thaleros pro se, Scholarchas etiam urgere non destitit, ut luculento aliquo subsidio mihi succurrant. Vide & admirare benignitatem Herois hujus, cui vitam extendat DEUS pro meritis! votis enim solùm ejus erga me merita exsolutum ire licet. Atq; hæc de meo statu. Jam ad tuas literas. Mazonium à D. Geigero acceperam, non abs Te, sed Tu mitte solum, est enim, qui recipiet. De Philippo fallit Te animus, obtrudere ei volui, sed ille recipere noluit, nisi quod vecturæ ratio poscebat, quare Tu securus esto. Pretium enim Tibi me debere profiteor, & solvam, cùm voles, cui voles. Libros mitte statim ad Helvigium, jam enim à Philippo accepit in mandatis, ut curet tanquam suos. Addi tamen iis velim Federici Penclasii Comment. in libros Physicos, Venetiis nuper editos, quos Scherbius sibi per Postam curavit adferri & ad stuporem admiratur, eos, sodes, adde. Tuorum librorum, quos notâsti, nullum peto; at Tu edoce, quis ille

ille Melioratus sit, an nobilis ille Rhemigius, an aliquis ex ejus familia, qui se ejus ornet plumis; sed non peto, quare quiesce emere. Tuum negotium mirè (gimus Doldius & ego heri, cùm tuas accepi. Hodiè meus Cuno apud me fuit, qui omninò vult Tibi in biennium prorogari, postea per triennium aut quadriennium dari Fischeri filio; tum enim suum fore idoneum, cui cedat. Est benè erga Te animatus, sed vellet, Te scribere particulatim officii causâ ad præcipuos Medicos hujus Urbis, quos conquestos ait, quòd nunquàm eos appellâris, quasi verò tantum Tibi suppetat ad scribendum otii, sed fortean dandum aliquid tempori, de quo Tu videris. Ad Furerum cum pedibus uti d nuo licebit, ipse ibo, & res tuas agam. Sonerum jam allegavimus, qui idem factitet. Scribendum is censet Tibi ad Duum-Viros etiam super hac re Latinè. Est enim uterq; doctus. Jamq; vale, & mitte libros celeriter, proximè pl ra: Nunc manus vacillat. Festo Jacobi, quum tuas profesto ejusdem accepissem Noribergæ, Kæstelius benè habet. Præceptor est Jenæ Nobilium Palatinorum Sch tonum à Stockenfels. Saluta Nobiliss. juvenes, Dn. Baumgartnerum & Dn. Hulsium, meq; ipsis commenda. Saluta item D. Lugkenium & alios Amicos. Ferrarium mitte: Castè & cautè habebo.

Idem Eidem.

AT Tu sacrufica, mi Hofmanne. Etiamnum enim vivo & valeo, sic Deo precibus bonorum pro salute mea fusis mitigato. Jamq; iterum rebus meis, quà publicis quà privatis, curo, quamdiu non laboro. Didici enim jam mori. Neq; formidabilis illa mihi ultra facies. Sonerus etiam noster rectè habet, quanqaam color hominis valetudinis levitatem minetur & inconstantiam. Utinam verò ita Scherbius noster, qui non amisit modò corpus omne tabe confectus, sed amisit proh dolor! etiam conjugem, quam ille ait sibi fore ultimam in his terris calamitatem. Heu quàm bonus vir se lacerat & lancinat, & tantus Philosophus in hac calamitate parùm in se sentit præsidii. Ego illum interdum avoco, & quia vitæ ejus omninò metuo, arcana quædam stupendæ Viri hujus sapientiæ foràs voco, frontem egregiè ponens & pudorem. Nusquam enim rectius me positurum quàm hîc & hoc consilio arbitror. Honoribus tuis mirificè faveo. At cave adeò extollere, initia solùm sunt, majores Tibi virtus tua & doctrina jam diu destinavit & decrevit honores, qui operiuntur te excepturi & nisuri in amplexus adventantis. De libris omnia rectè; illud non item, quod taces de Penclasio in Physicos libb. quos tanto laudat opere Doctor noster. Murrius tuus Grunsbergæ me salutavit & intra mensem Te Italiâ excessurum ajebat, quod miror, Te in meis tacuisse. Res tuæ ut intellexi ex Cunone, eo loco sunt,

quo

quo voluisti. Etsi enim Waldungus petierit stipendium tuum per annum; responsum tamen à DuumViris hoc tulit, non Tibi sumtus præcidendos, cùm ad metam jam spectes. De Scholarchis; nollem Te rem illis commisisse. Nostra negotia enim apud illos languent & dormiunt, ipsis aliis distentis. Quare mallem scriptum ad DuumViros. De Cunone ita se res habet. Volebat ille, ut Te præcipuis Medicis amicitiæ nomine commendares per literas, antequam quidquam tuarum rerum actum esset. Ne nunc Bocksbarterus mox Fischeri filius Tibi resignationem stipendii accelerarent, nunc nihil opus est. Bulius rogat, ut libros ei mittas, & in domo Germanorum quæras de Factore Gruberi, eiq; commendes, qui pretium Tibi reponet, ut ille ait. Pro munere mihi & Gellero misso, etiamsi id nondum vidimus, tamen gratas Tibi agimus gratias, relaturi, si ferat occasio. Dicitur aliquid Bonamici sub prælo esse, quæso, si scis, significa. Novi a prioribus libris, titulum ignoramus. Resalutant Te omnes, quos salutari voluisti, in primis Hubnerus, qui sponsus est. Duxit sororem Traineri, quam Altorphii Te nôsse, censeo, formâ & censu optabilem. Verum satis Tu mihi cum omnibus Amicis vale. Altorfio 6. Sept. 1604.

Idem Eidem.

Tandem, Hofmanne suavissime, libros accepi, sed vecturæ pretio immodico. Coactus enim sum vecturam 8. R. 18. kr. solvere. Quod pretium quantum sit, noveris ipse, credo, & miraberis. At Tu pro labore tuo gratias habe maximas, & Terentianum illud accipe ac Plautinum, *nunquam Tibi gratiam referre possum, ut meritus es de me.* Tu, quæso, consignatum mihi omne mitte debitum, ut pecuniam interim colligam, ne in mora Tibi sim, quum volueris. A Bulio necdum quicquam accepi, operam tamen dabo, ut colligam etiam illum. Tu tumultum Romanum fusiùs, quæso, ad me refer. Nam in novis nostris altum de iis silentium rebus & alta quies. Imp. nostrum submisisse Jesuitas in superiorem Ungariam & hos cum Transsylvanis seditionem movisse, inaudivisti procul dubio. Iis in occursum missus Georgius Basta, quo successu, nondum constat. Ceterum sine jactura Imperii Cæsarei componi non poterit tumultus. Jam enim illi ad Turcarum Imp. inclinant sese. De me nuncio Tibi mira, nisi ἀρχιερεὺς noster rem impedierit, quod omnibus modis conabitur, videbis redux tuum Piccartum prorsus alium. Nam & toga illum decem ulnis latam ambibit demissa in talos usque, terras oblongo syrmate verrens, & cathedram illi templum dabit, non auditorium, valereq; jubebitur Aristoteles cum omnibus suis interpretibus æternùm & Biblia sacra volutabuntur diurna nocturna manu. Quæ, dicas, hæc metamorphosis? Omninò Domini mei rebus me sacris

volunt

volunt applicare, & nostratis Ecclesiæ pastorem constituere, quod me nec volente nec invito etiam fit. Quies enim & valetudini & corporis mei moli expedire videtur. Academiæ verò dignitas & loci splendor mihi manum non infirmam injiciunt. Ceterùm permisi me divinæ voluntati, & quicquid futurum est me, id stat pro virili exsequi. Si omninò res cadet, ita, ut scripsi, Sonerus noster successurus mihi est, quod mirificè urget D. Scherbius, tùm ut discipulum iterum successorem habeat, tum ut excludat Waldungum, qui seriò ambit Professionem aliquam publicam: Quâ intervertere eum cogitat, vel quia putat indignum, vel quia æmulatio quædam inter ipsos est. Qua de re disputare non est meum: Spes illi facta est stipendii tui, &, ut metuo, spe ejus omni excidet M. Bocksbarterus. Nam & D. Cunonis filius & D. Fischeri postea in se de eo concertabunt. Benè Tibi, qui præveneris, extra metum sis. Virdungus noster in locum Clapmarii successit. Dignus certè est hoc loco, & ex animo ei gratulor. Adjungetur ei mea Poëtica, si res procedet, de qua suprà. Ita dividitur hereditas Domino nondum mortuo. Scherbius literas adjunxit meis, ut & Glacianus, quia operam tuam poscit in quibusdam Manutianis perquirendis. Non dubito, quin volens optimo Viro sis gratificaturus. Ego quia dubius sum, quò me Deus adhuc vocet, non ero Tibi molestus nunc aliis conquirendis. Itaq; eam operam, quam mihi tribuere solitus es, da Glaciano in exiguo illo libello, ut ajebat vestigando. Ubi Lugkenius noster? an Italiam reliquit? si nondum, saluta, sodes, officiosè & amanter, & si qui alii sunt Amici. Quando Italia exiturus sis, fac, sciam; quò item animum intendas, an in Galliam, an directè Basileam. Decanum me hujus anni scito; Tu si voles Magister fieri, antequam Doctor fias, propera ad nos venire, & dabo Tibi primum locum: Sed citra jocum: Bacularios omnes frigus absumpsit, Magistros, credo, calor intervertet, aut, sed nolo malè ominari. Quæso si scribis, scribe, quanti veniant apud vos Tomi Baronii Annalium, non quòd velim emere, sed ut sciam. Sed satis nugarum. Tu salve à tuo Piccarto, & adventantem annum multosq; deincipes sospes age. Salutant Te Amici complures, Jordanus, Gellerus præcipuè. 17. Decembr. 1604.

Idem Eidem.

SAlutem, Amorem & Observantiam. Addo enim hoc tertium, quia præmia Virtuti & Eruditioni Tuæ debita jam Te consecutum auguror. Ea Tibi gratulari paucis his placuit versiculis, quia multos nolle videbaris.

Quem quondam Ausonias abeuntem amiseram in oras,
His animi votis, ut mactus honore redires,
Et medica multis repararet ab arte salutem:

Illa

Illa repræsentant mihi Dii, dum sidere fausto
DOCTURAE Helveticus titulum decernit Athenis
Ordo Asclepiadum, Tibi mi CASPARE Virorum.
Ille Tibi finis fuit isthæc meta laborum;
Sed mihi gaudendi non finis non modus ullus,
Usq; adeò me flos veteris delectat Amici,
Et meritis quæsitus honos, Virtuteq; partus.
Tu ne necte moras, quin mox age jungere Amicis,
Exhilaraq; tui cupidos. sic prospera cuncta;
Sic optata fluant Tibi desuper omnia Cœlo.

Dignius aliquid merebatur Honor tuus, sed Tu ex factis vis Tibi gloriam nasci, non ex calamo. Academia nostra iterum, proh dolor! ventrem fecit, & tantùm non collapsa fatiscit. Amisimus enim incomparabilem illum Virum, Præceptorem nostrum amantissimum, Philippum Scherbium, qui XI. Julii intra 8. & 9. ante meridianam terris Academiæq; nostræ valedixit, & latiùs sanè serpit jacturæ hujus malum. Si enim cum Catone Virtus etiam mortua rectè dicebatur, cum Scherbio Pietas, Medicina, Philosophia, & Virtus in cineres abibunt. Sed de hujus Viri laudibus plura non attingo, ne materiæ dignitatem linguæ infantiâ deteram. Ejus locum, ut obibit, intelligo, Sonerus noster, Vir eruditionis non vulgaris, & cocti maturiq; judicii. Tu ad nos advola, quæso, & tuis quoq; rebus vide, ne longiùs à nobis avellaris. Ἀπορίας Alexandri accepi heri heic loci à D. Sonero. Tu, pecuniâ quid fieri velis tuâ, quam debeo, fac, moneas tempori, ut colligam, neq; Tibi sim in mora. Theologica Provincia mea in fumos abiit, interim peperit mihi stipendii auctarium. Gratia DEO & Mæcenatibus, sed avocor. Tu CL. & amicissime Hofmanne salve cum communi Amico CL. D. Lugkenio. & rescribe, deq; adventu tuo, si pote, mone. Noribergæ, quo negotiorum causâ excurreram, 18. Julii cIↃ IↃc V.

Phil. Scherbius Eidem.

Accepi tuas, quum, unà cum nostro Gentili, prandio cœpi assidere. Perturbavit me narratio tot malorum, ut videatur in toto corpore nihil esse amplius sani. Nam & cerebrum pessimè affectum esse, ostendit illa memoriæ non imminuta, sed propè jam ablata actio: Et pectus jamdudum propter dyspnœam non satis ventilatum est: Et inferior venter propter antegressam dysenteriam, intemperie, nisi fallor, calidâ & siccâ (quæ eò usq; progressa est, ut facultas coquendi & sanguificandi non debilitata, sed eversa sit) in habitu, videtur laborare. Quid igitur vis, scribam? uno verbo: Me (quantum absens ex literis

quis judicare poteſt) nihil poſſe ſperare, Tu autem pro tua prudentia, verbis mollioribus, hanc meam ſententiam propones. Videntur omnia mala ad hydropem & ad ſeri diffuſionem in toto corpore pertinere, quæ commemoras. Certè πάθος illud cerebri, eſt inundantis ibi aquæ, & caloris inde ſuffocati: Sitis item à ſalſugine ſeri: Tuſſis ab oppreſſione diaphragmatis (factâ ſive ab hepatis ſcyrrhoſa affectione, ſive à ſero jam collecto) idem teſtatur. Quod autem ſeroſitas iſta gignatur, id, niſi fallor, oritur, non à frigida intemperie hepatis: (Potiùs enim leucophlegmatia naſceretur) ſed calida & ſicca, tum hepatis, tum totius generis venoſi, oſtendit amaritudo oris; oſtendit ſitis: Oſtendit cauſa antegreſſa, ſcilicet dyſenteria, quæ ut νέκρωσιν potuit cruri alteri afferre: Ita etiam hepati & vaſis, intemperiem calidam impreſſit, quæ poſtea colliqueſcentiam in humoribus gignit, ut videmus in lacte. ſed ſententiam hanc adjuvaret urinæ inſpectio, de qua nihil intellexi. Utrùm autem iſta intemperies ſit nuda, an cum affluxu ſubſtantiæ, id eſt, an adſit in hypochondriis ſcyrrhoſa affectio, hoc ad præſentem Medicum pertinet, qui poteſt attrectare hypochondria ſive per ſe ſive per alios intelligentes. Neq; ſcio, utrùm multum adhuc urinæ reddatur, an parcior incipiat ire.

Si hæc verè conſtituta ſunt (poſſunt enim abſentes faciliùs falli, quum præſentes etiam non rarò hallucinentur) ſcopos curationis vides. Serum enim jam collectum ſubducendum, quod non fit niſi validioribus medicamentis (inter omnia enim purgantia nulla ſunt hydrolicis violentia, ſive etiam per urinas velis educere, ſive per ſudores) at ubi ſunt vires in hac ætate & debilitate omnium partium. Intemperies ſive nuda, ſive ſcyrrhoſa, non niſi tardiſſimè etiam in juvenibus corrigitur. Vides, apud me deſperationis omnia eſſe plena.

Chriſtoph. à Vaga ſcribit, ſe talem affectum à calida jecoris intemperie natum curâſſe, jecori ſupponendo ſuccum Endivis & cith. cum pauco aceto, & unguento Roſ. Item aqua Endivis & aceto. Talibus etiam aſſumtis. Hiſpani alii, aqua Tabacci tales hydropicos curant. Vidi ex calida intemperie venarum, perpetuò ſudoribus diffluebat, ſingulis matutinis, qui ſimulatq; mutavit potum, & vinum omiſit, (erat Doctor medicinæ) ac cereviſiâ tenui uſus eſt, reſtitutus fuit. Ita fiunt quidam hydropici, qui dicuntur, ad matulam: Qui non niſi reſtituendi: Quod in hac ægra tum propter ætatem difficile eſt, tum quia aqua redundans in aliis partibus v. g. in cerebro, in abdomine, frigidas intemperies gignit: cùm tamen venarum & hepatis intemperies, quæ eſt fons & origo malorum, ſit potiùs calida. Hinc fit, ut Medici in aſcite & tympanite (ſecus ſe res habet in leucophlegmatia) calidorum uſu mortem accelerent. Scriberem plura de auxiliis, quibus alii aliis uſi ſunt, ſi vel magnam ſpem haberem, vel ſcopis

curandi

curandi propositis, necesse putares in multiplici varietate remediorum quasi ludere, cùm D. Beslerus (quem saluto) omni rerum usu instructissimus sit. Sententiam meam confirmat valdè Crato in suis consiliis, qui hydropicos suos, usu edoctus, non voluit nisi serum lactis bibere, aut succum raporum, alii aceto diluunt potum. Vides, mi Hofmanne, nunquam me finem facturum, si indulgeam cogitationibus, & ἀταξία ostendit, me propter temporis angustias non potuisse id præstare, quod aliàs non invitus facerem. Pro munere gratiam habebis, & omnes salvere jubebis. Ante diem Jovis non potero redire ad lectiones meas. Nam paroxysmus podagricus, cùm omnia viderentur jam salva, etiam reliquias in dextrum brachium effudit. Benè Vale.

P. S. Obsignatis jam literis, relegens tuas, quas subitò coactus sum percurrere, video dyspnœam ante affectionem hydropicam adfuisse. Id me magis confirmat. Medici enim usu didicerunt, omnes ferè Asthmaticos fieri hydropicos, & quidem quia fuligines retinendi magis minusq;, unde intemperies calida, & vitialia sanguificationis.

Idem Eidem.

SI res Tibi ex animi sententia fluunt: Et gratiam Tibi habeo pro podagra tua, etsi metuebam ab initio, ne nova veteri superveniens eam argueret: Sed humaniter me tractavit: Etsi enim opis nihil attulit (nisi fortassis illud λογικὸν, podagram potiùs in impedito motu, quàm tristi sensu consistere) tamen nihil etiam exasperavit. Scripsi ad Geigerum pro Bonamico de somno: Tu quia iturus es Bononiam, Florentiam &c. operam fortassis in eo utilem mihi navare poteris. De Cæsalpino Romæ vide sis, omnia certa exploraturus ad me perscribas. Nam non pauci jam confirmârunt mihi de ejus obitu. Pisas fortassis etiam venies. Bonamici philosophica studia & conatus, fac, cognoscas & inrepas, quantum fieri potest, in intimam ejus consuetudinem. Multa, ut audio, habet partim affecta, partim jam confecta & ad exitum perducta. Non habeo, quo meam solitudinem & ignobile otium delectem, nisi hoc genus. B. V. 4. Junii.

Idem Eidem.

JAm ante submetuere cœpi, ne literæ meæ, quas mense Majo ad Te & ad Geigerum dedi, fortè Vos peregrinantes, non offenderent; id nunc ferè certus sum, accidisse: Cùm nullo verbulo earum facis mentionem, quas proximè Piccartus abs Te accepit. Ego Tibi in iis gratias de podagra tua, etsi parùm juvet vel corpus, vel animum: Utrumq; vitio fortassis meo: Sed disputationem limatiorem de hoc epistola non fert. Petii abs Te & item à Geigero, ut mihi

operam navaretis in Bonamico de somno comparando: Et etiam nunc etiam atque etiam rogo. Thecæ meæ numariæ confidite: Addite modò, per quem velitis Vobis pecuniam renumerari. Hoc idem petii à Geigero. Nam nondum pro Bonam. de Alimento satisfeci. Si vult, patri reddam, pretium per literulas significet: Et omninò tandem aliquando literis suis nova aliquâ & bonæ frugis plenâ observatione me beet; sive ex materia Medica, quâ circumfusus undiq; abundat, sive aliunde: Sciat, cœlum etiam Altorfinum ab his non abhorrere. Scriberem nunc ad eum denuò, nisi ipsius expectarem: Sed scribam tamen, ubi commodiùs me habuero, & certus ero, literas rectè perferri. Superiores, quas cum tuis conjunxi, fratri ipsius dari curavi. Salvere Te & ipsum jubeo. 16. Octobr. Altorfio.

Idem Eidem.

IN summa mea expectatione, de Opere aliquo Bonamici, ecce subitam vanæ spei lusionem: In auctoris nomine errorem. Ut verum fatear. Quò minùs hæc ampliùs curem, faciunt immensæ & infinitæ calamitates domesticæ, quæ post tam gravia fata in valetudinem meam, etiam miseriarum omnium & dolorum lenimentum, imò unicum fulcrum, uxorem heroicam ademerunt. Verum exaspero vulnus: Ad alia me magnus Imperator vocat. Cremoninus vester in catalogo est cum suis formis elementorum. Adhuc formæ illæ informes sunt? ô philosophiam, adeò non philosopham! certè quidem in hoc argumento. Sed si commodè potes, mitte, & simul ostendas, velim, per quem Tibi rectè solvam. Nam ut hîc demum post reditum recipias, rationibus tuis incommodum esse scio. De Aichholzeniano stipendio certamen certatur: Est Waldungus; est Bockbartus: Sunt duo Medicorum Noriberg. filii, Viscerus & Cuno. Magnitudo ejus facit, ut concursus ad ejus petitionem fiant, &, ut res humanæ cadere solent, fortassis posthac contra Testatoris voluntatem sæpius in indignos incidet. Tu benè vale, & cogita, fortassis fata Tibi locum parare in Acad. Altorfina 24. Novembr. Anno cIↄ Iↄc IV.

Claud. Belgardus Eidem.

NOn jussu modo mihi plurimum observandi Domini Victorii de Rubeis, cujus gratia omnia me velle profiteor, sed tuæ quoq; merito dominationis in publicam utilitatem desudantis, græcum exemplar περὶ κώματος comparavi cum Mediceo sane quam pervetusto, & cum Zenone τοῖς νεκροῖς συγχρωτίζεσθαι, pervolutavi tamen, neq; dissentire quicquam aliud deprehendi, quam quæ mea manu ad marginem sunt exarata: Sed neq; Galeni ullum opusculum, quod non esset

esset typis mandatum, licet accuratissimè perviderim omnia, reperire potui. Id verò, si quod est officium, Dominationi tuæ eò libentiùs præstiti, quod ita sum à natura institutus, ut si pomœrium rei literariæ proferre non valeo, Magnanimos tamen heroas Diis viribus æquos, qui id præstare possunt, utcunq; juvare pro virili mea non desinam, & quemadmodum ait ille πύξον αὐλίζοιλι, αὐτὸς αὐλίζειν ἐ δύναμενΘ. Videat ergò, si qua alia in re ei commodus esse possim, eoq; animo perficiam profectò, quo Dominationis tuæ sum, ac semper esse cupio. Florentiæ X. Cal. Jan. cIↄ Iↄc XXVI.

Georg. Nœsslerus Eidem.

Binas à Te superioribus mensibus accepi, quibus utrisq; statim respondi. & unà cum posterioribus meis unas misi ad Amplissimos Dnn. Scholarchas, sicuti ita Te velle ex alteris tuis intellexeram, neq; secus fecisse me condecebat. Sed tamen illis-ipsis *Sapienti* sat dictum fuit, & statim, quod res est, suspicari cœpi. Nunc verò silentium hoc tuum pariter & Mag. Dn. D. Remi nimis loquitur de eventu negotii illius, neq; magnoperè desiderandas mihi video literas vestras nimis-literatas, & quæ non nisi ruboris nuncium mihi afferant. *Tamen expectabam*; certè his nundinis Lipsiensibus, si non priùs, & ita me DEUS amet, ut quicquid ejus est, ego à Vobis amâssem. Nam si res aliter atq; ex voto cecidit, quæ vestra hîc culpa?

- - careat successibus æquum est,
Quisquis ab eventu facta notanda putet.

Ego affectum in me vestrum æstimo, effectum ut in manu vestra non fuit, ita à Vobis non arcesso, quos excuso, & neminem accuso nisi fatum meum an & me-ipsum? Certè de literis illis ad Dnn. Scholarchas, pœniteo scripsisse aut aliter scripsisse velim.

- - - - Qui sibi vidit,
Dux regit examen - - - -

Ego nimia fortean modestiâ usus sum apud illos, & cùm modicè semper de me sentire fas putaverim, non nemo abjectionem aut etiam vilitatem animi interpretetur.

Laudat venales, qui vult extrudere merces.

Ego secùs feci, & in naturam meam peccem, nisi sic peccem. Sed quicquid est, velim rem omnem sincerè, candidè & apertè ad me scribas, neq; minùs gratum aut pro-amico feceris, quàm tunc, cùm primùm de studiis meis promovendis curam illam susciperes. Nolim autem ulterius quicquam Te pergere in hoc negotio. Nam ego jam nunc Halæ locum aptus sum Medicinæ faciendæ, atq;

ibi literas tuas expecto, quà eodem, quò aliàs itinere Lipsiam ibunt, atq; inde porrò ad me curabuntur. Itaq; denuò, quantum potest, Te rogo, finem istius silentii facias tandem; nam id quidem veniam non meretur. Spero epistolam apud Te meam, cujus ego etiam finem facio, & Te valere ætatem deprecor. Halæ 15. Octobr. A. 1617.

Idem Eidem.

DEsideratissimas tuas seriusculè & hac ipsâ tandem horâ accepi; tamen cùm Berolinum pervenissent, mei statim ad me huc curârunt. Hoc curriculo nunciare Tibi volui, ne proximis meis, quas ante has tres septimanas ad Te dedi, aliquà offendaris. Intra octiduum porrò perscribam de rebus omnibus, & quid animi habeam; de quo tamen aliter Tibi persuadeas, cave, quam exosculari tuum erga me affectum, quem in negotio hoc declarâsti. Quod & ipsum hactenus amplecti mihi videor, si ducentis illis florenis alios quinquaginta pro annuo salario adjecerint, & pro ingressu 50. contulerint Dnn. Scholarchæ. Qua de re propediem, ut dixi, plura & magis certa. Equidem non contemnendâ hic conditione utor, sed præferam illam, ubi Musarum consortione gaudeam. De hospitio quod æquè humanitus offers, gratas gratias ago: Neq; si eò veniam, aliud me excipiet. Jam dum re ipsâ me invitâsti, cùm nuper Tecum conviverem, animo corporeq; epulatus sum. Tamen nolim molestiam Tibi afferre, nostraq; amicitiâ abuti. Vale, V. Exc. & iterum salve atq; iterum ab eo, qui ob eximium tuum erga se amorem & merita Parentis vicem semper Te colet & venerabitur. Halæ 8. Novembr. 1617.

Georg. Remus Eidem.

SErius responsum fers; at tale, quod cum fenore; seu mavis, accessione lucculentâ. Venit ad meas ædes nudius tertius triplex munus à Cl. Casp. Cunrado Medico Wratislaviensium: Id offero, uti optumâ fide accepi, fide optumâ: Tilesium, dico, de coloribus, Epithalamium, & Parentalia. Heredibus Rittershusianis carmen, ubi id prius legeris ac censueris, reddes, restitues: Quod aliorum Clariss. VV. lessibus adjungant, si sic videbitur. Porrò mandatum accepi ab eodem nostro DD. Casp. Cunrado, viro elegantissimi amœnissimiq; ingenii, de conscribendis vel consignandis natalibus diebus Excell. VV. Dn. D. Scipionis Gentilis, D. Dinneri, D. Piccarti, D. Virdungi, D. Mauritii, D. Waldungi & procerum Academicorum quotquot sunt. Eâ in re cùm tuâ egeam operâ, tuam imploro opem. Addas verò & patriam cujusq; tuum natalem ne prætereas, & natale solum. Fac, si fieri pote, ut ad proximum Veneris diem certò habeam.

habeam. Eſt ad manus occaſio ſine grandi mercede Preslam ſcribendi: Ubi differas negocium, elabetur illa. Ad te verò D. Caſp. Conradus proximè dabit, ita pollicetur. Atq; hoc primum. Venio nunc ad Tuas, proprid. Cal. Decemb. ad me perſcriptas. Transmiſi tuas DD. Ph. Jeniſchio, Auguſtan. neq; dubium mihi quin eas acceperit rectè. Faveo viro, ob familiam. Is de facie ignotus mihi. De D. Scherbii & D. Solneri ſcriptis edendis ſeriò laboras; laudem promereris ſolidam. Scherbium non contigit mihi videre vivum. Virum fuiſſe in Philoſophia ac Medicina ſummum, res ipſa loquitur. Eum elogio cohoneſtare cur renuam? Virtus & eruditio viri exigunt. Tuis verò precibus eò avidius locum do & adnuo, quò me par eſt magis magisq; ſtudere Academiæ veſtræ, quam florentiſſimam opto. Malo tamen veſtros, quibus Muſæ & Apollo faventiſſimus hoc agere. Vale, quod supereſt, & reſponſum para ad condictum diem, uti ſcr ipſi. Vale cum familia quàm feliciſſimè. Norimb. die D. Thomæ Apoſtolo conſecraneâ cIↄ Iↄc XIII.

Idem Eidem.

FAſciculum à Dornavio tibi redditum gaudeo. De D. Nösleri vocatione ſi res adhuc incerta, qui fit ut per Urbem vox & fama vagetur, vocatum eſſe quendam longæ ſtaturæ hominem ad Profeſſionem Medicam in Acad. Altorf.? Quis verò ille ſit cum ignariſſimis ſcio. Locus Galeni (magni Medici & Philoſophi, in cujus vitam nuper incidi, quàm ſummâ cum voluptate pellegi, auctore Gesnero conſcriptam) egregius eſt, & rem (niſi omnia fallar) appoſitè explicat. Ita eſt: In antiquis cùm Græcorum tùm maximè Rom. nummis alicubi videre me memini, quod ille divinus auctor innuit. Id verò in quadrigis exprimitur, cum equorum jugis annuli ſuperiore parte adduntur: Iis deniq; lora ſive potius habenæ inſeruntur, quibus in utram malit aurigator partem vertere equos facili operâ queat. Talem eſſe rationem nervorum, ſi benè adſequor, καθ' ὁμοιότητα explanat Medicus ille ſummus ac coryphæus; qui, pró Deum! tanta & tam multa ſcripſit, quæ vix homo intrà annos XXX. cum fructu legat omnia. O verè ἰσόθεον, καὶ πάντων ἄλλων ἀντάξιον ξυγγραφέα! Ceterum eadem habenarum ratio, meâ opinione, adhuc hodiè ab aurigis Italicis in Lombardia (in qua quadrigæ frequentiores) ſervatur. De Ungaris nihil dicam: Quod Pannoniam non adceſſerim. Anatomia dabit coràm inſpicere regimen nervorum manus. Hæc tuo limatiſſimo ac politiſſimo judicio, Vir magne, lubens ſubjicio, & ſi à ſcopo aberravi, primus deleo ac caſſa jubeo. Nobiliſſ. Prudentiſſ. ampliſſimoq; viro Dn. Hieronymo Nicolao Paumgartnero ſchedam obtuli tuam, qui ſuam ſententiam explicabit, cui facilè concedam. Vale, Vir floren-

florentiss. & mutuiter amare perge. Themistium agnoëtarum hereseos principem dictum non me fugerat. Nolui hoc, quod parum honori foret auctori. Nicomediensem patriâ fuisse, incerto auctore fertur. Gratias ago, quod monueris: Et plura fac notes, nil gratiùs, quam liberæ amicorum castigationes præ basiis (sed ἰβάσκανοι) hostium adulatorum. Vale iterum & ignosce festinationi. Norimb. V. Eid. Quil. cIↄ Iↄc XVII.

Idem Eidem.

QUantas Tibi gratias debeam, ipse intelligo. Debent mecum vidua & heredes Hœscheliani: Habeo correos debendi; quo facilius me ab hac liberabo obligatione. Si vacat, doce me de Jubilæo vestro, quid quisq; vestrum peroraverit; paucis innue; ὡς ἐν πινακίδι videam. Versiculos Girsneri & meos addere licebit, opinor, si typis demandabuntur orationes vestræ. Palatinus VII vir edixit celebrationem Jubilæi, commune uti beneficium restauratæ doctrinæ Evangelicæ suis cum nostris Ecclesiis declararet. Non verò solus restauravit Germanicas D. Lutherus p. m. Ecclesias, sed socios sancti habuit laboris, ξυνεργοὺς reformavit. Quid de Galliis, Britanniis, Polonia, Ungaria, Dania, Suecia, Helvetia, Allobrogibus dicemus? CHRISTO Deo opt. ter max. solida hæc sit laus: Organorum memoriam facimus honorificam: Non verò ἀνθρώποις homines qui labi errare potuerunt; lapsi sunt, erraveruntq;. Verum hæc, tibi minus grata alibi occupato, mitto: Ac de manu tabulam. Vale, delicium Musarum ingens, & HELICONIS Parnassiq;: Et salve. Norimbergæ VI. Eid. Nov. cIↄ Iↄc XVII.

Idem Eidem.

REddidit mihi tuas. Quas DD. Siglicio inscripsisti, Lipsiam rectà curavi, soluto comistro, quod misisti. Sanè non exactâ adeò missione mercedulæ opus fuerat, quam solverem tabellario. Neq; enim adsequor satis illa tua verba; *Facio ex causâ hic non commemorandâ longius.* Ignosce, quæso, si unquam gravis fui amico, à quo exegi. Anno uno ultrà mille & bis mille literas non invitus curo, transmitto, ad amicos ab amicis profectas. Pro omnibus, si solvendum sit, non semissis stipendii sufficiat. Tibi, bonis omnibus quotquot bonas amant literas, grata facere in hoc officii genere adlaboro lubens volens. Nisi forte illa verba tua (quò magis inclino) ad maturatum pertineant responsum Lipsiam mittendum Siglicio. Quod si ita est, uti conjicio, nihil queror. D. Richterus jam Augustâ abiit, ni fallor. Officiosus est. Ad eum Patavii agentem scribam, aut Jo. Henr. Meibomium Henrici F. ære meo paret *Mundini Mundinii de Semine librum.*

librum. Hos duos nunc habeo Patavii amicos, quorum opellâ utor, si quid opus sit. Innue verbo & impera liberrimè. Adferri potest libellus seu liber per mercatores, tabellarios &c. in votis erit tibi commodisq; tuis inservire. Gratias verò tibi meritissimo ago maximas, qui nominis mei in Opere tuo Medico mentionem facias. De loco, nihil dubita, DISPICIAM. A D. Nœsslero ad exitum Lips. mercatûs expecto responsum. Curatæ sunt tuæ, & meæ Nœsslero per Quæstorem Electoris Brandeburgici. Nequaquam periisse nostras putem. Hœschelius Augustæ VI. Eid. Octobr. obiit, eodem cum Hier. Wolfio τῷ ὀλβίῳ inclusus sepulcro. Vixit & docuit Hœschelius XXXVII. annos post præceptorem in schola Annæa. Natus autem est Hœschelius S. A. 1556. 5. Eid. Apr. teste Bucholcero vel potius Abr. Sculteto. De Jo. Jac. Grynæi Theologi Basil. morte placidissimâ susurrat fama, incerto auctore. Si quid rescieris, fac communices: Gratum erit nôsse emortualem diem. Natus autem est Cal. Octobribus Anno 1540. quo anno & Jos. Scaliger Jul. Cæs. F. in lucem prodiit. Vale. XVI. Cal. Nov. cIↃ IↃc XVII.

Idem Eidem.

Iterum me dono ornas insigni, V. Excell. & CL. DD. Hofmanne, ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ, quod à dante magnum apud me pondus habet, atq; ut Medicus sit liber, non penitùs horreo τὴν ἰατρικὴν, cum eâ disciplinâ carere non magis possit Resp. quam Sole, quàm igni & aquâ. Favi semper τῶν ἰατρῶν υἱοῖς, quorum incensu Te magnum censeo habeoq;. Meritò. Ita editi à Te libri me docent, voluntq; sentire. Ac Lectiones tuas Varias non sine ingenti voluptate evolvi. Præfationem in Eas D. Siglicio transmittam diligenter. Nescio sanè, quid factum fuerit de illis superioribus literis: Ac suspicor, malam in manum eas præter culpam meam incidisse. Responsum ante nundinas Lipsienses habere facilè licebit. Orationem tuam legam, & lectam redire jubebo. Legi jam CL. Piccarti Διασκέψεων tenebrarum Papanarum; de editione quid ipse velit, non addit. Si typis mandandæ sint, simul omnes conjungendæ. Vos qui perorâstis, quid velitis, constituite. Typographus hunc ægrè suscipiet laborem. D. Herdenio à Te salutem dixi, & donum obtuli. Gratias mecum magnas agit. Quod super est, velim Te, si ita placet, catalogum Bibliothecæ nostræ Augustanæ evolvere, quàm mss. quà typis excusos. Utrumq; mittam, vel alterutrum, si verbo innueris; enotabis verò, quos desideres auctores, eosq; impetrabo, sub cautione de restituendo: Ac ut labore subleves bibliothecarium quærendi libros, adnota, quo pulpito quisq; sit liber; ita enim distinguitur supellex illa libraria. Vale, & me amare pergito strenuè. Norimbergæ. Pridie Elisabethæ, cIↃ IↃc XVII.

Idem Eidem.

NUper rediere, uti spero, ad Te D. Nœssleri literæ. Addidi ad Dn. Saxonium meas. Vix abierant, cum ecce DOMINUS DEUS mihi conjugem meam, obsequentissimam per annos XXII, menses III. dies XIX. vitæ hujus vinculis exsolutam avocat, & ad gaudia cœlestia transfert. VI. Cal. Decembr. id factum. Cum eo die paullò post sextam matutinam è somno evigilâsset, inclamat ter enixis admodum verbis opem meam uxor. Me præstò esse dicebam, & vestibus circumjectis, candelam adcendo, adcurro: Domesticos excito, advoco: Illa de doloribus & tumore capitis vehementer conqueritur. Ego tumorem ullum me videre pernego. At cùm infestaretur angustiis animi, nullum præsentius remedium adferre poteram piis precibus: Ergò vota conjungebamus: Et τὴν κυριακὴν προσευχὴν ardentissimè auspicamur, pergimus: EN apoplectico & epileptico concurrentibus symptomatibus (uti Medicus quem proximum advocabam fidem fecerat) tangitur, urgetur, & sudor frigidissimus tanquam guttæ glaciales & fronte emanant. Adimitur facultas linguæ; imò aurium, & sensuum omnium stupor altissimus inducitur. Ænemate adhibito, nihil profecimus aliud, quam ut materiem vitiosissimam emitteret. AT VIS TANTA MALI, quam natura pharmaco (Aquâ vites & Theriacâ Venetâ aliisq;) adjuta superare nequiit. Quinque horium pugnatur, triumphat Libitina. Hic casus contrà omnem meam expectationem, maximo meo cum luctu adcidit. Ignosces verò mihi, si minus ex arte descripsi agona hunc ignarus rerum medicarum. Sat esto: PIE VIXISSE ac inculpatè: Beatè mortuam extinctamq; placidè ANNAM MARIAM SEELIAM Simmerensem chori mei consortem fidissimam. Superest, ut eidem me adcingam itineri, neq; enim hora certa, Mors plusquam certa est. Agebat illa mea (ah mea quondam!) XLIV. ætatis annum: Diem quæ morte præcesserat, nil mali senserat. Melius me habebat. Nam præter morem horâ sextâ lecto me continueram. Providentiâ singulari id factum arbitror DEI nostri, qui me ventriculi imbecillitate laborare voluerat: Ejusq; causa in geniali thoro me hærere destinarat: Ne absente me in museio, sola esset ac moreretur me nescio, nemine domesticorum præsente. Agnosco divinam bonitatem, sæpius mihi propitiam, & in præsentissimis vitæ periculis liberali manu afferentem: Ac memini me illo ipso die ante hos XXIV. annos (biennio ante nuptias meas) ad Rheni ripas periculosissimo à malo liberatum vindicatumq; divinitus. Laus & honos & gloria τῷ Σωτῆρι Χριστῷ. In hoc omine definam; & à te aliquid solatioli expectabo, tuo commodo. Vale, Vir magne. Saluta Dn. Collegas, VV. CLL. officiosè. Norimbergæ, prid.

prid. Cal. Decembr. qua terræ mandabitur mea (ah mea!) viduum me miserum! cIↄ Iↄc XVII. Saluta matronam tuam.

Idem Eidem.

TE, Vir Exc. Amice ὑπερφίλτατε malè habuisse, nuper significavit nescio quis ἀκροατῶν tuorum, aut certè Amicus communis. Gaudeo Te cum Hygieia in gratiam rediisse: Et opto Tibi hoc solidum totum esse. Curas meas auxit, crede, invaletudo tua: Nunc perfundit me gaudio ingenti reconvalescentia item tua: Cura, valeas, & parciùs lucubrationibus Te da. Rittershusium enecuêre ἀγρυπνίαι, ut omnes dicunt. DD. Richtero scripsi de libellis, quos petebas: Nullum vidi responsum. Dn. Tobias Pontanus coram negotium curabit rectiùs. Ei dabo literas Patavium perferendas, ad Amicos. De oratione tua Jubilæa nihil audio: Non ego Theologicorum censor libellorum: Sunt alii: Juridica quandoque dantur à Scholarchis vel Philologica mihi censenda. Haut verò scio, quanti mea virgula facienda sit. Catalogum Palatinum non memini me videre unquam: Sed Bibliothecæ Vaticanæ atq; Monacensis: Olim utrumq; catalogum Hœschelius ὁ μακαρίτης legendum dederat. Anni sunt XIV. & ampliùs. Gruterus, quæ pollicitus est exemplaria Galeni mscr. submittet. Vir est priscæ fidei, candoris nivei pectus gerit: apertâ fronte promit, quæ premit intus. Vale, Virorum optume, ac dulce decus meum. Norimberg. die τοῦ εὐαγγέλματος, cIↄ Iↄc XVIII.

Idem Eidem.

REdeunt ad Te, libelli duo Dornaviani, quos superiore hebdomade ad me miseras pro quorum usu gratias Tibi ago magnas. Felici fato Mezeradius finiit. Eheu! Tragicum spectaculum Friderici Baronis Teuffenbachii Oenipontc! Audisti, opinor, capite plexum heroem fortissimum, quòd arma contrà Cæsarem tulerit, Niclasburgum oppugnârit in Moravia. Cùm enim superiori anno ad thermas Faberianas seu Favianas (Pfeffersbad) in Rhætia prima sitas adiisset, valetudinis causâ curandæ, ab Austriacis exploratoribus interceptus, & & Oenipontem deductus fuit captivus. Nuperrimè $\frac{17}{27}$. vel $\frac{18}{28}$. Maji in theatrum productus publicum, decollatum est, cùm Evangelicam religionem Orthodoxam constantissimè profiteretur. Hîc finis, hæc meta Viri. Jam quid de L. capitibus Pragæ in diversis carceribus detentis futurum sit, brevi audiemus. Sententiæ capitales jamjam conceptæ sunt. Clementiam exerceat exeratq; Cæsar, & æternâ laude mactabitur. Comitia Ratisponæ indicta Septemviralia Pragam transferentur, ut opinio est; Sed incertum adhuc. Vale, vale, & DEUM

exoremus, ut mitiora det tempora! M. Petrus Fradelius (ita Doct. Casp. Cunradus ad me Breslâ retulit) $\frac{3}{13}$. Maji diem obiit Breslæ, quò venerat miser, extorris, exspoliatus bonis, quæ Pragæ occupârunt Josuitæ. Et hoc addo, M. Ehingerum omnes recepisse libros è Bibliotheca Augustana Tibi submissos. Iterum vale, DD. Hofmanne, & mihi amorem perenna tuum. Norimbergæ prid. Dominic. Trinitat. cIↄ Iↄc XXI.

Joh. Weitzius Eidem.

VIs, Hofmanne, tibi me scribere? nulla sed offert
Se mihi materies judicio apta tuo.
Cur ergò vanis aures tibi radere nugis,
Obstrepere insulsô curvè tenore velim?
Absit ut in nihili re perdam verba, dolorem
Quæ pariant oculis, pondere cassa suo.
Ecquid enim scribam? nostris quod ferrea in oris
Martis progenies, cuncta ferè atteruit.
Exhausit loculos, spoliavit scrinia, cellas
Deplevit? verùm hæc nota sat antè tibi.
A calamo Generi; Tibi quem minimissima quæq;,
Ceu decet hoc ipsum, scribere non dubito.
Post truculenta famem, scribam, quod pestis in omnes
Grassetur passim? hæc nota sat antè tibi.
A Generi calamô. Nil ergò scribere possum,
Quam SALVE atq; VALE! scribo ita, credo, satis.

Gothæ αὐτοσχεδίως scribam XV. Octobr. A. 1635.

Idem Eidem.

INtimis commotus fui sensibus in conspectâ tuâ manu, Clariss. D. Adfinis; & credas mihi velim, sæpius in eô fui, ut literis ad Te meis inviserem; Sed rejecit semper & impediit turbo ex transverso aliquis, quod apud nos nimis quam crebrum, qui tantum non miseriarum theatrum sumus, & undiquâque Harpyjarum expositi ungulis. Et quam nobis Jrenen vicina nobis Norimberga, dabit aut excludet? Lenta ibi omnia & ἡσύχῳ ποδὶ eunt aut procedunt consilia, quæ nimis diu nos κεχηνότας suspensos habent. Interim ὑπέρτερα νέρτερα hostili manu redduntur. Sed ad tuas. Depingi curavi, quæ volebas. Agnus cum vexillo ecquod κρύφιον, ecquod draco habeat; ego cum ignarissimis scio, cum nuspiam eâ de re quicquàm legerim, & nostrates, qui jam rerum potiuntur, & ad clavum Reip.

Reip. ſedent, alto ſilentio talia involuta, omninò inſuper-habent, & ne hili æſtimant aut pili. Unde ergò eruam iſto oculta? Simus contenti illis, quæ utriq; vides ſuperſcripta. A Lindemanni filio nihil extorquere queo blanditiis & precibus, dum ſemper prætendit, avi ſunt Majeſtatum nullibi apparére aut inveniri. Et ſic fallitur augurió ſpes bona ſæpè ſuo. Vides igitur quid poſſim, imò quid non poſſim. Pro transmiſſâ icunculâ tuâ gratas tibi grates dico. Ita nempe oculis uſurpare quotidiè poſſum, quem tot annos ſaltim animo. Vive, vive, mi adfinis optime, noſtri non immemor!

> - - σέθεν οὐκ ἐπιλήσομαι, ὄφρ' ἂν ἔγωγε
> ζωοῖσιν μετέω, καὶ μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ.

Clar. Viro, Dn. Tydæo, veteri amico, multam per te eamq; officioſam dico ſalutem. Gothæ feriâ Pentecoſtes primâ. A. 1640.

Idem Eidem.

CLariſſime Dn. Adfinis, & Amice honoratiſſime! In nuperis non licebat quidquam ad Te mittere mearum exercitationum: Quas, ut confido, felicioribus jam accipies avibus. Eisdem ſi oculos adjeceris tuos, ἀκριβολογίαν velim ſeponas, & noris, nos noſtris, pro opibus facere mœnia. Parvæ aviculæ minutos habent nidulos. Vixit apud Vos aliquot ante annos Phil. Carolus, vir in omni Philologiâ exercitatiſſimus; qui ubi locorum jam vitam ducat ſuam, gratum erit, ſi per te ſciero. Dum autem vobiscum fuit, plurima ſe arcana foras daturum promiſit: Sed egregiè hactenus ſpes plurimorum cludit. Virdungus autem ὁ μακαρίτης duas invulgavit orationes, quarum prior cauſas caritatis annonæ; poſterior remedia expoſuit, apud vos habitas A. 1614. & 1624. ut vidi in Digeſtis pietatis Ampliſſimi Dn. Veſtri Richteri. Illas ſi per te impetrare poſſem, animo libenti ſumtus refunderem. Quæſo illas mihi cures. In Salviano antehac Clar. Rittershuſio ſubſidiariam præſtiti operam: & quia, alterius indicio, meæ notæ & obſervationes D. Rittershuſii commentario ſunt adjunctæ; Ampliſſ. Dn. D. Nicolaus, P. P. apud vos Excell. quem peramanter per te ſaluto, ex merito mihi debet exemplum, quod ex facili ab eodem indipiſci poteris. Aliàs nihil apud nos novi niſi quod hodiè exſequias ſumus ituri Dn. Joh. Lindemanno juniori Cantoris olim noſtri filio. Ita veteres paulatim migrant coloni: Inq; brevi ſpatio mutantur ſæcla animantum,

> *Et quaſi curſores vitai lampada tradunt.* Lucret. l. v. 77.

Tu Virorum optime, & amice indulgentiſſime, vive ac vale diu, ô diu! Gothæ 6. Auguſti. A. 1640.

Idem Eidem.

EXcellentissime Dn. Adfinis! Cum vix tuas accepissem, è vestigio Kolhansium conveni, inclusas obtuli,& de Nepti tuâ cum eodem verba copulavi, ex quo ipso jam quoq; intelliges, quid cum filiolâ faciendum. Sed quid? an & tuus ignis non est sine fumo, nec fama sine osoribus? Scilicet hic mos est horum, Undanck in fine laborum. Cùm fecerimus omnia, tandem mundi gratiam reportamus. Et quid speremus de posteritate? fortasse an illa, si qua tamen est futura, majorem rependet nostris laboribus applausum, quàm, qui nunc sunt homines facere aut dare, habent in more positum. Doleo ob morbum tuum; quem tu tamen moderato sustinebis animo, eiq; curâ quoq; tuâ occurres, pro virili. Valerium Flaccum ante aliquot annos in lucem Lipsienses ediderunt, cujus desidero effigiem. Quæso te, si Patavium literas exaraveris, utrum illam exinde habere & nansci sci queas, tenta. Novi enim magnos istis in locis habere te amicos, à quibus ex facili tale quid impetrabis. Friderici Syncopii matercula avidè admodum desiderat scire, utrum ille adhuc vobiscum degat; si nosti, ubi gentium se teneat, ne quæso grave sit vel tribus significare mihi verbis. Quotiescunq; enim me videt, sollicitè de filio quærit, & de ejus salute est anxia. Qui has ad Te perfert, Cos. nostri filius est, Johannis Meusmanni, cujus pater Volcmarus, proculdubio in recenti tibi est memoriâ adhuc. Et quia nemini vestratium est notus, sicubi consilio adjuvare ipsum potes, ut de tolerabili mensæ & victus ratione eidem prospiciatur, ne te pigeat eidem te dare, & vel digito monstrare, quæ via ineunda. Dn. Ruperto per te amicam dico salutem, eiq; iterum de Oratiunculis Phil. Caroli vello auriculam, alibi compensabo, si quid impetravero. Sed ignosce garritui, salve ac senus salvusq; adhuc longum vive atq; vale, mi exoptatissime Adfinis! Gothæ. 19 Junii. A. 1641.

Idem Eidem.

REdit ergò ad vos Lempius, Clar. Dn. Adfinis, post tot morarum ambages, quibus fuit, præter suam culpam, detentus. Nam negotium novercale Isennaci res intricata est; eoq; ita, abiit Kolhansius, ut illam faciat expeditam: Neq; dum rediit, dum hæc scribo. Versiculos tibi mitto, pro ut jubebas; utrum scopum tetigerim, tui esto judicii, Enterus Noribergensis Bibliopola ad nos venit; homo est, ut novisti, ad rem attentus nimium. Cæterùm diligenter inquiro, utrum expiscari quippiam possim de Johniis; vidua Gothardi nuper abiit ad plures, & cum genero ejusdem egi; si quid forte in monumentis & cistis invenietur, dabo operam, ut ad tuas perveniat illud manus; & jam per Lempium

pium mitto membranam, quæ ante C. annos, & quod excurrit, fundationem conceptam continet; si ulterius eruere alicunde quid potero, non deparcam operæ, ut particeps illius fias. Si quid desideras meis in versiculis, fac ut sciam, & limam adhibebo. Dn. Rupertum, virum doctissimum, per te saluto; rogoq; ut si quid habetis, Philologica vel Historica qui concernit, me ejus consortem faciatis. Vive, Valeq; atq; garritui huic da veniam. Gothæ 3. Julii, A. 1641.

Idem Eidem.

CLarissime & Amplissime Dn. Adfinis! Pudet tàm serò ad te meas perferri literas. Sed culpam unicè in viarum intuta possum rejicere, quas ubiq; locorum insidet Bellonæ turba aut colluvies. Utinam Pax constans sodalitium istud turpe nostris ex oris, imò totâ Europâ eliminaret! Ratisbonæ nimis quàm lentè pacis tractatur opus aut negotium, atq; in stabiliendâ amnistiâ admodùm dubiè heretur. Perimus, nisi quid adjuvet supera illa manus. Turbatur undiq; gentium & tantùm - non invertitur hic orbis rerum. Quàm stupenda de * * audimus! quid * * dico? Rebellionis istud telum noxium in Germaniæ nostræ visceribus hæret, nec quidquam malorum videmus, aut vidimus, quod non ab hâc scaturigine diffusum. ἀλλὰ ταῦτα Θεῷ μελήσει. In obitum nostri Kernii paucos transmitto versiculos, quibus quid facias, tui est arbitrii. Ruperto vestro auriculam vello de Caroli Orationibus, quas de fame publicavit, itemq; de Solœcismis. Saluta quæso nomine ipsum meo, & jube, sed blandè, ut voto meo satisfaciat. Sed audi, quod nunquam fortasse quisquam credidisset. Princeps noster, Dn. Ernestus, Schleusingâ huc Typographiam traduxit; cujus præfectus Petrus Schmidius paucos ante dies cum familiâ appulit. O mirum! Triumphet Gotha ob tantum hoc bonum! In adjunctâ Gotharti Jonii vitæ recensione invenies, quod antehàc nec ego legi, nec audivi. An tute ipse, dubius equidem sum. Schedam verò tibi illam transmitto, quemadmodum ab ipsô accepi Concionatore. Tu cum tuis à me salve Virorum Optime, atq; ubi videris M. Tydeum, ipsum quoq; saluta. Vale ac Vive! Gothæ VI. Martii A. cIↃ IↃc XLI.

Idem Eidem.

AMplissime Domine Adfinis! Vidua Valentini Kernii, qui frater tui generi fuit, filium suum Joh. Christoph. ad vos missura est, si tolerabili modò sumptu apud vos se sustentare possit ille. Matris igitur rogatu ad te scribo, ut quamprimùm me certiorem facias, quid tui consilii sit, & quî res aggredienda. Responsum itaq; matura, & simul significes velim Clariss. Dn. Ruperto præmissâ officiosâ Salute, me fasciculum ipsius rectè curatum accepisse, cum literis ad Kolhan-

Kolhansium adjunctis. Proximâ quaq; occasione literas ipsemet ad Dn. Rupertum dabo, & pro Carolinis opusculis gratias agam. Quid amplius? Mantua væ! miseræ nimium vicina Cremonæ! Ita Thuringia fit Martis funesti Orchestra. Nisi DEUS ἀπὸ μηχανῆς succurrerit, periimus, & factum de nostris est. Beatos verò vos, qui ἔξω τῶν μελῶν nunc agitis. Pacem Spiritum habuimus in ore, & suspiriis intimis poposcimus; & ecce in medios Thuringia ignes incidit, quos qui sopire queat, hominem videmus neminem. Meliora tamen speramus indies. Tu Virorum summe, & mihi Carissime, in his turbis benè age, & tibi viridem senectam det ille, qui in manibus sortes nostras gerit. Vale cum tuis omnibus! Gothæ festinanter VI. Novemb. Cum vix ex plumis me proripuissem, 1641.

Idem Eidem.

AMplissime & Venerande Domine Adfinis! Vidua Val. Kernii, adfinis olim nostri, ad vos missura est filium suum Joh. Christoph. si modò tolerabili pretiô victum adipisci poterit. Confugit igitur ad Tuam Excellentiam, & consiliô tuô id, quicquid hujus agitur, fieri & suscipere vult; rogatq;, & ego cum illâ, ut si grave non est, brevibus animi tui sententiam exponas & declares. Si honestum famulitium apud Nobilem, aut alios bonæ notæ studiosos impetrare & habere sustentationem posset; gratissimum hoc matri accideret, si modò interim filius literis vacare & operari Musis quibit, neq; ab earum complexu multis impedimentis avelletur. Juva itaq;, mi Optime Dn. Adfinis consiliô nos tuô, & quid agendum vel tribus significa. Probus est adolescens Joh. Christophorus, & studiis libentiùs adhæret, quàm nugis ac levitatibus aliis indulget. Superiore æstate certas ob causas Oetingam ipsum mittebamus, sed re infectâ, ab Adfine itidem nostrô Nicolao ab Helfant ad nos remissus fuit. Ita sæpiùs optimè cogitata seciùs cadunt, quàm speramus. Fallitur augurio spes bona sæpè suo. Multa & præclara habent heredes Helfantii expectanda, & postulanda Sultzbachii in Palatinatu, & Weissenburgii, quod à Coronâ habet nomen: Sed in his rerum omnium ruinis ne obolum quidem impetrare possunt. Itaq; nunc utendum navigatione secundâ, cum prior non succedat, & spes omnis decollet. Tu mi Adfinis, asylum nunc es, ad quod decurrimus; Fac, quæso, ut transferri ad vos, tanquam ex naufragio ad portum tuus Cliens possit. Meritò enim Tuum nomino, cum unicè abs te subsidium petat, & auxilium. Quod ut impetret, & inveniat, majorem in modum peto. Salve ac Vale, Musarum Delicium, sed & nostrum! Præproperanter. Gothæ XV. Jan. A. cIↃ IↃc XLII. quem ut feliciter decurras cum Tuis, animitùs opto, voveoq;.

Idem

Idem Eidem.

MEnsibus exactis, orbis quos circinat, anni;
HOFMANNE, Altdorfii gloria, noster amor:
Ex animô factum tibi velle & fausta vovere,
Ardor me Cœli fusus ab arce jubet.
Nam mihi sic in te est ignita medulla profundè,
Candor ut hic speret posse placere tibi.
Hactenùs alterni verùm nil scripsimus. At sic,
Me nisi mens fallit, mutuus arsit amor.
Ergo tuos deinceps me inter numerabis amicos,
Quos bene-complecti rite-volentia avet.
Bis duo lustra mihi fluxerunt, primitus ex quô
Te licuit patriâ cernere in urbe mihi.
Auspice quod factum VVeidâ, fabri in æde Brilani,
Qui tibi nescio quô junctus amore fuit.
Hinc defixa meô tua gesta nomina Corde;
Inq; meô vivit pectore imago tua.
Hinc simul impulsus tàm longa silentia rumpo.
Quod faustum Sanctus cum Filiô esse velit!
Quodq; trias Charitum bene vertat & inclita Pallas,
Te præ eo hôc scriptô, sit tibi velle sequi.

Gothæ XXVII. Decemb. Anni 1615.

Clarissimos & Præstantissimos Dominos Collegas Tuos, Dn. M. Piccartum, amicum λιμαλοφίλων, & Dn. Virdungum officiosè salutes à me velim per occasionem. Aliquoties me ingenii tui fœtibus beâsti; Gratus sum, & paria faciam σὺν Θεῷ brevi.

Idem Eidem.

VIR Clarissime. Ab illo usq; temporis articulô, quo tuas sane quàm jucundas, accepi, præ mœrore adeò miser atq; ægritudine consenus. Non enim filiola tantùm excessit è vita, sed etiam Sophia, thori fortunæq; consors longè suavissima, extremum vitæ diem morte confecit, & postremum mihi Vale dixit. Verùm postquam satis jam dolui ex animo, & curâ me sat & lacrimis maceravi, omittere deinceps tristitiam libet, atq; expuere ex animo miseriam. Nam fidem dedi rursùs Virgini primariæ, omniq; Virtutum genere florentissimæ, ANNÆ, Dn. Christophori ab Helfant, Senatoris & patricii quondam Erfordiani,

relictæ filiæ. Cum quâ cum nuptias ad XX. Januarii, anni instantis hic sim, DEO benè fortunante, celebraturus; ad easdem Tuam præstantiam quoque, tanquam singularem fautorem, solenniter invito; mirum in modum rogans, ut si per occupationes licet & tædium viæ tolerare non piget, hîc in patria Te nobis sistas præsentem, & festivitatem meam nuptialem splendore tuo exornare ne graveris. Habiturus me ad alia quæq; es omni tempore, donec in hoc aliquis corpore sanguis erit, sine exceptione quam paratissimum. Interim cum Dn. M. Piccarto, molestum tibi ne sit oro, nostro honori accinere hymenæum, eundemq; ut primum transmittere Dn. Hœflichio. Sic benè vale & diu vive patriæ tuæ insigne ornamentum, ut & Academiæ, in qua luces θακτὸς ὡς φωσφόρος ἄςροις ἐν ἄλλοις. Gothæ die Andreæ Anno cIↃ IↃcXVI.

Idem Eidem.

DIu tibi, Cl. Hofmanne, responsum debeo: Et quid esse me hominis putas, qui benignè provocanti me tibi non stiterim? Ecce, me sisto & culpæ veniam precor; si tamen culpa dicenda est, cum quis occupatissimo obstrepere inanibus verecundatur literis. Et quid aliud, quæso hæ ipsæ erunt? nullâ rerum scitu dignarum fruge obsitæ. Ne tamen planè steriles sint, Epaminondam secum apportant, at quanti momenti bellatorem ac ducem? Alaudam etiam intimam tibi, gratum nostrorum palatis autumni hoc tempore nomen, sed verno auribus. Quæso nugalibus hisce ineptiis ne succenseas, cum legere dignatus fueris. Nôsti Plautinum illud: Nos pro nostris opibus facimus mœnia. Ceterâ, fractis remis nunc discimus currere. Monetariorum & dardanariorum sive collybistarum fraudibus tantum non emedullati deruncinatiq; ita sumus, ut lixæ, calonesq; & ultimi trahariorum opulentati in rerum omnium vivant abundantiâ, nos in ultimâ stemus salutis tegulâ. Et nisi imminuatur monetæ valor, quî nos sustentemus, vix dispicio; adeò etiamnunc verat tritum illud: Macilentos esse & famelicos oportet homines de scholâ. Expectamus edictum publicum nostri Principis, ut decedat monetarum valori aliquid; verum dum consultatur, Saguntum evertitur. Interim πλεονεξία primas fert & disturbat omnia aut potius absumit,

Scylla vorax, rapis & cupis & capis & trahis ad te,
Gurges & altior, arca voracior, alta lacuna,
Insociabilis, insatiabilis omnibus una.

Si vos ubertas & pax aurea cum Pluto benignis adspicit oculis & arridet, gratulor vobis de tantis bonis: Nos speramus meliora, quæ solus ille dare potest, qui cuncta potest; cui Te, Vir Cl. commendo cum Tuis. Ignosce garritui inepto. Gothæ VIII. Septembr. Anno cIↃ IↃcXXII.

Idem Eidem.

UT animus gestiit, excurrere ad vos & oculis arbitrari ea, quorum σκιαγραφίαν delineabas tuis mihi literis: Sed quî corpus hoc tanto æstui ferendo sit, & non morbum incidat? Ante decennium cum circà hoc tempus abiissem Coburgum, inter viam febri infestabar, ardore infestissimâ; quâ vires ita fractæ & prostratæ sunt, ut reliquias videar mihi adhuc circumferre. Itaq; quia isti occasioni tempus sese jam subduxit, nunquam ædepol quadrigis albis indipiscar posteà. Sed tamen gratas grates tibi dico pro tàm humanâ & benevolâ invitatione; cujus non oblivíscar, dum spiritus hos reget artus. Glaseri, quondam collegæ nostri, filius has tibi tradet; & hac spe atq; πληροφορίᾳ vos adit, an forte invenire conditionem commodam aut pædagogiam nancisci queat, vel si hæc spes decollat, famulitium honestum. Quæso te, si potes & facultas est in manibus, vel parentis causâ ipsi ne desis! Ita, spero, se geret, ut Spartam ornet & virorum bonorum expectationi respondeat. Novi nihil habeo, de quo potissimum scribam; Nisi quod Annibal ad portas nostras fuerit. Eichsfeldia flammis absumitur, & miselli incolæ & accolæ ad incitas extremosq; terminos paupertatis rediguntur; res aufertur cum pulvisculo ac diripiuntur omnia. Quis anno superiore hoc persuadere sibi potuisset, istum angulum Martis orchestram futurum? Deus misereatur nostri, & molem belli devolvat in gentes, quæ bella volunt & Martem spirant! sed, quod penè exciderat & animo effluxerat, Carmen transmisi D. REMO, quo expressi affectum meum ad vos excurrendi; quod videbis ubi cum vestris εὐφημίαις adspexerit lucem. Plura nequeo; jam enim avocor, ut unà cum Tobia Flemmingo sponsam Denstadio adducam Dn. Georgio Breithauptio, Syndico nostro, qui aliquandiu in vestra vixit Academia, & tibi notus est. Benè vale, ac longum vive, ὦ γενναία κεφαλή? Gothæ celeri calamo XX. Julii Anno 1623.

Idem Eidem.

UT nusquam tuta fides! Nam ecce ante septimanas sex; ni animo fallor, tabellarius nostrâs ad vestri Scabinatus Synedrion à nostro Præfecto Kolhansio fuit amandatus & octo thaleris munitus, quas tibi solveret: At quid accidit; quod abominamur. Nebulo enim iste se cum pecuniâ ἄφαντος γενόμενος, nescio quo proripuit & subduxit; atq; ita quasi lares hiantes, nos spe nostrâ frustratus insigniter fuit. O impostorem sceleratum! Et ideò de hoc manticulatore te facio certiorem, ut literas tuas, si quas eidem fortasse commisisti, in Morboniam cum talis modi transfuga abiisse scias. Subditi N. rapinis & expilatio-

pilationibus ὅλως expositi sunt, eaq; ab impio sustinere coguntur milite, quæ vix in Scytharum solitudine paterentur. DEUS hos vultures cispellat à nostris cervicibus, & Germaniam tranquillò in statu rursus collocet! Eidem TE unà cum tuis etiam atque etiam commendo. Salve age & longum vive. Gothæ XXI. Octobr. Anno cIↃIↃcXXIII.

Ignosce festinationi; scripsi enim inter garritum cum tabellario.

Idem Eidem.

CArmen hoc qualequale anno ad Te superiore miseram cum aliis nonnullis ineptiis nugalibus; sed cum latore suo perierunt hæc & illud. Utinam & illi, qui misellum vitâ spoliârunt & in foveam dederunt præcipitem! Epigrammation autem hoc, si placet Galeno inserere tuo poteris; sin displicet, eat quò Volusii Annales. Mitto notas ad Theocriti Eidyllion quoddam, quæ si ad gustum sunt aut salivam movent, gratulabor mihi. Laborem ad singula Idyllia ante aliquot annos similem absolvi, sed delitescere adhuc cogitur & sese continere intrà musei cancellos sive angustias. Heri tristem hîc casum conspeximus. Caminarius, dum favillaceam futiginem in ædibus nostri Præfecti expurgat, ebrietate, ut ajunt, & temeritate impulsus è fumario in fastigium se domus dedit; sed actutum in terram excussus tanto cum impetu fuit ad ædes usq;, quæ ab Oviculâ nomen habent; ut, cum preces vespertinæ essent visitandæ, ipsum mactræ impositum habuerim obvium; & adhuc heri circà quintam efflavit animam, & dum hæc scribo, terræ demandatur. Hassia nostra vicina adhuc molestatur suis Harpyiis, quæ incolas omnes miserum in modum exsugunt, contactuq; fœdo omnia conspurcant. Qui Tragœdiæ hujus futurus sit exitus, patefaciet tempus. D. Virdungum, virum doctissimum, officiosè à me quæso saluta, ut & D. D. Rittershusium. Vive ac benè vale. Gothæ præpropero calamo XIX. Sept. 1624.

Idem Eidem.

ANno ulterius in Sigeô fui, & responsum tibi debeo. At ignosce, & benignè interpretare silentium, cujus sonticas en tibi causas. Anni superioris autumno tempestas morbi contagiosi ac pestiferæ luis iterum urbem nostram infestabat, ut pænè piguerit calamo admovere digitos; adeò in squalore & luctû eramus. Amisimus tunc par Diaconorum, M. Joh. Kempfium & M. Justinum Sorgium: Et ita nostrum Ministerium gemino fuit ictu concussum. Scholæ nostræ alveoli planè erant disjecti & dissipati, neq; florem adhuc pristinum recuperavit. Ver hujus anni & æstatem militum, quid militum? Harpyiarum

transitus

transitus adeò nobis funestârunt, ut vix tutò extrà portas efferre pedes licuerit. O calamitates! ô malorum maria! Interim amorem tui & memoriam nunquam remisi. Absit! In ore mihi crebro Hofmannus, in pectore semper: Quem amavi, etsi non scripsi. Intereà temporis mœstissimi quoq; nuncii excepi ictum: REMUM, illum meum, illum tuum, illum omnium occidisse; amorem & delicium hactenus meum, tuum, omnium: Nunc mœrorem. Ingens vulnus meo inflictum animo est, viri hujus repentino obitu. Sed quid? Etiam hic Phœnix natus est pati, natus mori. Inscripseram illi, en hîc Exemplar habes, Commentariolum meum in Horatii Oden de laudibus vitæ rusticæ; sed antequam fœtus hic lucem adspicere cœpit, ille desiit; itaq; nunc est sine Levano. Τῷ μακαρίτῃ Camerario, Academiæ vestræ Cancellario, parentavimus: Sed an illa sive epicedia sive lessi fuerint vulgati, me fugit. Si publici sunt facti juris, abs Te exemplum expectabo. Remus omninò dignus est, quem postuma fama celebret: Innue modò & justa viro magno faciemus. Jam ad vos iter instituit Christophorus Kernius, Medicinæ Studiosus, Adfinis meus; cui ego potissimum auctor fui, ut ad Te abiret, promotionem certam ipsi non defuturam, omnimodè persuasus. Majorem itaq; in modum rogo, ut quia πτωχίαν habet ἀδελφὴν, velis eidem de commodâ aliquâ occasione prospicere, vel vobiscum; vel Norimbergæ Collegio Medico ipsum commendare. Addiscere & profectum sive progressum facere, animus est; itaq; Medico alicui celebri inservire promtus paratusq; est; & de alacritate ejus nullus planè dubitare debes. Fac periculum; & plura invenies, quàm ego vel sexcentis elogiis tibi insinuavero.

Quanta vales, scio, multa vales, spe divite pauper
Hactenus hoc sensit plurimus, Huic fer opem!

Si rescripturus es, literas mitte Coburgum ad Cameræ Secretarium Stephan. Cornarium, vel ad D. Eichornium. Benè in Domino vale, ac vive, rerum hac rutubâ quàm rectissimè. Gothæ calamò celeri XVIII. Septembr. 1626.

Vincentius Valentinus Eidem.

CUm ex scriptis tuis, vir eruditissime, omniq; amore & laude dignissime, voluptatem eumq; fructum percipio, ut, quasi sint jejuni & in explebilis animi cibus, cogar ea semper in manibus habere, semper perdius pernoxq; legere, & volutare, quod verò responsum protinus non dederim, ut futurum tuæ literæ præsagiebant, id non tàm quibusdam scribendi muneribus mihi illa eadem horâ, qua illæ redditæ sunt, injunctis adscribendum est, quam sedentario cuidam ingenio, & inscribendo prorsus veternoso, mirum enim dictu est, quàm soleam ego difficulter, cû alioquin in reliquis pigerrimus non sim, ad literarum explenda

officia excitari, hoc morbo ipse laboro, alii alio quilibet ex utero matris, ut credo, quasdam exportat animi ægritudines, quibus neq; Menecrates, neq; Apollonius, neq; Asclepiades medicinam faciant, sunt namq;, ut Euripidis dictum de mulieribus usurpem, τὰ ἀναγκαῖα κακά. Quid sentis (inquies) de usu illo lienis? Ego equidem alias senseram lienem conceptaculum esse, in quo sanguis crassior, & impurior, qui non exugatur peculiariter à liene, ut voluit Gal., sed, ceu placuit summo naturæ genio Arist., ad infernas omnes corporis partes alendas divaricetur, diligentiori quadam ratione elaboratus fieret proxima spirituum materies, idq; duo potissimum persuadebant, alterum, quod lien viscus est plurimis, iisq; amplissimis arteriis donatum, alterum, quod nullam poteram aliam invenire viam, qua sanguis ad sinistrum cordis ventriculum deduceretur. Nunc verò opinionem meam labefactari, sententiamq; arbitrantium lienem & ipsum esse sanguinis officinam firmis admodum conjecturis inniti ex tuis thesibus intelligo, quas si commentariis ut coràm dixisti, illustraveris, mihiq; fusius expositas legendas tradideris, facilimum factu erit, ut inveterata sententia deposita tuis partibus, licet alioquin meis opinionibus soleam pertinaciter adhærere, subscribam. Sed jam epistola, ne suâ garrulitate tibi obstrepat, exitum quærit. Reliquum est, ut te etiam atq; etiam orem me, ut cœpisti, ames, mutuaq; hæc amicitiæ studia, cum per graviora licuerit, fovere ne graveris futurum recipiens me memini unquam in te amando atq; colendo concessurum. Vale, bonarum artium decus ac columen. Datum X. Cal. Febr. 1614.

Theodorus Golston Eidem.

Commentarium vestrum de thorace, mirificæ doctrinæ atq; elegantiæ plenissimum accepi, ex quo intelligo, quantum excellentiæ & beneficentiæ vestræ debeamus nos atq; universa hominum gens, qui tàm tumultuoso & infelici seculo Philosophiæ atq; Anatomiæ studia ne intercidant, curâsti sedulò; nec minori industriâ, quò Galenus ex squalidissimo sepulcri situ resurgat, operam das. Quò mihi gratiores accidere literæ vestræ, quibus, dum Te & conquisitionem voluminum jam editorum, & cotidianam mscr. inquisitionem fecisse audio, lætor admodum, in uno eodemq; curriculo utrumq; nostrûm desudâsse. In quo, ut ad calcem citiùs pervehamur, quousq; provectus ipse sim, enarrabo: Neq; diffitebor, mihi quoq; inpromtu esse opera auctoris tàm integra, quam per partes edita, quà Græca quà Latina, quæ per annos suprà 20. corrogare potuit vel labor vel sumtus meus. Quin & ex MSS. nonnullis Britannicis, ex adnotationibus Jo. Caji & aliis, quorum catalogum inclusum accipies) excerpsi omnia quæ visa sunt, atq; in quinq; lib. chartaceos eo ordine digessi, ut singulæ notæ transscriptæ singulis

singulis paginis lineisq; Basileensis editionis ubiq; respondeant. Quorum omnium subsidio & meo quoq; labore, ad Lalamentii specimen atq; exemplar addito, castigati mihi sunt aliquot auctoris libelli, præsertim ii qui habentur Tomo 3. Tractatus Galeni IV. vel V. qui quod pueris Grammatical. usui sunt, facilius venum exponi queant, quia præ ceteris meo labore correctiores essent, decrevi in lucem edere, sed chalcographorum nostrorum sumtuosi typi & artes aliæ (nôsti cetera) moræ fuere, una jam spes in Francofurtensibus typographis, vel Parisianis. Quanquam illi ex se ipsis editionem Gallicanam (quò deterreantur Germani) jamdiu minati sunt; cujus tamen nisi unicam pagellam, seu operis promissi titulum non parturierunt: Quibus Juno Lucina fer opem. Utinam Salmuriensis illius Medici exequiæ, seu reliquiæ sacræ quæcunq;, ne dissipentur; quò minus miracula (si ad nos pervenerint) in editione nostrâ futura possint edere. Rogatu vestro conveni Seresium (qui apud nos in vivis est) nec dum de illo Caji opusculo (quod maximè desideravi) factus sum certior. De lib. Galeni non extantibus titulum habet Cajus in versione suâ libelli de lib. Propriis, impress. Lovanii 1556: Qui quatenus ad eum, quem quæris tractatum pertinere possit, nescio. Sed breviter, ut quod omnium caput est, complectar; cogitamus editionem. Ejus quoq; satagunt Galli. Accingunt se medici, flagitant bibliopolæ. Quo quisq; consilio, viderit vel utilitas, vel religiosorum factio, vel facultatis Jatricæ decus. Dn. Charterius Gallus, qui nuper Reginæ nostræ Archiater fuit, ad meas ædes ante annum venit. Quid ego in hac re præstare possem cum rescisceret, conventum est illicò. Promisit mihi adnotationes, quas plurimas è mscr. unde unde corrogatas ostendit. Summam negotii meo arbitratu futuram. Quid, inquam, Domine? An religionis partes, an typographorum commodum in mora est? Galenum herclè resuscitari, medicorum religio esse debet. Id in Germania, an in Gallia fiat, quid quæso interest? an etiam in mediâ Turciâ? Jungamus medici ubicunq, terrarum amicas manus. Quibus cùm ille alacriter annuisset, me tunc absente, proh dolor, vir amicissimus, subitaneo Regis nostri jussu, unà cum suis mscr. in Galliam reversus est. Nunc quanquam insensissimis animis dissideant principes nostri, pax tamen, quæ subditorum opinionibus hæret, annuente numine, reducet hæc studia nostra in pristinam viam. Sin minus, aliquà dabitur saltem, Gallicanas illas adnot. (quæ unæ vobis desunt) à Medici illius bonitate recuperare. Quod si ex animi sententia evenerit, enitar, quantum per corporis infirmitatem licebit, quæ mihi adhuc inchoata atq; immatura sunt, per ocium reconcinnare atq; ad umbilicum perducere: Ut quamprimum deferbuerit hinc inde armorum æstus (qui nobis pecunias in belli subsidia cotidiè detrahit, atq; apud vos (doleo dicere) tutum quidpiam

piam cogitare patitur) tùm demum castigationes, lucubrationes, & quicquid manu exaratum fuerit, alter alteri, amoto omni periculo atq; impedimento communicemus. Interim quod meum est, apud DEUM opt. max. perpetuis contendam precibus, ut Felicitatis tuæ perpetuitate & Musas & Musarum alumnos felicissimos dignetur facere: Inter quos nemo est (mihi crede) qui te magis colat, aut benevolentiam tuam vehementius expetat, quàm qui semper erit Londini, in *Creede* Amplitud. observantiss. &c. *Jane*, 16. Cal. Sept. 1627.

Renatus Charterius Eidem.

TUas pergrato animo literas accepimus (V. Cl.) quibus omnia Gal. opera ab omnibus mendis ac erroribus expurgata variis annotationibus & enarrationibus locupletata, Scholiis & commentariis illustrata, legitimisq; interpretationibus explicata, Græcis Latinisq; typis à te in publicam utilitatem divulganda polliceris. Sciscitaris verò utrum ad eorum operum editionem moliendam ac illustrandam me meus etiam convolvat foveatq; Genius; qui si fortassis me prorsus ab eo munere avocaverit, quicquid à me emendatum, annotatum, interpretatum atq; additum fuerit, id tibi quamprimum mitti expostulas. Fateor equidem illud editionis munus à me jampridem susceptum, cùm propter meam in Angliam peregrinationem, tùm propter aulicam functionem biennium si non depositum, saltem intermissum fuisse. Jam verò Rege Christianissimo tertianâ duplici, quæ me per aliquot menses munus medicum obeuntem detinuit, Dei gratia liberato, libertatis meæ amplitudine fruens, me omnia quæ extant Hippocratis & Galeni opera secundum distinctas medicinæ partes à Sylvio Medico divisa, & ab omnibus Facultatis Medicæ Parisiensis doctoribus eo ordine comprobata, Regiis typis mandaturum esse denuncio. Integrum exemplar apud me paratum est; characteres novi fabricati sunt; charta optima pretio emta, typographi variis prælis annuo curriculo totum opus perficere schedulis astringuntur; Regium deniq; privilegium amplissimum, quo cuivis prohibitum est Hippocratis & Galeni opera, aut quodvis eorum operum segmentum edere, aut ab exoticis regionibus in Galliam adferre, sub quinquaginta numûm aureorum multa, idq; viginti annorum spatio mihi concessum est. Quas ob res quæ Græca & Latina Galeni opera tuis lucubrationibus ad typographiam parata (quemadmodum tuis proditum est literis) rogo, ad me quamprimum mittas. Quicquid enim tuo nomini celebrando, tuis laboribus extollendis & honorario per pecunias solvendo debetur, id tibi meis narratiunculis, meo meæq; Facultatis Parisiensis testimonio, meis deniq; sumtibus propriis, pro virili animo, totum consecrabitur. Qui namq; tuæ editionis exemplar tuo nomine mihi attulerit,

cum

cum eo quâ volueris stipulatione agam præsentes pecunias daturus. Lutetia unica est civitas, quæ novâ hac editione dignetur. Hîc centum sapientissimorum medicorum Senatûs adest, qui de his operibus æquissimam dederit sententiam, quisq; genuinos Hippocratis & Galeni fœtus internoverit. Cl. Benedictus amicus meus studiosissimus emendationes Græcas, easq; Orthographicas duntaxat perfecit. Idem sapientissimus Gulstonius Londinensis Medicus egit. Hic tamen libellum Galeni de peste inscriptum in bibliotheca Oxoniensi à me compertum transscripsit, cujus exemplar brevi sum recepturus. At Medicum neminem comperi, qui aut novas aut primis meliores Hippocratici & Galenici contextus interpretationes conderet, aut Hippocraticam aut Galenicam mentem dilucidiorem redderet. Tu verò solus es, vir sapientissime, à quo Medicorum Galeni voluminum corpus tuis lucubrationibus conflatum, numerisq; omnibus exornatum expectamus. Vale. Lutetiæ. 2. August. Anno 1627.

Idem Eidem.

SEcundis tuis nobis pergratis nostræ secundariæ tuis votis satisfacturæ respondent, V. CL. Tuos equidem præclaros in Libros Galeni de Usu partium Commentarios nostris oculis perlustravimus; tuum primum ex prolegomenis in Galenum lemma perlegimus; tuamq; tuis literis detectam de Galenicis operibus, tuis lucubrationibus emendatis, ac in ordinem positis, ad nos transferendis ac edendis mentem percepimus. Quare tuis epistolis, tuisq; optatis cedens te oro, ut eo quod à te decretum est, pacto, Universa Galeni opera à te parata ac ordine collecta ad nos quamprimum deferantur. Quam enim æqui Judices (qualem unum esse CL. Dn. Rigaltium tecum admitto proboq;) de honorario à me tibi persolvendo æquam sententiam ferent, ei me quantum in me meisq; perexiguis facultatibus situm est, meis periculis satisfacturum, pro aris focisq; polliceor. Hæc equidem suscepta necdum incepta editio, Regiæ provinciæ est. Veruntamen præter Regium Privilegium, quod nemini denegaretur, Regius fomes nullus ad id munus obeundum me fovet juvatq;. Sanè ut in Germania sic in Gallia hisce temporibus Bellona Musis ac literario Imperio inimica arma movet; unde quæ olim pace replebantur æraria publica, literarum ac armorum fomites, bello nunc exhauriuntur. Plura proximis literis, V. Exc. Vale. Prid. Cal. Febr. 1628. Lutetiæ.

Theodorus Golston, Medicus Collegii Londinensis Eidem.

SCripsissem lubens & frequens antehac, si votis ejus vel meritis potius de msscr. codd. satisfacere potuissem. Variæ lectiones meæ quantis mihi sumti-

bus paratæ fuerint non dico. Ne temerè omnes unà dimittam, præsertim in his rerum procellis, monent amici, Medici Londinensis Collegii etiam edictis cavent. Utinam mihi amanuensium affatim esset, levarem te, amicissime Domine, expectandi tædio. Sed auxiliares nostrorum manus obriguere, pleræq; bello ferroq; districtæ. Hærent adeò literarii progressus, etiam typographis inaudita papyri inopia. Quanquam ipse destinavi edere, non abjicio. Promisi tractatum de libr. propriis Exhortation. ad artes. Quod opt. Med. idem & Philosoph. de cognosc. & curand. animi affect. Ex quibus, cùm prodierint, quam rationem in Gal. emendando sequar, apertè intelliges. Hæc quò castigatiora sunt, si mihi adnotationes tuas è Codd. mscr. concredideris, remittentur eædem, Deo volente, unà cum editione nostra. Quibus etiam emendationes in aliquot Galeni libros adjungam, si quos tibi gratiores magisq; exoptatos fore intelligam. Demus, si placet, annuatim operas mutuas. Primum hæ, mox aliæ aliæq; lectiones ultrò citroq; mittantur: Ne omnia nostra simul unaq; aleâ periclitari sit necesse. Interim ut ego à Dn. Rigaltio, qui te dehortatus est tàm carè, aut D. Charterio, qui Morellii prælo tantoperè favet & summorum Jesuitarum studia promovet, ut ego Lectiones aliquas extorqueam? Citius me herclè, clavam Herculi. Sed tamen simul atq; inter gentes nostras inita pax fuerit, tentare non desinam. Quid de D. Benedicti laboribus factum sit, scire aveo. An spes superfit, eos tuis vel nostris cassibus capi aliquando posse. Paschal. Bibliothec. editionem illam Jo. Caji, notat. quæ tamen cùm omnes bibliopol. cellas, doctorum hominum arcas & museia diligenter excussissem, etiamdum mihi incomperta est. Distinctionem tuam operum Galeni tàm diligentem, tàm doctam omniumq; calculis dignissimam quis non Montani confusioni longissimè anteponat? Qua in re & tuo judicio è vestigio subscripsi, & facilè intellexi, beneficii istius nomine quantum debeam amori & humanitati tuæ, unum illud, pace tuâ, libet adjicere. Ubi singulorum interpretum nomina recensere soles, si Græcas itidem editiones sigillatim nominare ne graveris, Exemplaris tui fidem commendatiorem feceris. Nihil mihi ardentiùs desiderandum, quàm ut specimen tuum illustrissimum libelli de Ossibus excusi conspiciam. Deest typographi copia? Confide, mi domine. Habet Cantabrigia nostra virum perquam fidelem & graphicè in primis eruditum. Is typis suis elegantissimis & potest & cupit Galenicos nostros labores ornare, ad umbilicum perducere. Dabit idem mihi operam in meis, & tibi quoq;, quandocunq; placuerit, in tuis. Quodcunq; vel in istis, vel in aliis tuis operibus curæ ejus commendatum tradideris, id fide bonâ præstitum iri, sponsione meâ factâ suscipiam. De Galenicorum exemplarium paucitate vestra permirum mihi videtur, quibus certè tum Basiliens. tum

Aldinis, apud bibliopolas Londinenses, nihil frequentius. Pro religiosissimo tuo voto, quo mihi salutem optas (tametsi eâ minus secundâ sæpe utor) eadem me religione devinctum sentio: Ut cotidianas preces apud Deum nostrum pro tuâ felicitate fundam; cujus auspiciis adjutus tibi ipsi honori esse possis, literatis emolumento, mihi præsertim non mediocri gaudio, qui quod sum perpetuo sum. Londini, platea Creedlane. Idib. Mart. 1628.

Interpretum & Commentatorum in primum tomum Galeni, qui in Oxoniensi Bibliotheca servantur, Catalogus.

1. Γλωσσῶν ἐξήγησις.	*Int.*	*1. Cornario.*		
		2. Nizolio.		
2. De Comate Græcolat.	*Int.*	*Cajo*		
3. Definitiones Medic.	*Int.*	*1. Silvanio*		
		2. Jona Philologo.		
Eadem Græcolatin.	*per*	*Singler.*		*Basil. 1537.*
4. Medicus.	*Int.*	*Andernaco.*		
idem Græcolat.	*per*	*Singler.*		*Basil. 1537.*
5. De constit. artis med.	*Int.*	*1. Gunthero.*		
		2. Silvanio.		
		3. Trincavellio.		
In eadem Comment.		*Valleriola,*		*8. Lugd. 1577.*
		Zuingeri		*Basil. 1561.*
6. Ars parva	*Int.*	*1. Leoniceno*	*3. Biesio*	*8. Antv. 1560.*
		2. Gadaldino	*4. Christoph. à Veg.*	*Lugd. 1576.*
In eandem Comm. vel Annot.		*1. Montani.*		*Lugd. 1556.*
		2. Acaciæ.		*Lugd. 1549.*
		3. Argenterii.		*8. 1566.*
		4. Oddi de Odd.		*Venet. 1574.*
		5. Ingrassiæ.		*Venet. 1574.*
		6. Zuinger.		*Basil. 1565.*
		7. Valesii		
		8. Jo. Agricolæ		*8. Basil. 1541.*
		9. Th. à Vega		*Antw. 1564.*
		10. Manard.		*Basil. 1536.*
		11. Thriveri		*Lugd. 1547.*
		12. Symphoriani.		*1516.*
7. Quodapt. med. idem & Philosoph.	*Int.*	*Belisario.*		

8. *De lib. propriis & ord. lib.*	*Int.*	1. *Fichardo.*	
		2. *Cajo.*	
9. *De sectis.*	*Int.*	*Belisario.*	
10. *De opt. secta*	*Int.*	*P. Crasso.*	
περὶ τῶν τῆς λεξ. σοφ.	*Int.*	*Limano.*	
De ossibus			*Lugd.* 1551.
In eund. Comment.		*Ingrass. Panorm.*	1551.

Idem Eidem.

DIu est, ex quo D. T. compellavi literis. Id tribue vel negotiis, vel curis, vel otio, vel tarditati, vel cuilibet rei alii, quàm animo inofficioso rerumq; Galenicarum immemori. Maximè mihi in mora fuit Bibliothecæ meæ versio & eversio, ubi inter parietinas quid de prioribus literis factum sit, nondum comperi. Sed ut memoriam refricem, Dn. Garter ne in literis pervehendis error incideret, signum notavit, oblitus urbis ubi esset. Nunquid simile evenit Domino Vies? De vaticinio in Oxoniensi bibliotheca meminit: Viam non docuit, quâ in tanto Chao ad librum editum vel ineditum perveniri posset. Papæ, libri quàm infiniti? At per classes dispositi. Quota igitur illa est? Qui numerum arenæ aut Helenes calvariam inter mortuos invenerit, vaticinium de vaticinio dabit. Nobis non licet esse tàm lynceis. Classis, locus, volumen nisi designetur, frustrà quæritur. Quid D. Benedicti opera factitatum sit, aut D. Charterii mscr. præstari possit, quia nobis deest αὐτοψία, penes ipsos sit fides. Mscc. qui asservantur in bibliothecis nostris perpauci, neq;, nisi valde vis, memoratu digni: Libri de Temperamentis, de facultatibus naturalibus, & alii nonnulli. Sed, quod multò maximi mihi habetur, mirâ fortunæ felicitate, incidi ipse & frequenter incidere soleo in libros Galeni medicorum Caji, Linacri, Wottoni, & aliorum laboribus plenos, quorum marginibus varias lectiones reperio ex mscr. vetustis (qui interciderunt) adnotatas: unà cum possessorum nominibus sigillatim adjectis: Ut de scribentium fide nihil metuendum sit. Eas omnes lectiones transscripsisse & cum Gal. Basileensi per omnia volumina singulosq; tractatus contulisse me dico. Et (ut anteà pollicitus) addo: Si Dominationi Vestræ tractatum aliquem corrigere placuerit: Idem faciam, quod nunc facio in tuis doctissimis annotat. libelli de Ossibus, ut neq; tu, quid in lectionibus nostris expressum sit, nescias; & in tuis, quod placuerit, mutes, demas, interponas. Habeo enim tractatum eundem per Jo. Gajum Basil. 1555. Græcè excusum, quem (nisi tibi quoq; in promtu esse putarem) ad te misissem. In eo quæ ad marginem & Caji & Brounei doctiss. manibus ex mscr. Gal. & Oribasii (qui nobis jam interci-

tercidere) adnotantur, descripta inposterum mittam. Interim primum libri caput accipies, unaq; translationem meam: Nisi Balamii vetustatem malis, quæ tamen (audacter dico) mihi non placet, non quia asperior paulò, sed quia frequenter obscura, sæpe etiam vix sensum assequitur Galeni. Capitula quæq; per numeros distribuere soleo, & sententiarum capita marginibus adponere; ut facilius (quos aucupamur) lectores capiam. Quod ad Græcum textum attinet, correctiorem reperio editionem Caji quam exemplar vestrum. Da veniam amanuensi, rogatu meo. Adnotationes tuas (quibus nihil luculentius) commodiùs, ut arbitror, conjiceres in finem libri: Sic enim & textus continuabitur series, nec ideò majorem lectori laborem facesses. Typographus Cantabrigiæ, ut aliquid hoc anno præstet, in dubio est: Proximo se paratissimum fore spondet. Typi nostri Londinenses in procinctu sunt, nec tamen ante mensem Aprilis; ne quid Operariorum negligentia dierumq; brevitate dispendii faciant. Adhuc in integro res est. Quid amplius fieri vis, quid, quando, quâ ratione iniri, parebo monitis tuis, qui cum tàm ingenuè scripta tua mihi homini ignoto concredideris, non potui nisi ingenuè, liberè & propè inverecundè tecum jam agere, parce modò & infirmitati & erratis Amici T. qui quantum potui, amici clarissimi existimationi consulendum putavi. Honoris tui cura vel zelus potius me rapuit, & forte ulterius, quàm debui. Observantiam, fidem, caritatem, officia omnia, totumq; quicquid sum devinctissimum habe. Londini Ibid. Jan. 1629. in Platea dict. Creedlane, juxta templum D. Pauli.

Seriùs hæc scribo, cum aliis de causis, tùm eâ præsertim, quia ad hujus libelli emendationem consulendum fuit Oribasii transscriptum, cujus exemplar mscr. in manibus est cujusdam viri docti: Sed illud is amplectitur ut thesaurum draco, & animo est à me paullò alieniori, sed amici cujusdam opera mihi hoc spero, quod cupio, effectum dabit, postquam is sparserit humida mella soporiferumq; papaver.

Jo. Georgius Stützelius Eidem.

S. P. Factum est ut cum mense Julio proximo in Sueviam profectus essem, Ulmæq; (ita rebus meis poscentibus) aliquandiu hærerem, in V. Cl. D. D. Jacobi Zeæmanni, auditoris quondam & discipuli tui gratissimi, pervenerim notitiam, exindeq; aliquoties contulerimus sermones sanè quam jucundissimos, quorum bonâ fide tibi assero, cum potior plerunq; pars tute fueris ecce! novantiqua me, te diutulè intermissa scribendi consuetudine denuò visendi, incessit cupido, nihil veritum, officio hoc, fors inofficioso, tibi facessere negotium, studiaq; tua interpellare: Maximè, quod post reditum meum intellexerim, te

nova non ita pridem cruce domestica afflictum, novoq;, præmatura generi D. Lauxii morte luctu implicatum, quod audire perquàm certè mihi fuit triste, maximè cum in proclivi sit divinare, quanta ex hoc fato curarum & molestiarum moles in venerando isto (quod requiem, tranquillitatem & amœnitatem potius quam ejusmodi tædia requirat) senio tibi rursus oggeratur, quantaq; laudatissimis tuis, tantum-non ad finem jam perductis operibus remora objiciatur. Qui sanè casus si imparatiorem & imperitiorem alium perculisset, ad animum planè prosternendum facilè sufficere poterat. Verum pectoris tui generositas nullis fortunæ insultibus frangi aut succumbere suevit unquam: Unde non dubito, quin & istum, vehementissimum licet, humanarum vicissitudinum impetum fortiter exceperis & sustinueris, quin contrà audentior ire nitaris. Quæ causa est, cur operam in afferrendis consolationum tibi jam ante notissimarum & in succum & sanguinem conversarum, licet gravissimis, momentis tempus & operam abuti supersedeam, nihilq; quàm te tibi ipsi proponere sustineam. Habes enim tantum apud te & in te præsidii, cujus ope etiam intentissimos dolores & acerbissimos mœrores facilè vincas & eluctêris, DEO cooperante: Qui tale animi robur tibi perpetuò augeat luctumq; indies minuat, propediemq; in lætitiam vertat, & te tuis, orphanis præsertim nepotibus illis, sed & bono publico, quo tibi nihil potius, nihil antiquius, in seram posteritatem salvum sospitemq; præstet! In Catalogo nupero tuarum aliquid lucubrationum, nescio quid Satyricon titulotenus quidem, præferens, vidi, libellum verò ipsum nondum: Neq; enim ad nos allatus est: Sed nec otium fuit intereà aliunde petendi. Totus certè mundus histrioniam hodiè agit, ut videnti talia difficile sit & tantum non impossibile, Satyram non scribere: Quid mirum ergò, si idem in Medicina fiat, cordatioribusq; vel invitis, etiam diu otiosum, porrigat calamum? Cl. Dn. Rupertus, cui salutem & officia mea deferre velim, haut dubiè eximium quid præ manibus habet, quod tàm diu nihil in publicum emisit. Dii faveant cœptis! Narrabis illi CL. Freinshemium meum jam adpulisse Ubsaliam. Heu! quanta locorum intervalla! heu! quot amplissimæ nos abinvicem separant provinciæ! Verum, ne rarissimè inde ad nos aliquid emanet, licet ingentia opera meditati Virum undiquaq; doctissimum ipsiusmet indicio, certissimus sim. Valdè doleo, indignor etiam, tantum literarum sidus nobis Germanis ablatum, quanquam nostra culpâ accidisse inficias ire nequeamus. Si enim statim ab Incomparabilis Viri, Soceri ejus, obitu Patres Reip. & Acad. Argentoratensis de genero sibi mancipando laborâssent, haut. dubiè retentus fuisset. Sed nimia parsimonia, illos stupefecit ita, ut non olfecerint exteris etiam tàm raram eruditionem, tàm numerosas virtutes, vel lautissimis conditionibus, ambiendas dignas videri. Discessum jam seriò de-

riò deflent, nequicquam. Sueci enim tanto, tàm difficulter totq; expensis adquisito bono postbac soli uti volent, & sanè, quando ita in fatis, diu feliciter utantur, precemur, ut tandem etiam in nos aliquid exinde redundet commodi literarii, quod, spero, patriæ, licet parum gratæ, & amicis innocentibus non invidebit candidissima animula. Vide obsecro, quo me amicissimi capitis mentio pertraxerit, quod tamen legisse fortassis haud erit fastidio. Vale, Vale, V. CL. mihiq; æternum colende, quam optimè & me amare perge. Rotenb. Tub. VIII. Sept. A. C. 1642.

Dn. Weitzii μακαρίτου, communis nostri transitus, quin luctum tuum auxerit, non dubito: Mihi certè admodum amarus adparuit, quod Viri CL. orbatio doctoribus literis ingentem jacturam afferre videretur; Qui multa egregia adhuc monumenta incude sua versabat, propediem publici juris facienda? sed quæ jam cum ipso, vereor, jacebunt & tacebunt, cum filius relictus (quod ipse pater mihi aliquando) studiorum istorum non sit.

Dn. Sauberum diu non vidi: Nescio quid agat, ni quod ædes nuper sibi comparavit, quibus reparandis hominem mox totum vacare oportebit.

Idem Eidem.

S. P. Nihil dum gratissimis literis tuis, Nob. & Exc. D. D. Hofmanne, fautor ætatem colende, ante hos tres totos menses ad me datis, respondi, non oblivione aliqua officii aut reverentiæ tibi debitæ, sed quod CL. D. D. Heinsii nostri, ad quem potissima pars tàm literarum, quàm his inclusarum pertinebat, prius expectandam mihi ducerem responsionem; quæ, quod occasio huc scribendi illi esset rarior, diutius prolata, ante pauculas septimanas demum secuta est. Inibi & mentionem sui factam, & munera transmissa sibi acceptissima fuisse scribit. Sed referam verba ipsius; sic autem habent. *Tua magno me gaudio delibutum reddidit, dum Excell. Hofmanni epistola (quæ & honorificam mei ibidem mentionem habuit, & eruditissimis dissertationibus refertas pagellas inclusas, mihi inscriptas) transmisisti. Sic undequaq; me promotum vis, quod candori amoriq; constantissimo, sincerissimo acceptum fero, & feram, dum spiritus hos reget artus, &c.* Et mox: *CL. Hofmanno debeo: Proximè σὺν Θεῷ scribam, carmina excusa mittam, & in Commentarios Galeni schediasma. Antevertam literas ipsius. Biennium est, & per Horstium tres disputationes medicas mihi misit, & nomen præscripsit meum.* Hæc Heinsius, qui porro bina ista epithalamia, quod hoc tempore ad manus nihil esset aliud, Tibi per occasionem curanda, meæ fidei commisit; quæ his indita boni consulas. Et hæc Heinsium concernentia, cujus tamen mox iterum meminero. Nunc literis tuis, melle quovis suavioribus, aliquid

aliquid reponendum. Primò autem ingentes Tibi, Vir maxime, ago gratias, quod non solùm adloquio, sed & eruditissimis scriptis tuis (Gemina Apologia pro Germanis contra Galenum) me dignari, & donare voluisti. Albo certè calculo lux illa usq; mihi notabitur, quæ duplici isto me beavit munere. Sed quid redhostiam? Verbis quidem verba, & chartis chartas potero; sed verè χρύσεα χαλκείων; quæ tamen tu, qua es humanitate, non aspernaberis, spero. Accipe igitur inficetissimis istis literulis insertas non multas pagellas, in quibus aliquid etiam nostrarum næniarum, si inspectione tua dignaberis, invenies. In mundo, meliora, majora; si essent, mitterem. Interim Catone isto contentus eris. Porrò non possum non magnoperè studium, sudores, & labores tuos, quos in summo illo, post Hippocratem Medico Galeno illustrando, commentando ponis, laudare, commendare, ad cœlum evehere. Atq; quam multi hodiè artem Æsculapaji passim præferunt, profitentur, qui ne à limine quidem fontes istos, & scaturiginem sanctissimæ artis suæ salutarunt, gustarunt: Rivulis inde diductis, sæpe infectis, & si verum amamus, superficiaria mysteriorum arcanissimorum contenti cognitione! Sed tu in hoc laboras, uti studiosi & sectatores nobilissimæ scientiæ, totaq;, si quæ futura, posteritas, in ipsissima & secretissima artis penetralia perducatur. Macte hoc egregio animo, quem Deus tibi quam diutissimè conservet; unaq; vires ad tantum opus perficiendum sufficienter ministret. Ne verò vel tantillum sive invidorum sive imperitorum voces, & malam metuas gratiam. Veritatis assertio maxima merces tibi esto proposita; Quam quicunq; boni hactenus omnibus aliorum, si licet splendidissimis, antetulere muneribus, præmiis. Quippe Veritas tranquillam præstat conscientiam, quam reliqua inquietarent. Sed quid currenti calcar addo? Tute hæc rectissimè nosti, & facies. Neq; dubito, quin multi, jam tibi Adversantium, olim meliora à te edocti, tecum facturi, & opera tua laudaturi, secuturi sint. De Clarissimi & Humanissimi, quotquot extant, Virorum, Dn. Jani Gruteri, Fautoris & Amici, heu, nuper adhuc mei magni, tristissimo obitu accepistine? Illam Heinsius noster literis, de quibus suprà, mihi indicavit; unaq; me relatio luctuosissima tantùm non confecit. Redit Vir Opt. Bretta Heidelbergam, ubi tusculum vicinum exculturus, facta sibi libertatis, in Religionis negotio, spe; sed hac non diu admodum gavisus est: Durantibus enim proximis nundinis Autumnalibus Francofurtensibus, & Heidelbergæ, & prædiolo, & vitæ, nondum LXVII. ætatis anno completo, valedixit. Benè beateq; sit animulæ Viri summi. Nos verò, & quotquot bonas æstimamus literas, Atlantis & Herculis nostri, Musagetæ, toti meliori literaturæ nimis nimisq; præmaturum excessum doleamus, deploremus, & hoc tàm privatim, quàm publicè. Non ausim à Te, CL. D. Hofmanne, triste officium,

officium, quod dixi modò, petere; quòd si tamen animus & adfectus tuus in defunctum, & bonas literas tale quid tibi imperent, eâ, qua par est observantia, rogem, uti mihi, quicquid erit, transmittas, quò postmodum cum Heinsio meo de editione deliberare liceat. Clarissimis Vestræ Universitatis Luminibus Domino Virdungo (quem, internuntiis Epicediis, officiosè saluto, Dn. M. Mauritio, Dn. D. Frauburgero, aliis, idem uti faciant, pro authoritate imperes. Extremum hoc est officium, quod unicè & summo illi seculi nostri Varroni, & per eum melioribus studiis quibuscunq; præstare possumus. Ego faxo, quæ accepero, rectè & ordine curentur. De malis tàm præsentibus, quàm impendentibus quid multa referre opus? Plura sunt, majora sunt, quàm charta, verba, animus capiant. DEUS opem ferat misellis! Te verò in primis unà cùm Tuis æternùm salvum-sospitem præstet. Rotenb. Tub. Raptim postrid. Epiphan. A. cIↃ IↃcXXVIII. quem tibi tuisq; omnibus-singulis totam, à capite ad calcem felicissimum, faustissimum adprecor. Fac Deus, optime, vota hæc rata fient! Audi preces istas!

Idem Eidem.

OPtimo quidem jure Tu Nobil. & Excell. D. D. Hofmanne, Fautor & Amice æternum colende, à me exigas emortuaria Gruteri; sed non minori ego vicissim à CL. D. D. Heinsio nostro; hic verò à Dn. M. Flaydero, Tubingensiū Philologo & Poëta eximio, qui exemplaria promittit, eadem postulemus. Quia verò postremus iste polliciti & officii sui huc usq; oblitus videtur, hinc nec D. D. Heinsio, nec mihi facultas liberandæ fidei. Id quod me hactenus non parum torsit, neq; tamen, ubi vacabit, occasioq; dabitur, desistam Heinsio meo (qui Ulma ante menses aliquot relicta, Augustam migravit, inq; Reip. illius Medicorum ordinem & collegium, honestis conditionibus, cooptatus est) hac de re aures vellicare, & cunctantem urgere. Interea moram, etsi longiorem, æquiori feres animo: Quod, ut promtius facias, ecce Tibi, interusuarii vicem, Soteria Weitziana, ante septimanas aliquot mihi transmissa; quæ legenti, spero, tàm propter elegantiam, quàm pietatem suam, non displicebunt. Pericula & mala nostra lacrumis majora sunt, hinc nec operosè hæc - illa describere placet; sed nec tempus ferret. Quanta, quanta tamen sint, sæpiculè humaniorum literularum tractatione, omni a stu, sistere tentamus; & nonnunquam bellè negotium procedit. Deus omnimodam tandem malaciam, post tot tempestates, miserrimè huc usq; agitatæ & quassatæ suæ cymbulæ clementer largiatur! Pauca scripsi, cum pagellam intueor: Multa tamen, puto, dixi. Vale Nobilissime Vir, Æsculapi seculi decantatissime, & me, sicubi merebor, porrò etiam amare perge. Sed & Amplissimo D. D. Dinnero, nec non CL. Dn. Virdungo officiosissi-

ciosissimam & amantissimam à me, nî grave, salutem per occasionem annuncia. Iterum iterumq;, & quàm optimè, vale. Raptim Rotenb. X. Martii A. C. cIↄ Iↄc XXIX.

Renatus Moreau Eidem.

Literas tuas, virorum eximie, partim sesamo & melle sparsas, partim acri sale conditas, rectè accepi, & jam respondeo ad singula. Ill. Casauboni notas ad Causas plant. Theophrasti non pervenisse ad Ill. item Thuanum, miror equidem: Sed quid faciam? Id fortassis, quod solum superest, Monebo publicè, ne alii etiam decipiantur. Cancellarius vester forte ringetur, ubi intellexerit me postumas Dalecampii curas jam vulgare contrà mentem ipsius: Sed quis curat? Bonum inter bonos est κοινωνικόν. Renealmi laborum si quid miseris, faciam, cum DEO, quod virum bonum decet. Joa. Bodæus si est ille, qui molitus est Theophrasti editionem cum iconibus per Henr. Laurentium, Amsteldamensem typographum, jam diu est cum fatis concessit, opusq; imperfectum reliquit. Imò hac occasione contigit, ut ego manus admoverim Theophrasto, haud facilè facturus alioqui. Typographi Leidenses quid promiserint, viderint. Hoc ego habeo de indicio DD. Wilh Ern. Scheferi, Medici Francofurtensis, qui in mandatis à Laurentio habuit, uti ad me id scriberet. Quæ in laudem Animadversionum Montaniarum scribis, grata sunt: Quæ in iis desideras, paucis excutere placet. Superfluus sum? Ejus rei culpa penes eos est, qui falsa sua dogmata tàm superbè nobis occentant. Cogor enim ego repetere, ne qui boni, sed minus cauti decipiantur. Hâc in re Socrates alter sum, qui cupio campanam hanc VERITATIS exaudiri per totam Europam. Dentatus & mordax sum? Non memini, ὀ δυνάμενος λαλεῖν, καὶ μὴ θιγγάνειν, ait quidam ex Græcis scriptoribus. Mitto hac occasione Institutiones meas, Lugduni imprimendas per Juquetanum, in quibus disputo contrà septem Institutionistas, nostrates, & morsus mei omnes fundati sunt super unam vocem, ABERRATIONES, quo verbo quid lenius invenias? In ipsâ tractatione si quod verbum asperius, quis subitò irascatur, si FALSUM voco FALSUM? si scapham scapham? Objicis mihi Platonem in Euthydemo: Sisto tibi vicissim Socratem apud Xenophontem, qui EADEM de IISDEM. Hujus consilium ut fuit revocare cives suos quovis modo ab injustitiâ, luxuriâ, libidinibus &c. Ita meum est, VERITATEM quidem propagandi quaquà versum, MENDACIUM autem proterendi passim, ne radices agat apud minus circumspectos. Considero mihi etiam tempora. Cum enim methodum medendi Gal. quam FRISIMELICAM promisisse Montanus est autor, primus ego post tot annos eruerim; Mars autem Germanus

nus non finat illam impunè in publico versari: Præmisi Pathologiam parvam, quæ mole suâ exiguâ per quamvis rimam elaberetur ad Veritatis cultores. Cum idipsum fraudi mihi esset apud ejusdem osores, supersedi Rejectanea mihi dicta, ut uram homines maledicos, passim mihi molestos. Idipsum video tibi quoque grave esse, quod amasium FERNELIUM irreverentius tangam. Non possum aliter. Hoc enim cum Parmenone Terentiano commune habeo, falsum ubicunq; se conspiciendum præbet, INCLAMO subitò non minus confidenter, quàm si Hannibal ad portas esset. Atqui etiam GALENI manes exagitas? Non rectè percepisti mentem meam. Perstringere volui tantum AMBITIONEM ipsius, ut & consecraneorum, qui tantâ cum pervicaciâ oppugnant ARISTOTELEM, quantâ cœlum Gigantes. Quo facto merentur olim usitatum probrum, ut ὀψιμαθεῖς vocentur, σκαιοὶ καὶ σιοιχούμενοι. Vera enim philosophiæ principia non habent, ideò DOCTORES Philosophiæ nullo jure dici possunt. SCHERBIUM ego DEUM nunquam feci: Sed quia nihil in hoc genere scripsit, produco in scenam tanquam λείψανον τοῦ χρυσοῦ ἔθνους. Qui discursus ipsius politicos ediderunt, malè de ipso meriti sunt. Qui Clavem Philosophiæ machinati sunt, risui illum exposuerunt. Methodus medendi Fernelii quàm egregia sit, ostendam ego alio tempore, proboq; verè NANUM fuisse. Ad GALENUM venio. Paratus is omninò ad prælum est, & misi œconomiam ipsius in Belgium ad Jansonium: Sed nihil dum comperi. Χρηστομαθείας φυσιολογικὰς καὶ παθολογικὰς minatur trico quidam, in quo parum mihi spei. Tu si possis typographum invenire, non de me tantùm benè mereris, sed & de publico, uti mihi persuadeo. Hæc potui manu hac ex paralysi infirma. Benè vale & benè age, mi Moreau. Scribo Altorfii ipsis Idibus Martiis 1643.

Idem Eidem.

Redditæ sunt mihi literæ tuæ ab adolescente nobili, Norimbergensi (Vir eximie) mense Octobri novissimo scriptæ, quæ eò mihi cariores fuere, quo minus expectatæ. Cum enim bellis, quæ ubiq; sæviunt, omnes aditus, qui in tantâ terrarum intercapedine ad nos patent, intercludi putarem; non sperabam apertam esse viam literis tuis, quæ libris editis pænè occlusa sit. Gaudeo ergò ego meritò eas incolumes & salvas huc pervenisse, quod spes sit inposterum commercii hujus inter nos exerendi. Continent autem illæ duo vel tria capita, quibus satisfaciendum duxi: Ne ut de aliorum, sic de nostrâ negligentiâ jure merito conquereris. Primum & præcipuum caput est de notis Casauboni ad libros Theophrasti de causis plantarum, quas apud Ill. Thuanum quondam deposuisse postumis epistolis testatur. Ejus filium Erricum superstitem & Puteanos

nos fratres mihi amicissimos conveni, qui Thuaneæ bibliothecæ curam habent; quæsiviq; de pignore illo preciosissimo, quod minimè asservari apud se pro eo, quo sunt, animi candore responderunt, ejusmodi thesaurum unquam apud Thuanum depositum: Habuisse forsan in mente Casaubonum hoc opus, sed nec perfecisse unquam, nec apud quenquam reliquisse. Ea propter non est quod suppetias ab iis copiis speres aut expectes. Jacobus Dalechampius olim totum Theophrastum illustrandum susceperat, cujus operis ego membrum à toto velut corpore divulsum & lacerum in bibliotheca habeo sed nullius operæ pretii. Reliquæ partes locupletiores & integriores extant in bibliotheca Illustrissimi Cancellarii Dn. Sequije; sed non video, quâ arte eximi illinc possint. Nam tanto in pretio apud illum habentur, ut nec publici unquam eas faciat juris, nec sinat à quoquam exscribi. Incomparabilis quoq; Vir Adr. Turnebus eos libros emaculaverat, dum publicè profiteretur philosophiam, sed periisse eum laborem mihi suspicio est: Sanè scopæ quædam dissolutæ ejus operis inter schedia mea adsunt, sed quæ te parum juvare queant. Audio Renealmum Blæsensem Medicum, qui de plantis aliquid scripsit, totum Dioscoridem & Theophrastum perpetuis emendationibus exornâsse, quæ ad ejus filium jure hæreditario devolutæ sunt. Spondeo, me lubenter scripturum ad eum de illis impetrandis & emittendis in lucem parentis nomine, teq; de ejus consilio propediem certiorem facturum. Verum ut ingenuè fatear, vereor ne rem actam agas &, ut græci loquuntur, τὸ πεπραχθὲν πράξῃς. Jam enim diu est, cum Theophrastum castigandum & illustrandum suscepit Joa. Bodæus à Stapel Amsterodamensis Medicus quemq; jam perfectum & absolutum esse, testatus est Joa. Anton. Wander-lindeus lib. I. de scriptis medicis pag. 254. quemq; ornatiorem proditurum collatis doctissimorum quorundam virorum, Salmasii inprimis symbolis, nullus dubito. Ac typographi Leydenses, qui huc à paucis diebus venerunt; spem certam injiciunt, fore ut venalis habeatur ille scriptor martio mense proximo: Adeò ut multum tibi sit festinandum, si tuas observationes volueris unà cum illo emitti, quod te etiam atq; etiam rogo, ne respublica literaria tàm eruditis laboribus careat. De Animadversionibus tuis in Comitem Montanum (quod est secundum epistolæ caput) quod judicium meum efflagitas, candidum & apertum dabo, non fucatum aut adulatorium. Opus est, si doctrinam spectes, eruditum; si dictionem, tersum, & limatum; si censuram, quam continet, in plerisq; exactam, in nonnullis superfluam, in aliis dentatam nimis. Illic enim non Hippocrate, Platone, Aristotele philosopharis, sed divini illi viri ore tuo philosophantur. Qui elegantius & pressius scribat hodiè, neminem Medicum agnosco. Dictio concisa tibi, sed facunda, facilis & nervosa, lucida, sed variis floribus aspersa. Censorem

forem agis interdum æquum, dum vel errores Montani, Fernelii, aliorum castigas vel Galeni nævos diluis. Interdum immemor tui multa repetis, quæ scripta sunt in Variis lectionibus, in pathologia parva, in libris de locis affectis. Hoc damnatum à Platone in Euthydemo : Occidit miseros crambe repetita magistros. Sed non dissimulabo vitium tuum vel maximum; in reprehensione auctorum mordacior es quàm dignitas tua vel ætas ferant. Ut prætercam, quæ tu in Galenum & in Galeni sectatores despuis omnibus paginis, libello quoq; expresso, in quo tanti viri manes exagitas. Quid tu in nostrum Fernelium non evomuisti injuriarum? Non tibi pro numine debet esse Scherbius ut ejus omnia effata oracula sint. Legi ejus clavem philosophicam, legi discursus politicos, in Aristotelem, Theses quoq; Medicas legi. Ut hæc merentur doctorum plausum; apotheosin tamen non merentur. Quisquilias illa vocabo præ methodo medendiSerneliana, in qua se & cunctos superavit. Uno verbo, Scherbius nanus est præ illo gigante. Ut non debueris præceptori tuo adblandiri in ejus dispendium, qui tot discipulos reliquit. Eloquentiam ejus profectò non moror, non miror; vulgarem tamen non esse, nec à Plancio emendicatam nō dissimulabo. Totos viginti annos quàm Plancius Medicinæ candidatus foret, specimen elegantiæ suæ dederat editis an. 1526. & 1528. de Mathematicâ disciplinâ libris: Et aliquot annos quàm Plancius illi notus esset, physiologiam florido & eleganti stylo conscriptam in lucem emiserat. Non est mihi numinis instar Fernelius, humanitus illi excidisse errores fateor; sed invidos aut æmulos non fero, qui libenter eum è numero classicorum Medicorum, si possent, expungerent, quo jure, quâ injuriâ? *affingunt illi crimina, qua in aliis pro virtutibus haberentur, ejus etiam pietatem convellunt*, dum illi adscribunt opinionum monstra, ut omnes ab ejus lectione deterreant. *Sed inhibeo calamum, ne Apologiam ejus scribere videar, dum in laudem operis tui excurro.* Hæc enim quæ postremò à me annotata, non officiunt tuis luminibus, sed ea potius intendunt, dum te Fernelio parem vel superiorem designant. Postremum caput epistolæ commemorat χρηματισμούς tuas physiologicas, quas videre & legere aveo. *Nec enim diffiteor quin respondeant dignitati nominis; quod ferunt.* Nondum redux Colonia D. Riolanus; expectamus eum indies & forsan secum allaturus est librum illum tuum, si typis editus sit. Sed heus! Vir præstantissime, quid de Galeno tuo agitur? Siccine hæc bella in perniciem etiam Græcorum quæ solam Germaniam dicuntur conculcare? Paratus est omninò ad prælum, ut audio: Tu ejus œconomiam describere debuisti ac mittere ad librarios non solum Germanos (qui de eo opere edendo vix audent cogitare, propter sumtus) sed Gallos, Italos, Britannos. Scribe ad Leydenses aut Amsterdamenses, quos bella non vexant.

Ni prohibeat privilegium Regium, quod obtinuit D. Charterius pro eodem Galeno edendo, ſpondeam ego me reperturum impreſſorem, aut Pariſ. aut Lugdunenſem. Abſolvit jam D. Charterius tomum 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. & 13. qui venales habentur. Alii expectant pinguiorem ejus fortunam, quo reliquis ſumtibus ſatisfaciat. Scribe, num poſſim aliquo officio promovere hoc opus; amplectar lubentiſſimè, quicquid præceperis. Quin enim te tuaq; magis quam ego, colat, puto eſſe neminem. Hoc velim certiſſimè credas & me ames. Vale. Scriptum Lutetiæ Pariſiorum, 10. Calend. Februar. A. 1643.

Caſp. Dornavius Eidem.

CL. & Præſtantiſſime mi Dn. Hofmanne, Amice colende! Citiùs debueram & ſpei tuæ, & meo ſatisfacere officio; niſi voluiſſem ſimul ſemelq; duplo nomine, nomen apud te meum expunctum, ne quid deberem. Abeo autem partim negotiola nonnulla moram mihi nectebant: Partim avocabat Apollo meus ſegnior, quam qui lyræ ſeſe accommodaret; tuumq; Æſculapium honoraria aliqua acclamatione mactaret. Atqui is ne nunc quidem genialiter promtus: Coëgit quæpiam familiaria, &, ut dicitur, Inviali moneta percuſſa, ea tamen in templo honoris tui ſuſpendit: Rogans, ut illud quantulumcunq; patiaris eſſe *μνημεῖον*, non ſplendoris poëtici, qui nullus eſt, ſed amoris ſinceri, qui uberrimus eſt. Quod autem diſputationes tuæ mihi committis virgulam cenſoriam: In eo facis, quod modeſti ſolent. Ego verò tantum abeſt, ut in eam criticis animadvertam unguibus aut obelicis; ut potius gratuler eruditioni tuæ, & judicio, quod illic agnoſco lubens, commendo meritò. Si præſenti mihi contigiſſet, publicitùs te, ac virilibus armis eludentem adverſarios, audiſſe, ictus: Forſan & ego *πειραστικῶς* magis, quàm *σοφιστικῶς*, quàm ſeriò, uno aut altero telo te petiiſſem: Quod nunc libellis (literis vix enim licet) foret operæ nimis operoſæ; ac neſcio an pro pretio. Dicam aliquid, ſed ſubſultim. *Putredinem adſtruis cauſam omnis febris malignæ;* ſed excellentem eam, & venenoſo, ut alii loquuntur, characteriſmo, ſeu, ut Galenus *δηλητηρίας δυνάμεως*, inſignitam. In eo ut ego quidem lubens tecum faciam: Ita antagoniſtas habes haud paucos, haud vulgaris notæ. Imprimis verò prolixo ſermone, hanc de putredine opinionem infringere conatur, *cap. 7.* ſui *de febre peſtilenti* libri, *Petrus Salius*; quo licet ex profeſſo de peſtiferis agat cauſis, tamen eodem laboris impendio, tuæ quoq; ſententiæ opponi poſſunt. Cum eo quomodo tibi conveniat, tuarum eſt partium excutere. Ego hic ſicco tranſeo pede; cùm videar mihi videre, non modò in hac de malignis febribus materia, ſed & *in univerſali morborum malignorum αἰτιολογίᾳ, cardinem totius controverſiæ magis volutari circa nominum pugnam, quàm ipſius*

rei

rei punctum. Dicimus agere illud ex tota ſubſtantia, quod evidentius elementorum qualitatibus ſalvare non poſſumus. Hoc dicunt alii ex *ἰδιοσυγκρασίᾳ* agere,
„ alii ex qualitate excellenti, alii occulta. Unum dicunt omnes, ſed variatis vo-
„ cibus? Non ſecus atq; eadem eſt ſponſa, quæ prima nuptiarum die ſupparum
„ geſtet coccinum, cras pallam ianthinam, perendie tunicam præſinam. Spon-
„ ſa non mutatur, niſi fortè alio accidenti: Ita & in hoc de tota ſubſtantia res ſtat.
Et tamen Viri Excellentiſſimi quid tot ſudores ſudant: Certè ſi hoc nō eſt *κέγχρον τρυπᾶν*, aut *ἐν φακῇ μύρον ζητεῖν*: Quid aliud ſit, non video. Sed ad te regredior. *Camphoram* recenſes in claſſem *valdè calidorum & ſiccorum*. Quo argumento? An quia, ut Malthiolus vult, vehementer eſt odorata? Hoc verò à tenacibus partibus provenit, in frigido quoq; corpore ſolemnibus; nec, caliditatem ineſſe, probat. An quia in aqua etiam flammam concipit, ut tormentarii & pyrii opifices docent? Sed & hoc *ὡς παρὰ μὴ τὸ ἄρτιον*. A *glutine* quippe accidit, & *viſciditate*, quæ potiùs adulterinæ quam virgineæ caphuræ eſt indicium. Quod ſi attendas, *quibus affectibus* ſacra ſit caphura, hæſitanter pronunciabis de illius caliditate. Etenim *capitis doloribus*, ab inflammatione provenientibus, Mauritani docuerunt eam noſtros Medicos adplicare: Quo omine, calorem ſcilicet extinguendo, epatiſidi, nephritidi propriè ſic dictæ, teſtium phlegmone, eryſipelidi, vel ipſo *Matthiolo* teſte, in uſum abit ſaluberrimum. In virulenta & acerrima gonorrhæa, túne calidiſſimum medicamentum exhibebis? At *Quercetano* arcanum eſt remedium *Oleum Camphoræ*, quod tamen ante ipſum docuerunt alii. In ophthalmia calidiſſimumné uſurpabis: At *Serapioni* commendatur collyrium ex caphura. Mitto hoc. De *venæ ſectione* ſcriberem pauca: Sed vix me extricarem. Libellis enim opus foret, non literis. Probatur tibi *cucurbitularum appoſitio ad dorſum*: Quæ me ſuſpenſum tenet, ac dubium. Cùm enim polleant exquiſita trahendi vi, certè vereor, ne, quicquid eſt in corpore, aut ſaltem partibus cordi confinibus ex crementitii, illud in thoracem, ubi cor antea obſeſſum, proliciant, colluviem fœdiorem, adeoq; gravius malum efficiant. Obſervavit *Avicenna*, cucurbitulas ſcapulis adfixas, cordis tremorem intuliſſe. Si hoc, quantò periculoſius in maligna conſtitutione verſabimur? Hæc tecum curſorio ſermone, &, tanquam aliud agens, fabulari volui: Ne tuæ invitationi planè viderer defuiſſe. Boni conſule, meq; in memoriæ tui medullis æviternum eſſe quieturum, certò tibi perſuade. Saluta, quæſo, meis verbis amicitùs Dn. Martinum Luken, & hoſpitem tuum Plezium: Quibus ego unà tecum ſalutem lito plenis faucibus, & belliſſimum valedico.

Idem

Idem Eidem.

CLariss. mi Dn. Hofmanne Amice colende: Citius exoptabam scazontes tuos, uti eos cum reliquorum γαμηλίοις in ordinem recensuissem. Mitto illa; & simul Musis tuis, licet fuerint βραδύπηκοι, gratias ago gratas gravidasq́. Conatus tuos tam secundos, tam fœcundos, mirum est quàm probem! Deum rogo supremum μυσταγέτην, ut tuos hos labores benedictione sua magis magisq́; provehat. Tibi verò acclamo:

Ζήτει σεαυτῷ δόξαν ἐγκαταλιπεῖν.

Quod verò nonnulla fortè professioni tua consentanea, à me velis exquirere, vel potiùs extorquere; vereor, ne aquam petere è silice velis. Nostrum potiùs esset, à vobis isthic oracula quædam exigere. Sed intelligo quid velis. Quæris tu campum, in quo excurrere posset doctrina tua: In eoq́; me provocare videris antagonistam, quæ ingenio tuo exerceas. Age igitur, non detrecto conditionem. Ubi quid volueris proponere, non deero mentem tuam excutere, tibiq́; ad singulas res respondere; si non pari dexteritate, saltem promta discendi voluntate. Idem etiam cum *Platero* ago, cum *Zvvingero*, *Rulando*, *Schrötero*, *Tankio*, *VVeidnero*, *Siglicio*, *Unzero*, *&c.* Placet enim, sed & maximè conducibilis est hæc literata, doctaq́; contesseratio; qua interim genium meum demulceo, dum in Academia vivere non licet. Vellem equidem, mi Hofmanne, ut tuo, tuiq́; meì Sohneri voto satisfieret: Non abhorrerem ab hoc umbratili vitæ genere. Etsi enim aulam suadeant multi, fortè etiam non sine auctario gloriæ alicujus, & commodi: Tamen scholastica ista, quietaq́; vivendi ratio longè meæ naturæ videtur dulcior. At cedò mihi, ubi se offert Musis nostris tale hospitium Academicum? Verum ego tantisper hic immorabor, & plusculam veris partem in soceri mei lerario transigam: Et quis novit, an non hæc urbs me videat, teneatq́; ab aula planè alienatum? Ad virum optimum Sohnerum scribo ego. Tu, mi Hofmanne, vale ac salve cum tua à me & mea.

Idem Eidem.

MAgnifice & Clarissime Vir, Dn. & Amice plurimùm colende: Quod Scherliana, quæ mecum communicasti, non remitto statim; ut equidem constitueram, ac Tu forte pollicitus Tibi, & hæredibus fueras: quæso ne ægrius feras, quam humanitas & benevolentia in me Tua admittat. Nam & animus ita fuit hactenus distractus; & diversis studiis cogitationibus, molitionibus incumbendum fuit: Ut segniùs hanc rem curare necesse habuerim. Fato autem, ut citò recipias, & sine ullo detrimento, per Siglicium, communem amicum. Pro strenis

strenis tuis literariis, puto, me gratias egisse; agoq; adhuc amplissimas: Et ne planè sim inofficiosus, ἀντίδωρον submitto, levidense illud, qualia à me proficisci solent; sed pignus interim mei, in Te adfectus. Prodibit, spero, etiam brevi meus *Menenius Agrippa.* Quid hoc hominis, aut, dicas liberiùs, monstri? Sanè subvereor, ne talis videri queat partus iste. Nimirum ita appello libellum quendam meum, quo *fabricam humani corporis perpetua quadam comparatione ad Remp.* refero; audaci sanè, non infitebor, conatu. Sed quo fortean excitavero feliciora ingenia, ad hoc argumentum persequendum.

- - functus vice cotis, acutum
reddere quæ valeat ferrum, exors ipsa secandi.

Tu verò, mi Hofmanne, perge Tuo quoq; loco, ut facis, circumspectè, communi bono literario prodesse pari eligantia, pari judicio; quod in te meritò agnoscimus, atque etiam prædicamus. Vale & salve.

Idem Eidem.

SAlivam tu mihi moves istis tuis μελετήμασι, quæ indigitas; utilia sanè, juxtaq; gratiosa: In quibus, non dubito, ingenii tui eligantia, & vis judicii apparebit. Perge itaque, nec invideas nobis tam bella opuscula: Ad me quoq;, ut in spem adducis, emitte. Utroq; in argumento tecum facio, sentioq;: Et perperàm à Medicis fieri, qui nimia medicamentorum mole quosvis adoriuntur " morbos; & multos in tenebris palpare, qui Aristotelem in delitiis minus ha- " buerunt. Sit divinus *Plato*, non hoc titulo honorario ipsum spoliabimus; quem & *Philosophorum Deum* appellat princeps Oratorum. Nobis autem *communis præceptor* esto *Aristoteles*: Sic ego cum Melanchthone judicandum esse arbitror. Quam enim scientiam artemvé tradidit nobis *Plato?* quid nobis reliquit descriptum perfectò, suisq; præceptis integrè comprehensum atq; absolutum? Nihil opinor. At quid *Aristoteles?* Artes tradit & plenè, & planè, & ordine: Modò methodum ejus attendamus, & tractandi genus. Sed in his expecto tuum judicium; ut mecum illi tantò apertiùs aggregare possim. Optimum Sohnetum è vivis & ipsum excessisse, doleo sanè: Neq; tamen invideo illi hanc beatitatis prærogationem, ad quæ omnes adspiramus; adspirare certè debemus. Quod verò mihi aditum ostendis ad ejus cathedram, humaniterq; adeò in celeberrimum vestrum Athenæum invitas; agnosco ego adfectum in me tuum, teq; adeò exosculor. At tuæ quo minus obsecundem προθυλίυμαλι, & tuum ipsius facit consilium, quod inferis: Et itineris efficit longitudo: In primis mea, quam agnosco profiteorq; imbecillitas. Hæc enim studia ἐπτερικὰ, in hoc pulvere scholastico, & actuosa Medicinæ exercitatione, segniùs tractavi

hactenus. Plurimum tamen me tibi debere fateor, pro honorifico tuo, quod de me fecisti, judicio. Solemandri libellum *de excrementis* nunquam vidi. In doctrina *de humoribus* credo juvari te posse à *Johanne Friderico Schrötero*, qui de hoc argumento, Patavi cùm esset, librum ibidem edidit, non sine mirifico Italorum applausu. Is tamen ad manus mihi non est. Chartas hasce cum Clarissimis Viris, Rittershusio & Piccarto, communices, quæso: Sed & eosdem ex me plurimum salvere jubeas. Vale cum tuis.

Idem Eidem.

EXcellentissime Vir, Amice plurimùm colende! Utraq; tua epistola, quam Sprottaviæ superiori autumno accepi, facit, ut suspicer; non tibi traditas fuisse literas meas, quas per Siglicium tibi ex mercatu Lipsiensium verno destinaveram. In iis gratias tibi egi pro honorario tuo judicio, quod de me facis, in adeunda cathedra Sohneri τῶ μακαρίτυ. Ego verò pennas agnosco in vulneribus meis, inferioremq; me judico; quam ut tantis Viris succedere possim, & in tam illustri loco celeberrimorum hominum opinionem sustinere; gratulor potiùs vobis de *Augustano* illo, quem mirum cur non nominaveris, eidemq; docendi precor dexteritatem, & medendi: Fortunam enim ex hisce sibi ipse fabricavit. Amo quoq; te vel ob eruditas tuas theses, quas ut uno verbo absolvam, approbo: Adeò nihil in iis vestigare possum, quo non meum tibi judicium aggregem.
„ Obrui sæpè naturam toties iteratis medicamentis apozematis præsertim, de-
„ coctisq; longis, verè longis; experientia me sæpius docuit: Licet ego ab hac
„ prolixa continuatione abhorruerim; illud *Hippocratis* subinde recordatus:
„ *Optimum, sæpe fuisse, nullum medicamentum*. Est quidem apud nos Chymiaster, vitæ conditione chirurgus: Cætera morosus, lucifuga, addo etiam, indoctus planè, & ab omni eruditione destitutus. *In eo tamen haut fatuus est, quòd rarò admodum remedia exhibeat, etiam per Deos obtestantibus: Adeò is naturæ motum observat; ne intempestiva exhibitione medicinam suam infamasse videatur.* Jucundum itaq; fuit; meam sententiam tua auctoritate stabiliri. De *usu lienis* eadem propugnas, quæ *Aristoteles* primus docuit; à quibus *Galenus libello de respiratione* non dissentit: Nec abhorrent *Aphrodisæus*, *Aralaus*, *Vesalius*, *Fernelius*, *&c.* Atq; ego cum *de apoplexia* Basileæ sub Platero disputarem, coronidis ergò eandem sententiam publicè propugnavi: Adeò in nobis est ὁμόνοια quædam, καὶ ὁμοδοξία. Tu verò, Clarissime Vir, perge in his talibus; & quas in te video elegantias, ad ea subinde confer, quæ proximum aliquem in vita communi usum habeant. *De excrementis* nascetur tibi *scriptio* uberrima, & *jucundissima in mediis sordibus*: Imò aurum proferes ex stercore, sat scio. Si me audis,

non

non arctis te compinges carceribus; neq; de humani corporis duntaxat excrementis disseres; sed de animalium etiam brutorum, quæ quidem rei medicæ aliquem usum adferant. Hic amplissima se tibi offert seges, ex chymico etiam campo proferendi varias præparationes; quas tuo judicio vel confirmares, vel infringeres. De me quoq; necesse habeo scribere. Statui, sequenti æstate, in publicum emittere varia *consilia Medica, Italorum, Gallorum, Belgarum, potissimum Germanorum*; quæ curiosè hinc inde, credo etiam commodè, collegi, *nondum edita*. Te verò etiam atq; etiam rogo, ut suppetias mihi feras: Neq; enim accipio, ullam excusationem: Poscit amicitia nostra; flagitat salus publica; cui omnes operari, quantum possumus, debemus. Communices, quæso, mecum abs Te scripta consilia: Sed & ea, quæ in Italia habueris selectiora; aut quæ vester Scherbius, &c. reliquerint. Non vastam peto molem; sed delectam ex doctioribus, & casibus difficilibus, aut etiam raris. Scio, me tale quid abs te expectare posse, ac debere: Ac proinde ad proximas nundinas Lipsienses abs Te mihi satisfactum iri confido. Pro qua benignitate vicissim tibi, quidquid in me est, tibi utile, dulce, honorificum, repromitto: Rittershusio, τῷ ἐν ἁγίοις, statuam aliquod monumentum sepulchrale; Et ad te mittam propediem. Fortè erit, qui hæc talia colliget. Ego jam meditor *corporis humani & politici brevem harmoniam*; quam videbis, ubi typis fuerit exscripta: Qua publicè recitata, ex hoc pulvere scholastico decedam; obsequuturus DEO, quocunq; me ducet. Vale cum tuis, Vir Clarissime, & me ama.

Idem Eidem.

EXcellentissime mi Dn. Hofmanne, Amice oculissime: Trihorium est, cum utramq; tuam epistolam ab homine Gorlecensi accepi. Gratum mihi carmen, quo Soteria mihi celebras; grata συγχάρμα[?] Medica, quibus me abundè donas: Itaq; tanto solenniùs gratias tibi ago, habeoq;: Et, si putas tanti, æstima in vicem ἀντίδωρα Charidemum & Rodulphum nostrum, cum nescio quibus aliis minutiis. Disputationem tuam ad judicii mei libellam appendere, frustrà jubes. Ita sunt Tua percocta, ad prudentiæ ingeniiq; solem; ut obtusos censuræ meæ radios elidant facilè, ultrò eludant. Domo prætereà absum; quod facit: Ut si vellem quid tentare, nequeam tamen consiliarios mortuos in judicium istud provocare: Tuscherio nostro epistolam, ut jubes, mittam quam primum. Coxendicum dolore ais, te quandoq; corripi, sed post exercitium. Dic quale exercitium? Illud opinor, quod sine teste peragis, loco abdito? imò erro: Quod cum duobus testibus peragis; illud dicere volui. Si erro, atq; ex debilitate provenit, quod tecum sentio: Duplex remedium habes compertum; oxycroceum subactum

cum gummi tacamalaca, & tantillo olei camphoræ, portione quoq; balsami Americani. Alterum est linimentum ex oleo momordoax, masti chino, petroleo, balsamo Americano, & laurino. Vale & salve.

Idem Eidem.

CLarissime atq; Excellentissime Dn. Hofmanne, Amice veteris fidei! Non fuit Ladas, qui mihi epistolam Tuam reddidit: Eam quippe superiori anno Idibus Augusti scriptam, triduum duntaxat excurrit, cum accepi. Amabile donum tuum literarium, amabilis solicitudo, de Legatione mea. Scire autem cupis varia; quale iter: Quales habuerim comites: Ubi deposuerim mandatum: Apud quos: Qua attentione auditus: Quid responsi acceperim? Ad hanc rem commentario foret opus, si percensenda singula; non epistola. Verùm ne omninò nihil rescias, pauca enarrabo: Ex quibus, ut ex pollice Colossum, quod reliquum est, dimetiaris. Ac illud primùm ad animum admittas velim: *Duas* me nuper *Legationes* sustinuisse: Alteram æstate *in Hungaria*: *In Poloniam*, ipsa hyeme alteram. De Hungarica ita accipias: Non multa fuisse nobis, si immania montana excipias; tædia viarum devoranda. Ubiq; annona prompta, & facilis; Populi obvia studia, & hospitalis humanitas. Cæteras operæ difficultates, quæ & arduæ & variæ leniebant Collegarum fides, candor, prudentia; addo etiam, amœna & festiva utriusq; suavitas: *Burggravi Abrahami Dohnavi*, Viri πολιλόγου ?, inq; omni doctrinæ & elegantiæ parte, mirum quàm versati: *Davidis* idem *Rohri*, Equitis Silesii Ductoris militaris, varia fortuna in bellis Ungaricis, ab extrema usq; pueritia, jactati. In superiori Hungaria ex oppidis & civitatibus *metallariis* est *Bistrica*, quæ & Notizoacidos *fontes, thermas egregias*, solo fertili sita. Illic comitium erat: coram quo partes nostræ functionis deposcimus; privatim quoq; apud ipsum Gabrielem Bethlenum: Cujus nos & pietatem, quæ ex cultu externo cognosci queat, & singularem peritiam comperimus. Perorandi partes mihi committebantur, etsi non cogitanti imo XII. duntaxat horis, antequam in comitio esset dicendum. Responsum non nisi amicum fuit. Cum enim solicitè urgeremus: Princeps, & Proceres, Hungariæ prospicerent; quò pacem firmam ab Imperatore consequeremur: Erant illi proclives in nostram sententiam: Totisq; adeò XI. septimanis, quibus illic substitimus, calidè res acta fuit: Sed per Hungaros non stetit; quò minùs pax consecuta. Interim & benignè auditi publicè, privatimq;: Nec offensi oratione mea, quam habui modestam, Hungariæ ordines; imò nec ipsi Cæsaris Legati, qui coràm erant. De Polonica porrò Legatione quid dicam? Pervagata est fama de indole loci, genio hominum & hospitiorum; Quod tectè, moris gentium

tium haud ignarus, nosse poteris. Verum est, prandium & cœnam convehi nobiscum necesse erat; nisi voluissemus dentire dentes, stomachum latrare. De lecto idem fac judicium: Cui proximè accubos habuisses, nisi exegisses, " dextrâ anseres, lævâ gallinas; supra scrophas, porcellos, mediocres sues; in- " fra vitulos benè grandes, vaccas, boves quandoq;. Aër non reddebat moschum, nec ambram: nec tamen dispiciebat hospitibus, qui nobiscum in uno eodemq; hypocausto, cum prole familiaq; dormiebant, suffumigium à nobis exciri; gratius illo, quod fimetum repræsentabat. Hæc verò incommoda, ad quæ scientes accedebamus, animis naribusq; obfirmatis, mitigabantur plurimùm (dico candidè) humanitate gentis, à qua benignè excipiebamur; non rarò à Nobilibus, in pagis, in oppidis: Ubi, licet paratos non inveniremus cibos, annona tamen atq; pabulum, non defuit. Accedebat Collegarum insignis benevolentia, & plena jucunditatis consuetudo, Baronis utriusq; *Andreæ Kochtici* & *Joachimi Malzani*: Illius in Ducatu Opoliensi & Ratiboriensi Pro-Principis: Hujus magnæ modestiæ, nec ingenii minoris, Juvenis peramœni; familiæ antiquæ, cum Poloniæ familiis propinquitate amœnissimi. Profecti unà sumus ad regiam, quæ Varsaviæ est: Ordinibus cunctis magno numero frequentatis. Infelix verò illa ad Pragam clades non parum de auctoritate atq; expeditione ampliori nobis detraxit. Quanquam ipse Rex, partim vulnere sicarii præpeditus, partim fœdera Cæsaris causatus, Nos non audierit: Universus tamen Senatus, qui certè est amplissimus, collegium Equestre, Ordines & Magnates cuncti, tàm spectabili, dicam enimverò, tàm augusta nos admiserunt corona; ut propè dixisses cum Cynea: Non Senatorum aut Patrum, sed Principum, sed Regum consessum extitisse. In comitio primitùs admissi, cum consedissemus, diu audiebantur tumultuaria murmura, ut fieri amat, in prementis populi multitudine. Exorsus orationem, intenta paulatim voce, articulis verborum probè distinctis; Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant: Imò etiam *pugillaribus dicta excipiebant plurimi*, haud pauci *ex Jesuitis adstites*. Magna omnium, ultra horam in audiendo patientia; nobis ferè inopinato adhibita: Quoniam sine verborum velariis, *multa confidenter de Cosacorum ferocia, de Regis atq; Senatus conniventia*, ipso Uladislao, primogenito Regis adstante, proponebamus. Dicam ampliùs: Paucissimis ex universa gente (erant, qui nullis ajebant) ne ipsissimis quidem Pontificiis oratio nostra displicuit. Quo factum; ut responsum fuerit, totidem verbis: Senatum Amplissimum, Ordinesq; Regni constantiam in tuendis pactis adhibituros esse: Quæ & voti nostri, & totius Legationis summa fuit. Rediimus verò ex utraq; Legatione, non nisi incolumes, satis tuti, adfecti honoribus, nulla ignominia: Ego verò, anteà tenui usus valetudine, magna

cum ἰυφορία, imò accessione virium, quidquid molestiæ fuit, tuli: Quam felicitatem divinæ benedictioni transcribo: Donatus postea à Principibus & Ordinibus Silesiæ Consiliarii & Oratoris ordinarii loco. Hæc, si eum Dn. Remo communicare voles, per me licet: Aliis non item; quibus non scribo: Tibi scribo. De institutis Tuis literariis breviter respondeo: Sic enim judico, in nullo argumento versari utiliùs industria Tua potest, quàm recensendo Galeno, sed Græco-Latino, cum notis & animadversionibus. Novi talem ἐγχείρημα diu à Wechelio conquisitum, sed frustrà fuisse. Comprobant studium tuum typographi nostri, ipsis verò propter fortunas tenniores vix susceptum. In cæteris etiam Tuis operibus accusant Martialem avaritiam; quæ tanta est; Ut ipsi raros admodum libros, tales præsertim, divendant. Neq; tamen discedes ab opere Tuo, quod prius, quàm procusum ab ingenii Tui incude fuerit, conticescent, spero, motus isti, atq; bella. A me verò noli expectare quidquam, opinione Tua dignum. Reculæ enim meæ literariæ omnes convastatæ, toto anno mihi non visæ: Et jam fermè trimestre hic exigo, aliquantulum immoraturus; dum transeat nebecula, quæ Silesiam inumbrare videtur. Unde fit, ut in Consiliis quoq; Medicis expromendis jaceant opera interrupta laborum. Tu interim in otio illo Academico perge, perge: Bene vive, vale, & Collegas, si qui mei aut amantes, aut memores, saluta.

Zeæmannus Eidem.

FUi hisce diebus, Vir Excellentissime, Præstantissime Fautor & Promotor ætatem observande, cum Clarissimis Universitatis Patavinæ Viris, qui retulerunt te proximis abhinc diebus Venetias vocatos, ibiq; illis ab illustrissimis studii Patavini Reformatoribus injunctum fuisse, ut qua possunt diligentia, in unum inquirerent, quem Senatus Venetus *Professorem Ordinarium Medicinæ Theoricæ in primo loco* constituere posset; nolle enim Serenissimum Dominum illam ipsam cathedram diutiùs Professore vacare. Vacavit enim per aliquot nunc annos, hujus gratia, quod Senatus Venetus, nunquam intermorituræ gloriæ elogio, in doctissimi Viri cujusdam delectum continuò quidem hactenùs incubuerit; quem tamen hac utpote præcipuæ universitatis cathedra dignum judicaverit, non invenerit. Hujus ergo gratia me convenerunt, an ullum in Germania scirem, qui cathedræ huic honori, & cui simul locus hic animo esset. Respondi, nullum inventuros, qui cathedræ huic & Professioni majori honori, quàm Exc. Tuam: me tamen dubitare de Exc. T. huc veniendi animo, ob causas, quas tùm dixi. Illi statim perhonorifica Exc. T. facta mentione instanter à me desiderarunt, ut confestim ad Exc. T. hujus gratia scriberem, ac curarem, ut quamprimùm responsorias

rias haberem, ex quibus Exc. T. animus colligi posset. Non potui denegare, nec volui; utpote qui cum inclita Natione Germ. imò toto hocce Gymnasio celeberrimo, nihil magis in votis haberem, quàm si Exc. T. tantum suis rationibus proficuam huc veniendi judicaret, quantum tota hæc Universitas & tam Docentes quam Discentes insigni suo fructui, in primis verò nostra Natio singulari dignitati futurum fuerit. Quantum ad salarium, se promittere posse dixerunt: ad 100. vel plures Imperiales, pro primis singulis annis. Quibuslibet autem Professionis renovationibus solarium ab Venetis augeri Exc. T. scire credo. Nunc in secundo loco *Theoricam* Medicinam profitetur Exc. *Joh. Dominicus Sala*, verum cùm *Patavinus* sit, ad primum locum, *vi statutorum*, promoveri non poterit. Edidit aliàs ante aliquot annos *tractatum de Alimentis*, quem Exc. T. viderit, nescio. Aliud non addo & scribo, hæc volentibus ac instanter sic rogantibus Excellentissimis Universitatis nostræ aliquot Professoribus, qui me hujus gratia compellarunt. Elegit me præterito Martii mense incluta mea Natio, licet invitum, nec unquam publicam hancce curam affectantem. Hoc verò est, quod in oneroso hocce honore me erigit, quod cùm equus habeat, quos sequatur, benè currat; sic Annales & optimè habita Nationis cura plurimorum Antecessorum mihi exemplo ac usui esse queant. Propono autem mihi præ cæteris cunctis, quam sequar ac imiter, Exc. T. felicissimam ac optimam Consiliariatus administrationem. Video siquidem, quàm in revidendis, conferendis Annalibus ac plurimis aliis tum Ærarium, tum Bibliothecam concernentibus diligentiam ac laborem impenderit. Excell. Veslingius & Rhodius officiosissimam salutem adscribere jusserunt; quorum alter, Exc. Veslingius nempe, proximo Augusti mense, Romam, ab se hactenus non visam, adibit; cujus itidem transmissas ad Alpinum notas Exc. T. accepisse non dubito. Dn. D. Slegelium Altorfio discessisse, autumo; inclusas ad illum transmittere officiosissimè rogo, ac cuncta & singula officiolorum meorum genera Exc. T. offerendo, eandem quàm diutissimè felicissimè valere opto.

MAN-

MANTISSA III.
EPISTOLARUM
ANDR. DINNERI, JC.
AD
VARIOS.

Andr. Dinnerus Dan. Burchardo.

CUm ante plusculos dies binas tuas litteras acciperem, Præstantiss. Dn. Avuncule, ita fui occupatus, ut hactenus ne perlegere quidem totas mihi vacârit. Vidi tamen, cùm oculis pleraq; superfunctoriè tantùm notarem, illas multorum esse capitum, de quibus partim mihi non liquet, partim verò sine deliberatione ulteriori coràm Tecum instituenda responderi aliquid certi hoc tempore non potest. Quæ res fecit, ut à Te hoc petere auderem, quod cæteris omnibus haud dubiè negaturus eras, ut vel tuâ, vel meâ causâ excurrere ad nos ne graveris. Occupationes quantæ meæ sint, ipse, ut spero, videbis, & facilè æstimabis, Me sine gravi caussa molestia itineris mulctare Te noluisse. Accessit superioribus diebus incommoda valetudo, quæ, alieno licèt anni tempore, venæsectionem mihi imperavit: Et hæc omnia paucis diebus interpositis excipiet migratio ex his ædibus, quas hactenus conductas habui, propter illarum vitium, quod ampliùs dissimulare non potui. Sic autem moderor petitionem hanc meam, ut quando commodum Tibi erit, & fortè ipsum cœlum viam Tibi tranquilliorem concinnaverit, itineri Te committas, neq; festinandi necessitatem aliquam Tibi impositam putes. Sicut enim uno die occupationes istæ natæ nobis non sunt: Ita æquum est, tempus aliquod nobis ad eas diluendas indulgeri. Tempus, inquam, aliquod, priusquam de illis deliberaturi conveniamus: Non autem dubito, quin trihorio (quod dicit Ausonius) si unà nobis contingat esse, & multò etiam brevioris spatio, rem omnem per capita sua expedituri simus: Quæ scribendo & rescribendo, neq;, ut fieri solet, satis explicatâ animi sententiâ per litteras non perinde facile aliàs componeretur: Confidentiùs autem hoc à Te contendo, primùm quidem, ut eadem operâ proneptem ex sorore tuam oculis adspicias, quam, cùm vicinior nobis ante aliquot septimanas esses, videre noluisti: Deinde, ut ex Magnifico Prorectore nostro, meiq; amantissimo Collega, Dn. Rittershusio, coràm illa intelligas, quæ de Scaligero & cæteris scire Te cupere literis ostendisti, neq; hæc solùm sed & alia, quæ non minùs Tibi fortasse & jucunda & grata erunt. Deniq;, ut vinum tuum donativum apud me gustes & tui sumptus fructum aliquem feras. Quod enim ad hujus itineris sumptum attinet, ne dubita, quod meâ caussâ facis, ejus me refusâ parte expensarum libenter meritoq; rationem habiturum. B. V. Dab. Altorfii XXIII. Januarii 1607. quem annum omnibus bonis Tibi à Deo Opt. Max. cumulatissimum precor.

Idem Andr. Burchardo, JC. Consiliario Duc. Würtemb.

Amplissime, Excellentissime & Consultissime Vir, Domine Cognate honoratissime. Cur has exarem ad Te literas, priusquam commendatitiis tuis respondeam, fecit Reverendus & Clarissimus Vir, Dominus Metrophanes Critopulus, Macedo, Hiero-Monachus & Patriarchæ Constantinopolitani Magnus sigilli Custos, Græcorum omnium, quotquot ad Ecclesias nostras pervenerunt, doctissimus & Orthodoxotatos. Is cùm per aliquot menses in Universitate nostra substitisset, atq; ea, quæ in ipso sita esse didicimus, pietatem, inquam, & candorem, cum incredibili erga omnes observantia conjunctum, nobis probâsset: Tandem & Stutgardiam adeundi, videndiq; Celsissimi Principis ac Ducis Vestri (siquidem copia daretur) consilium cepit, meq; pro amicitia sanctè inter nos culta rogavit, ut abeuntem se uni vel pluribus apud Vos commendarem. Occurristi Tu, qui unus mihi pro multis, & eâ insuper polles gratiâ apud Illustrissimum Principem, Dominum utriusq; nostrum Clementissimum: Ut non dubitem, siquidem accessus ad Illustrissimam Celsitudinem ipsius pateat hospiti ejusmodi, Græcum hunc nostrum per Te maximè voti sui compotem futurum. Quid autem ipse Tibi de illo polliceri debeas, ne circa hanc rem sim prolixior, ex tribus præcipuè commendationibus authenticis intelligere poteris, prima defuncti Regis Angliæ, Jacobi; secunda Celsissimi Principis ac Domini, Domini Augusti, Comitis Palatini ad Rhenum &c. itidem Domini mei Clementissimi, quæ ad Illustrissimum Vestrum directa est: Et tertia Inclyti Senatus Norimbergnsis, Dominorum meorum: Ut de reliquis, quibus abundat, commendationibus nihil nunc dicam. Petiit à me abiens, ut compendium Theologiæ Græco Latinum Domini Heerbrandi &c. sibi darem, quem librum tanquam viæ comitem ad Vos adferret: Et sanè facilè exorâsset, si præter unicum exemplar, quod Dn. Parens tuus p. m. ante multos annos Parenti meo dono misit, aliud pro pretio reperire potuissem. A Te autem vehementer peto, ut si librum illum vel Stutgardiæ vel Tubingæ compactum reperire possis, eum hoc mactes munere, & pretium mihi indices per fratrem meum Carolum, qui nullâ morâ interpositâ ad assem Tibi impendium reddam. Præterea, ut certius aliquid de eodem Dn. Metrophane scribam, planè persuasum habeo, eum Tecum ac mecum in omnibus fidei articulis principalioribus consentire, excepto fortè eo, quòd cum Græca Ecclesia putat, Spiritum S. à Patre quidem per Filium, non autem ex Filio procedere: Qua de re valdè cupio eum cum celeberrimis Theologis vestratibus conferre, pleniusq; ab iisdem informari. Est enim non minùs discendi cupidus, quàm Vir integerrimus & bonus Christianus. Ac ut tan-

ut tandem finiam, quod illi præstiteris, mihi præstitum ducam, tuum erit pro jure tuo ac necessitudine nostra vicissim imperare, quid fieri velis: Mihi jussa capessere fas est. Benè vale, Clarissime juxta & carissime Domine Cognate, & salve cum amantissima Conjuge & omnibus Tuis, à me & meis omnibus. Dabam subitò Altdorphii d. 5. Junii Anno 1626.

Idem Casp. Bitschio, JC. & Professori Argent.

S. P. D. Semel atq; iterum monitus fui à Te, *Nobilis & Amplissime Vir, Dn. & Amice honoratissime plurimumq; observande*, ut tractatum meum, *Ad quos Ecclesiæ pertineant*, ad Te mitterem. Et quidem primò Dn. Affinis meus Joann Wolffgangus Schollius, oblata scheda manu tua, de me perhonorificè scripta, hoc urgere cœpit: Sed is seriùs aliquantò, vergente jam ad finem anno præcedente, ad nos venit. Hesterno verò die literæ supervenerunt Dn. M. Dieterici Heuchelin, non ita pridem auditoris mei, quibus eandem petitionem iteravit. Nihil equidem mallem, quàm vel scribere posse ea, quæ Tu legas & probes, vel dare aut facere, quod dari fierivé tuâ interfit: Cæterùm quod ad tractatum illum pertinet, is nec conceptus mihi fuit unquam, neq; natus: Ut mirari satis nequeam, quæ res causam præbuerit rumori falso, qui de commentario illo sparsus, ac plura quoq; alia loca pervagatus est. Quæ res fecit, ut, cùm eodem errore magnus quidam Vir teneretur, isq; in eandem sententiam ante annum literas ad me dedisset, necessitas mihi imponeretur respondendi id, quod res erat, sicut ex exemplo literarum, quod unà mitto, Vir Consultissime, cognoscere poteris. Hæc ita se habere testes mihi esse possunt locupletissimi, tam Dn. Collegæ, quàm auditores mei, quotquot abhinc viginti annis familiariter me noverunt. Et quodnam mendacio vel occultationi præmium in his talibus sperare possem? Tu verò, Vir Clarissime & Amicissime, cùm id, quod habebas, hoc tempore non magis. quàm hippocentaurum aut Sphingem accipere à me queas, quercum aliam excute, & quid alio in genere præstari Tibi à me velis, audacter impera. Interim pro tractatu de Thesauris, tuo nomine à Dn. Schollio mihi oblato, munere longè gratissimo, gratias maximas ago, & ad antidora hoc velut chirographo obligatum me profiteor. Benè vale, meq;, quod facis, ama. Dabantur raptim 3. Cal. Febr. Anno Domini DEIq; nostri 1626. Altdorphii.

Idem Dn. D. Holtzschuch.

S. P. Literas meas, Amplissime Domine, unde potius exordiar, quàm à tritis illis versiculis gallicis non minùs elegantibus, quàm ad præsentem statum meum accommodatis?

* * * *
* * * *

Intellexisti enim, ut arbitror, ex Dn. Avunculo meo, quemadmodum pessimus quidam canis καὶ μιαροκακώτατος, (crura ipsi suffracta oportuit) allatrare me ausus fuerit, easq; spes, quas de me mei omnes conceperant, devocare in dubium: Adspersa gravissima labe, quasi in Italia Nationis Germanicæ ærarium fraudulenter & dolosè administrâssem. Quanquam autem trifur ille, quod ille forsan existimabat, non latuit, nuperq; adeò, cùm hac ipsa de re ego & adversarius meus Schwinfurti convenissemus, satis deprehensum esset, me nequiter ab illo, calumniaq; vanissimâ circumventum esse: Tamen nescio, quo fato meo accidit, ut quòd semper major quædam vis inest malis quàm bonis, ita eo quoq; conventu magnam quorundam animadverterem animi abalienationem, qui florente fortunâ amici mihi videbantur: Suopte ingenio, an * * recesserint ab amicitia mea, non facilè dixerim. Doluit tamen, suprà quàm credi potest, me ad istum modum, nulla meâ culpâ videntem & scientem basilicè, ut Plauti verbo utar, perire; neq; ab inimicis modò oppugnari, sed ab amicis etiam deseri: Quanquam hoc inter utrosq; puto interesse, ut illi aliquâ fortè ratione se, læsos à me suspicari possint: Hi, ne fingere quidem tale aliquid: Neq; autem tam cornea mihi fibra est, quod proverbio dicitur, ut his non commovear gravissimè, cùm ad animum revoco, quo loco fuerim, & quo jam deciderim: Quid mei omnes sibi aliquando de me polliciti, & quid ego jam, rebus omnibus circa me ruentibus, præstare possim. Nisi illud forsan solabitur me quòd innumeros invenio, qui mihi invident: Negant autem communiter infelicibus invideri, hocq; inesse boni invidiæ dictant; pro quo tamen bono atq; commodo (si modò aliquod in re pessima fingi potest) ego illis rem malam maxumam, seq; planè dignam imprecor. De Te verò, Vir Amplissime Dn. colende, cùm ab eo tempore, quo primùm Bambergæ Te vidi, ita judicarem, Te mihi non obscurè favere; idq; facere nullo vel Parentis mei, quod sciam, facto, vel merito meo devinctum: Quod enim meum in talem virum potest esse meritum? sed incredibili quodam animi tui candore & humanitate inductum: Facere sanè non potui, quin fortè, nactus scribendi occasionem, has ad Te darem literas, Teq;, quanto possem opere maximo, rogarem, ut deinceps quoq; eo me loco habere, quo hactenus dignatus es, mihiq; consilio & auctoritate tuâ præstò esse, vel ob nominis mei paterni memoriam, vel aliquam etiam erga me (immerentem licèt) voluntatem bonam, non gravareris. Ita enim existimo, Deum ideò Te in altiorem hunc locum, tuâ quidem excellenti virtute dignum collocâsse, ut humanitatis tuæ radios longissimè in intuentium oculos ex illo spargere, eosq; quos cuperes, opis tuæ indigentes, infortu-

fortunio oppressos sublevare posses. Quia porrò in aula Cæsarea Commissionem mihi decerni petii, in qua tu cum aliis nominatus es Commissarius, majorem in modum rogo, ne ejus molestiæ, si decernatur, Te pro fama mea defendenda pœniteat, finemq; hîc epistolæ non observantiæ facio. Vale, Vir Amplissime Dn. colende. Dabam Tundorf. 13. Cal. Januar. A. 1604.

Idem Affini.

NOn dubito, Vir Clarissime & Excellentissime, Dn. Affinis honoratissime optimeq; merite, quin adhuc recorderis sermonum, ante abitum meum Norimbergæ anno superiori inter nos habitorum: Quorum principium ac finis Nobiliss. ac Prudentiss. Senator Dn. TEZELIUS fuit, qui nomen, quod ego, valetudine meâ ita exigente, Norimbergæ contraxeram, absq; impensa aliqua mea expuncturum se Tibi confirmavit. Ea res cùm novi planè exempli & insolitæ cujusdam munificentiæ mihi videretur, vixq; Tibi hoc ita futurum dejeranti fidem haberem: Cœpi (ut nôsti) percunctari, Ecquam rationem gratitudinis declarandæ erga talem tantumq; Patronum accommodatissimam existimares, ne non modò victus & oppressus eâ liberalitate, sed & eâdem indignus rectè de his rebus judicantibus apparerem? Intelligebam enim Te, cui sydus illud gratiarum quotidiè ferè, ac propiùs quàm mihi oritur, non paulò plus, quàm me in hoc negocio sapere, & modum aliquem sollicitè circumspecturum, quo non omninò ingrata ipsi Viro Magnifico accideret beneficii accepti confessio. Sperabam etiam, Te, qui mihi dormienti, quasi aliud agens, summâ fide Patronum talem paravisses, non minore ingenio monstraturum, quibus idem velut retinaculis non cultus tantùm, sed & officiorum quorumcunq; conservari posset. Qua in re mirificè sapientes omnes consentiunt, ut, quæ res ad acquirendum bonum aliquod utilitatemq; parandam nobis initiò profuissent, iisdem, quod sic partum est, quàm rectissimè ac tutissimè retineri arbitrentur. Tu verò ipse cùm non modò non alienus ab hoc consilio meo esses, verùm etiam Consiliarium Te mihi hac in re futurum reciperes: Nescio tamen, cur officio tam necessario, tamq; honesto hucusq; defueris. Quamvis enim ludibrium debere videantur Prudentissimo & gravissimo Senatori, qui post tot menses, cum sera, hoc est, inepta & ridicula gratiarum actione eundem adirent, qui nihil, intempestivum quod sit, quodq; serum aut inelegans, amare potest: Multò tamen plus apud me memoriæ tam inusitatæ benevolentiæ, quàm decori consideratio valuit. Aurem quoq; mihi pervellit Poëta nobilis vetus, cujus sententiam nôsti:

Si benè quid facias, serò licet prodest.

Hîc igitur sisto, &, si quid interea (tamen) temporis exploraveris, quod in hanc

rem sit, & de quo moneri me oporteat, quàm maturrimè cognoscere aveo. Benè vale, Clarissime Dn. Affinis, nosq;, quod facis, porrò amare perge. Dabantur 10. Februarii Anno 1631.

Idem Christophoro Furero.

NOb. & *Amplissime Vir, Domine plurimùm colende.* Cùm hesterno demum die nuncius acerbiss. de obitu Nobiliss. & Sapientiss. Parentis tui Dn. CHRISTOPHORI FURERI Eq. & Duumviri Norimberg. &c. τȣ̃ μακαρίτȣ sparsus per oppidum fuisset, gratitudinis meæ esse putavi, quanto dolore ex morte incomparabilis Viri & Patroni mei affectus essem, ad A. T. perscribere: Quam & infiniti alii homines, nullo fortè beneficio privatim ab ipso affecti, & publicà tantum jacturâ permoti impatientissimè ferre se ostendunt. Et sanè quid in hoc Viro Norimberga, quid vicini Principes, quid Germania universa (cujus ille omnium bonorum judicio pars magna fuit) amiserit, consiliis summi & experientissimi Senatoris alienissimo tempore destituta: tacitus intra me sentio potiùs, quàm scribere valeo: Sed scribent & deprædicabunt alii in Germania & Gallia Viri eloquentes, quamdiu memoria aliqua Germanici nominis futura est. Quomodo autem ille de me meritus sit, quoq; animo semper me fuerit complexus, A. T. testis esse potest: Quem ego ob id jure Patrem & auctorem felicitatis meæ apud amicos & familiares semper appellare solitus sum: Cæterùm cum easdem ob causas exequiali quoq; officio, quod patria defuncto præstabit, interesse privatâ pietate constituissem (publico namq; Acad. nomine alii me digniores in funere apparebunt) mutare consilium defluxionum violentia coactus sum: Quas & aliis in rebus agendis adversari mihi solere nimis compertum est. Quod autem & facere debui & potui, literas has doloris & luctus mei testes ad Amplit. T. mitto, DEUM Opt. Max. orans, ut quando tam excellenti bono, (virtute, inquam, Parentis tui) indignas terras hoc velut præjudicio pronunciavit, Te saltem bono Reipub. natum, & artibus paternis à puero ad omnem laudem eruditum, patriæ cumprimis, deinde etiam aliis tui nominis studiosis (& inter eos mihi) quàm diutissimè incolumem servare dignetur! Cujus vel media in pœna admirabilis hæc benignitas cernitur, quod is non antè Patrem adimere nobis voluit, quàm is Te magnitudini & dignitati suæ supparem lætus conspexisset. B. V. Ampliss. Domine. Dab. Altorf.

Idem Joh. Guilielmo Burchardo.

ACcepi litteras tuas, *Clarissime & Doctissime Dn. Consobrine*, quibus ad actum, ut vocant, Doctoralem, me invitâsti, transmissis simul exemplaribus

bus Disputationis tuæ, quam pro summo illo honore obtinendo publicè defendisti. Gratum hoc mihi munus & invitatio tua, cùm propter familiæ & cognationis nostræ honorem, tum verò, quòd votum meum, quo & istum honorem & alia multò ampliora jamdudum tacitus Tibi destinavi, honoratissimum exitum habuisse video: Cujus proinde damnas DEO in primis, datori bonorum omnium, gratias ago: Deinde Tibi gratulor, quòd, quæ in Dn. Parente tuo V. C. p. m. intermortua dignitas videri potuit, ea præclaris studiis tuis & felici labore excitata & in vitam quodammodo revocata est. Sic enim hoc quidem tempore scribere mihi libet. Quamvis enim sicut aliarum rerum paternarum dominium, ita hic quoq; honor continuatus potiùs in Te hæredem ipsius existimari possit: Tamen fatendum est, nunquam Te ad honorem istum, quem omnes amplissimum judicant, adspirare ausum fuisse, nisi Tute Tibi ad eum viam diligentiâ tuâ mihi perspectissimâ jugiq; & improbo labore ab ultima pueritia munivisses atq; præparavisses. Quare vel proverbii Hispanici auctoritate negat, *Artes inter hæredes dividi*, palàm est, labores tuos & evigilatas ob studium noctes nequaquam rectè in hereditatem paternam computari: Nec esse in corpore census (ut Poëtæ verbis utar) *Omne tenet, cujus regimen pater* sed ejusmodi esse, quarum laus ad Te maximè, fructus verò etiam ad fratres, propinquos, cognatos, &, uno verbo, ad commodum Reip. Christianæ pertineat. Atq; utinam is, quem dixi V. C. Dn. Parens tuus ipse consilii hujus suscipiendi Tibi auctor & Spectator Inaugurationis esse potuisset, cujus lætitiam hoc tempore præcipuam esse conveniebat! Sed aliter Deo visum est, qui quantum doloris Cognatio tota ex obitu Viri præstantiss. & Opt. sensit, tantum eam gaudii ex honore tuo festivissimo percipere voluit, & nubilum illud luctus hoc quasi sereno discutere. Quamobrem fruere hoc tanto tuo bono fortunâq; istâ tuâ, familiamq; nostram porrò quoq; condecorare atq; cohonestare perge. De mea quoq; persona sic Tibi persuade, me, si qua in re Te juvare possim, nullo Tibi tempore defuturum: Quam voluntatem meam satis quidem Tibi jam antè cognitam ut spero, tamen his quoq; literis consignatam testificari volui, ne mutatam eam propter dilatum responsum & emansionem meam à solennitate tua suspicari possis: Cujus rei causæ non in oblivione officii vel amoris, sed in occupationibus meis sitæ sunt, quas mihi plurimas Prorectoratus Acad. hujus jam per aliquot menses ex se peperit, & deinceps per aliquod adhuc tempus pariet. Benè vale cum noverca, honestissima fœmina, & fratribus sororibusq; Tuis, quos omnes honestè & amanter saluto.

Idem

Idem Michaeli à Berg.

Diu eſt, Vir Clarisſime & Conſultisſime, Domine & Amice honoratisſime, quòd literis tuis amantisſimè & de me perhonorificè ſcriptis reſponſum debeo. Cauſa reſponſi intermiſſi fuit, quòd elegantiam & humanitatem literarum tuarum cùm imitari deſperarem, malui, citra certamen, herbam Tibi, quod ajunt, porrigere, quàm ſine ſpe victoriæ pedem in hoc genere conferre. Nunc verò, cùm diſceſſurum à nobis intelligerem Ornatiſſ. & Eruditiſſ. Juvenem Dn. Hammerſchmidt, cognatione Tibi junctum, nolui eum ſine paucis à me lineis ad Te reverti. Sic autem ille ſe geſſit in Academia noſtra, ut vota propinquorum quantumvis avara, non meo tantum, ſed & aliorum Dnn. Collegarum meorum judicio penitus videatur implêſſe, omnibusq; bonis charus apud nos extiterit. Quod poſterius modeſtiâ ſuâ, quam in ipſo ſingularem animadverti, morumq; commoditate conſecutus eſt, quæ poſſeſſori ſuo, quod auguramur, plurimum olim commodabunt. Quòd ad me attinet, nihil equidem magis cupio, quàm in manus mihi dari occaſionem, quâ ipſi & ipſius ſimilibus ratione aliquâ prodeſſe queam. Tibi verò, Vir Conſultisſime, quid tenuitas mea rependere valeat pro iis, quæ in literis tuis mihi perliberaliter tribuiſti, cum advocato Terentiano ampliùs deliberandum cenſeo. Certum enim eſt, nullam amoris ſignificationem tantam eſſe poſſe, quin ea tuâ humanitate & ſuperetur & obruatur. B. V. & hunc mihi animum conſerva. Dabam occupatiſſ. Altorphii 5. Aprilis 1612.

P. S. Conditionem, quam mihi quoq; in literis ad Clariſſimum Virum Dn. Cunradum Rittershuſium J.C. & Anteceſſorem & Affinem &c. communem detuliſti, gratam acceptisſimamq; habeo. Sed quia ea non verbis, ſed factis, Martiali teſte, adimpletur, (nolo enim affinitatem noſtram codicillarem eſſe) idcircò expecto, ut officio aliquo fidem affinis pericliteris, atq; ita quaſi in poſſesſionem juris affinitatis deducaris, non patientiâ aliquâ tuâ, (ut in juribus incorporalibus aſſolet) ſed flagitatione, ſed reapſe & factis amicitiâ liberali dignis. Benè vale, Cl. & honoratisſime Domine Affinis. Dabo die Viridium 1612.

Idem Conr. Balthaſari Queccio.

S. P. D. Literæ tuæ, *Præſtantiſſime & Doctiſſ. Vir, Dn. Affinis dilectiſſime,* quibus ad ſolemnitatem nuptiarum cum honeſtiſſ. & pudiciſſ. Virgine Margarita Graſhornia celebrandarum me invitâſti, longè gratisſimæ mihi fuerunt: tum ob memoriam amicitiæ & neceſſitudinis noſtræ veteris, quam Tu omni genere officiorum ſanctisſimè atq; honeſtisſimè ſemper coluiſti; tum quòd Parentum

tum tuorum votum minimè ignorarem, qui Avorum nomen Parentum appellatione multò dulciùs judicant. Idcircò, cùm priùs quidem Dn. Parenti tuo V. C. de vitæ statione, in qua Te Ill. herus tuus, perspectâ virtute ac fide tuâ, collocavit, gratulatus essem: Nunc Tibi de vitæ socia, quæ ex voto contigit, ex animo gratulor. DEUM quoq; Opt. Max. sine quo felix nihil esse potest, veneror, uti nuptias has tuas, primas licèt, verè secundas esse velit, Vosq; sponsos omni genere bonorum felicitet, ac in primis in concordia mutua quàm diutissimè conservet!

ne malis
divulsos querimoniis
supremo citius solvat amor die. Γένοιτο ἄν.

Cuperem spectator esse festivitatis tuæ: Sed nec loci enormis distantia, nec luctus acerbissimus, in quem non ita pridem conjecit me mors filiæ meæ obsequentissimæ Sabinæ, puellæ pubertati proximæ, hoc patiuntur. Nummum injectum loco muneris nuptialis boni quæso consule, nec exiguitatem adspernare, & Vale.

Idem Jo. Gryphiandro.

Redditæ mihi sunt hesterno die literæ tuæ unà cum Disputationibus tàm Illiconis Cl. quàm tuis, Vir Doctissime, Amice honoratissime, nec est, quòd moram purges: Ea enim vel nulla vel exigua fuit, & si qua fuisset, munere Disputationum tuarum gratissimo egregiè pensaretur. Cupio autem præter eas, quas accepi, etiam primam & quartam videre, quæ hactenus mihi invisæ. Fac, obsecrò ut quamprimùm vel prece vel precio habeam, ut cum reliquis ligari possint. Quòd vacare Te Panegyricis Cæsareis expoliendis scribis (quanquam mira hæc est vacatio, quæ tota in negocio & ingenii intentione posita est) gratum multis studium, Tibi honorificum futurum auguror. Scio, inexpectatum plerisq; opus aggressum Te esse, sed iis, qui Jurisconsultum duntaxat Te & Politicum, non etiam Poëtam esse noverant: Cæterùm ad laudem tuam hoc totum pertinere judicandum est, qui non tantùm in iis, quorum scientiam antea profitebaris, toto ingenio veheris, sed etiam, in quibus versatum Te hactenus dissimulâsti, æqualem peritissimis approbâsti. Βάλλ' οὕτως, judiciorum securus, quæ qualia de Te & poësi ista tua doctissimorum hominum sunt, (de aliorum siquidem censuris οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ) nemo apud Te sine specie quadam adulationis commemorare potest. Illud non sine acerbo quodam doloris sensu ex literis tuis cognovi, quòd metu pestis Academiam Vestram nondum omninò liberatam scribis. Verum ut nunc sunt tempora, idem nostræ Academiæ timendum

video, cui ex propinquo vis ista major jam minatur, nisi nostri misereatur is, quem penes vitæ & mortis arbitrium est. Quòd gratias agis pro nescio qua benevolentia exhibita, scito, Te majora promeritum, me, ne majora præstare viribus & occasione, dum apud nos esses, defectum fuisse, omni tamen studio & fide de commodis tuis cogitaturum: Fundamenta jacta sunt, cùm ante paucas septimanas sciscitantibus de Te Amplissimis Dnn. Curatoribus hujus Acad. prolixè multa de studiis tuis suggessi, quæ pronis auribus ab illis accepta animadverti. Tuum est, quid porrò fieri à me velis, maturè significare, faxo, ne operam meam ulla in re desideres. Benè vale, Amice charissime. Dab. raptim incommodâ valetudine, die 13. Septembris 1612.

Idem Eidem.

Sicut omnia à Te mihi grata, ita literæ tuæ novissimæ cum munere egregio mihi transmissæ, Disputationum videlicet Dn. D. Gerhardi &c. quibus mantissæ loco tuas cum parentatione ingeniosissima adjecisti, quarum exemplaria datâ occasione distribuam suo quoq; loco, & gratias interim ago. De Donello enucleato quòd solicitus meâ causâ fuisti, fecisti Tu quidem perbenignè, & amicè. Sed non mihi animus, precibus quicquam emere, quibus quod emitur, carissimum esse nôsti, & est DEI munere, unde solvam. Quod Tu quoq; prudenter animadvertisti; sufficit mihi hac vice per Te cognovisse, quid de editione partis secundæ sperandum sit. Reliqua ad Te pertinentia mihi & aliis Tui amantibus curæ erunt; sed de politica professione nihil est, quod quisquam expectet, & propter causas à Te allatas & propter alias secretiores juxta & ignobiliores; de quibus proinde multa scribere non vacat. Quod autem de quodam Dn. Collega meo scribis, scito, Te rem planè novam mihi & Dn. quoq; Rittershusio nunciâsse. Vellem locum à Te expressum esse. Sed & hæc & alia tempus manifestabit. Nunc aliud est, quod Te rogem. Et poteris ex Dn. M. Burchkardo, Cognato meo, intelligere, quid literis suis à me non ita pridem petierit. Ejus precibus morem gessi, ipsumq; Dejum Cognatum meum unà cum alio quodam juvene mihi amico Dn. Paulo Groë Norimberg. (qui ante paucos dies ex hoc loco ad Vos migravit) iisdem literis commendavi celeberrimo Dn. Affini meo D. Ortulpho Fohmanno &c. Has verò literas cuperem ab ambobus simul eidem offerri, qui quâ est humanitate, favorem expetitum in ambos humaniter partietur, votiq; compotes faciet. Utriq; scribere volebam, sed tempore exclusus non potui, quam ob rem illis me excusabis. Lectiones aliquandiu apud nos intermissas, sublato omni pestis periculo, (de quo DEO omnipotenti gratias agimus) ipsis Calendis Novembribus resumpsimus. Quo nuncio

scio

ſcio Te plurimùm exhilaratum iri. Plura nunc non addo, ne ſtudia tua morer, quibus totum immerſum Te novi. B. V. Dab. Altorfii die XI. Nov. 1612.

Idem Erneſto Fohmanno.

SCripſit ad me ante paucos dies Nobilis & Ampliſſimus Vir Dn. Joannes Im Hof, Patricius Norimbergenſis, familiâ ſenatoriâ, qui multis verbis à me contendit, ut Tibi commendem filium ipſius Jo. Hieronymum, quem intra menſis ſpatium ad celebratiſſimam Academiam Veſtram, meo in primis conſilio, miſſurus eſt. Negare non potui Viro amiciſſimo officium iſtud, cùm aliis de cauſis, tum quòd fiducia firmiſſima concepta de humanitate tua minimè conſultum eum filio arbitrari animadverti, niſi Principis Juriſconſultorum auſpiciis in Oppidum Veſtrum veniat, Themidi robuſtiori deinceps apud Vos facturus. Eſt namq; Pater non ſolùm φιλόμυσ☉, ſed doctorum omnium fautor & admirator propè ſingularis, talemq; ego & Collegæ mei Clariſſimi per multos annos experti ſumus. Ad filium verò Jo. Hieronymum quod attinet, modeſtiſſimo eum ingenio eſſe per multos annos perſpexi, & in lectione Inſtitutionum auditorem aſſiduum habui, dignum planè eâ cognitione, quæ maximos Viros Reipub. non Norimbergenſi modò, ſed & toti Germaniæ dedit, & commendatione iſtâ. Hujus namq; adoleſcentis Proavus Parenti cognominis Jo. Im Hof in matrimonio habuit filiam Illuſtris quondam Viri Bilibaldi Pirckheimeri, Conſiliarii intimi Maximiliani I. & Caroli V. Impp. de cujus operibus & rebus geſtis poſt integros commentarios à Ritterſhuſio noſtro & Goldaſto editos, lege, ſi placet, quos mitto, verſiculos. Matrem habuit Paumgartneram, Supremi Duumviri Norimbergenſis ſororem; nec quidquam ulterius addo in genere iſto. Quod ſcribere rogatus ſum, hoc exequar: Is igitur Pater, Vir Opt. Tui obſervantiſſimus majorem in modum verbis meis Te, Affinis celeberrime, rogat, ut, cùm filius Jenam venerit, conveniendi & conſulendi Tui copiam habeat. Futurum recepi, tametſi formulâ illâ LICET CONSULERE? (quâ Cic. uſos olim fuiſſe notat, qui JCtos adirent) non utatur. Nec enim magis domum tuam ingenuis & eruditis adoleſcentibus claudi, quàm fores olim domus Tribunitiæ, ad quas indigentibus velut ad aſylum aliquod noctu atque interdiu aditus patebat. Ut verò eundem etiam in convictum & habitationem tuam recipias, polliceri eidem auſus non ſum. Tui arbitrii res erit, cùm filius hoc petierit. Cæterùm cùm tanti boni (nihil enim melius aut pretioſius Viri gravis & amici conſilio atq; operâ) quod pluribus ſufficere poteſt, unum ſolum vix conveniat participem fieri, adjunctus eſt eidem Jo. Hieronymo æquè Nobilis adoleſcens amitinus ipſius ex familia Senatoria Tezeliorum, Jo. Jacobus, qui & ipſe ex Gallia

Nnnn 2 rever-

reversus aliquandiu apud vos commorari studiorum causâ cogitat. Quem ut pari benevolentiâ complectaris, consilio juves, auctoritate regas & tuearis, nomine ejus, quem dixi, Jo. Im Hof majorem in modum rogo, promittens, Te in hominem gratum beneficium istud collaturum, quod ipse quoque pro tenuitate mea demereri non cessabo. B. V. Clarissime Dn. Affinis, & me, quod facis, porrò ama. Dab. Altorphii.

Idem Gustavo Adolpho, Regi Sueciæ &c.

SErenissime, Inclytissime, Invictissimeq́, Rex, Domine Clementissime, quod in hac nocte temporum salutare sidus illuxisti Christiano orbi, atq; huic præsertim nostræ Germaniæ lucem, exoptatissimo T. M. adventu; totq; victoriarum eximio deinceps fulgore reddidisti: Primùm, ut fas piumvé est, DEO T. O. M. tanti tamq; inæstimabilis boni autori capiti, origini, gratias, quas possumus animis concipere, maximas agimus habemusq;; Ex hoc enim fonte, tua ista, Augusta atq; divina omnibusq; penè seculis inaudita virtus pietasq; profluxit: Et incomparabile prorsus T. M. studium erga miserrimam hanc nostram patriam, nosq; ipsos, posterosq; nostros gratâ quoque ac piâ mente agnoscimus, &, dum vita suppetit, agnoscemus ac pro virili celebrabimus. Quum verò M. T. ut unicè exoptaramus, pedibus ipsi præsentes impræsentiarum advolvi nequeamus, hanc epistolam misimus, quæ nostrâ absentium vice T. M. supplex adiret, atq; ut, inter gravissimas suas pro salute communi occupationes, Academiæ quoq; nostræ, tot circumstantibus periculis, & hoste in proximo omnes opprimendi nos occasiones captante, curam suscipere, eamq; in patrocinium, tutelam protectionemq; suam clementissimè recipere dignetur, quàm humillimè precaretur. Quod quidem ipsum nos omnes singulosq;, qui superamus hujus Universitatis Cives, quâ par est animorum devotione, ac secundùm DEUM in sola M. T. ope auxilioq; spem salutis nostræ collocantes, etiam absentes facere, ipsa sibi persuadeat. Tuæ igitur M. suppliciter & quàm demississimis devotissimisq; animis etiam atq; etiam nos commendamus.

Idem Præposito Bambergensi.

ADmodum Reverende & Illustrissime Domine Præposite, Domine Gratiose: Valdè sim ingratus, nisi pro Ill. & R. auctoris opere pulcherrimo divini argumenti, dono mihi ante dies plusculos misso Ill. D. T. gratias agam, illudq; longè mihi gratissimum esse profitear. Non solùm quia ab ejus lectione doctior & melior recedere quilibet potest, sed etiam quia nomen ipsum & arma gentilitia manusq; donatoris in frontispicio addita, mirificè me delectant & ad cognoscendum

dum totum me invitant. Ejus verò libri octo prima capita ubi perlegi, recordatus calumniæ auctori adſperſæ & colloquii noſtri, nihil aliud quàm Gallicum illud, in ſimili genere uſurpari ſolitum, & Ill. D. T. notum pronunciavi: * * * Sic enim exiſtimo, quemadmodum à luporum ululatu vel latratu canum nihil penitus Lunæ eſt periculi: Ita talium tantorumq; Virorum multò excelſiori loco poſitam eſſe exiſtimationem, quàm ut à vili canicula aut tenebrione aliquo diabólo arrodi poſſit. Lapparum echini, prætereuntium veſtibus facilè adhæreſcunt. Sed iidem nullo negotio excutiuntur, vel arefacti ſponte decidunt. Sic calumniæ, mendacia, & uno verbo ficta omnia orto Veritatis ſole, tanquam herba ſolſtitialis exareſcunt celeriterq; decidunt. Certè ſi quid apud fatuos vel odio ſuffuſos adhæſit famæ auctoris noſtri, id omne operis hujus editione abſterſum penitus judico: Ipſos verò, quos tam putidæ fabulæ credere nihil puditum eſt, ad Menandri judicium ablegandos, cujus hic eſt verſiculus:

ὅστις δὲ διαβολαῖσι πείθεται ταχὺ,

Rectè! *Calumnia* quippe *genus eſt rumori credere.* Quintiliano teſte, ſed περὶ διαβολῆς plus ſatis. Nunc tempus monet, & almum quæ rapit hora diem, ut novum hunc annum Ill. Dn. T. cum pl. aliis affluentibus omni bonorum copia coronatum precer ab eo, cujus muneris eſſe agnoſcimus, quod precariam animam ad hoc usq; tempus protraximus, Deo, inquam, Opt. Max. Idem Ill. D. T. quàm diutiſſimè ſoſpitem mihiq; faventem conſervet. Dabam ipſis Nonis Januar. A. C. 1616.

Idem Erneſto Fohmanno.

S. P. D. Nactus occaſionem præſentem ſcribendi, Cl. & Conſultiſſime Dn. Doctor, Affinis pl. honorande, nolui tabellarium iſtum ſine meis ad Te venire. Quanquam enim nihil dignum ſcriptione occurrit, nec quicquam eſt, quod vel ſcire tuâ, vel meâ perſcribere intereſt: tamen vel vacuas litteras non ingratas Tibi fore ſperavi, memor illius Theocritæi:

ἐστὶ καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασιν ἁδέα τέρψις.

Quid enim? An quia Tu & ſoror mea me intra hos quatuor annos ſalute nullâ, nec litteris dignati eſtis, id quod reprehenſione nonnulli dignum putant, ego eandem cenſuram ſubibo, & non-uſu fructum amicitiæ noſtræ amittam? Non faciam. Teq; invito jus, quod ex affinitate mihi ſemel quæſitum eſt, perſequar: Præcipuè, cùm non omninò ἀναπολόγητον Te eſſe credam. Negotia & occupationes cauſſaberis, quas Tibi non deeſſe probè ſcio. Quod ſi de raritate commeantium ad nos aliquid dicere velles, in ea cauſſa eſſes, ut convinci poſſes. Sed neq; actorem nunc neq; judicem ago, multò verò minus Ariſtarchum aliquem

& censorem. Illud jam interminor, ut quando sine ulla justa causa tamdiu septum & clausum habuisti iter amicitiæ & necessitudinis nostræ, hac æstate ipse ad me cum uxore & liberis purgatum Te venias, vel si grave hoc Tibi est, me & uxorem meam Coburgi expectes, qui ultrò accusatum Te moratoriâ amicitiâ adveniemus. Benè & fel. vale cum uxore & familia. Dab. rapt. Altorfii die 29. Aprilis 1610.

Idem Rutgero Rulanto, JC. & Consiliario Luneburg.

INcidi ante paucos dies in literas tuas, Nob. & Amplissime Vir, Domine & Amice observande, quæ ante annum ferè ad me perscriptæ, nescio, quo fato hactenus inter libros & alia impedimenta mea delituerunt, seriusq;, quàm par est, ad manus meas pervenerunt. Petebas Tibi ex tractatu aliquo meo explicari parergon quoddam, quod in Disputatione, quæ ad l. 2. C. de rescind. vend. me Præside habita fuit, primo loco positum est. Ubi quærebatur, an templa & res sacræ ad Imperatorem spectent nec ne? Simulq; auctoritas S. Ambrosii adducebatur in Epist. 33. Gravis utiq; & magni momenti quæstio mihi videtur: de qua quid ego sentiam, noli requirere. Quid autem Respondens meus ante oculos habuerit, (qui ultra sesquiannum in Belgio & Anglia degit) si divinare licet, id nunc aperiam. Videtur autem respexisse ad ea, quæ tradita sunt ab *Alberico Gentile, Disputat. regali 1. pag. 13. & 14. & Disput. regali 3. pag. 123. & lib. 3. de jure belli c. 6. pag. 505. & seq.* ubi probat, non esse penitùs commercio sacra exempta, quia & aliquando alienari possint, & sub publicis rebus contineantur & prophanari dicantur in Juris textibus, & per alias rationes. Respondet etiam ibidem ad exemplum S. Ambrosii templum Valentiniano Imperatori denegantis. Breviter ille quidem & concisè, addo & obscurè hæc ibidem, more suo, tractat: Sed ita tamen, ut in jure versatis rationes illas explicare & deducere difficile non sit. Ego auctorem indicâsse sat habeo, tuoq; judicio permitto, quantum rationibus illis tribuere velis &c. Quod autem seriùs literis tuis respondi, causa ea fuit, quam modò attuli. Absente me (ut fit) literæ tuæ redditæ fuerunt, ex domum reversi oculos & manus fefellerunt, eo fortè loco repositæ, ad quem rariùs accedere soleo. Verba ipsa auctoris hoc loco adscripsissem: Sed librum præcipuè Disputationum regalium nancisci non potui, quem tamen olim legi, Teq; de fide allegationum securum esse jubeo. Benè Vale, nosq; ama. Dabam Altdorffii a. d. 10. Julii Anno 1624.

Idem Eidem.

DOctissimis & amantiss. literis tuis, quas Gustrovio par juvenum nobilissimum ad me pertulit, quid rependam, Vir Cl. & Excell.? Equidem ut pari affectu Tibi responderem, sperare poteras: Ut curâ pari & ornatu, expectare minimè debuisti, quanquam nec præstare eandem, si velim, possum. Officiorum siquidem mutuæq; benevolentiæ, non etiam diligentiæ & elegantiæ in scribendo societatem coivimus, in qua sicut & in aliis cedere me Tibi libenter profiteor. Idcircò, quod amici est, facio, & in primis Tibi tam de Sparta splendida, quam post iter Gallicum nactus es, quàm de matrimonio auspicatissimo, quod cum magni & celeberrimi Viri *Dn. Friderici Pruckmanni, Cancellarii Ser. Electoris Brandenburg.* filia contraxisti, ex animo gratulor. Utraq; felicitate Te dignissimum, quotquot Te nôrunt boni, judicant. Et quando in iisdem literis, quæ mea nunc sit conditio, quodve matrimonium, requiris, de utroq; vicissim uno verbo sic accipe: Talia esse, qualia DEUS esse voluit & quibus contentus nemini invideo. In uno fortunam meam accusare quandoq; soleo, quòd conjugiũ illud corporis atq; animæ (sic enim cum Lucretio appellare libet, quod Tecum mihi Tubingæ intercessit studiorum commilitium) non modò nimis maturè dissolvit, sed divortium insuper istud immenso terrarum spatio interjecto velut firmavit. In quo tamen ipso quoq; amoris tui erga me constantiam admirari satis nequeo, qui decretum rigidæ illius heræ humanitate tuâ corrigere, & quod coràm nobis negatum est, literis præstare voluisti, ut manifestum jam sit, nihil vel parùm in veram amicitiam fortunam posse. Quòd si Dei munere dextras insuper aliquando jungere verasq;, quod ait Poëta, audire & reddere voces concederetur, beatissimum equidem me æstimarem.

Idem Dan. Burchardo.

LEgi supplicationem pro implemento Legitimæ, *Vir Clariss. & Consultissime Domine Cognate observandiss.* eamq; cùm & mihi olim usui esse posit, descripsi, & vehementer in omnibus probavi. Neq; profectò video, quid vel Tu in ea vel cæteri etiam Adfines desiderare possint: Quâ hoc effectum iri spero, ut quamvis secundùm eam judicium non detur (ut enim detur, apud corruptos alienatosq; judices vix sperare licet) tamen vidua judicii & sumptuum metuens, inq; caussa non intellecta nimiopere suspicax, ipsâ diffidentiâ ad æquas transactionis conditiones condescendere cogatur. De ipso autem testamento ita judico, quanquam in eo testator pietatem paternam Novercalibus delinimentis posthabuit, tamen diligentissimi patrisfamilias munere etiam in rebus levissimis eũ perfunctum,

functum, nimiamq; & miseram propè quandam solicitudinem in rerum omnium ordinatione adhibuisse. Quæ cùm propria sit Jurisconsultorum in testamentis faciendis cautio, venio in eam suspicionem, ut puto eos ipsos, qui scilicet in caussa ista Judices sedebunt, suasores & auctores dispositionis hujus extitisse. Illud iniquissimum & intolerabile semper mihi visum est, quòd jure Wirtembergico ex adquisitis secundi matrimonii nulla planè pars prioribus liberis deciditur. Atq; in specie caussæ hujus nostræ, quomodo negari potest, Initium felicitatis atq; opulentiæ omnis non ex secundo, sed primo matrimonio testatori nostro p. m. ortum esse? cùm videlicet adnitente fidelissimâ conjuge, matre tuâ, in re arcta, vel potiùs mediocri, tantò majore curâ & labore honestæ opes pararentur, quantò majore injustitiâ earum lucra superinducta liberis noverca postea erepta sunt. Memorabile est, quod Lampis, *(1. apud Plutarch.)* negotiator quidam, olim respondit: Is enim interrogatus, quomodo sibi parâsset divitias, *Magnas*, inquit, *haud difficulter, exiguas verò cum labore ac tardè.* Sentiens initio paulatim magnaq; vigilantiâ nummos corradi: Cæterùm paratâ jam magnâ sorte cuivis facilè esse lucris amplis ditescere. Sed de his coràm aliquando plura.

Illud si nescis, CL. Dn. Cognate, celare Te non debeo, Dn. Doctorem Heldium cùm intelligeret testamentum Dn. GL facilè ab heredibus ad agendum paratissimis everti posse, maximâ festinatione usum, nomine viduæ cum illis transegisse, ut fama transacti negotii ipsum propè nuncium de adventu ipsius in oppidum nostrum apud multos præverterit: Ita ut pleriq; hujus negotii gnari adfirment, plus hac transactione heredes consecutos esse, quàm expugnato eversoq; planè testamento consecuturi erant. Et hunc finem habuit actio ista testamentaria, famosissimaq, illa promissa H; qui se defendente sartum tectum contra quoscunq; testamentum futurum viduæ receperat: Quæ omnia sicut in expectationem eventus non paucorum animos erexerunt, ita nihil præter ridendi materiam plerisq; præbuerunt. Benè Vale, Vir CL, & me ama. Dab. Altorfii 21. Octobr. 1607.

Idem Eidem.

S. P. Quòd nuper visendi caussâ Dominus Leuchsnerus ad nos Altorfium excurrit, Clarissime & Consultissime Vir, Domine Cognate pl observande, id tuæ in primis solicitudini & in me pietati adscribo: Qui, quòd metueres, ne verum esset, quod de peste rumor ferebat, vel etiam ne nimis hîc plerisq; essem, aut ipse mihi viderer peregrinus, voluisti de rebus omnibus per hominem amicissimum fieri certior. Gratias ergò ago Excell. T. pro isthoc officio, tum verò lectissimæ feminæ, uxori tuæ, quæ operam mihi & uxori meæ in emendis No-

ribergæ

ribergæ necessariis liberaliter & perbenignè obtulit. Cæterum cùm existimarem, me deinceps etiam gratum Tibi facturum, si de rebus meis aliquid ad Te perscriberem; atq; præterito die Saturni, qui fuit XIII. Septemb. Ampliss. Senatus Noriberg. Acta utriusq; instantiæ Müllers contra Richtern ad me misisset, & quid pronunciandum in illa causa foret, sententiam meam poposcisset, volui hoc ipsum ad Te perscribere, & quantum mihi in hoc negotio opera & consilium tuum præstare possit, significare. Nôsti me non tam loci hujus, quo nuper hospes novus adveni, quàm hujus conditionis meæ & negotiorum Urbis Vestræ esse insolentem: Nescire etiam, quâ formâ tam magnis Consultoribus respondendum sit; An nomen subscribendum, an per Epistolam sententia explicanda, an alio modo. Quare majorem in modum oro atq; obsecro, ut formulam aliquam cujusvis consultationis tuæ sive Responsi ad me mittere digneris, quam ego, velut typum quendam, præ oculis habeam, eumq;, quà licet, imiter. Nihil autem Tibi periculi, ne illa in aliorum fortè manus perveniat, rectè enim à me cavebitur. Illud etiam scire meâ refert, quantum temporis spatium communiter soleat uni alicui consultationi indulgeri, neq; præcurrere alios cupio. Hoc etiam addo atq; edico, non cupere me, ut Excell. T. ad dubitationes istas meas rescribat, satis namq; superq; consultum mihi erit, si quæ de istis tua sit sententia, Dn. Leuchsnerus obiter intelligat, & ad me scribat, quem ego promptissimum & officiosissimum in hoc officiorum genere esse perspexi.

Causam alteram Amplissimi Dn. Consulis Vestri tandem perlegi, plurimorum sanè versuum, &, quod ait Horatius: Periculosæ plenum opus aleæ. Intricatum certè & infinitis propè utrinq; articulis involutum. Constitui remittere ipsi ad proximum diem Martis, id quod Excell. T. si occasio ita feret, ipsi, sine tamen ulla difficultatis mentione, poterit significare.

Idem Jo. Hoënsteinio, JC. Consil. Brandenburgico.

M*Agnifice, Nobiliss. & Consultissime Domine, Amice colende.* Ut has ad Te darem literas, fecit jampridem amicus, Tibi quoq; notus, Dn. Johannes Christophorus Baumgartner, Crailsheimensis, J. U. Candidatus: Qui, à nobis discedens, summoperè me rogavit, ut quacunq; oblatâ occasione se Tibi commendarem, eo præcipuè nomine, ut quæ ad nomen Candidati acquirendum, per discrimina Tentaminum aliarumq; similium explorationum ab ipso præstita sunt, meâ relatione ac fide Tibi innotescerent. Quanquam autem hoc petenti statim, quod res erat, respondi, me à Collegio, quo tempore ipse Tentamen & Examen rigorosum Altdorphii subiit, velut necessariâ ob valetudinem mis-

 sione

sione impetratâ absfuisse, & soli disputationi publicæ, quam sine Præside habuit, interfuisse: Quam ob causam verendum utriq; nostrum esset, ne fides testimonio, propter absentiam, tanta constaret, quanta testimoniis primæ notæ minimeq; suspectis constare debet. Nullâ tamen ratione dimovere eundem ab hoc consilio potui: Vel ideò, quia spes suas omnes in benevolentia & auctoritate tuâ repositas habet, & necessarium ob id credit, ut apud Te probatio aliqua sui in Jure profectus, à bona manu extaret: Vel quia, quo me amore complectitur, etiam imperfectum testimonium meum sibi apud Te profuturum existimat. Hoc igitur, quicquid est officii, seriùs quidem, quàm vellem, Candidato nostro præstiturus Tibi, Vir Magnifice, ex animi mei sententia confirmo, illum in Disputatione, cui me interfuisse suprà scripsi, omnium judicio, præclarissimè stetisse. Est autem (quod non ignoras) Disputatio ejusmodi absq; Hercule susceptа, haud paulò periculosioris aleæ negotium, quàm reliquæ examinum species. De quibus tamen & ipsis hoc significo, quod à tribus Collegis meis Clarissimis Norimbergâ domum reversus non semel audivi, eundem Candidatum in utroq; Examine egregiè Dominis Examinatoribus satisfecisse, & quod dici solet, punctum omne tulisse. Quæ cùm ita sese habeant, & in continenti ab iis, qui præsentes omnia viderunt atq; audiverunt, nullo negotio confirmari possint: Nolo esse in scribendo prolixior. A Te autem peto, Vir Amplissime, ut verbis meis, si idoneus Tibi testis videbor, fidem habeas: Eum quoq, qui testimonii has literas efflagitavit, sicut semel ornandum atq; juvandum suscepisti, ita porrò quoque juvandum atq; fovendum existimes. Quod superest, annum novum, quem ante dies pauculos ingressi sumus, à DEO Opt. Max. omni felicitate ac prosperitate coronatum atq; refertum ex animo Tibi tuisq; omnibus precor. Datum Altorphii prid. Non. Januar. A. C. 1631.

Idem Christophoro Furero.

N*Obiliss. Ampliss. & Prudentissime Dn. SEPTEMVIR & Scholarcha digniss. Domine colende, Patrone magne.* Omnes quidem homines summâ ope niti decet, ne callidè vel insidiosè quidquam adversùs alios fecisse existimentur: Præcipuè tamen eos, qui cum Magistratu suo, sive sponte sive necessitate ita cogente, contrahunt atq; paciscuntur, quîcum tantò simplicius sinceriusq; agendum est, quantò major illi debetur reverentia, faciliusq; Pietas læditur. Quod crimen ut à me quoq; quàm longissimè abesse ostenderem, neq; Nobil. Dom. T. sententiam, quam ante tres septimanas domi suæ mihi aperuit, silentio callidè elusam à me, oppressamq; penitùs ejus rei mentionem suspicari posset, his literis faciendum mihi videbatur: Quas ut fronte serenâ noscere dignetur, majo-

majorem in modum rogo. Quæstio inter nos erat de nova obligatione: (nam vetus obligatio quinquennalis ante annos 18. jam expiraverat) ostendi vultu & oratione, hanc quæstionem esse ex perplexis sive ἐκ τῶν ἀπόρων. Et fatebatur Nob. D. T. similitudine à conjugii vinculo, hoc est, libertatis venditione, ductâ atq; in medium allatâ. Utrinq; igitur consentiebamus, ampliùs de obligatione deliberandum esse. Hîc ego, ut monstrarem quæstionem hanc sublatam esse, Exceptione transactionis perfectæ litisq; finitæ, si qua fuisset, oppositâ, me atq; libertatem meam defendere cœpi. Exposui autem, quemadmodum in absentia Nobilissimæ D. T. propter conventum Mülhusinum, cæteri Dnn. Scholarchæ &c. Domini ac Patroni mei colendi, mecum convenissent, simulq;, quâ decet, observantiâ petii, ut staretur pacto. Provocavi autem ad protocollum (quod vocant) utrumq; tam Dn. Scholarchæ Löffelholtzii, Dn. mei pl. observandi, quàm Secretarii ejusdem Collegii Scholarcharum &c. Burgeri: Ex quibus constare liquidò possit, quid inter nos actum esset. Testes autem mihi erunt modò laudati Ampliss. Nobiliss. & Prudentissimi Dn. Scholarchæ, omnia transacta fuisse. Primùm mandatu Inclyti Senatus Norimbergensis, vel saltem Concilii sanctioris & secretioris Dominorum Septemvirorum ejusdem Reipublicæ &c. deinde etiam mandatu Nob. Dom. T. tum absentis: Quod non inficiabuntur Dn. Septemvir Grundherrus, & Dn. Scholarcha Volckamerus &c. Testabuntur præterea iidem pure & absque ulla conditione obligationis novæ omnia transacta esse. Et cùm multò antè, hoc est, diebus Canicularibus hujus anni hac eâdem de re ad Concilium DOMINORUM Septemvirorum vel ad totum Senatum Inclytum relatum fuisset; ne minimam quidem injectam mentionem novæ obligationis fuisse constat. Conclusio tandem (quæ in omni conventione præcipuè spectatur) hæc fuit, qualis in contractu innominato DO vel DAMUS, UT FACIAS, cernitur. Arrha pecuniaria data, accepta eodem die, eâq; firmatus contractus. Quod facere promiseram, statim domum reversus effectum dedi, conditionem ac provinciam invidendam destitui, projeci, repudiavi: Ex parte mea contractum implevi. Quid causæ est, quòd cætera, quæ vicissim ex eodem contractu præstari mihi oportet, ea nunc quasi in dubium vocentur, non compareant ac opere complentur? Convenit de quantitate, de loco & tempore, item de silentio rebus transactis præstando. Creditum est: Tacitum est: Sed spei emptorem hactenus quidem

Expectata seges vanis elusit aristis.

DEUM ipsum pacto ligari omnium consensu tam Theologorum quàm JC. obtinuit. Nec dubitatur, quin transactio ad ea, de quibus neq; cogitatum, neq; dictum quidquam fuit, velut ad novam obligationem extendi non possit, quippe cùm strictè eam omnes interpretandam nôrint. Contractum verò perfectum

nomine totius Senatus vel secretioris Concilii celebratum lusorium fieri, non dignitas Ordinis, non leges patiuntur. Et quamvis in contractibus innominatis (inter quos est transactio) pœnitere re integrâ liceat: Implemento tamen ab una vel altera parte secuto, pœnitentiæ locum ampliùs non esse, juris est certissimi. Ut nihil nunc dicam de eo, quòd contractus omnes cum Principibus & Rebuspublicis initos bonæ fidei esse, communiter ab omnibus traditum est. Scio, Tibi, Nobiliss. Dn. Septemvir, Dn. & Patrone magne, esse hæc omnia notissima. Scio quoq;, pro eâ, quâ polles, auctoritate apud Inclytum Senatum uno verbo efficere Te posse, ut, quod cæteris Dnn. Scholarchis delegatis ac Commissariis in causa præsenti, placuit, id Te ratum habente, imò vi mandati præcedentis, statim ad effectum perducatur; Quod planè futurum confido. Oro autem Nob. Dn. T. ut quâ conditione Parens meus & Socer meus piè defuncti Pontificiis Principibus ac Dnn. servierunt, eâdem & mihi Inclytæ Reipub. deinceps servire liceat, quamdiu quidem Dominis herisq; meis visum erit. Nihil in studia mea vel honorem Doctoratus unquam impendit Respub. Inclyta. Libertatem in rerum omnium penuria pro parte pretii habui, rem, ut regula Juris habet, inæstimabilem: Sed neq; animus mihi est, Rempub. & Universitatem Vestram intempestivè, absq; causa urgentissima deserere. Sponte Vobis servire, quàm coactum aut obligatione novâ illaqueatum honestius duco: Non enim nisi in voluntariis actionibus Virtus propriè invenitur ac perspicitur. Adjicio hoc quoq;, si ita videatur Inclyto Senatui, Magistratui meo, me jusjurandum, quod initio functionis meæ in pleno Senatu Norimbergæ præstiti, demptâ tamen clausulâ de nova in quinquennium obligatione, renovaturum, iteraturumq;: ut palàm fiat omnibus, eum, qui paratus est honestè servire, non etiam detrectare sæpius fidem adstringere. De quibus omnibus, prolixius fortè, quàm Nob. Dignitatis Tuæ negotia patiuntur, ad Eandem referre volui ac debui: Non tantùm, quia hæc res tota maximam partem ex nutu tuo dependet: Sed etiam fiduciâ Veteris commilitii in studiis, quod caritatem augere dixit Jurisconsultus, & cujus nuper in Convivio Doctorali Nob. D. T. gratiosè & ultrò nullo meo merito recordata est. Majorem autem in modum iterum rogo, ut exploratâ rei veritate, quæ absente Ipsâ gesta est, & inspecto utroq; Protocollo, de quo suprà, per Affinem meum Dn. Hofflichium, vel alium, certiorem me reddere dignetur, quid porrò expectandum mihi sit. Quod beneficium, tanquam cumulus ad alia, quæ quovis tempore mihi præstita, grato animo reminiscor, accedet. DEUS OPT. MAX. Nobiliss. Dn. T. bono Reipub. Christianæ, urbisq; & Universitatis Norimbergensis quàm diutissimè sospitem conservet: Cujus protectioni Tuæq; benevolentiæ me meosq; commendo. Dabantur a. d. 27. Novemb. A. M. DC. XXII.

Idem

Idem Socero suo.

S. P. Cogitanti mihi hoc, quod nuper in Metrocomia Fürthensi dicebas, Ampliss. & CL. Dn., Socer colende, Nobilissimum & Strenuum Virum Hieronymum de Abenberg planè jam constituisse, filium unicum, egregiâ indole adolescentem, ad uberiorem ingenii cultum huc ad me ablegare, illumq; fidei meæ credere: Simul illud venit in mentem, rem egregiam & dignam necessitudine nostrâ me præstiturum, quæ Tibi & mihi cum honestissima Matrona adfine nostra, Vidua Ammonia, intercedit; Si unâ operâ ei, quem dixi, Viro Nobiliss. dare operam, & de filio etiam adfinis nostræ Ornatiss. Juvene Michaële Ammonio benè mereri possem. Quod hac ratione commodè fieri posse videtur, si, qui adjungendus est adolescentulo Ab. morum rector καὶ μυσταγωγὸς τοῦ βίου, ex nostra potiùs familia quam ex aliis legeretur, eiq; Ammonius noster, Te duce & procurante, præficeretur. Sic enim primò futurum est, ne ignotis de carissimo mihi capite (Nythardum dico) fidem habere cogar: Qui quæ ipsi necessaria sunt, dissimulare aut celare facilè possunt: Proximum autem ut per conjunctissimum hominem eo meliùs etiam vitam & mores observare queam, quæ non nisi extraneus aliquis dissimularet, familiaris & domesticus æq; celare non potest. Eruditio sanè cæteraq;, quæ in Michaële isto Dn. Collegæ mei vehementer probant, facilè à Te impetrant, ut honestissimæ petitioni meæ & desiderio ipsius hac in parte faveas, quem quia notus Tibi est, onerare aliis laudibus nolo. Perspectum enim habeo, Te pro singulari auctoritate tua nihil non apud eundem Nobilissimum Virum posse. Qui si oculis hunc adspiceret, non equidem dubito, quin æquissimum se voto huic nostro præbiturus esset. Quòd si tuo aliquo indicio spem hanc nostram non omninò vanam esse intelligam (id quod pro summo beneficio mihi & Ammonio nostro hoc tempore sufficit) est, ut deinceps, communicato consilio, de rationibus ambiendæ hujus provinciæ conveniamus: Et est etiam, quod ego & is, quem commendatissimum Tibi esse cupio, omni genere observantiæ demereamur, pridie Nonas Februarii 1607.

Idem Georg. Remo, JC.

EXemplaria Disputationis Dn. Planeri, quæ per me distribui voluisti Dnn. Collegis meis, rectè reddita sunt singulis: Qui uno ore gratias egerunt. Sed & ipse gratiam aliquando referam, sic spero, donatori ac Respondenti, qui olim auditor meus fuit. Miror, adhùc Te recordari orationis illius meæ, quam olim Tibi exhibui censendam, cujus ego inter morbos & diversas molestissimasq; occupationes meas planè oblitus eram. Sed & alterius cujusdam recita-

tionis interea necessitas mihi imposita fuit. Eam habui ante menses tres, cùm Festum Jubilæum celebraretur in schola nostra. Istam verò posteriorem, quia fortassis, me etiam invito, prodibit, valdè optem censuræ tuæ priùs subjici à Dn. Scholarchis Nobiliss. qui illam per multas septimanas secum habent. Sic enim de Te semper judicavi, neminem in his regionibus de genere isto rectiùs aut accuratiùs judicare posse: A quo quidem expungi mea, & unâ liturâ omnia deleri malim, quàm ab aliis laudari vel approbari. Displicet nunc mihi argumentum, quod ibi tractavi. Sed non habui ad deliberandum de argumento convenientiori & ad ipsam recitationem habendam spatium longius, quàm dierum XIV. Tum multa ibi sunt languida, sicut & ipse, qui ea pronunciabat, qui præ vi morbi vix in pedibus consistere potuit. Est enim scriptum illud & conceptum & editum in morbo meo periculosissimo, à quo nondum per omnia restitutus sum. Et quî possim restitui? sunt tamen, (quod mireris) qui, si Diis placet, me repugnante & invitissimo publicandam recitationem illam existiment, & delirium ægroti opponendum & contendendum esse Orationibus Jubilæis florentissimorum ingeniorum, & eorum, qui sicut mihi constat, non semestre tantùm, sed & anni integri spatium habuerunt ad inveniendum & elaborandum argumentum suum, non continuum tantùm, sed etiam utile. Atqui hæc consilia ipsis etiam Dominis nostris & Senatoribus alioquin Prudentissimis imponunt. Si Roscium quis velit agere in orbis Christiani theatro, illum scilicet præmeditatum venire in theatrum oportet, quod pauci homines hodiè considerant: Fructus enim plerumq; immaturos in forum deferunt aliis noxios, sibi inutiles. Sed Tu usu longo & experientiâ edoctus hæc meliùs intelligis, quàm brevi Epistolâ ego complecti possum. Ad priorem orationem quod attinet, de ea post judicium tuum (quod osculor) alius quidam Cynthius aurem mihi pervellit, & admonuit, citra magnam invidiam contra Imperatores disputari publicè non posse. Ut enim Pythagoras: εὔφημον εἶναι δεῖ περὶ τοῦ ἡγεμόνος γένους. Placuit mihi vehementer libertas illa judicii, obsequioque meo dignissima visa est, etiam antequam in morbum inciderem, & nugarum mearum vel mei ipsius penitùs quasi oblivviscerer. Sed & alia postea legi, quæ amplificando argumento illi essent, si lucem mereretur: Ita ut adfecta potiùs quàm perfecta oratio illa judicari debeat. Sed de nugis satis est nugarum. Tu, Vir Ampliss. & Consultissime, vale pl. & salve, & si quid à me fieri voles, liberrimè impera. Obsequentiorem & promtiorem nancisci non poteris, si in faciendo consistet obligatio & officium, in scribendo & rescribendo pigrior sum: Sed neq; studia mea & conditio functionis meæ hoc permittunt, neq; tempus indulgent. Verum est illud magni Theologi Nazianz; Ἄφωνον ἔργον κρεῖσσον ἀπράκτου λόγου, Experiaris, si dubitas. Vale iterum.

Idem

Idem Just. Schütziö. JC. ac Professori in Acad. Marpurg.

AMplissime, & Consultissime Domine Doctor, Amice honoratissime: Qui has Tibi exhibet, est Tobias Prebst Norimbergensis, Viri Præstantissimi & Spectatissimi Dn. Matthiæ Prebst, civis & mercatoris ibid. honestiss. Adjuncti numerosiori Senatui Norimbergensi, domini adfinis mei dilectissimi, ex sorore mea filius: Juvenis singulari pietate & modestiâ, & qui Juris Civilis lectiones apud nos aliquamdiu audivit. Is, ad inclytam Universitatem vestram ab Academia ista transiturus, nullo negotio impetravit, ut Tibi se, Vir celeberrime, tribus verbis commendarem, eo fine, ut, si qua in re consilio vel auctoritate tuâ, quâ merito magnâ polles, opus habiturus sit, eidem cognato meo deesse nolis. Ita namq; à multis annis, quibus commoratus apud nos est, se gessit, ut qui punctum omne tulerunt, majorem pietatis honestatis ac erga Præceptores observantiæ laudem vix consecuti fuerint. Quibus rebus cùm ipse, DEO benedicente, (sine quo nihil possumus) Tibi se Vir Excell. satis superq; ut spero, commendaturus sit: Ne benevolentiæ tuæ, priùs à me non tentatæ, diffidere videar, hîc calamum sisto; Ubi hoc priùs adjecero, quicquid illi præstabitur, hoc eo me loco habiturum, quasi mihi ipsi præstitum fuisset. Planè Dn. Parens Tobiæ mei, adfinis meus, nunquam committet, ut beneficii, consilii vel operæ filio impensæ vel Excell. T. vel alios unquam pœnitere possit: Qui ut est fautor summus doctorum ac literatorum omnium: Ita omnia, quæ ad referendam gratiam necessaria sunt, vicissim animo suo complexurus est, req; ipsâ dignum se officio tanto ostendet. Benè vale, Dn. & Amice honoratissime, & de gratitudine nostra ne despera. Dab. Altdorphii ipsis Nonis Julii, Anno DOMINI DEIq; NOSTRI M.DC.XXVIII.

Idem Danieli Heinsio.

CLarissime & celeberrime Vir. Quintus nunc agitur annus, quod CL. & Consultissimus Vir Dn. Cunrad. Rittershusius JC. &c. Collega Compater & Affinis meus exoptatissimus, missis ad Te Tetrastichis Vidi Fabri Pybracii in Latinum à me conversis, fiduciâ amicitiæ alieno nomine id à Te contendit, quod vix quisquam verecundior à Te multis modis occupatissimo pro se petere ausus fuisset. Quasi non parùm malorum versuum esset in Germania solicitè valdè Tecum egit, ut commendatione tuâ typographum reperirent, & è regione Gallicorum typis apud Vos exscriberentur. Cæterùm percommodè accidit, ut dum typographi sterilem laborem aversati tergiversantur, occasio mihi præ-

præstaretur Tetrasticha illa ex intervallo recognoscendi: In quibus proinde plurima passim notata mihi, cancellata atq; sublata, totumq; istud opusculum ita interpolatum est, ut vix idem cum priori agnoscas. Nec enim nescis, Vir CL. quod quidam de Medicina pronunciavit, eam nihil esse aliud quàm πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν, illud etiam ad hæc studia rectè accommodari: Nec subitò omnibus, quæ dicenda aut scribenda sunt, in mentem venire. Quâ ratione factum, ut morâ (vid.s.) jamq; non tam de edendis, qui apud Vos sunt, versibus, quàm corrigendis illis & expoliendis cogitem. Majorem itaq; in modum rogo, ut homini Tibi ignoto, sed nominis tui studiosissimo hoc præstes officium, eaq; quæ ab Affine meo ante quinquennium, ut dixi, ad Te missa sunt, primâ quaq; occasione remittas. Si quâ etiam in re vicissim operâ meâ prodesse Tibi in his regionibus poterit, fac, ut sciam, expromptam eam & paratissimam experieris. Benè vale. Dab. Altorf. a. d. XXVIII. Martii CIↃ IↃC XII.

Idem Theophilo Richio.

A*mplissime & Clarissime Vir, Dn. pl. observande.* Annus ferè abiit, quòd beneficio CL. Collegæ mei, Dn. D. Scip. Gentil. primùm in noticiam tuam pervenire mihi licuit, quam postea misso munere pulcherrimo (Germaniæ, inquam, Taciti) quasi arrhâ, bono quodam amicitiæ tuæ confirmâsti. Ego interea cùm neq; munus ullum Te dignum reperirem, & ineptum putarem pro factis verba reponere, vel literas, quas tamen ipsas indignas judicabam, quas adspiceres, vix cavi, ne me ipso judice ingratitudinis condemnarer. Accessit metus quidam dignus eo, qui Juri civili operam se dare profitetur, ne, contractu amicitiæ nostræ nondum satis perfecto, pœnitere Tibi re integrâ omninò ab eo resilire liceret. Quid enim adhuc ex parte mea profectum aut præstitũ est, è quo cognoscere potueris, quanti Te faciam, vel quantoporè tuo isto affectu erga me exultẽ? Unde cùm omnia *μονομερῶς* à Te acta sint, qui solus offerendo, donando, salutando per alios numeros omnes benignissimi fautoris implesti, facilè intelligere potui, liberum esse Tibi, quod dedisti, quodq; parùm gratum esse suspicari potes, revocare vel planè deinceps omittere. Cæterùm cùm hoc gravissimum judicarem, bonum jam partum maximum incuriâ atq; dissimulatione amittere, proximum fore judicavi, si hac quasi acceptatione in scriptis, cujus, ut scis, maximus in Jure solet esse effectus, maturè mihi consulerem, qua & gratissima mihi omnia à Te accidisse testarer, & memorem gratumq; futurum pollicerer. Porrò qui eam ad Te deferret, homo fidus & certus repertus est Ornatissimus Juvenis iste, qui ad Vos iter se instituere mihi dixit, Joh. Jacobus Heberus, quiq; magnoperè se cupere ostendit, ut Tibi meis etiam literis commendaretur. Quanquam autem nihil

nihil ipsi opus fore meâ commendatione scio apud eum, cui ipse, ut intelligo, satis notus est; tamen gratificari ipsi etiam in hac re volui: Cui nec aliàs quidquam hactenus denegare debui, sed hoc pluribus in præsentia non faciam, cùm à toto Collegio JC. luculentissimum abstulerit testimonium studiorum suorum, quod Tibi exhibiturum se dixit, ita ut singulorum deprædicatione opus non sit. Per plures namq; perfectiùs veritas haberi potest. Et magis creditur Collegio, quàm singulis. Ejus verò instrumenti fidem ut plurimum apud Te valere patiaris, neq; tantùm Heberum nostrum, sed & me quàm commendatissimum habeas, vehementer oro atq; obsecro. B. V. Datæ Altorphii prid. Non. Sept. 1609.

Idem Esaiæ Brandenstein, Consiliario Elect. Sax.

ACcepi literas tuas, *Generose Dn. Brandensteini, Dn. benevolentissime*, scriptas quoad verba, elegantissimè, quoad sententiam amantissimè: Quas ob id inter ea, quæ pretiosissima habeo, asservo. Dubitavi autem aliquandiu, an quicquam responderem. Cùm enim elegantiam literarum tuarum imitari desperarem, satiùs esse judicabam, verecundo silentio herbam Tibi ut dicitur, porrigere, quàm in certamen eruditionis vel elegantiæ descendere, unde nisi cum pudore pedem referre non possem. Sed inspectis penitùs literis, quæ veteris tui amoris egregiæq; erga me animi inductionis notis pluribus tinctæ erant, quàm parvis tinctus maculis Thebanus Ophites, ut Lucanus ait: Nihil turpius existimabam, quàm ei in amore cedere, à quo rebus cæteris omnibus superarer, idcircò contra quasi vindicandum rebar, non ex jure Quiritium: Sed lineis istis paucis plenis ruris & inficetiarum. Accessit monitor, Nobiliss. Juvenis, Dn. Sigefr. à Görsdorf, Eq. Lusatus mihi conjunctiss. & planè talis, qualis literis tuis mihi commendatus fuit. Cujus utinam (sed hoc in aurem) bonitate facilitateq; alii non abuterentur, genere fortassis pares, cætera verò cum ipso minimè comparandi. Testabitur Disputatio ab ipso conscripta, & me Præside brevi, cum Deo, habenda, ipsi nec ingenium nec studium aut diligentiam deesse, ut qui ipse privatim aliquandiu Præsidis officio, concedente hoc ipsi Collegio JC. in Academia ista, functus sit. Eum igitur, cùm absq; meis nollet in conspectu tuo comparere, literis istis inficetis Tibi, Vir Generose, non dubitavi vice mutuâ commendare iis dotibus instructum, quibus non æquales modò suos, sed & vota propinquorum (quæ, ut nôsti, avarissima sunt) vincere: Et studiosiss. quemq; imitandi cupiditate incendere possit.

Idem Conr. Rittershusio, JC.

C*larissime & Consultissime Dn. Doctor, Collega & Compater conjunctissime.* Litteras tuas de nuptiali negotio Christianè, sapienter & Amicè ad me scriptas legi, lectas statim Bambergam per proprium tabellarium misi, unde responsum expecto. Quantâ illæ me voluptate perfuderint, non facilè dixero, nisi simul amoris erga Te mei magnitudinem (ex quo fonte sinceriss. illa voluptas promanat) expressero: Quod verbis nec fieri potest, nec debet. DEUS tantùm nobis adsit, & consilia amica fortunet, iisq; eventum prosperum largiatur. Quod confisus ipsius bonitati planè futurum auguror, si enim libenter credimus ea, quæ cupimus: Quid mihi jucundius esse queat, quàm si Te eundem & Amicum paternum, & Amicum meum, & Præceptorem, & Collegam, & Compatrem, & jam tandem etiam Affinem simul & semel salutem? Vide, obsecro, unus & idem amor quàm latè spargatur, quamq; diversos interdum officii gradus, minimè tamen inter se discordes, recipiat, & hac quasi varietate nominum suavissimorum (quâ nihil in rebus humanis pulchrius excogitari potest) distinguatur! Benè vale, meq;, quod facis, ama. Ex Musæo die III. Martii 1609.

Idem Thom. Lansio.

C*L. & Excellentiss. Vir, Dn. & amice pl. observande.* Valdè sim ingratus, nisi pro munere præstantissimo Consultationum Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini, Dn. Frid. Achillis Ducis Wirtembergici &c. Dn. mei clementiss. quod, Te procurante, ád me missum facilè divinare potui, gratias agam, illudq; longè mihi tum honorificentissimum tum gratissimum fuisse profitear: Non ideò solum, quòd ab ejus lectione nemo nisi doctior discedit, sed etiam, quia nomen ipsum & manus tanti donatoris in frontispicio addita mirificè me delectant, & ad opus totum cognoscendum invitant. Accessit liber orationum tuarum, qui velut scapha navem illam magnam peregrinis ac pretiosis mercibus oneratam sub Te summo gubernatore sequebatur. Equidem sicut utrumq; munus valdè insperatum mihi accidit, ita si de antidoro fortè desperandum mihi sit, veniam mihi dari postulo, ideò quod neq; cum Principe homo pauper de schola paria facere possum, neq;, quod cum nobilitate operum tuorum conferri possit, in arenis & sabulo isto Norico reperio. Hoc ampliùs, si grave non est, liberalitati tuæ officium adjicies Vir CL. & oblatâ occasione eidem Illustrissimo Principi nostro pro tam clementi gratiæ erga immerentem me significatione gratias devotionis & subjectionis humilimæ plenissimas meo nomine ages. De me verò sic existimabis, non animum, sed gratiæ referendæ facultatem mihi hoc

tem-

tempore deesse, quam tamen ipsam memoriâ desideratissimi Operis sempiternâ, & erga Te observantiâ pensaturus sim. Benè & feliciter vale, Vir Excell. nullamq; Tibi possessionem certiorem persuade, quàm perpetui mei erga Te amoris officiorumq; promptissimorum atq; paratissimorum. Dab. Altorf. pridie SS. Petri & Pauli A. C. 1616.

Idem Dan. Burchardo.

C*Larissime & Consultiss. Vir, Dn. Cognate pl. observande.* Accessit ad me ante paucos dies Ornatiss. & doctiss. Vir, Dn. M. Wolfgangus Waldungus, Quæstionum Physicarum Prof. Publicus in Academia nostra, Collega meus carissimus, ex quo de discessu CL. & Excell. Viri Dn. Hieronymi Fabritii ex urbe Winsheimensi, & officio Physici ibidem vacaturo, cognovi. Hoc verò officium idem Collega meus ambire instituit, non tam suum hac in re consilium secutus, quàm clarissimorum Virorum (inter quos honoris caussa nomino CL. & Consultiss. Vir Dn. Matt. Hübner, JC. & Consiliarium Senatus Inclyti) & Medicorum nostratium exhortationes, qui dubitantem confirmârunt, & de adipiscenda functione ista eidem velut signum sustulerunt. Omnium autem hanc sententiam fuisse mihi ipse retulit, parùm aliorum suffragiis profici, nisi tu quoque, CL. Dn. Cognate, desideriis & votis ipsius album, quod dicitur, calculum adjecisses: Quem sicut meritum optimè de Rep. illa per annos complures novimus, ita valere plurimùm auctoritate apud eandem & Senatum Prudentiss. Reip. illius intelligimus. Nec dubitamus, quin quàm honorifica Tibi isthæc est apud omnes existimatio, tam eam aliis quoq; esse cupias salutarem, quod nulla magis re quàm commendatione virorum bonorum efficere potes. Et quidem quod ad Collegam meum Dn. Wald. attinet, parcior in ipsius laudibus ero, eam ob caussam, quòd à Magistratu & Senatu Acad. literas ad eundem Senatum Ampliss. Winsheimensem accepit, quibus de vitæ & studii ipsius Medici ratione diligenter perscriptum est. Hoc tamen ajo, Virum optimum & diligentiss. atque ita deditum esse per annos plurimos Studio Medico, ut quorundam reprehensione vix effugere potuerit, qui nimiam circa praxin satagentiam in vita Academica damnabant. Sed enim *natura sequitur semina quisq; sua*, ut ait Poëta, & illa, quò natura ducit, potissima cuiq; vivendi est ratio. Quem naturæ ductum si sequi mallent homines, quàm aversos aliquando ad inimica studia pertrahere &, quod dicitur, invitis canibus venari: Multa officia meâ quidem sententiâ rectiùs administrarentur, artesq; feliciùs excolerentur. Veruntamen quid ego sus Minervam? Ipse intelligis, CL. Dn. Cognate, adjuvandos esse ab hominibus eos, quos DEUS (quem Naturam pagani vocabant) adjuvant. Sicut contrà à Diis aman-

amantur soli, quos homines amant, ut in versiculo dicitur. Id verò tribus (nisi fallor) verbis apud Senatum Prudentissimum Winsheimensem efficies, ut si modò vacua adhuc est Physicæ functionis possessio, tuâ operâ commendatum atq; ornatum se Dn. Collega meus sentiat: Dabiturq; ab utroq; nostrum vicissim opera, ut quæ ad gratitudinem nostram declarandam pertinere videbuntur, ea totâ mente summoq; studio complectamur. B. V. CL. Dn. Cognate. Dabam Altorfii 27. Aprilis 1611.

Idem Esaiæ Brandenstein, &c.

Strenue Magnifice & Nobilissime Domine, pl. colende. Cùm scribendi occasio à filiis Nobiliss. D. T. mihi oblata esset, minimè eam me negligere sivit recens maximi beneficii memoria, quo Eadem Orphanæ Virginis Affinis meæ causam Serenissimo Potentissimoq; Principi &c. Saxoniæ Electori &c. non ita pridem in Conventu Norimberg. tanto studio tamq; exprompta erga me benevolentiâ commendavit, ut non alienum, sed proprium negocium agere videretur, eaq; ratione effecit, ut cui gratitudinem meam magis obstrictam & vadatam agnoscam, neminem planè noverim. Quamvis enim gratissimum id officium Deo facilè omnes confiteantur, filiam ingenuam, parente utroq; orbatam à propinquis imparatam, majori pressam imperio & cultui idolatrico propediem mancipandam, ex ea velut servitute tristissima liberali manu asserere: Tamen qui ultrò tale aliquid alieno nomine audeant, & caussæ æquitate magis, quàm invidiâ & offensione pœnitentium Principium moneantur, perpaucos reperiri magno cum dolore meo ab iis desertus, quorum auctoritate & splendore, nihil non in tam justa causa impetrare me posse credebam. Quò majori & laude & gratiâ (à Deo tamen ipsi magis quàm ab homine persolvenda) Nob. D. T. digna est, quæ nec obtinendi difficultate, nec invidiâ deterrita incredibili alacritate negocium istud suscepit, susceptum fide summâ tractavit, tandemq (DEO consiliis benedicente, cujus honor præcipuè agebatur) pulcherrimè confecit. Eum namq; exitum habuit Intercessio Serenissimi Electoris, ut, post moram septem dierum, voti compos, abductâ mecum Virgine, Bambergâ discesserim, sicut Nob. D. T. ex filiis brevi cognoscet. Nunc verò ne non aliqua in parte vel defuncti Patris, Viri CL. & opt. vel ipsius Virginis partes (nisi sexu & pudore prohiberetur) in gratiis agendis ceu operâ vicariâ sustineam, Nob. D. T. quantas possum, gratias ago & habeo, quòd, consideratâ petitionis meæ honestate & necessitate, pauperis Virginis benignè ad preces nostras condescendere & desiderium maturè implere dignata est, Serenissimo Electori, tanquam Vindici supremo & Assertori libertatis nostræ, aliâ ratione, (quâ quidem ex formula

veteri

veteri sciam poteroq;) ad aram Clementiæ ipsius litaturus. Illud hoc loco silere minimè volo, inter alia plurima, quæ permolesta mihi in actione ista Bambergensi acciderunt, illud quoq; fuisse, quòd cum rari argumenti & diffusiss. disputationem filius major Nob. D. T. Wolf. Ericus in Acad. nostra publicè sine Præside haberet, eo tempore abesse coactus fui: Gravius etiam dispendium illud laturus, nisi filius natu minor Christianus hesterno die aliam non minùs nobilem & difficilem materiam itidem sine Hercule (quod dicitur) magna cum laude sua & audientium admiratione defendisset. Quid multa? Tacitè gratulari omnes felicitatem istam Nob. D. T. visi sunt, præsertim cùm tertium quoq; fratrem Christoph. Carolum idem certamen præclarè certâsse ante annum recordarentur, nec quisquam, dubitat, quin tali tantoq; præstare, talibusq; filiis revisens terras justitia, non alibi quàm in nobilissima familia Vestra domicilium se dignum nancisci potuerit. Quod superest, quando DEI benignitate novum hunc annum ingressi sumus, ut DEUS Opt. Max. illum omni genere felicitatis & bonorum. Nob. D. T. coronatum esse velit, ex animo precor! B. valeat Nob. D. T. cui me commendo. Dabam 9. Januarii 1612.

Idem ad Dn. Cancellarium Saxonicum Coburgi.

NOb. *Ampliss. & Clariss. Domine Cancellarie, Affinis pl. colende.* Qui has reddit, Præstantiss. & Doctiss. Vir-Juvenis, *Dn. Jo. Draco Juris Cand.* Auditor & amicus meus non è multis, ad functionem sibi destinatam Coburgum reversurus, rogare me non destitit, ut uno atq; altero verbo ipsum Amplitudini T. commendarem. Id quâ spe, quove consilio, proprio an alieno ab ipso factum sit, operosè non inquiro. Illud fateor, parùm abfuisse, quin, quicquid hoc est officii, penitùs illi denegarem. Cùm enim talem eum esse per biennium cognoverim, qui ingenio florentissimo, multiplici doctrinâ ac virtute suâ ipse se omnibus commendare possit: (quod genus commendationis verè γνήσιον, omniumq; efficacissimum est) quæ extra illud commendationes quærerentur, non potui eas non lusorias existimare. Deinde quid opus illi meâ commendatione ad Amplitudinem tuam crederem, à qua ipse mihi, cùm primùm huc veniret, literis perscriptis diligentissimè & accuratissimè commendatus fuit? An fieri potest, ut non ametur ab eo Draco, qui ut ignoti illum amarent, studia omnia certatim offerrent, tantâ sollicitudine perfecit? Hæ causæ denegandi: Concedendi autem unica fuit, amor erga Draconem meus, qui etiam non necessaria petenti tribuere cogit: Is verò amor, si literis Ampl. T. provocatus, iisq; postea rebus, quas in eo sitas esse dixi, virtute, inquam, & doctrinâ educatus: Si modestiâ

atq; observantiâ ipsius per biennium studiosè cultus fuit: Deniq; si Tecum mihi communis est: Age, Dn. Affinis Ampl. & effice, ut in Juvene hoc Viro juvando & ornando certamen quoddam suscepisse videamur, in quo vinci alterutrum turpe arbitremur. Si Ampliss. & Præclariss. Vir Dn. Heusnerus in societatem nostram recipi desideret, liberum hoc illi permissumq; esto. Dab. Altdorphii prid. Cal. Novemb. A. C. 1620.

Idem Ern. Sonero.

CL. & Excell. Dn. Collega, & Compater, pl. honorande. Quantoperè nuncio de morte Amplissimi & Nobiliss. Dn. Duumviri Reip. nostræ fuerim consternatus, ipse de Te conjecturam facere poteris: Neq; Te latet, quid morte illustrium virorum & benè de hominibus meritorum (inter quos semper mihi ὁ μακαρίτης Dn. CHRISTOPH. FURERUS) portendi Rebuspp. credam, quod & versibus olim complexus sum Tibi non ignotis, unde factum est, ut insanabile planè vulnus inflictum Reip. existimem. Nunc verò cùm repugnare voluntati divinæ nefas sit, quæ talis fuit, ut rerum humanarum omnium Prudentissimus Vir in aliud πολίτευμα se dignius ad cœlestia transferretur; nullæ aliæ partes nostræ esse videntur, quàm consolandi eos, qui morte quidem defuncto felice, sed sibi immaturâ & præproperâ in luctum maximum conjecti sunt. Id quod paucis vestris inclusis literis facere conatus sum, quas idcircò ei, cui inscriptæ sunt, à CL. Dn. Compatre tradi peto. Plura scripturus, nisi languor ex catharris maximus me impediret. B. V. Dab. Altorfii Cal. Decembris.

Idem Ernesto Vasoldto.

Clarissime & Consultiss. Dn. Doctor Affinis pl. honorande: Accipe Salviani Sanctissimi Episcopi opera à Dn. Cunr. Rittershusio edita, & inter scyphos, ut meministi, Tibi à me promissa. Ea seriùs ad Te mitti, quàm vel voluntas mea ferebat, vel prolixa humanitas tua, quâ me cum comitibus nuper excepisti, merebatur, non inficior. Sed enim plurima sunt, quæ perficere nos, quòd volumus, non semper sinunt; plurima quæ consilia nostra turbant, officia erga amicos impediunt, & amoris velut iter interrumpunt, quorum ab æquis rerum æstimatoribus ratio haberi debet. Enimverò expertus id nuper sum domum ex Franconia reversus, ubi cumulata per absentiam meam negocia plurima offendens diu, quid primùm, quid postea agerem, dubitavi. Hanc verò moram ne in culpæ argumentum trahas, existimesq;, quacunq; ratione perpetuò Tibi gratificaturum esse, majorem in modum rogo. Dabitur opera, ut quæ deinceps fieri à me volueris, ea quàm maturrimè & diligentissimè curentur. B. V. & munus chartaceum istud boni æquiq; consule. Dab. Altorfii.

Idem

Idem Ernesto Fohmanno.

AMplissime & CL. Vir, Dn. Affinis honoratissime: Cùm ante biduum Vir quidam præstantissimus mihiq; amicissimus oppidum nostrum transiret, inter alia mihi retulit, Dn. Volckmarum Scherer, amplissimæ dignitatis Virum & Cancellarium vestrum, diem suum obiisse, Teq; Judicio Illustrissimi & Celsissimi Principis muneri gravissimo & amplissimo successorem destinatum. Quid dissimulem? Ingenti læticiâ iste me nuncius affecit, οὐ γάρ ἐγώ μεν ἀπὸ δρυὸς, οὐδ' ἀπὸ πέτρης πέφυκα, nec is sum, qui solus affectu, quo suos propinquos optimus quisq; ornatissimos & florentissimos esse cupit, caream. Neq; tamen ita affectus fui, ut solent quibus res aliqua in opinata & præter expectationem omnem objicitur. Multò enim ante & ego & alii futurum prævidebamus, ut pietas ista tua singularis in Deum, ut animi moderatio incredibilis, cum Juris cognitione exactissima & rerum experientia conjuncta digna aliquando se præmia inveniret, his simillima, quæ divinitùs nunc Tibi offerri per Opt. Principem intelligimus. Eademq; cùm in propinquo modò esse videmus, quasi jam olim in eorum possessionem Tibi debitam venisses, καὶ ἀνάμνησιν Platonicam intuemur. Quare cùm Tibi de judicio isto Principis tui gratulor, tum, ut, Deo fortunante, perpetuo hoc proprioq; bono læteris, ex animo precor. Qualis nostra hactenus fortuna fuerit, ex iis, quæ unà mitto, meis & Dnn. Collegarum meorum carminibus intelliges, omnia tamen penitùs extinctâ lue apud nos, salva scito per DEI gratiam. Unum exemplar, si ita videbitur, CL. Dn. Affini nostro, D. Schadio, meo nomine cum officiosa salute, & alterum item Dn. D. Schwartzlos &c. offerri non gravatè curabis. Et quando annus hic novus Tibi omnibusq; tuis (inter quos & ego me numerari glorior) honorificentissimus Divino munere ingressus est, ut illibatâ felicitate eundem cum plurimis aliis subsequentibus, cum uxore, sorore mea, & liberis dulcissimis, transigas, iterum atq; iterum cum familia mea universa precor. B. V. CL. Dn. Affinis die XX. Jan. 1613.

Idem Consobrino suo.

ALter nunc annus abiit, Ornatissime & Doctissime D. Magister, Consobrine charissime, quòd certiorem Te literis feci de vocatione mea in hanc Academiam: Cæterùm non difficile mihi fuit, ex silentio tuo tam diuturno conjecturam facere, litteras illas meas intercidisse. Cùm autem in eo essem, ut denuò ad Te de rebus meis perscriberem, ecce supervenerunt ante paucos dies litteræ tuæ, ex quibus hoc ipsum, quod metui, verissimũ esse deprehendi, magnoq; simul metu & solicitudine liberatus sum: Nihil enim mali Vos passos ex peste, de qua superio-

superiori anno fama apud nos percrebuit, libenter equidem ex tuis litteris præsumo, quæ nihil adversi nunciarunt. Solet enim fieri, ut, quæ cupimus maximè, eadem etiam facillimè credamus. Sed quod in omnibus rebus cernere est, ut voluptatem mœror comes consequatur, eam ego mixturam lætorum & tristium etiam in litteris tuis invenio. Et primùm quidem vehementer me percussit nuncius de obitu CL. & Celeberrimi Viri Dn. Petri Gilkenii, JC. Præceptoris quondam mei nunquam sine laude dicendi: Dignus enim ille vitâ longiore videri potuit, cùm propter singularem doctrinam, tum propter fidem summam in docendo, quâ nemini profectò corũ, quos ego summos Viros in hoc genere admiror, secundus fuit. Sed valetudinem suam fortassis ipse studiis non parùm fregit atq; attenuavit, ita, ut sine magna difficultate vel sensu doloris filum illud tenue vitæ abruptum existimem. Sed de re tristi satis. Venio ad Dn. Parentem tuum CL. Virum & Avunculum meum, quem ex adversa valetudine vix tandem vires recuperâsse scribis: Gaudeo, & quanquam præcipuam esse hanc tuam lætitiam convenit, qui Parentem optimum, DEI beneficio restitutum valetudini grato animo agnoscis, tamen me quoq; in partem hujus gaudii Tecum venire repatieris, cui ille hactenus, ut paucis, studuit, hacq; animi sui inductione desiderium incolumitatis suæ æternùm in animo meo consignatum reliquit. Eum itaq; ut officiosè salutes, vehementer rogo. Illud ampliùs à Te contendo, ut si quando vicinior Norimbergæ eris, ne venire ad me graveris, aut occasionem mihi præcidas jus illud hospitii, quod cum eodem CL. Dn. Parente tuo mihi ab aliquot jam annis intercessit, deinceps quoq; colendi atq; conservandi. Benè vale, Dab. Altorfii die XXX. Maji 1608.

Idem Dan. Burchardo.

Clarissime & Consultissime Dn. D. Cognate plurimùm observande: Cùm heri à Te discederem, deducente Dn. Johanne Leuchsnero, Syndico Reipub. Vestræ, cognovi, eum honestissimo amore concepto erga lectissimam Virginem ANNAM, Adfinem tuam (de cujus prudentia modestiaq; singulari ex paucis sermonibus hesterno die mihi & uxori meæ conjecturam facere licuit) ferri, neq; dubitare, quin DEUS Opt. Max. si idem videatur propinquis ab utraq; parte, ipsum hoc velut signo sublato ad aliud genus vitæ vocare voluerit. Laudavi præclaram hanc ipsius voluntatem, verbisq; confirmavi, quantum temporis brevitas passa est, subinde dictitans, orandum esse DEUM, ut ipse consilia, quæ omnem humanam sapientiam excedunt, clementer dirigere dignetur! Cæterùm (quod pudentis simul & prudentis animi signum apud me fuit) non mediocriter dubitare se dicebat, quonam pacto & ubi locorum vitam instituere,

ret, quoq; pacto eandem toleraret. Deberi namq; virtuti tantæ (quam in Virgine cum aliis pluribus dotibus miris modis efferebat) tanquam præmium quoddam, ut quàm posset, honestissimè nuberet, honestissimeq; ab omnibus haberetur. Id quod à tenuitate sua decrescente & moriente instar hominis, ut Fronto putabat, peculio, neq; adfulgente ullâ spe proventus majoris in tanta rerum omnium penuria vix expectari posse ajebat. Addebat, non me latere, quàm ægrè pleriq; etiam opulenti homines in urbe Norimbergensi sumptuosissima interdum locum suum tueremtur: Quod ne accideret, magis etiam sibi hospiti in urbe illa pertimescendum esse, sibi quidem præsidium omne in benevolentia & consilio tuo repositum dicebat, quod & sibi & Domino fratri suo nullo unquam tempore necessariò defuisset: Sed enim nescio, quomodo fieri soleat, ut vel quid optaret, expositurus, vel consilium de tanto negocio rogaturus, auctoritate tuâ graviùs nonnihil permoveretur, & verecundiâ, quam natura ipsi attribuit, impediretur. Nullo autem modo sine consilio rem tantam inceptari debere: Ne temeritate quadam potiùs, & ætatis calore inconsulto, quàm judicio ad tanti rem momenti aggrediendam impulsus videretur. Quâ ille oratione, parùm abfuit, quin me à via & itinere ad ædes tuas retraxisset; nisi satis jam antè Te relationibus meis fatigatum, & spacium aliquod ad quietem, vel ad graviora negocia Tibi concedendum esse cogitâssem. Respondi tamen, me non modò de toto hoc negocio deliberaturum, sed & quale tuum sit super hac re judicium, litteris fideliter exquisiturum esse. Quare ne prolixior sim, majorem in modum Te rogo, CL. Dn. Cognate, ut quid de tota hac re sentias, maturè & liberrimè ad me perscribere velis. Non etiam recuso (si coràm potiùs, ut certè puto, hac de re tractandum Tibi videatur) ad locum, quem extra Norimbergam mihi dixeris, eam ob causam venire, ne destitutum se à me amicus opt. de me meritus jure conqueri possit. Interea DEUM, sine quo nihil possumus, veneror, ut pro bonitate sua consilia nostra fortunare velit! B. V. salutatâ honestissimâ Uxore & Virgine cum universa familia. 25. Septemb. 1609.

Idem Eidem.

C*Larissime & Consultiss. Domine, Cognate pl. observande:* Principio gratias ago pro voto mutuo, pietatis plenissimo. Quod autem strenæ loco insistitis numisma longè pulcherrimum, & propter novitatem gratissimum, quo titulo vel quâ fronte capiamus, ingenuè dico, nescio? Equidem obligatissimum me vel hoc nomine habebis, & ad referendam gratiam paratissimum. Ad eam quod attinet, cujus de stultitia dici, ut dignum est, non potest, ut Terentii verbis utar, breviter sic habeat CL. Dn. Cognatus, fore, ut quacunq; ratione quàm citissimè

 eâ li-

eâ liberetur. Idq; perficiam, volente DEO, nisi omnia me fallunt. Sic autem agere negotium decrevi, ut Uxor mea, quanquam alienissimo hoc tempore & rigidissimo cœlo, Norimbergam se conferat, & priusquam futuræ isti de adventu quicquam constare possit, cum Uxore tua, honestissima Matrona, de re tota colloquium veniat, & ibi decernatur, quod facto est opus. Non rectius, nisi per fœminas talia ordinantur, & referet Tibi Uxor mea coràm, de quibus nihil hoc loco scribere attinet. Illud hoc loco repetere visum est, quod in novissimis litteris meis contestatus sum, *nec ope nec consilio meo factum, ut molestiâ [illegible] afficereris.* Quinimò, si ad jusjurandum hæc res deducitur, *Juro ex fide [illegible] veteri, istá Te molestiá indignum videri.* Benè vale, CL. Dn. Cognate, & me, quod facis, ama. dic 21. Januari 1613.

Idem Eidem.

C*Larissime &c.* Cùm ante paucos dies intellexissem, Te à Conventu Principum & Civitatum Imp. Norimbergam rediisse, quo ego Conventu jam inde à tempore belli Smalcaldici celebriorem nullum fuisse reor: Officii mei esse putavi, litteris istis reditum Tibi gratulari: Non tantùm, quòd Uxori honestissimæ & liberis tuis redditus es, apud quos in expectatione summa Te [illegible] rum non est: Sed quòd earum rerum tractationi legatione istâ adhibitus es, quæ olim æternis historiarum monumentis, unà cum nomine tuo, jam antè quidem propter merita in Rempubl. Norimb. celeberrimo, commendabuntur: Cujus famæ & gloriæ particulam ad me quoq;, communemq; familiam nostram, aliqua ex parte non invitus transmittes. Oro autem DEUM, ut consilia vestra toti orbi Christiano salutaria, eaq; pacis magis quàm belli socia velit. Interea verò, dum domo abes, bis Norimbergæ fui, quo semel propter privata negocia, semel autem publicis litteris Amplissimorum Dnn. Scholarcharum evocatus [illegible] Ubi ego Te non oculis modò, sed multò magis animo Consiliarium meum, & [illegible] terum velut Patrem requisivi. Ea enim inciderunt apud nos quoq [illegible] sites, & in causa quidem religionis, hoc est, omnium gravissima, quæ sicut [illegible] quaquam fortè cum iis comparari debeant, quæ Tibi expedienda committuntur, tamen & ipsa non mediocrem prudentiam, adde etiam preces, pro concordia & quiete Acad. hujus desiderant. De aliis brevi fortè coràm. Plura enim sunt, quàm ut una epistola ea capiat. Benè & feliciter vale. Dab. Altorfii.

Idem Eidem.

C*Larissime & Consultissime Domine, Cognate pl. observande:* Gratissimæ mihi fuerunt litteræ tuæ, quibus me de colloquio habito cum Viro Clarissimo, quem

quem nôsti, fecisti certi rem. Quanquam enim in præsenti negotio semper ita judicavi, nec tutam semper esse Hyperephaniam, nec perpetuò infelicem moderatur: Deniq; nihil magnoperè metuendum esse aquæ ab igni: Tamen vehementer me delectat, aliorum etiam judicia cum animi mei sensu congruere, & quidem eorum, qui vel ob naturæ ingeniiq; rectitudinem, vel ob rerum usum diuturnum multò me rectiùs de similibus negotiis nôrunt judicare. Nimirum vel hæc actio demonstrat, non omninò desperandum adhuc esse viris bonis, per potentatum & falsimonias aliorum oppressis: Et utcunq; isti defensores timidos & paucos (ut fieri solet) reperiant, tamen nec adversarios semper votorum compotes reddi. DEUS enim est, qui resistit superbis, & humilibus dat gratiam. Odium sanè maximum & planè Vatinianum concepisse Nostrum hunc adversùs nos propter irritum successum, nemo dubitat, qui ingenium ipsius novit; quod & proinde lapidem omnem movebit, ut quod hac non successit, aliâ aggrediatur viâ: Sed enim & literæ tuæ benè sperare me jubent, & multa, quæ vidi in tractatione hujus causæ, mirificè me confirmant. Oderit nos, despiciat nos, vituperet palàm, obtrectet clanculum, deniq; omnes furoris & irarum quadrigas effundat. Nihil ista me movent: Nec animo meo nova sunt. Hæc perpetienda erant, cùm nondum manifesta tyrannis, cùm primariatus tantùm, non etiam dominatus prætenderetur. Nimis magna hæc felicitas est, vel serò inimicos suos nôsse cœpisse, consiliaq; eorundem deprehendisse, à quibus cavendum sit, id quod actione istâ consecuti videmur. Quòd autem sine insigni aliqua strage hac vice cum hoste nostro conflíximus, Tibi, Cl. Dn. Cognate, hoc nomine pl. debere nos profitemur, qui consiliis ad moderationem directis, quid sequendum nobis, quid vicissim fugiendum esset, pleniùs & meliùs Chrysippo & Crantore (ut ait Horatius) edocuisti, & quantæ curæ Tibi esset honor & existimatio Virorum bonorum, tum passim in hac actione, tum præcipuè in hoc ultimo congressu, cùm exantecessore declarâsti, DEUS vicissim Te pro synceritate ista bonis omnibus felicitet.

Idem Eidem.

Clarissime & Consultissime Dn. Doctor, Cognate plurimùm observande: Promisi in nuperrimis literis meis, me hodiè responsurum ad eam particulam literarum tuarum, in qua innuis, esse quosdam (haud dubiè Viros amplissimos meiq; amantissimos, qui dubitent, an malim Norimbergæ, quàm hîc in Academia vivere. Rogas ergò, quæ mea sit super hac re sententia. Eam nunc paucis patefaciam Tibi. Ac primùm quidem non inficiabor, Me à puero ita erga Inclytam & Celeberrimam Rempub. Norimberg. animatum fuisse, ut, quò stu-

dium & operam ipsi meam probarem, non tantùm labores quoscunq; perferre, sed, si ita res ferret, extrema etiam omnia pati in gratiam ejus, dulce & decorum judicarem: Sive amore urbis Germaniæ totius nobilissimæ, & Reipub. optimè constitutæ, sive cupiditate quadam honoris, quæ optimo cuiq; à natura insita est. Neq; enim quenquam tam imperitum rerum, vel etiam tam invidum esse credo, qui neget, clarissimos illos apud omnes haberi, qui splendore talis & tantæ Reipub. continuò illustrantur, ejusq; luce & radiis perfunduntur: Ad quam collatæ aliæ Urbes & Resp. paullò minùs quàm tenebræ esse videantur. Quare cùm postea Te auctore, exhortante etiam Dn. Socero meo, à Senatu Nobiliss. & Ampliss. in numerum Consulentium & Professorum Acad. hujus receptus essem, non potui non eâ functione vehementer lætari: Jamq; adeò honorificentissimum mihi duco, quòd intelligo, quosdam reperiri, qui mihi locum aliquem in urbe velint, meq; viciniorem sibi esse cupiant. Cæterum cùm mecum ipse perpendo, nô quantum quisq; velit aut cogitet, inspiciendum esse, sed quantum quisq; re ipsa præstare possit: Nec magis præmia voluntatis præclaræ, quàm pœnas pravæ cogitationis intelligi; Cùm etiam probè vires meas examino, & ingenii & corporis & patrimonii (quas in conditione tali, qualem eminus mihi ostendis, junctas esse oportet) mirum profectò dictu est, quantum Spiritus ille alacer eâ cogitatione dejectus fuerit, meq; cuivis potiùs conditioni alteri, quàm isti parem esse, commerit. Ac de ingenii quidem viribus nec queror, nec glorior, sed pro concessis quantulæcunq; illæ sint, datori illarum gratias ago; qui eas dispensat, cui vult & quomodo vult. Corporis certè vires parùm firmas esse palàm est, quod illæ adhuc in pueritia morbo continuò decennali fractæ atq; prostratæ fuerunt. Quod verò ad patrimonium attinet, ipse nôsti, quantoperè illud impensis in studia & peregrinationes extenuatum & accisum fuerit, cujus bonam partem etiam [illegible]cula, ante paucos annos de titivillitio nata, devoravit. Et docet hic ipse locus (in quo ultra salarium annuum honestum Senatus Ampliss. de patrimonio meo aliquot centena per hoc triennium impendi) me Norimbergæ in urbe sumptuosissima nequaquam diu durare posse. Quod enim Proculus JC. ait, se a rusticis senibus audisse, pecuniam sine peculio fragilem esse: Idem mihi de iis, qui Norimbergæ vivere cupiunt, verissimè dici posse videtur, ubi quod compertum habeo, nemo facilè sumptus tolerare potest, nisi emolumentis quibusdam aliis, sive adventitiis, sive ex patrimonio proprio adjuvetur: Quanquam ex hoc ipso Proculum ditissimum fuisse conjicio, qui non propriâ egestate sicut ego, hoc verum esse didicerit, sed rusticis credere, quàm ipse experiri maluerit. Quibus omnibus consideratis, neq, ex dignitate Amplissimi Senatus, neq; è re mea fore judico, si hoc tempore quicquam novi consilii susciperem, & in eum locum [illegible]

pi-

progrederer, unde paullò pôst pedem cum pudore retrahere tenuitas mea cogeret. Sunt alii, aliiq; non pauci (quo nomine Reipubl. nostræ amplissimæ ex animo gratulor) qui omnibus instructi præsidiis, quæ vel ab animo vel fortunis peti solent, ea, quæ mihi negata video, abundè supplere, & cumulatè præstare possint: Quibus proinde provinciam hanc in urbe hoc tempore libens meritoq; resigno. Quamvis etiam sciam, Dn. Socerum meum, V. C. hac in parte à me longè dissentire, qui & ab initio hoc operam dedit, ut Norimbergæ potiùs quàm in ullo alio loco domicilium figerem: Credo, quòd ad vitam practicam, quam istam quietam, aptiorem me semper judicaret, & quòd sibi suisq; viciniorem me optaret: Tamen necesse est, illum multa ignorare, qui nunquam Norimbergæ vixit, & iis abundat commodis, quibus ego careo: Cujus tamen judicium hac in re & erga me affectum minimè omnium vituperare possum, quòd omnia eum ad honorem & commodum meum referre scio. Quod idem cùm Te quoque, Cl. Dn. Cognate, facere litteræ tuæ proximæ amantissimè de hoc negotio ad me perscriptæ testentur, ita quidem, ut certamen quoddam ornandi & promovendi mei cum Dn. Socero meo suscepisse videaris: Non possum non Tibi pro ista erga me animi inductione gratias agere; Rogans, ut deinceps quoque hanc erga me voluntatem perpetuo conserves, hancq; sententiam meam, uti soles, candidè interpreteris. B. V. cum tota familia. Dat. Altorfii 2. die Martii 1609.

Idem Affini suo.

C*Larissime & Consultissime Vir, Domine Affinis plurimùm honorande.* Cùm hesterno die Bamberga Norimbergam reversus essem, nuncium doloris plenissimum accepi de obitu fratris tui præstantissimi Viri, Dn. Joannis Leuschneri, Syndici Inclyti Senatus Norimberg. Amici mei incomparabilis, fraternoq; affectu meritissimo suo semper à me dilecti. Quo quidem nuncio ita fui consternatus, ut alterutrius Parentis mortem iterum nunciari, luctumq; ex ea renovari mihi crederem: Nullo tamen modo sustinerem ad Te accedere, cui præ lachrymis testari dolorem meum non poteram. Qui enim per annos tam multos, tamque sincerè, non (ut nunc fit) verbis, sed re ipsa & facto amicitiam meorum diversissimis in locis & regionibus coluisset, & nullus alius (verissima & Tibi aliisq; comperta loquor) mirum videri nemini debeat, si, alienissimo tempore eodem spoliatus, animæ meæ dimidio me privatum non verbis magis querar, quàm intimis animi penetralibus sentiam & excrucier. Quod autem officium Tibi Affinis CL. præsens præstare nequivi, id nunc per literas hasce luctus mei indices visum est præstare, ut intelligas, non qualem amicum amiserim (id enim

enim antea Tibi notum) sed habere Te socios luctus & doloris, cujus dolor in funere isto præcipuus est. Lugebitur & ille quidem ab omnibus, quibus Viri illius pietas, probitas, fides, integritas, & judicium de rebus egregium, nota erant. Lugebitur à me & tota familia mea Soceriq; mei cognatione, qui Parentis & Soceri mei secuti de Viro isto præstantissimo judicium vel solâ admiratione virtutis & doctrinæ, vel etiam officiis ipsius provocati unicè vivum amabant, nunc amissum suspiciunt, mortemq; deplorant. Ego verò, quod unicum mihi tot tantorumq; officiorum auctoramentum defuncti relictum video, & his literis, & apud omnes profiteor & deinceps profitebor, me inter omnes eos, quos à pueris fidos mihi rebar & amicos, post Parentes meos, magis amicum magisq; promptum ad amicos juvandū expertum esse, pro quo si & sanguinem profudissem & vitam, nihil præter meritum ipsius præstitisse æstimatores amicitiæ nostræ judicent.

Idem Dan. Burchardo.

S. P. Tres sunt menses, *Dn. Avuncule co ende*, ex quo per Lotharingiam atq; Campaniam veni Parisios, Urbem toto orbe, cùm propter magnitudinem, tum domicilium regium, celeberrimam. Idq; fuit Octobris die 13. Anno elapsi. Sed magno meo incommodo tunc accidit, ne Regem, tunc in Sabaudia belligerantem, offenderem ibidem: Quare paucis pòst diebus, perlustratis semel atque iterum priùs Palatiis Regiis, iisq; penitùs perspectis, Aureliam me contuli, ibique in meditullio Galliæ consedi, ubi jam dego. Distat ea urbs à Lutetia 35 milliaribus Gallicis, & magnitudine & amœnitate fertilitateq; loci eximia, mihi propter Doctoratus insignia collata meo Parenti p. m. cara. Cæterùm in Gallia tria hæc deprehendi, Annonæ caritatem, Studiorum curam exiguam, & Linguæ Gallicæ difficultatem maximam. Atq; annonæ caritas tanta est, ut famam ejus mali longè etiam res ipsa vicerit: Qui vilissimè vivunt Germani Lutetiæ, singulis mensibus pro victu tantùm expendere coguntur coronatos 12. Aureliæ singulis mensibus 7. & dimidium coronatum pro victo tantum persolvo. Singuli autem coronati, quos accipimus à mercatoribus, efficiunt, collatione factâ monetæ, propè 2. florenos, tantumq; illi (mercatores) recipiunt in Germania. Avaritiam & fraudes hominum vide! Unum vile in Galliæ hac parte, Doctoratus, quem consequi licet ad summum 24. coronatis, quem in Germania (excepta Basilea) non nisi 150. florenorum impendio adipiscare. Unde fit, ut plurimi Germani hîc insigniantur istis titulis, crebriusq; Hugenoti, qui dicuntur, propter libertatem utriusq; religionis in hoc regno. Germanorum tantus est in Gallia numerus, ut non solùm magnas urbes compleant, sed etiam in minuta oppida suas quasdam deducant colonias: Neq; interim mirari satis possum, quæ res potissimum

tiſſimùm nos in hanc Galliam compellat, ut ingenti numero, ingentibus impenſis, velis & remis, quod dicitur, huc properemus, nosq; extraneis expilandos præbeamus: Tanti certè vix linguam Gallicam arbitror, ut eam tantis ſumptibus atq; jacturis mercemur. Quid enim adhuc dignum admiratione mihi in Gallia occurrit? Niſi fortè ruinæ, &c. ut ita dicam, cadavera urbium atq; oppidorum, quæ non ſine ingenti animi dolore, & belli furiarumq; deteſtatione, quoquò iter facientes aſpiciebamus. Non loquor de illis, qui vel Italiam vel Angliam viſunt: Ne quid enim de Italia dicam, habet Anglia multò plura, de quo mihi ex quotidiana redeuntium inde relatione conſtat, quæ digniora ſunt indagatione noſtrâ. Deliberavi autem & ipſe cum multis, jamq; planè conſtitui (niſi vobis ſecus videatur) quamprimùm navigatio maris fuerit commodior, viſo Caleto portuq; Dieppenſi, circa paſcha, Deo volente, in Angliam trajicere; quod idem feciſſe Parentem meum p. m. conſtat. Quæ non ideò à me dicuntur, quaſi ex Gallia me ſim ſubducturus, ante linguæ cognitionem: Cochleæ enim aut edendæ ſunt, aut non edendæ, (ut ait proverbium.) Erit ergò tamdiu mihi hîc morandum, donec finem hunc conſequar (linguæ inquam Gallicæ cognitionem) niſi ſumptus hos mihi periiſſe velim. Itaq; cenſeo. Quòd ſi conſilium hoc meum probaveris, fac, ſciam maturè; hoc quoque, ut expedita mea ſit ratio nummaria Noribergæ. De quo tribus verbis Dn. meos Curatores ſponte etiam non ceſſaturos admonebis. Nihil enim adhuc accepi in Gallia pecuniæ, non redditis litteris verſuræ Lutetiæ, quæ niſi eò mittantur, & ad me deferantur, non eſt, ut obolum, deficiente jam meo viatico, ſperemus. Conſtitui autem ita rationes meas Lutetiæ, ut quamprimùm reddantur ibi, ſtatim ad me transmittantur Aureliam, unde pedem non movebo, niſi illis redditis. Quod ſupereſt, DEUM. Opt. Max. oro atq; obſecro, ut hanc meam peregrinationem, cæterasq; actiones & ſtudia, ad nominis ſui divini honorem, commodumq; proximi mei, dirigere velit, Teq;, Dn. *Avuncule colende*, aliosq; mihi reduci ſervet incolumes, quibus olim reditus meus forſan jucundus futurus eſt, & ſine quibus omnium iſtorum mihi fructus conſtare non poterit: Cui idcircò cum Uxore, Annum hunc 1601. feliciſſimum & auſpicatiſſimum precor. Datæ Orleans 3. Januarii dicti anni.

Idem Præſuli Bambergenſi.

R*Everendiſſime Præſul, Princeps Illuſtriſſime, Dn. Clementiſſime.* Superiori Anno deprecatus pro nobis eſt apud Ill. Celſ. V. Magnif. Senatus Imp. Reip. Norimbergenſis, Magiſtratus noſter, uti Prudentiſſimus Senatus Urbis Bambergenſis, decreto Principali Illuſt. Celſiſſ. V. interveniente, contentus eſſe juberetur centenis illis florenis, quos uterque noſtrum per annos aliquot

quot, ob translatum Bambergâ Uxorum nostrarum patrimonium, ibidem in causa depositi habuit. Cùm è diverso supra eam quantitatem idem Senatus Bamberg. alterum tantùm, hoc est, ab unoquoque nostrûm singulos adhuc centenos exegisset. Respondit tum Ill. Cels. V. clementer, nosq; denuò Senatum urbis suæ pro declaratione ulteriori adire jussit. Eum verò cum literis non ita pridem eadem re compellâssemus, atq; obnixè petiissemus, uti acceptâ parte dimidiâ ejus, quod adhuc deberi sibi à nobis contendit, amicè nobiscum transigeret, atq; à solidi petitione desisteret: Nihil tamen penitùs precibus illis nos profecisse, responsum Senatus nuper prid. Non. Febr. perscriptum testatur. C... satus quidem est ordo ille spectatissimus, quasi de petitione sua jam antè mul... remisisset, eo videlicet tempore, quo Adm. R. & Illustriss. Dn. Præpositus Bambergensis &c. Dn. noster gratiosus, (quem singularis honoris observanti... causâ nominamus) apud ordinem illum Senatorum pro nobis intercessit, additisq; in medium rationibus, quas æquus rerum æstimator libenter admittet, causam nostram iisdem commendavit. Verùm enim verò nullam intercessionis ejus tum habitam fuisse rationem, ostendi potest eorum testimoniis, quorum illustris dignitas fidesq; celebratissima omninò meretur, ne cujusquam vel gratiæ vel odio quicquam dare velle existimentur. Nos rectiùs (quod pace dictum ... Dnn. Coss. & Senatus Bamberg.) ista novimus, & nec latum unguem eos a prima exactione discessisse, non mediocri cum detrimento nostro experti sum... Tanti enim illi novissimis adhuc literis vectigal illud suum æstimârunt, flor... nimirum 200. quantum & ab initio heredibus singulis migrationis nomine detrahere jus sibi esse putaverunt: Adeò, ut quid quantumq; illi nobis remiseri... nullâ conjecturâ satis assequi possimus. Errori fortassis causam præbuit, ... est & tertia soror Uxorum nostrarum (imò fuit, & in terris esse desiit) à qua ... ipsa floreni centum eadem ex causa petebantur: Sed ejus portio ad onus nostr... ideò spectare non debet, quòd & filius obligationibus paternis, si non sit h... exuitur, & Jura conjunctos absolvunt, ut Gothorum Rex Theodoricus ... Cassiodorum dicebat: Ad nos quidem præter nuntium mortis atq; luctum ... scriba illius nihil penitùs pervenit: Quæ, ut perhibetur, supremis tabulis ... Socerum suum, Doctorem Mumprechtum, qui Nordlingæ nunc agit, ... heredem instituit. Hæc cùm ita ultrò citroq; inter nos acta sint, R. Princeps Dn. Clemetiss. ad Illustriss. Cels. V. nunc confugimus, quàm possumus demississimè devotissimeq; orantes, ut ipsa literas suas, quibus Senatui Norimbergensi respondit, clementer interpretari, atq; pro jure suo Dnn. Coss. & Senatui Bambergensi mandare dignetur, ut juxta oblationem nostram additis ad pecunias Bambergæ depositas quinquaginta florenis, quos quilibet nostrum in con... ti p...

ti persolvere paratus est, adquiescere, dataq; apochâ recepisse se à singulis CL. florenos testari velint. Ita namq; literas Ill. Cels. V. non nos modò, sed & Magistratus noster interpretatus est: Quasi iis non tam solidi detractio, quàm moderatio quædam Dnn. Coss. præciperetur, siquidem literæ atq; preces decenter à nobis adhibitæ fuissent: Cùm enim in Cels. V. manu utrumq; esset, & præcisè jubere & moderationem admittere: Quod priùs disertè verbis literarum non continebatur, remissionem ad Senatum Bamberg. more hominum ad clementiæ liberalitatisq; interpretationem cupidè traximus, aliud fortassis responsuri, nisi Principis hoc rescriptum fuisset. Illustriss. Cels. V. est, si opinione nostrâ decepti fuimus, veniam errori clementer dare, quem subitò corrigere spes de bonitate ipsius semel concepta, animisq; nostris penitùs infixa, non sivit. Atq; ut finem aliquando ineptæ epistolæ imponamus; Totum hoc negotium potestati, voluntati, gratiæ, æquitati ac declarationi; libero deniq; arbitrio Ill. Cels. V. humiliter permittimus, mandata ipsius, quâ decet, reverentiâ atq; cultu excepturi, & si preces aliquid nostras valuisse cognoverimus, ubivis hoc gentium, inprimis autem apud Magistratum nostrum deprædicaturi, qui quod nobis præstabitur, sibi præstitum putabit, ut literis, quæ Ill. Cels. V. literas præcesserunt, testatus est. Vale, Princeps Inclyte, ara & præsidium legum, patriamq; communem sempiternis virtutis & gloriæ monumentis (si qua adhuc fieri potest accessio) exornare perge.

CLEMENS PP. VIII. EPISCOPO WIRCEBURG. JULIO, DE ARCHIEPISCOPATU MOGUNTINO VACANTE.

Venerabilis Frater, salutem & Apostolicam benedictionem, percussit graviter animum de obitu Archiepiscopi Moguntini nuntius, qui etsi non sit ejusmodi, ut pro certo jam habeatur: Tamen metu ipso tantæ jacturæ penè sumus oppressi; cupimus eum falsum esse, sed si quid illi accidit humanitus, publicum detrimentum Ecclesiæ ejus sarcire qui possit, præter F. T. videmus neminem: Fuit id nostrum consilium, & sæpè aliàs & nunc maximè, quo tua nobis pietas & pastoralis vigilantia nota est, & perspecta. Tantoq; magis in id studio incumbimus, ut, turbulentissimis hisce temporibus, unum Te ad illud munus idoneum existimemus, velimus unum. Æquum est, Te, publicâ causâ, in omnes partes acrem ingenii tui aciem intendere, ad ipsum id conficiendum, ne nostrum hoc frustretur desiderium. Ad dilectos Filios Canonicos Moguntinos dedimus hac de re literas, & Venerabili F. Episcopo Auxerensi, Nuntio

nostro, mandavimus, quæ illum velimus agere, quibuscum erit necesse. Si non expedire Reipub. Christianæ arbitraremur, T. F. eidem Ecclesiæ præfici, non laboraremus tantoperè. Sed præsens Germaniæ status id postulat, DEI causa efflagitat, & si quæ Te nostræ attingant pastoralis curæ solicitudines, quæ cùm duplicentur quotidiè, eas Tu tuâ prudentiâ poteris relevare. Quæ hac in re necessaria est ad tollenda electionis impedimenta dispensatio, eam ad Te mittimus. Tu ea uteris, ut feret tempus atq; occasio. Summis interea precibus à Deo bonorum omnium autore contendemus, utilia nostra hæc, ut speramus, religioni Catholicæ consilia, divinâ gratiâ & benedictione stabilita, eum ut habeant exitum, quem nos maximè optamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo piscatoris, Die XXXI. Jan. M. DC. IV. Pontificatus nostri anno XII.

Præpositus Bambergensis MILINO Cardinali.

Illustrissime & Reverendissime Cardinalis, Domine colendissime. Gratuler priùs, an gratias agam, in ancipiti est. Utrumq; autem me facere, vel observantia mea erga Ill. Dn. V. jubet, admiratioq; virtutis; vel cogit inusitata humanitas ejusdem, nullis meritis meis provocata, quam non ita pridem Præpositura Bamberg. & is expertus est, qui Romæ negocium meum egit, Dn. Jo. Wolfius, Fiscalis R. Episcopi Bamb. Hic etenim ad nos expedito negocio reversus, in deprædicanda Illustriss. Dn. V. erga se clementia & juvandi Præposituram studio planè satisfacere sibi nequivit, dum is Potentissimo & Illustrissimo adversario sibi constituto, sub gratia Illust. Dn. V. velut sub Ajacis clypeo tutum delituisse se confirmat, finemq; solicitudinis & litis, quæ per aliquot annos Præposituram hanc exercuit, eidem imputandum: Breviter, dum omnia Illust. Cardinali MILINO debere me contendit. Digna profectò rudimenta Vicariatus generalis, ad quem Illustr. Dn. V, post obitum Rev. Cardinalis Pamphili &c. a Ser. Dn. Nostro (sicut constans apud nos fama disseminavit) evecta est. Sapienter quippe judicabat Illustr. Dn. V. Vicarium supremi CHRISTI in terris vicarii dici non posse, nisi qui ejus bonitatem & beneficentiam, quâ ad DEUM proximè accedit, æmularetur; Ecclesias miseris his temporibus variè afflictas sublevaret, oppressosq; earundem subditos exigeret. Id quod cumulatè à Dn. V. Illust. Præposituræ meæ Bamberg præstitum agnosco. Quæ quantis in angustiis nunc versetur, prolixè satis ante paucos dies ad Dn. Jo. Baptistam Fenzonium, Auditorem Illust. Card. Paravicini, Amicum meum perscripsi, nec in eo nunc immorabor, ne fortè rei illætabilis historia conceptam in animo meo ex nova ista dignitate Illustr. Dn. V. lætitiam interpolet, serenumq; istud splendoris tui quasi nubibus & hyeme affusâ obscuret. Nunc igitur, quod superest, Cardinalis Ill. novam

novam hanc spartam ex animo & humiliter Dn. Vestræ Illustr. gratulor; quam sicut nemo non magnificentissimam ducit, ita omnes hunc velut campum amplissimum Illustr. Dn. T. aperiri gaudent, in quem consilia sanctissima actionesq; laudatissimas quasi certamine quodam cum Ser. Dn. nostro suscepto deducat, earumq; pulchritudinem spectandam orbi proponat. Conservet, obsecro, Illustr. Dn. Vestra deinceps quoq; mihi & Præposituræ meæ benevolentiam istam, quodq; maxima cum omnium admiratione fecit hactenus, ut bono publico Ecclesiæ Christianæ natam omnes crederent, id porrò quoq; Illustrissima cum laude sua, adjuvante Domino & vires suggerente, præstare ne cesset. Benè & feliciter valeat Illustr. Dn. V. meq; commendatum sibi esse patiatur. Dab. Bambergæ.

Dinnerus Generali Præposito Bamberg.

ADmodum Reverende & Illustris Domine, Domine gratiose. Redditæ mihi sunt ante paucos dies litteræ Illustr. D. T. cum vini dolio, pro quo eidem ingentes ago gratias, operam daturus, ne eam liberalitatis hujus unquam pœniteat; tantò quidem magis, quòd minimè omnium promeritum me munificentiam istam sciam.

Gratulatorias (quarum exemplum mitto Illust. Dn. T.) in lecto decumbens dictavi & relegi. Sic calculo, imperioso hero, visum est, qui, ut & has in lecto scriberem, & solito brevior essem, effecit. Illustr. Dn. T. erit ignoscere necessariæ rusticitati, & præcipuum in hominibus animum gratum & officiosum putare. Benè valeat Illustr. D. T. suamq; mihi gratiam, & animi erga me clementis inductionem perpetuò conservet. Dab. Altorfii die XXI. (stylo novo) M. DC. XI.

Præpositus Bambergensis Jo. Baptistæ Fenzonio, Auditori Card. Baravicini.

QUòd iterum eadem de re D. Tua mihi gratulata est, *Nobilis, Clarissime & Consultissime Vir*, libenter id amoris erga me tui tribuo abundantiæ, & cùm litteras istas tuas exosculor, tum verò, ut animum hunc honoris & felicitatis meæ cupidissimum perpetuò mihi conserves, vehementer rogo. Quanquam etiam superioribus D. T. litteris jampridem respondi, ita ut statum & conditionem subditorum Præposituræ Bamberg. eidem aliquo modo ob oculos ponerem: Tamen & novissimis istis responsum debere me arbitratus sum: Præcipuè, cùm interea litteræ Apostolicæ, & præterea Illustr. Cardinalis Paravicini &c. Domini mei colendissimi, allatæ sint, quæ omnia ita verè gesta comprobant, quemadmodum D. T. ad me perscripserat.

Quare iterum gratias ago Dn. T. quòd Præposituræ meæ negocium ad curam suam revocare voluit, nec abstitit, donec expedito negocio primus confectum negocium in Germaniam nunciaret, nihilq; prætermissurus sum, ut gratitudinem meam quamprimùm reipsâ anno D. T. testatam faciam. Benè valeat D. T. Datæ Bambergæ.

Idem Cardinali Paravicino.

INgenti lætitiâ perfuderunt me litteræ Illustr. D. V. non tàm, quòd confectum mihi negocium Præposituræ Bamberg. nunciabant, quàm quòd is nunciabat, cujus auctoritati omnes, quotquot sunt, Viri Principes, & alii Ecclesiæ Catholicæ addicti, plurimum semper tribuerunt, cuiq; submissis quasi fascibus imperium in regno pietatis & sapientiæ meritissimo Illustr. Dn. Vestræ hactenus detulerunt. Nec mirum profectò, quòd, sicut Fiscalis Reverend. Principis Bamberg. Dn. Jo. Wolfius, mihi retulit, maximâ solicitudine & fide negocium istud à Rev. & Illust. Dn. V. actum est, cui Germania tota tutelam ac protectionem debere se libens profitetur. Macte istâ virtute, Cardinalis Illustr. quâ dudum Pontificem summum & Ecclesiam Romanam (cujus Tute pars es maxima) demereris, perge jam diffusissimum illum nominis tui splendorem, cui Italia jam angusta videtur, etiam in remotas has oras spargere; & mercedem consiliorum atq; laborum istorum, quam ab hominibus desperas, expecta immarcessibilem illam coronam, quâ DEUS Opt. Max. veram virtutem tandem solet remunerari. Ego quidem satis felicem me putabo, ubi Illustrissima D. V. summum dignitatis gradum in Ecclesia Christiana obtinet, si ego in imo subsellio consistam, & vel eminus inusitatam istam virtutem admirer: Dummodò hoc sibi de me persuadeat, me observantia erga Illustr. Dn. Vestram nemini, quicunq; is futurus est, unquam concessurum. Quare & litteras suas Illustr. Dn. Vestra eo loco à me asservari sciat, in quo preciosissima & carissima mea reposita sunt; gauderemq; adeò, si sæpius talibus epistolis me contingeret exhilarari. Valeat in Domino Illustr. D. V. meq; clientem suum sibi commendatum esse patiatur. Dab.

Idem Episcopo Atrebatensi, Ortenbergio.

R*Everendissime Domine, Dn. colendissime*: Immensa & tantùm non insolens extitit Ser. Dn. Nostri benignitas erga Præposituram Bamberg. quam (sicut novit R. D. V.) ante plusculas septimanas ad humillimam petitionem eorum, quorum interest, quoad Ill. & R. Cardinalem Madrutium non modò liberas habere ædes judicavit, sed & insuper ab omni pensione immunem esse voluit. Quod bene-

beneficium, quanquam soli ipsius S. præcipuè acceptum ferri debere omnes intelligunt, quæ otia ista Præposituræ meæ fecit, eamq; velut ex servitute libera asseruit manu: Tamen, quæ ipsius S. est minimè ambitiosa bonitas, credibile est, Eam alios quoq; in societatem pulcherrimi muneris hujus non gravatè admissuram, & eos præcipuè, qui solicitâ intercessione & precibus suis indulgentiæ Apostolicæ maturitatem attulerunt. Inter quos præcipuè R. Dn. V. studium enituisse Dn. Johannes Wolfius, Fiscalis R. Episcopi Bamberg. &c. verbis pl. testatus est, eamq; in negotio isto Præposituræ meæ non secùs, quàm in propria necessitate, desudâsse atq; fategisse confirmavit. Miratus sum, fateor, principio, unde hæc tam rara humanitas, quodvè tantum juvandi studium & promptitudo, quâ in remotissima Germania hominem sibi ignotum R. Dn. V. lacessere non dubitavit. Sed mirari desii, postquam R. Dn. V. iis artibus eruditam iisq; virtutibus instructam cognovi, quæ inprimis quidem ad juvandam & ornandam universam Ecclesiam Catholicam comparatæ sunt, cæterùm nec singulorum quoq; votis projectâ quadam beneficentiâ ad utilitatem hominum defuturas se pollicerentur. Accedit amor patriæ communis, Germaniæ, inquam nostræ, quo velut arctissimo vinculo adstricta fides, & integritate quasi propriâ hujus gentis firmata humanitatem istam Rev. Dn. Vestræ expressit. Quare nihil miratus amplius de gratia referenda cogitavi, quam tamen nullam tantam reperiri posse existimo, quin eam beneficii præstiti exuperaret magnitudo; fortassis nec quærenda quoq; illa extra Rev. Dn. Vestram fuit. Quod itaq; reliquum est, hac vice commendare me, tantùm Rev. Dn. V. satis habeo, orans, ut hunc animum hancq; tam deprædicabilem benevolentiam deinceps quoq; mihi & Præposituræ meæ conservare dignetur, & porrò de Ecclesia universa, deq; singulis ejus membris, quàm optimè mereri ne desinat. Benè valeat in Dn. Rev. Dn. Vestra.

Dinnerus Præposito Bambergensi.

ADmodum *Rev. & Illustris Domine, Dn. gratiose.* Ut has ad Ill. Dig. T. exararem, fecit partim promissorum fides, partim memoria recens beneficiorum, quæ in immerentem me nuper Bambergæ conferre Ill. Dn. T. placuit, quorumq; mentionem non facere est eorũ oblivisci. Et ut inde potissimùm exordiar, mihi excidit, qui super Euphormione, & occasione auctoris illius, de Petronio, de Pyramide Parisiensi, deq; Satyra Menippea Justi Lipsii, inter nos sermones habiti fuerint: Mitto itaq;, quæ promiseram, rogans, ut Ill. Dn. T. Petronii libellum à me dono missum boni consulere, reliquis autem ad arbitrium suum uti velit. Mitto etiam clavem, sive mavis, facem intellectui legentis Satyricum nostrum accensam, eandem, nisi fallor, cum illa Introductione, quam à nescio quo submis-

Quare iterum gratias ago Dn. T. quòd Præposituræ meæ negocium ad curam suam revocare voluit, nec abstitit, donec expedito negocio primus confectum negocium in Germaniam nunciaret, nihilq; prætermissurus sum, ut gratitudinem meam quamprimùm reipsâ anno D. T. testatam faciam. Benè valeat D. T. Datæ Bambergæ.

Idem Cardinali Paravicino.

INgenti lætitiâ perfuderunt me litteræ Illustr. D. V. non tàm, quòd confectum mihi negocium Præposituræ Bamberg. nunciabant, quàm quòd is nunciabat, cujus auctoritati omnes, quotquot sunt, Viri Principes, & alii Ecclesiæ Catholicæ addicti, plurimum semper tribuerunt, cuiq; submissis quasi fascibus imperium in regno pietatis & sapientiæ meritissimo Illustr. Dn. Vestræ hactenus detulerunt. Nec mirum profectò, quòd, sicut Fiscalis Reverend. Principis Bamberg. Dn. Jo. Wolfius, mihi retulit, maximâ solicitudine & fide negocium istud à Rev. & Illust. Dn. V. actum est, cui Germania tota tutelam ac protectionem debere se libens profitetur. Macte istâ virtute, Cardinalis Illustr. quâ dudum Pontificem summum & Ecclesiam Romanam (cujus Tute pars es maxima) demereris, perge jam diffusissimum illum nominis tui splendorem, cui Italia jam angusta videtur, etiam in remotas has oras spargere; & mercedem consiliorum atq; laborum istorum, quam ab hominibus desperas, expecta immarcessibilem illam coronam, quâ DEUS Opt. Max. veram virtutem tandem solet remunerari. Ego quidem satis felicem me putabo, ubi Illustrissima D.V. summum dignitatis gradum in Ecclesia Christiana obtinet, si ego in imo subsellio consistam, & vel eminus inusitatam istam virtutem admirer: Dummodò hoc sibi de me persuadeat, me observantia erga Illustr. Dn. Vestram nemini, quicunq; is futurus est, unquam concessurum. Quare & litteras suas Illustr. Dn. Vestra eo loco à me asservari sciat, in quo preciosissima & carissima mea reposita sunt; gauderemq; adeò, si sæpius talibus epistolis me contingeret exhilarari. Valeat in Domino Illustr. D. V. meq; clientem suum sibi commendatum esse patiatur. Dab.

Idem Episcopo Atrebatensi, Ortenbergio.

R*Everendissime Domine, Dn. colendissime*: Immensa & tantùm non insolens extitit Ser. Dn. Nostri benignitas erga Præposituram Bamberg. quam (sicut novit R. D. V.) ante plusculas septimanas ad humillimam petitionem eorum, quorum interest, quoad Ill. & R. Cardinalem Madrutium non modò liberas habere ædes judicavit, sed & insuper ab omni pensione immunem esse voluit. Quod bene-

beneficium, quanquam soli ipsius S. præcipuè acceptum ferri debere omnes intelligunt, quæ otia ista Præposituræ meæ fecit, eamq; velut ex servitute libera asseruit manu: Tamen, quæ ipsius S. est minimè ambitiosa bonitas, credibile est, Eam alios quoq; in societatem pulcherrimi muneris hujus non gravatè admissuram, & eos præcipuè, qui solicitâ intercessione & precibus suis indulgentiæ Apostolicæ maturitatem attulerunt. Inter quos præcipuè R. Dn. V. studium enituisse Dn. Johannes Wolfius, Fiscalis R. Episcopi Bamberg. &c. verbis pl. testatus est, eamq; in negotio isto Præposituræ meæ non secùs, quàm in propria necessitate, desudâsse atq; fategisse confirmavit. Miratus sum, fateor, principio, unde hæc tam rara humanitas, quodvè tantum juvandi studium & promptitudo, quâ in remotissima Germania hominem sibi ignotum R. Dn. V. lacessere non dubitavit Sed mirari desii, postquam R. Dn. V. iis artibus eruditam iisq; virtutibus instructam cognovi, quæ inprimis quidem ad juvandam & ornandam universam Ecclesiam Catholicam comparatæ sunt, cæterùm nec singulorum quoq; votis projectâ quadam beneficentiâ ad utilitatem hominum defuturas se pollicerentur. Accedit amor patriæ communis, Germaniæ, inquam nostræ, quo velut arctissimo vinculo adstricta fides, & integritate quasi propriâ hujus gentis firmata humanitatem istam Rev. Dn. Vestræ expressit. Quare nihil miratus amplius de gratia referenda cogitavi, quam tamen nullam tantam reperiri posse existimo, quin eam beneficii præstiti exuperaret magnitudo; fortassis nec quærenda quoq; illa extra Rev. Dn. Vestram fuit. Quod itaq; reliquum est, hac vice commendare me, tantùm Rev. Dn. V. satis habeo, orans, ut hunc animum hancq; tam deprædicabilem benevolentiam deinceps quoq; mihi & Præposituræ meæ conservare dignetur; & porrò de Ecclesia universa, deq; singulis ejus membris, quàm optimè mereri ne desinat. Benè valeat in Dn. Rev. Dn. Vestra.

Dinnerus Præposito Bambergensi.

ADmodum Rev. & Illustris Domine, Dn. gratiose. Ut has ad Ill. Dig. T. exararem, fecit partim promissorum fides, partim memoria recens beneficiorum, quæ in immerentem me nuper Bambergæ conferre Ill. Dn. T. placuit, quorumq; mentionem non facere est eorũ oblivisci. Et ut indè potissimùm exordiar, mihi excidit, qui super Euphormione, & occasione auctoris illius, de Petronio, de Pyramide Parisiensi, deq; Satyra Menippea Justi Lipsii, inter nos sermones habiti fuerint: Mitto itaq;, quæ promiseram, rogans, ut Ill. Dn. T. Petronii libellum à me dono missum boni consulere, reliquis autem ad arbitrium suum uti velit. Mitto etiam clavem, sive mavis, facem intellectui legentis Satyricum nostrum accensam, eandem, nisi fallor, cum illa Introductione, quam à nescio quo submis-

ſam ſibi Ill. Dn. T. dictitabat. *Fibullium* nemo novit ex iis, qui pleraq; noverunt; fortaſſis nec ipſe ſe in Germaniam delatus noſciturus eſſet. Cornutos vid. infra. Auctor ipſius libri eſt *Gulielmus Barclaius Scotus*, cujus Pater *Muſſipontii* Doctoris ſtipendium meruit, ſub Lotharingiæ Ducibus. Cornutos quoq; illos geminos, *Anemonem* & *Olympionem*, qui noverit, non puto facilè reperiri; dabitur tamen à me opera, ut, quantum fieri poteſt, ad notitiam noſtram iſti omnes perveniant, & velut Caci ex latibulis ſuis cum tempore protrahantur. Quod ad reditum meum attinet, quanquam nec corpore nec animo admodum valeo, quem præteritarum recordatio moleſtiarum, & imago illa bovis (pudet enim tam grandem beſtiam vitulum vocare) nondum omninò reliquit, ſecundùm illud: *Poſt equitem ſedet atra cura:* Tamen gaudeo ex animo, non defuiſſe inter tot acerbitates jucunda quædam plurima, quæ hîc quoq; (ut in omni vita noſtra) vices gratâ quadam alternatione partitæ ſunt, temperaruntq; turbidum illud negotiorum & curarum meatū. Inter ea verò primas equidem tribuo eruditiſſimis ſimul & admirabili quadam rerum omnium varietate conditis ſermonibus Ill. Dn. T. quorum me quotidiè ferè, ut & menſæ participem factum eſſe, ſeriò triumpho & glorior; cùm uno eodemq; tempore & corpus cibis exquiſitis reficeretur, & animus per orbem terrarum, & ſingulas propè ejus partes, perq; hiſtorias omnes (non vanam Univerſi effigiem) ductu Ill. D. T. peregrinaretur, & quod mortalitati negatum eſt, ut idem ſimul & ſemel in diverſis ſit locis, beneficio colloquiorum illorum conſequeretur. Rara iſthæc felicitas eſt menſæ Tuæ, quam Principes & Reges invidere mihi queant. Verſantur etiam mihi in animo adhuc delitiæ horti incomparabilis, & ſphæriſterium metis arborum & areolarum diſcrimine ludi inexpertis formidabile. Taceo veſparum crapulas, & mortes, quas irato novus Mars juvenis Baccho, velut victimas immolare ſolet Nearius noſter, & Ephorus ipſius trinominis, credo eam ob cauſam, ne Cornutus Liber putaretur, ſi caper, ut olim, hoſtia ipſi caderet; quemadmodum nuper nobilis quidam Vincentinus, qui Francofurti graviſſimè expoſtulavit cum Amico mihi noto, quòd is ſalem ipſi in menſa porrigere auſus eſſet: Gladio quoq; vindicaturus contumeliam videbatur, niſi convivæ præcipitem hominis iracundiam cohibuiſſent. Cæterùm blandè poſtea à familiariſſimo interrogatus, quâ ratione contumeliam ſibi illatam arbitraretur: Quid dubitatis (inſit) cornutum me hoc geſtu ab adverſario pronunciatum eſſe? Salem (ſubjecit) libenter capræ lingunt: Capræ verò ſunt cornutæ. Ergò. Fiat Syllogiſmus in Paralipton, & concludatur invitis omnibus Logicis. Jam quid ego commemorem Hierodidaſcali animoſos cantus, ad quos nocte intempeſtâ ipſe S. Theodorus exhorruiſſe dictus eſt, & negâſſe, cygni moribundi illud carmen eſſe, niſi

perpetuò

perpetuò in vino na âsset? Quid Lupambuli carmen de buxo, nostris Berecynthiæ? dignum profectò, quod velut carmen seculare aliquod edisçant omnes ante alpha & beta puellæ, quod milites pro muris, tubâ in acie terribili sonitu imitentur, & his velut diris hostes absentes interficiant. Consultò prætereo hîc Nisoræ modulos, fidium æmulos, fidiumq; victores, in quos hoc unum peccâsse videor, quòd cantum virginalem cum homine parùm virgineo in iisdem litteris conjunxi. Quibus omnibus, nisi fatear litium, jurgiorum, aliarumq; rerum acerbissimarum cogitationem ex animo meo velut noctem & nebulas exturbatas, meq; mihi præsentiori remedio quàm Callionis potu restitutum esse, hominum omnium ingratissimus & postremissimus sim. Quis enim inter tot vitæ suavitates, totq; lepores tristissimam terrarum Holfeldiam, quis nomina illa inauspicata, Orbilios & Chremetes non dicam, sermonibus usurparet, sed quasi per somnium in cogitationem demitteret? Quis non argutias tuas, Martialis Belgice, aut Oweni Veneres, aut salem Momi Caledonii malit, quàm aurum & argentum omne, quod Euclio aliquis Plautinus in terram defodit, & unde esuriens dominus non ausit sumere numum? Tibi nunc, ne longior sim, Ill. Dn. Præposite, Domine Gratiose, gratias agere convenit, cujus munere cùm ea mihi contigerint, quæ post vitam non modò jucundissima & suavissima, sed & honorificentissima mihi deputo, ea quoq; vicissim debere me Ill. Dn. T. profiteor, quæ in vita carissima & preciosissima habeo. Tuæ auctoritatis fuit, quòd defenso utcunq; Jure meo à malevolentissimis adversariis salvâ (si qua est) existimatione meâ me expedivi. Tuæ humanitatis, dicam, an prudentiæ & cautionis fuit? quòd non alibi nisi Tecum cibum me capere voluisti: Quò abductis à molesto spectaculo sensibus ipse etiam animus in possessionem reverteretur pristinæ tranquillitatis. Tuæ clementiæ fuit, quòd me, ideò tantùm credo, quòd litteras nôssem, & verborum honore uberrimo affectum, & invidendis laudibus ornatum, indignum ad familiare colloquium velut oraculum quoddam prudentiæ & experientiæ singularis non semel admisisti: Ut facilè omnes intelligant, omni genere eruditionis & doctrinæ abundare eum, qui pertenues alieni ingenii viriculas sic sciret æstimare. Quod igitur reliquum est, pro tot ac tantis promeritis Ill. Dn. T. unum hoc polliceor & recipio, si quid desiderium inserviendi ipsi efficere potest, effecturum me, ut Ill. Dn. T. intelligat, in multò digniores beneficentiam istam suam conferri potuisse: At qui ipsius sit futurus observantior, & æq; ex sensu animi sui cupiat esse totus effictus & compositus, eam habituram fuisse neminem. B. V. Dab. Palæcomæ die XXII. Septemb. A. C. 1610.

Idem

Idem Joh. Christoph. Neustettero, Præposito Bambergensi.

Admodum Reverende & Illustris Domine, Domine gratiose: Cùm tabellarium hunc ad Ill. D. T. aliis de causis mitti accepissem, eum sine literis meis in conspectu Ejusdem comparere nolui. Scribendi verò causa non argumento aliquo necessario, sed moribus nititur populi Christiani, qui in hac anni velut infantia ab infante CHRISTO prospera quæq; sibi mutuò exoptare, & ut beneficio ipsius annare perennare liceat, comprecari solet. Sanctissimo utiq; majorum instituto, qui non aliunde, quàm ab auctore salutis & à principe vitæ rectiùs ista peti verum judicabant. Idem ergò, ut Tibi, Domine Gratiose, mihiq; favens & propitius sit, utq; Ill. D. T. novum hunc annum cum innumeris aliis affluentibus, bonorum, gratiarum & honorum omni genere coronatum esse velit, ex animo precor. Cumq; Ill. D. T. superioribus annis qualecunq; opera mea & studio in literis Lat. Ejusdem nomine ad diversos perscribendis non indelectatam cognoscere potuerim; ut eadem operâ meâ hoc quoq; anno & deinceps uti, neq; in hoc tantùm genere, sed & in aliis quibus (ex veteri formula) sciam poteroq;, fidem meam periclitari velit, hortor & rogo, id quod nuper coràm Bambergæ Eandem rogaturus eram, nisi negotii ambigui juxtà & invidiosi tractatio, quam precibus Orphanæ continuis coactus suscepi, tempus & occasionem mihi eripuisset; atq; ipse adeò satiùs duxissem, officio tum quidem multis in rebus deesse, quàm eadem invidiâ unà mecum involvere. Nec ambitione aliquâ hoc ab Ill. D. T. contendo, qui probè sciam, non deesse Ill. D. T. qui præter exactam Juris utriusq; scientiam omnis antiquitatis & elegantiæ Romanæ cognitione succinctus me multò feliciùs præstare tale aliquid possit: Sed ut novus cliens beneficium nuper mihi ab Ill. D. T. clementer concessum, cùm equo nequeam (vasallus ἄν ιππος) calamo saltem vel aliâ ratione demerear. Benè valeat Illust. D. T. signatum Altorfii postridie Circumcisionis Domini 1612.

Idem Dn. Baroni à Wolffstein.

Illustris ac Generose Domine Baro, Domine gratiose. Literas Latinas Gen. T. Argentinâ ad me datas, plenas suavitatis, amoris & elegantiæ accepi. Addo & pietatis, & prudentiæ, & sine exemplo modestiæ. Nam quòd ad falsum rumorem de excidio oppidi nostri in tantum Te mœrorem conjectum fuisse scribis, quantum ego, qui intimos Gen. T. sensus agnosco, imaginari possum: Quid hoc nisi pietas est? Modestiam verò (sive mavis ταπεινοφροσύνη) ea in re maximam & incomparabilem agnosco, quòd si ad Cognatos aut Affines tuos (quorum Illustrem

strem splendorem loco Virtutis heroicæ excelso situm nemo ignorare potest, nisi cui Germania ipsa ignota est) litteras hujusmodi dedisses, nullam amoris significationem prætermissam dicerent: Quodq; in iisdem literis tuis tantum mihi tribuis, quantum uni Tibi ego verè tribuere possum. Jam verò, quod de statu non modò Reipub. Vestræ, sed etiam Germaniæ totius perturbatissimæ accuratè differis, unde est, nisi ab excellenti Naturæ Tuæ bonitate? quæ quanquam unica ferè post DEUM parens est rectissimorum judiciorum, à lectione tamen optimorum auctorum, & consuetudine virorum magnorum atque clarorum, quorum copiam Argentinæ Gen. T. habet, mirum in modum confirmatur atq; roboratur. Divinationis vim magnis ingeniis semper infuisse certum est, ita, ut futura præsentirent, eademq; interdum ut Vates canerent: Sicut de Cicerone in vita Attici scribit Cornelius Nepos, de Socrate alii, qui beneficio μαντικῆς hujus olim & cladem classis Atticæ in Sicilia prædixit, & periculum post pugnam ad Delium effugit. Certiora in DEI verbo rei hujus testimonia habemus, quæ quia nota Gen. T. scio, nolo hoc loco attingere. Non possum autem inter alia satis laudare affectum illum humanissimum Gen. T. quo defunctum Consobrinum Illustrem quondam ac Generosum Dominum Baronem Seinshemium &c. quem diem suum obiisse ex oratiuncula mea cognoverat, prosecuta est. Quem casum dum fers tam familiariter, flebilibusq; planè modis deploras in eadem Epistola tua, & quod dignum est necessitudine illâ, quam Natura inter vos constituit, facis, & eâdem operâ acerbissimum animi mei sensum ex morte ejusdem conceptum, retractas. Eheu dolor! quid ulcus antiquum novas? Quantam verò quamq; solidam ex litteris Gen. T. consolationem capiet defuncti frater Illustris Dominus Baro Christianus? quantam ex voto tuo voluptatem, dum superesse illum quàm diutissimè familiæ suæ unicum columen optas? Ille verò ab eo tempore, quo Norimbergæ & ægrotare Dominus Frater cœpit, & ibidem vitæ diem clausit supremum, Altorfium non rediit. In castro *Seehaus* adhuc ipsum commorari fama est: Quò mittere ad ipsum literas Gen. T. ipsumq; & voto & solatio amantissimis beare mihi constitutum est, Te, Dn. Baro gratiosissime, ut spero, volente ac probante. Hæc autem omnia cùm satis laudare in Gen. T. nemo possit, quid reliqui est, quin ea habere Ipsam prædicemus, quæ quidem in homine dicuntur bona; DEO verò hominum datori gratias agamus, quotquot ea in Gen. Tua admiramur? quorum ego nunc fructum ex literis tuis capio uberrimum. Uberiorem tamen olim Respub. Christiana capiet, si, quod jam pridem auguratus fui, studiis ac peregrinatione feliciter ad finem perductis, ad Illustrissimam Dominam Matrem Fratremq; quàm ornatissimus reversus fueris. Nova, quæ scribam, nulla sunt. Omnia magis misera sunt.

Ingens est omnium ἀπορία, ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ φόβου καὶ προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων τῇ οἰκουμένῃ, planè ut Salvator noster apud Lucam cap. 21. v. 25. & seq. prædixit. Avaritia crudeliùs nos spoliat, quàm hostes, & fit, quod servus Dei prædixit in explicatione XII. capitis Danielis his verbis: Der Geitz und Mammon ist so eingerissen / daß zu besorgen / man wird das Evangelium außhungern und achten / wie Loth zu Salom geacht / und Noah für der Sündflut; dann in der Welt will itzt beede Obermann und Untermann nichts hören noch sehen dann Geitz / Wucher und eigen Willen etc. Hinc inaudita caritas annonæ rerumq; omnium vitæ hominum necessariarum: Cui adeò nemo mederi laborat, ut magis magisq; incendi eam plerią velint. Sed scio avaritiam nostrorum novam Gen. T. non videri. Idcirco ad vetera redeo: Vetus est, quòd Gen. T. absentem sic memoriâ colo, ut nihil fieri possit amantius: Sic ejusdem desiderio teneor, ut esse nihil possit ardentius: Deniq; sic eidem metuo, ut quodam quasi Belli & Luis collimitio constitutæ (sicut magno cum dolore nuper cognovi) ut nihil fieri possit solicitius, sed sperantem in DN. circumdabit misericordia. Jam illud quoq; vetus existima, quo nihil mihi unquam antiquius erit, quod gratiam tuam tanti semper feci, quantum & Prosapiæ tuæ Illustrissimæ nobilitas & ingenii tui ornamenta & suavitates merentur: Quorum quidem ea est vis, ut nulla intercapedo locorum, nulla absentia, nulla diuturnitas observantiæ erga Te meæ finem allatura sit. Benè & feliciter vale, Illustr. & Gen. Dn. Baro, ô & præsidium & dulce decus meum. DOMINUS JESUS salvum Te nobis præstet, quem colis, nosq; unà tecum. Dab. 29. Martii A. C. 1622.

Idem D. Hehero, JC.

DUæ sunt causæ, quæ silentium satis diuturnum abrumpere me jubent, & respondere amantissimis litteris tuis novissimè ad me perscriptis. Prima est, ut excusem me, quòd litteris Invitatoriis ad nuptias filii Tui Clariss. & Excellent. D. Doctoris Georgii Achatii &c. Dn. Affinis mei honoratissimi, nondum respondi. Altera, quòd traductâ ad ædes tuas filiâ meâ Cœciliâ ac per tempus benè longum benignissimè habitâ, nihil dum à me profectum est, ex quo gratum mihi tantum fuisse officium conjicere potuisses. Et principio quidem, quò minùs ad constitutum in festivitate nuptiali comparerem, tempus ipsum plenum periculi, metus plenissimum iterq; facientibus intutum & inimicum, in quod nuptiæ inciderunt, prohibuit. Accessit, quòd eodem nuptiarum die in promotione Doctorali ab Inclyto Collegio Dnn. Scholarcharum &c. partes Dn. nostri Procancellarii Amplissimi in actu illo obeundæ, mihi & indigno & invito, adde & imparatissimo, commissæ fuerunt. Quod mandatum cùm nonnihil

nihil studii requireret, nec tempori imperare possem, effectum est, ut justò tempore h. e. adhuc ante nuptias, aliis quoq; gravioribus curis & miseriis circumventus, respondere litteris & Invitationi tam honorificæ nequiverim. Hymenæo tamen vestro ego & mei omnes & tum benè precati fuimus, & adhuc benè precamur: Daturo per DEI gratiam pro uno Hebero, optimo pennipotentum, & masculini & feminini generis Heberos plurimos, genere neutro semper excepto atq; excluso. Ad alterum quod attinet, quòd filia mea, contra mandatum meum, ad ædes vestras traduci se passa est, ingenti cum molestia dominæ honoratissimæ Conjugis Tuæ eo tempore, quo hospites peregrinos desideratissimos ægrè eædem ædes capiebant: Vix habeo, quod respondeam. Majorne impudentia filiæ nostræ & turpitudo patientiæ meæ, qui maturè non interdixi, nec morantem revocavi? An humanitas & beneficentia in A. T. fuerit, nemo facilè divinaverit. Non victum me beneficio (quo nec provocari à me potuit, propter miseriam nostram & temporum horum calamitatem) sed oppressum libenter fatebor, donec vixero. Quamvis autem hæc ita sint, nec omnes gratiarum agendarum formulæ sufficere possint, quibus ingratitudinis notam, fortassis & supinæ negligentiæ in rescribendo effugiam: Tamen ubi Ampliss. Dn. Affinis meipsum coram (ut brevi, DEO dante) audierit, spero æquanimum Judicem me inventurum, qui consideratâ temporum istorum desperatione & mearum rerum conditione, veniam in omnibus facilè mihi daturus, & amicum pauperculum alii occasioni, qua gratum se ostendat, reservaturus sit. DEUS OPT. MAX. Te, Ampliss. Domine, Affinis plurimùm colende, cum Consorte thori δευτερογάμοις, omniq; familia, nosq; omnes in turbis istis clementer protegat, & Avaritia Bellonaq; procul fugatis, conservet! Dab. Altorphii.

Idem Cardinali Burghesio, novo Germaniæ Protectori.

Illustrissime & Reverendissime Cardinalis, Domine colendissime. Sicut, qui in communi omnium gaudio & solennitate populi nullam planè lætitiæ præbent significationem, alieniori à Republ. animo propterea esse putantur: Cum quæ & gaudendum sibi & flendum cives egregii semper judicarunt: Ita mihi quoq; verendum est, ne vel parùm prudens æstimator felicitatis seculi nostri habear, vel certè in maxima rerum omnium ignoratione versari existimer, si inter tot festas summorum virorum gratulationes nullum lætitiæ meæ (quam uberrimam ex incremento & accessione honoris Illustr. D. Vestræ Ecclesia universa Catholica concepit) extet argumentum. Ut enim hinc potissimùm ordiar, quis rerum Germanicarum tam imperitus est, qui nesciat, quantum vulnus in obitu Illustr.

quondam & Reverend. Cardinalis Octavii Paravicini, Germaniæ Protectoris, patria nostra acceperit? Quis porrò tam à rerum omnium cognitione remotus, ut quibus præsidiis ad juvandam Rempubl. Christianam Illustr. Dn. Vestra instructa accesserit, quibusq; & quantis honoribus digna semper habita fuerit, non cognoverit? Quanquam enim totum hoc, quòd Illustriss. Dn. Vestra in locum defuncti Germaniæ Protectoris suffecta est, divinæ providentiæ & sapientiæ asscribendum videtur, tamen & Ser. Dn. Nostri judicio plurimùm tribuendum esse omnes agnoscunt, qui præsentis temporis rationibus Germaniæq; necessitatibus arbitrium illud supremum in deligendo successore attemperavit, talemq; quo nec voto meliorem optare licuisset, Germaniæ Protectorem præfecit. Cujus quàm miserabilis facies per biennium fuerit, circumlucente nos undiq; belli dirissimi flammâ, & jactis circumquaq; non ab uno Vejove fulminibus, quibus non perterrefacti modò, sed & ambusti sumus, non possum equidem sine maximo doloris sensu recordari. Quod tamen non eò à me commemoratur, ut quicquam Ill. Dn. V. ad obeundum præclarè munus istud deesse arbitrer, sed ut propositis tam arduæ provinciæ difficultatibus, quæ ardorem in aliis restinguere & cordatissimorum animos frangere poterant, ostendam unum Cardinalem BURGHESIUM repertum esse, qui nec Diis nec viribus impar, quod dici solet, æquare laudem prædecessoris sui inclytæ memoriæ, vel etiam eandem exsuperare valeat. Quare Illustr. Dn. Vestræ de titulo isto PROTECTORIS GERMANIÆ ex animo gratulor, Deum Opt. Max. venerans, ut is vires eidem clementer sufficere, perq; se satis excitatam magis magisq; ad utilitatem orbis Christiani, quietem Germaniæ, & incrementum laudum propriarum (si qua fieri potest accessio) animare dignetur. Quod ad personam meam attinet, efficiam profectò cultu & observantia, ut Illustriss. Dn. Vestra intelligat, nullius honoribus unquam æq; me favisse, cui & officia mea omnia paratissima atq; promptissima humiliter offero. Benè valeat in Domino Illustrissima Dn. Vestra. Dabantur Bambergæ. 1611.

Idem D. D. Consiliario & Procuratori Nationis Germ. Senis agentibus.

I*llustris & Generose Domine Consiliarie, Nobiles Clarissimi & doctissimi, Domine Proconsiliarie, & Domini Procuratores inclytæ Nationis Germanicæ, Domini colendissimi.* Tanta est vis in utramq; partem conscientiæ, Domini, ut neq; qui deliquerunt, animo esse securo possint, neq; qui nihil peccârunt, timere; quibus hoc pro muro est aheneo, ut Flaccus ait:

Nil conscire sibi, nullâ palescere culpâ.

Hoc licet & mihi gravissimâ impetito calumnia sufficere potuisset: Tamen cum secun-

ſecundum B. Auguſtinum, Conſcientia nobis quidem ſolis neceſſaria ſit, fama autem proximo noſtro, diutius diſſimulare tàm atrocem injuriam, cum gravi totius familiæ meæ honeſtiſſimæ detrimento & macula, non debui.

Vos appello teſtes, Domini, cum ante medium ferè annum apud Vos procuratoris Inclytæ Nationis veſtræ fungerer officio, quàm hoc unicè dederim operam, ne quæ poterant eſſe vel induſtriæ vel fidei meæ partes, ullo in negotio à vobis deſiderarentur. Quin illud potius ſemper in omni actione cogitavi & ſpectavi, ut honeſtam nominis mei memoriam in Etruria veſtra relinquerem, quam idcircò & emendam labore, & retinendam fidelitate ſemper putavi. Quod ſi aſſecutus non ſum, omnia certè me prius, quàm voluntas defecerunt, cujus rei illuſtriſſimos & clariſſimos viros apud vos teſtes mihi eſſe, & glorior & gaudeo.

Accidit deinde, ut à Dominis cognatis & affinibus meis in Germaniam revocarer: Hîc cum ab inclyta Natione honorificentiſſimè abiturienti mihi gratiæ actæ eſſent, mirum verò quàm illa res occulti mihi gaudii fuerit, cum non ſolum laborum meorum illo die me fructum cepiſſe uberrimum exiſtimarem, ſed quod inſuper commendatio hæc veſtra, quoddam quaſi præſagium alterius honoris continere videretur.

Hoc tanto bono meo dum lætor tacitus, & voluptatem ex tam honorifico Inclytæ Nationis de me judicio capio incredibilem; ecce quidam inventus eſt, Georgius Adamus Brunnerus, qui voluptatem hanc meam interpolare & ſparſo graviſſimo & atrociſſimo de me crimine, fructu me meorum laborum privare non dubitavit. Dedit ille ad fratrem ſuum literas, quibus depeculatum me eſſe ærarium veſtrum, immemorem videlicet jurisjurandi, quo Inclytæ Nationi obſtrictus eram, nequiter & ſceleratè mentitus eſt. Tantumne? dicetis: Imò verò, condemnatos & mulctatos ex facto meo ſucceſſores meos ſcripſit, & alia, creſcentem verbis implens mendacibus utrem. Etſi autem omnes facilè intelligunt, quàm hæc ſit jejuna & me indigna calumnia, ex eo, quod de ſucceſſoribus dictum eſt: Quare & contemnenda quibusdam viſa eſt: Tamen fœditate ejus commoti Domini cognati & affines mei, ad defendendum familiæ noſtræ honorem, omnes non ſecùs; quam ad communem jactum ex l. Rhodia faciendum ſe paraverunt.

Et quia ſæpenumero Inclytæ Nationis veſtræ erga me (immerentem quidem) deprædicâſſem ſtudium, hoc quidem tempore contrà abſentis ſycophantæ morſum nullum aliud ſupereſſe remedium arbitrati ſunt, quam ut ab eadem inclyta Natione ſupplex contenderem, ut oppreſſum me calumnia atrociſſima ſublevare favore ſuo & famæ meæ ſuſcipere patrocinium dignaretur; Quod ea ratione fieri poſſet, ſi adminiſtrationis meæ, ſive muneris bonâ fide à me geſti te-

stimonium aliquod mihi, sub sigillo Inclytæ Nationis vestræ, subscriptum Nominibus vestris & Dnn. Seniorum impertiretur. Tanta certè apud omnes auctoritas est, Domini, inclutæ Nationis vestræ, ut si vos tali me testimonio dignaturi sitis, vanissimæ illius calumniæ nebulam quasi ad solem rarescere & evanescere necesse sit: Tanta porrò erga me benevolentia, ut negaturos mihi, ne suspicari quidem debeam.

Præterea, licet planissimè arbitrer, apud vos hac de re altum esse silentium: (Neq; enim invenio, quæ res, quis casus, aut prætextus, huic tàm sinistro rumori de me causam præbere potuisset) tamen si quorundam impudens audacia eò malitiæ esset progressa, ut abstinere à tàm gravi nominis mei contumelia non potuisset, Domini, vos obtestor oro atq; obsecro, ut qui ejus sint auctores, præter istum quem dixi, aperire velitis. Interim pro defensione necessaria nominis honoris mei ajo atq; assero, eum eosve, qui hæc honoris mei lædendi causa, dolo malo confinxerunt, sparserunt atq; adhuc spargunt, nequiter mentiri atq; mentitos esse: Nulla à me injuriâ lacessitos, nullâ occasione, vel mendacii colore, protervè & furiosè in honorem & existimationem meam debacchatos: Agyrtos, calumniatores & canes se diabolicâ hac calumniâ præstitisse. Quos ego si indagavero, quocunq; tempore, omni ratione justa atq; modo ulciscar atq; persequar, donec mihi meisq; plenè de tàm atroci injuriâ satisfiat. Vos iterum, Domini, obsecro atq; obtestor, ut mecũ ad necessariam famæ meæ defensionem incumbere, mihiq; hoc tempore circumvento acerbissimâ calumniâ, testimonio vestro deesse ne velitis. Quod tantò majus ad famam meam habebit momentum atq; pondus, quantò virtus vestra, illustri Italiæ loco, majorem ad omnes prope exteras nationes habet auctoritatem.

Dabo ego vicissim operam, ut quod novum hoc beneficium reliquis vestris ergà me maximis meritis tanquam cumulus accedit, non modò nulla deleat unquam oblivio, sed reipsa aliquando declarem, quantum hoc nomine vobis debeam. Quorum gratiæ & benevolentiæ me & honorem meum commendo. Datæ Bambergæ 21. Martii A. C. 1603.

Idem Eisdem.

Illustris Domine Consiliarie, Nobiles & Clarissimi Viri, Domini Procuratores, Domine Gratiose, Domini colendi. Quintus jam labitur mensis, quod literas Bambergâ ad vos dedi, vobisq; significavi, quàm atrocem à quodam Georgio Adamo Prunner accepissem injuriam, dum ille ex Italia ad fratrem suum dat literas & in iisdem me criminatur, quo tempore inclytæ Nationis vestræ egi Procuratorem, malâ fide & fraudulenter ærarium vestrum administrâsse, illudq; depecula-

peculatum esse. Ita namq; hæc ab ipso enunciata esse, affinis ejusdem fatebatur. Quare quod tùm unicum ratus sum, contrà aspidis morsum præsentissimum, statim à vobis testimonium administrationis meæ sub sigillo Inclytæ Nationis Vestræ & subscriptione, adjecto pro sigilli impressione munere petii.

Cum autem in iisdem literis meis, quas hîc volo repetitas, crassam hanc calumniam ipsius Prunneri ita retuderim, ut vobis ostenderim, me non modò à veritate tanti facinoris, sed etiam ejusdem suspicione abesse longissimè: Cujus rei testes etiam num cito illustres Nobiles & clarissimos Viros, quibus ego, dum commoratus sum Senis, qui familiaris, & qui post discessum meum anno superiori ibidem remanserunt: Meritò profectò mirum hoc Dominis Cognatis & Affinibus meis visum est, me testimonium illud exigui laboris operam non impetrâsse. Accidit, quod cum discedens Senis 10. coronatorum ærario vestro debitor mansissem, atque cumprimùm in Germaniam rediissem, vobis satisfieri curâssem; (quam solutionem vobis factam manus vestræ testantur subscriptiones) hîc cum iisdem in literis chirographum meum mihi remitti petiissem, illud nondum obtinere potuerim. Quæ res aliquando suspicionem mihi injecit, factum incuria mercatorum, ut literæ illæ meæ deperierint. Veruntamen cum crebris eorundem nuntiis mihi constaret, illas vobis redditas esse, facere sanè non potui, exigente hoc honore familiæ meæ, quin hac etiam vice, de eadem re vos interpellarem.

Sic ergò mecum existimatote, Illustrissimi & Clarissimi Domini, potuisse me vanissimam hanc calumniam, quod ad personam meam attinet, planè negligere, & tanquam luna latratum canis hujus spernere, neq; minus ideò mihi fore consultum, si vestrum hoc testimonium non acciperem, (nullum namq; contra mendacia vel præsidium firmius, vel testimonium certius est bonâ conscientiâ, quæ mihi & fidei & industriæ meæ erga inclytam nationem vestram perpetuò testis erit.) Quod autem fratres, cognati atq; affines mei, Clarissimi Viri, his literis meis vobis pro vestro hoc de me judicio supplicant, illos à vobis rem æquissimam petere, atq; ipsis potius, quàm mihi necessariam. Ego pro eâ, quam semper habui de virtute & gravissimo vestro de me judicio, opinione non dubito, quin hanc ab honoratissimâ familiâ meâ (absit verbo invidia) gratiam inituri sitis, atq; hoc concessuri, quod sponte vestrâ, nullius precibus facturi eratis, ut veritati testimonium perhibeatur, ab innocenti calumniam depellatis. Neq; ego illud jam Græcorum, illud mutuum testimonium & turpe & ridiculum à vobis stipulor: Illud potius à vobis contendo, ut si quà unquam in re dolum meum aut fraudem quam minimam deprehenderitis, hoc ipsum perscribatis: Sin verò paucorum hæc fuit improbitas, ut aliquo tempore se fidem meam in negotio vestro desiderasse

fideraſſe dicerent, rurſum vos obteſtor, ut, quinam illi ſint, indicio veſtro cognoſcere poſſim.

Quanquam qui tales eſſe poſſint, neq; aſſequi cogitatione, neq; per ſomnum, teſtor Deum, fingere poſſim. Quod ſi, quemadmodum accepi, multò poſt abitum meum aliquid accidit, quo Natio inclyta læſam ſe eſſe ſentiat, & factum alienum crimen, nomen, invidiam habet; Id quidem non oportere in exiſtimationis meæ redundare detrimentum, ipſi cognoſcitis. Ad ipſum verò Prunnerum, illum, inquam, qui ad iſtum modum honorem meum conſcelerare auſus eſt, quod attinet, hoc Vobis perſuadeatis velim, me quamprimùm ejus conveniendi, dabitur copia, injuriam hanc illatam mihi, familiæq; meæ graviſſimam minimè neglecturum, & vitam potius, quàm famæ defenſionem depoſiturum. Exiſtimavit quidem ille verum eſſe, quod vulgò jactatur: Calumniare audacter, ſemper aliquid hæret; & parum diſtare videntur ſuſpectus, vereq; reus. Verùm alia longè mens eſt viris gravibus & cordatis, qui ad fallacis rumoris auram non perinde commoventur, ut continuò de exploratâ aliorum integritate incipiant ſubdubitare. In horum numero, cum meritò mihi ſitis, Illuſt. & Clar. Dn., quibus me meaq; probari, vehementer geſtio (cæteris enim ne cupio quidem) idcircò majorem in modum vos rogo, oro atq; obſecro, ut, quod hoc quidem tempore ad defenſionem famæ meæ maximum habiturum eſt momentum teſtimonium, inquam, muneris apud Vos bonâ fide geſti, non mihi negetis & hâc ratione oſtendatis, quantopere peſtiferum hoc & nugivendum hominum genus oderitis, quos ego hinc ad patrem illum mendaciorum & calumniarum relego. Quod ſi æquiſſimam hanc petitionem meam locum apud Vos habuiſſe deprehendero, eſt profectò, quod maximo me affectum à vobis beneficio, meq; cum univerſâ familiâ vobis æternùm devinctum eſſe fatear. Valete Illuſtriſſ. & Clariſſimi Domini. Dabam Spiræ. 5. Julii. A. 1603.

Idem Eisdem.

ILluſtris Dn. Conſiliarie, Nobiles & Clariſſimi Viri, Dn. Procuratores, Dn. Gratioſe, Dn. colendi. Binas literas meas hæ nunc poſtremæ (ut auguror) in hoc genere longè moleſtiſſimo & acerbiſſimo excipiunt, quibus à Vobis teſtimonium muneris mei Procuratorii, bonâ fide apud Vos geſti, efflagito. Quæ multiplex deprecatio mea DD. VV. & atrociſſimæ injuriæ mihi illatæ, & muneris veſtri admonebit. Dabitis autem mihi hanc veniam, ut ſi vel compellaſſe vos frequentius, vel violentius urſiſſe hoc negotium videbor, illud non aliam ob cauſam quàm honoris & exiſtimationis meæ periculum à me factum exiſtimetis. Quod cum meritò optimus quiſq; graviſſimum ducit, mihi ſanè hoc tempore tanti

tanti est, ut, nisi testimonio vestro maturè huc transmisso hoc me labore sublevetis, aliâ vice, & propediem hanc ipsam ob causam in Italiam ad vos reversurus sim. Hoc autem licet maximo incommodo & sumptu meo futurum est, dum tamen famæ meæ consulatur, non modò parvipendo, sed vitam insuper & sanguinem impendere paratus sum. In vestrâ est manu, ne molestiam hanc subeam, utq; brevi, quod dicitur, manu, consequar id, quod alioquin majore negotio, sed consecuturus utiq; sum: Qui non tam incommodi hujus mei quam innocentiæ meæ, & prudentiæ celebritatisq; vestræ, ubivis locorum pervulgatæ, rationem habebitis. Quarum illa fecit, ut Diabolica ista & vanissima calumnia commoverer minus: Hæc, ut in Nationis Vestræ inclytæ judicio certissimum famæ meæ præsidium collocarem. Accedit, quod ut audio inter vos constat, quinam sint illi, qui in Nationem vestram ærariumq; deliquerunt; quorum factum mihi nocere non debet, quia alienum; non potest, quia tunc temporis Italia excesseram.

Quæ etiam caussa fuit, ut noluerim acquiescere Clarissimis viris, cognatis & affinibus meis, qui sæpenumerò à me contenderunt, ut ad Serenissimum Magnum Ducem hoc de negotio darem literas, quò tandem aliquando à Vobis id impetrarem, quod differri diutius sine gravi dispendio honoris mei non potest: Quod nulla adhuc mihi justa caussa visa est, propter quam alieno, quàm Inclytæ Nationis Vestræ præsidio tutiorem me judicarem, cui satis ad defendendam existimationem meam vel auctoritatis est, vel etiam animi.

Hoc solùm postremò meminisse Vos velim, *Illustriss. & Clariss. Domini*, ne vestri vos dissimiles hoc in negotio meo præstetis, qui inclytæ Nationis Germanicæ auditis Rectores & Procuratores, à quibus idcirco veritatem non impetrare, testimonium iniquissimum esset. Quod etiam atque etiam in mentem vobis venire oportet, ne si aliunde remedium petere cogar (quod nolim) id cum præjudicio aliquo inclytæ Nationis V. conjunctum sit. Valete Illustriss. & Clariss. Domini. Datæ Spiræ. 26. Julii. A. C. 1603.

Idem Eisdem.

Meministis, quotiens, & quàm importunè Dominationes Vestræ de testimonio administrationis meæ in munere procuratorio solicitarim; nulla quidem creandæ molestiæ voluntate, sed necessitate urgente maxima, & periclitante honore meo. Illud dum expecto, speq; simul & mora excrucior, jamq; totus in hoc essem, ut ad Vos in Italiam ipse redirem: Commodum advenit Spiram, ante mensem, successor in officio meo procuratorio, Dn. Georg. Frider. Sonwald, Comes Palatinus. Is interrogatus, ecquid fieret de testimonio meo?

respondit, illud mihi honorificè decretum, subscriptum, atq; consignatum fuisse; se præsentem legisse illud, & vidisse; mirari, quòd nondum illud accepissem. Se quidem condemnatum esse à Natione, sed nihil eò nomine à me repetere: Sui salvandi causa se quidem aliqua ratione testimonium illud remoratum esse; sed arbitrari, hanc mihi remoram non futuram fraudi; neq; cupere, ut veritati ampliùs officiat. Hîc dum ego, qui an seriò hæc ita loqueretur, subdubitabam, ex ipso quærere cœpi: An idem coram Notario, & testibus, dicturus esset? Annuit: dictus est dies. Fuit id 28. die Sept. cum convocatis testibus, Tabellio sive Notarius Publicus, qui idem (Spiræ) Magister est Tabellionum Cameræ Imperialis, stipulata manu, loco juramenti præsentibus Clarissimis Viris Dn. D. Sebaldo Craus, & Dn. Gerhardo vom Holtz / J. U. L. an hoc verè ita se haberet, ipse est percunctatus. Quo facto, dictus Dn. Sonwald non modò hæc esse vera affirmavit, sed insuper, ne qua planè dubitatio aut scrupulus relinqueretur, schedulam attestationis suæ propria manu scriptam, Notario testibusq; ante perlectam, in manus dedit; copiam instrumento (quod authenticum ad manum habeo, & exigentibus exhibiturus sum) inseri jussit; sicut Dominationes Vestræ deprehendent & hoc exemplo, à me unà misso, quod cum autographo suo, per omnia congruit.

Quod unum reliquum est, Dominationes Vestras obnixè rogo, ut, quod innocentiæ fideiq; meæ, atq; ipsi potius veritati debetur, testimonium, nemine amplius repugnante (ut idem Dn. Sonwald confitetur) cum gravi dispendio existimationis, atq; nominis mei amplius ne differatis; idq; mea vobis consequi tandem aliquando patiamini, quod jam dudum ipsius rei æquitas à Vobis impetrare debuit. Malevolentiæ satis, calumniarum ex hoc fonte jam pridem nimium fuit, quod Dominationes Vestras non latet; quasq; condolere mihi certo certius persuadeo. Sed hæc omnia ad lucem hanc veritatis, testimonii vestri, tanquam nebulæ vanescent; & dicere illud potero, quod optimus Poëta,

Vinca'l ver dunq;, e si rimanga in sella:
E vinta à terra, caggia la guggia.

Dabò autem vicissim cum universa familia mea honestissima operam, ne Dominationes Vestras hujus in bonos collati beneficii unquam pœniteat, neve, quæ meæ erunt in Vos observantiæ partes, ullo unquam tempore desiderentur. Valete Illustriss. & Clariss. Domini. Datum Wirceburgi 21. Octob. A. C. 1603.

Inclyta Natio Germanica Andreæ Dinnero Wirceburgensi, J. U. Doctori.

N*obilis & Clarissime Domine:* Literas tuas, quibus testimonium de munere Procuratorio superioribus annis apud nos gesto, à nobis iterum exposcis, non

non ita pridem accepimus: Quibus perlectis, illud nobis novum atq; inopinatum prorsus accidit, nostras, quas binas, aut ternas, cum eo ipso Testimonio hinc dimisimus, ad te non esse delatas. Meminimus equidem, (uti & in tuis mones) te antehac iterum atq; iterum eâ de re ad nos scripsisse: At verò etiam ab inclytâ Natione, quæ & tuum, & suorum omnium emolumentum, atq; etiam honorem promovere & tueri desiderat, toties tibi rescriptum, atq; etiam testimonium transmissum agnoscimus. Enimverò uti neq; antehac, ita nunc quidem in hâc re deesse tibi volumus; eaq; de causâ, Testimonium quod petis, de novo rursus scriptum, unâ cum hisce literis ad te transmittimus, quo & honorem & commodum tuum tueri & promovere possis, Senis Hetruscorum. VI. Junii, M.DC.IV.

Consiliarius & Procuratores Germanicæ Nationis, Senis agentis.

Ejusdem Inclytæ Nationis de Eodem TESTIMONIUM, ob gestum ab eo Senis munus Procuratorium.

NOs Consiliarius & Procuratores Inclytæ Nationis Germanicæ, Senis agentis, omnibus hasce inspecturis, salutem & mutuam benevolentiam &c. Licet ea sit virtutis vis & præstantia, ut adumbratæ laudis præconio non opus habeat, cum per se radices agat, atq; etiam propagetur: Attamen cum summa sit felicitas & temporis benè collocati memoria, eaq; publicis Testimoniis potissimùm conservetur: Nos iterum ac tertiò roganti, Clariss. Viro Dn. Andreæ Dinnero, hâc in parte deesse noluimus, qui hîc eâ honestate & morum integritate vixit, ut nobis & omnibus carus extiterit, atq; etiam ob præclara virtutum & doctrinæ ornamenta ad Procuratorium officium adscitus fuerit. Cui quidem muneri ita præfuit, ut vix quicquam ab ipso desiderari amplius potuerit. In quorum omnium fidem ac testimonium hasce eidem literas, nostrâ manu subscriptas, & consueto Nationis sigillo munitas dedimus. Actum Senis die IV. Junii, Anno Virginei partus. M.DC.IV.

Georgius Errenricus L. Baro de stadell
in Rieckerspurg, Consil.
Abraham Ottenthaler, }
Godefridus Scharff Borussus, } *Procur.*

Idem Dn. Dn. Guilelmo, Baroni in Waltpurg, Dapifero Hæreditario S. R. Imp. & Tribun. Spirensis Præsidi.

Difficile est, Satyram non scribere; ait optimus Poëta: *Illustris Baro, Domine Benignissime*, hoc præsertim seculo atq; moribus, quibus audacia pro virtute uti liceat. Ea enim est, quæ perversa confirmat ingenia, illaq; sæpe in famam, honorem, & existimationem bonorum; non rarò etiam in propriam armat perniciem. Quod cum non ita pridem & ego sim expertus in Italia, commissi apud Francones meos insimularer, hancq; ille mihi immerenti indignissimam notam, ipse stigmate Legis Remmiæ dignissimus, inurere non dubitaret: Ne silentio confessus de criminibus objectis putarer, omnino faciendum Apologia hac mea visum est. Ea verò quod, illustri nomine tuo præfixo, jam erit in publicum, non solùm propter auctoritatem tuam factum est, qua olim Senis apud Serenissimum Ferdinandum, Magnum ducem Hetruriæ, nunc autem in clarissimo Justitiæ theatro apud nos polles, maxima: Sed vel in primis, ut hac ratione te teste consiliorum, actionum & administrationis in munere meo, & αὐτόπτη, quo Senis functus sum, tandem aliquando ruborem, ex ferreo hoc ore effrontis hominis, exprimere valeam. Mitto animi tui erga me propensionem, quæ tanta fuit, ut me non modò ad amicitiam, quæ sufficere mihi potuisset; sed & familiaritatem, quod perpetuæ tuæ erga me clementiæ fuit, admitteres; dignumq; haberes, quem rebus, consiliisq; tuis participares; adeò ut qui consuetudinem nostram domesticam ignoret, Senis illo tempore se fuisse, profiteri nequeat: Nisi quis illud fortè interesse, inter utrumq; existimaverit, quod tu quidem omnibus, vel ornamentis, vel præsidiis benè merendi de quovis redundares; mihi verò sic, ut lenissimè dicam, ad alendum amorem hunc tuum multa deessent. Nihil enim attinet hoc loco, de stemmatis antiquitate & splendore, qui illustri familiæ tuæ quodammodo proprius est, commemorare. Quanquam enim hæc omnia, ab excellenti tua fortuna sunt, tamen magnam partem vel augeri vel ornari videndo ab his, quæ in te sunt Prudentia, Doctrina, Linguarum cognitione, rerumq; usu; quæ quanti æstimare nos in te oporteat, inde discimus, quod tute illa in aliis tantoperè miraris. Sed ut ad Apologiam meam redeam: Invitus fateor, & obtorto quasi collo in scenam hanc ab adversario pertrahor: Veruntamen, *qua cura, vel industria consequi possumus* (quod JC. Julianus dicit) *ne quis nobis damnum injuria det?* Accepto verò damno, satis opinor, urgens nobis imponitur necessitas præstruendi quaquaversum injuriæ, ne quidem malum illud in aurium & linguarum traduces longius latiusq; ad nominis nostri dedecus proserpat. Id quod

quod illustri Clem. T. bonisq; omnibus faventibus me hoc scripto facturum confido; effecturumq;, ut omnes intelligant, quàm verax is esse possit, qui cum tantis ac talibus testibus non conveniat. Vale, *Illustriss. ac Generose Baro, Domine Benignissime.* Dat. Bamberg.

APOLOGETICUS,

D. Georgio Adamo Prunnero oppositus.

ANno superiore, cùm ex Gallia, Anglia, & Italia, in Germaniam ad studia mea postliminiò quasi rediissem; atq; ad animum revocarem, quas in itinere illo molestias, incommoda sæpe valetudine pertulissem, interim confirmans meipsum Plautino illo: *Erit erit aliquando, cum vel pariet iste Tibi lætitiam labor;* lætusq;, quòd post navigationem benè longam aliquando concessum esset, quod dicitur, *γῆν ὁρᾶν.*

Ecce, adfertur ad me sexto Idus Februarii hoc anno, pro egregia animi oblectatione *καὶ λωφήσει τῶν μεριμνῶν*, epistola Clarissimi, juxta mihiq́, amicissimi Viri, Dn. Joannis Schadii JCti, de qua ille invitissimum cognoscere se, ait; & literis Georgii Adami Prunneri Doctoris & affinis sui, Senis ex Italia ad fratrem Dn. Melchiorem Ludovicum Prunnerum, J. U. Doctorem & Reip. Imperialis Schwinfurtensis Advocatum perscriptis; quòd ab eo peculiatus in Hetruria, commissi compilatiq; ærarii, quo tempore inclytæ Nationis Germanicæ per menses quinq, Senis agerem Procuratorem, accusarer. Se quidem, addit, nunquam suspicionibus indulsisse, neq; quicquam tale de me temerè crediturum: Existimasse tamen, pertinere ad amici officium, ne rumoris de me sparsi essem nescius. Rogare postremò, darem operam, ne quid vel fama mea, vel nomen paternum *Conradi Dinneri* acciperet detrimenti, vel maculæ.

His literis aliæ erant adjunctæ, ad me, avunculi mei, ad quem idem jam perlatum erat, indicio ejusdem Dn. D. Schadii, jubente, ut ita fieret (quo consilio, bona an mala fide, incertum) fratre adversarii mei; ad quem hæc perscripta erant. Sed fusiùs hæc etiam in literis illis, ad avunculum meum nunciabantur, videlicet, *non tantùm perperàm & dolosè* (hæc enim verba sunt D. Schadii) *administrasse me ærarium Senense, sed & condemnatos ex delicto meo hoc successor̃s,* (quod novum mihi & statum de dolo suspicionem injecit) *mulctatosq́, alium in 60. alium in 40. tertium in 30. coronatos: Quam summam propediem ipsi à me in Germania repetituri essent; eoq́, obtinuisse, ut inclyta Natio, actionem ipsis adversum me cesserit.*

Accedebat, ut commotus hoc rumore & persuasus (solet enim suspicax esse amor & *μικραίτιος*) Avunculus meus non sibi temperaret, quin acerbissima quæq; in me convitia literis suis, & plura propemodum conjiceret, quàm foramina

 mina

mina in scuto Scævæ centurionis, ad Cæsarem è Dyrrachinis præliis relato, inventa sunt. Missus porrò frater meus Carolus, qui legationem hanc obiret, meq; nuncio isto bearet; ipse quidem negotii planè ignarus, & expectatione tantùm metuq; periculi consternatus: Qui ubi rem totam ex me cognovit, quid, inquit, cessas in alterum equum, quem mecum adduxi, & offerre fugæ ab avunculo communi jussus sum, te conjicere; protinusq; ex oculis hominum aliquo secedere? Ad me quod attinet, ego vel comitem me Tibi, vel ducem viæ profiteor; simulq; locum nominabat. Doluit, supra quam credibile est, dictum de fuga. Sed quid facerem? Rei novitate, ne dicam, calumniarum atrocitate, & detestanda mentiendi prurigine commotus, dum circumspicio, & rursus cum vetere Accio, literasq; agyrtæ plenas veneni, & pestilentiæ (ut cum Catullo loquar) cogito, planè dignas hujus seculi fæce, & effreni protervitate calumniandi, cum incredibili tàm arrogantia barbara, quàm impudentia canina conjunctas, eoq; præsertim auctore commendabiles, qui earum legum doctorem profitetur, in quas turpissima committit: Vale, inquam, cum equo tuo, quo nihil jam mihi est opus. Adeoné enim furere vos me existimabitis, ut nulla cogente necessitate, Vos omnes atq; me unà perpetrato gravissimo scelere perditum irem; quamq; apud florentissimos homines, à puero colligere studui gratiam, subitò atq; uno momento effunderem? Itané vobis, neq; nominis paterni, neq; vitæ & instituti mei venisse in mentem, ut tàm facile vanissimæ calumniæ haberetis fidem?

His ita ultrò citroq; dictis, datisq; literis ad eos, quos dixi, Dn. D. Schadium, & Avunculum meum, multa mala precantem mastigiæ illi Prunnero, quod oblitus honestatis omnis, ejusq; præcepti (cujus, ut dixi, ille scientiam profitetur) *Alterum non lædere*, refractisq; Christianæ modestiæ repagulis, contra jus, fas & S. Romani Imperii constitutiones in eum fecisset impetum, à quo nunquam in vita, non modò læsus, sed ne offensus quidem fuisset; teterrima adspersa labe, quasi perperam & dolosè (hi enim colores Prunneri sunt rhetorici, hæc pigmenta, hi sales Attici, & lepores Jonii) in munere meo Sinensi versatus; ærariumq;, quod præstito sacramento cum collega meo religiosè curandum susceperam, depeculatus essem.

Sed quandoquidem aliquoties jam dixi, Procuratorem me esse in Italia, ut intelligat æquus lector, quid illud sit muneris, simulq; cognoscat me non ambitu, aut sortibus corruptisq; suffragiis eò provectum: Quis enim istis in adumbrata illa Germanorum Rep. in fundo quippe alieno, Italoq; cœlo, officioq; non modò gratuito, sed molestissimo locus esse queat? paucis exponam. Cùm ergo anno superiore, Majo mense, ex florentissimo Neapolitano regno, conceptoq;, Romæ

Romæ morbo, Senas valetudinis curandæ causa, propter aëris in eo loco mirificam, saluberrimamq; temperiem rediissem: Consiliarius inclytæ nationis (ita Principem ejus collegii vocant, qui ferè ex illustri aliqua familia deligitur) paucis diebus pòst, indicto conventu, & renunciandis Procuratoribus se deliberaturum proponit. Vocatus ego, excusavi de morbo; jamq; non obscuris multorum vocibus acceperam, me destinari muneri illi. Sed id frustrà fuit, renunciatiq; procuratores Dn. Joannes Grotschius (bini enim semper creantur) & ego in locum Dn. Michaëlis de Aradek, Equitis Moravi. Quibus rebus ita confectis universi ad ædes meas conveniunt, clavos ærarii tradunt, verbisq; conceptis pro more in jurisjurandi fidem adigunt. Interfuere, præter alios sortitioni illi, *Illustres & Generosi Domini, Joannes Magnus Comes Nassovius, Dn. Heinricus Guilelmus Baro à Valtpurg, S. R. I. Dapifer &c. & Dn. Ferdinandus Baro à Meggau*; quos ego singularis honoris, observantiæq; causa nomino. Atq; his quidem ego mandantibus, Provinciam tùm illam plenam modestiæ, nulla spe lucri, nulla proposita mercede, sed obsequio in tantos viros, quorum ego defugere autoritatem nefas arbitrabar, voluntateq; non ignava, sive studio erga nobilem illam, neq; ἱσορυμένην Germanorum Remp. suscepi; ad omnia illa animo consilioq; paratus, quæ ad ornandam pro virili mea, conservandamq; societatem illam pertinere videbatur.

Deinde verò cùm, exiguo tempore interjecto, Sereniss. Magnus Dux Hetruriæ Ferdinandus Medices, cum conjuge & *magno Principe* (ita primogenitum Ducis Florentini appellant Itali) Senas venisset, ejusq; adventui auspicatissimo lectissimi ex universa nobilitate Thusca equites cataphracti, duce Alphonso Comite Montiscuculi, decursorio quodam belli simulacro, sive hoplomachia (quam communiter corrupto verbo *torneamen* rectiùs *Trojanum agmen*, & Itali vernacula lingua *giostra* à Campo aperto vocant illiq; decursui opponunt, cum equites in catodromo transvehuntur) tota Italia celeberrima gratularentur: Atq; ad spectaculum illud visendum innumeri undiquaq; exteri, atq; indigenæ confluerent: Quis nescit, nobilissimum quemque Germanorum fama ejus rei raritateq; excitum certatim, maximo numero, Senas advolasse, maximoq; in honore ab eodem Principe habitum: Inter quos meritò præter eos, quod suprà dixi, commemorandi *Illustrissimus Princeps, ac Dominus, Dn. Rudolphus, Princeps Anhaltinus &c. Dn. Adolphus Reingravius, Dn. Joannes Fuggerus Baro &c. Dn. Christophorus Henricus Thouradel Baro in Johanstein &c.* præter innumeros alios Nobiles & Clarissimos Viros; quibus si magnam partem, notum me, quibusdam etiam amicum vixisse in Italia, dicam, nihil alienum vel ab excellenti ipsorum humanitate, vel optimi cujusq; voto scripturus essem.

His

His autem testibus cum ea gesserim, quæ & fides mea erga inclytam nationem, & commissi muneris ratio exigeret, quid est (per Deos) ut vel causæ meæ plus nimio diffidam, vel vanissimum scurram, adversarium meum, plus æquo pertimescam? Imò, quid est, quod recordantem me illius temporis atq; discessus mei ex urbe Seniensi, qui mihi honestissimus dies fuit, non potius ad honoris defensionem extimulet; vindictamq; de nefario homine sumendam inflammet? Quanquam non defuerunt ex amicis plurimi, qui contemnendam hanc injuriam omninò putarent; quod *licet alteri à talibus sordidum esset, tamen & vincere eosdem inglorium putarentur:* Præsertim, cùm ab ea me labe, vel conniventem vel tacentem, & in recti conscientia (qua me hercule nullum virtuti theatrum illustrius est) acquiescentem vel vitæ anteactæ curriculum, vel bonorum doctorumq; virorum, quibus in hac Franciæ Orientalis ora, & extra eam in Italia notus sum, de fide & integritate mea (absit verbo invidia) consentiens judicium, clarissimorumq; testium, quos dixi, authoritas, suo quasi jure vindicare possent.

Quæ ipsi testimonia ejus judicabant esse dignitatis, ut nihil apud Bonos excogitari religiosius posset, suumq; illud faciebat Pindari: Τὸ γὰρ παθεῖν εὖ πρῶτον
,, ἄθλων; εὖδ' ἀκούειν δευτέρα μοῖρα. Negabant autem eos, qui vulgò lau-
,, darentur, vel meliores; vel deteriores, qui vituperarentur, fieri: Non secus,
,, quàm umbra crescente vel decrescente, corpus ipsum, cujus est umbra illa,
,, neq; augeri neq; minui conspiceremus. Quodq; ferè compertum esset, virus hoc calumniarum & Thersiticæ maledicentiæ, non iis, quæ contrà evomitur, sed auctoribus ipsis fœdissimas inurere notas ignominiæ & infamiæ; quibus ad
,, posteritatem, si qua fortè memoria illorum futura est, commendentur; vel
,, spontè sua tandem, ceu viperarum inter se cornutas caudas dissolvi, atq; evanescere: *Pythagorâ* teste, qui ajebat, τὸ ψεῦδος ἐν τοῖς ἐσχάτοις μέρεσι μελαίνεσθαι, καὶ ἀμαυροῦσθαι. *Theophrastum* præterea ajebant, eruditissimum Philosophum, cum Leontium meretricula quædam nescio quid mendaciorum contra ipsum emisisset, illo facto ne commotum quidem: *Philemon* autem, vetustus Poëta, quantoporè ab hoc certamine maledictorum & ultionis specie abhorreret, elegantissimos ipsius versiculos testari. Ita enim ait:

Ἥδιον οὐδὲν, οὐδὲ μουσικώτερον,
ἔστ' ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν.
ὁ λοιδορῶν γὰρ ἂν ὁ λοιδορούμενος,
μὴ προσποιῆται λοιδορεῖσθαι ὁ λοιδορῶν.

Id est, Bersmanno interprete:

Haud auribus contentus est jucundior,
Quàm devorare criminantis jurgia:

Nam

Nam mussitando si quis hæc redarguat,
Ipsum refutant criminantem crimina.

Quod insuper *absens* esset *adversarius* meus, addebat minus claram fore victoriam meam; ut qui *cum umbra luctari* viderer. Atq; hæc tum quidem amici & propinqui mei plenis tibiis; quibus & lenire dolorem meum, & retractum ex hoc necessariæ defensionis freto, quo æstus me quasi adversariorum adigebat, cupiebant: Animi moderatione lenitateq; in hostem communem, an studio concordiæ majore, non facilè dixerim.

Quibus tamen ego *ἄλλως πληγεὶς*, qui contra Diogenis exemplum, alterum ictum expectare nollem, tùm quidem non pauciora opposui; atq; omissis, quæ JCti de famæ & vitæ comparatione, illiusq; prærogativa præclarè disserunt, ostendi: Iniquum esse prohiberi me, vineas pluteosq; ad eum vicissim agere, qui totis castris me sexcentis locis oppugnasset; atq; ab ea præcipuè parte movisset copias, unde initium mihi calamitatis atq; cladis exoriri putabat. *Est* enim *profectò, ultima quædam adversæ fortunæ sarcina, infamia*; quam ille gravissima crimina, perjurii, peculatus, furti atq; doli, quæ ille de plaustro mihi objiciebat, consecuturam sperabat, *si la corde n' eust rompu*; quod Galli proverbio dicunt; *omniumq; prima*, quod quidam dixit, *infelices existimatio bona deserit.*

Quanquam illud adhuc ferri aliqua ratione poterat, ut ipsa tantum discederet: Quis enim rebus desperatis abeundi manendiq; legem illi scriberet, atq; imperaret, cum sibi, vel dolori non posset? nisi & amicos secum abduceret, rectè atq; in tempore sibi caventes, ne contagione aliqua mali ingruentis læderentur, contra locationis, ut apparet, legem; qua inter se feraces & steriles annos pensare illos oportebat. Quæ omnia non ignorabat Thersites hic meus, unumq; hoc agebat astutissimè, ut ab amicis imparatior essem, non quidem candidis & cordatis, sed sui similibus; atq; iis, qui vel gratis malis gaudent alienis; neq; unquam sibi melius esse credunt, nisi cum ope consilioq; suo malè fit aliis.

Perperam etiam ipsos existimare asserebam, quasi soli mihi calumnia ista tam insignitè fieret; quæ nisi in totius familiæ detrimentum, opprobriumq; gentis recidere non posset: Hanc enim esse, cujus jugulum per corpus meum nefarii obtrectatores peterent; bustumq; Parentis mei, memoriamq; apud omnes bonos honestissimam, violarent. Ad ipsos verò magis etiam hanc injuriam pertinere, quod mihi quidem conscientia mea in causa propria sufficeret; ipsis verò quo in aliena cognataq; infamia se tuerentur, nihil vel parum esset præsidii: Neutris famam negligendam, cujus contemtu etiam virtutes negligi constaret: Iis autem vel maximè necessariam esse, qui alieno dedecori fierent succedanei.

Hanc ergo famam, in quam quaſi in turbato publico ſtatu, communi ope defendendam atq; vindicandam: Neq; diutiùs committendum, ut tot, atq; talium virorum (quos familia mea plurimos & præſtantiſſimos produxit) honor atq; exiſtimatio ex unius alicujus balatronis pendeat mendaciis. Abſurdum enim hoc Platoni, qui in Apologia: οὐ οἶμαι (inquit) θεμιτὸν εἶναι, ἀμείνονι ἀνδρὶ ὑπὸ χείρονος βλάπτεσθαι. Atqui, inquam, ſi multò ego infra cenſum & dignitatis ipſius eſſem, non haberet tamen, quod conquereretur ſibi à me reſponſum, regeſtamq; in ipſum auctorem calumniam; cum ipſe ſibi eam dignitatis prærogativam maledicendo ademiſſet: Haberetq; locum, quod Veſpaſianus Imperator de jurgio quodam pronunciavit; *Maledici non oportere Senatoribus: Remaledici verò jus faſq; eſſe.* Quo Juris interpretum etiam circa ruta & cæſa, pertinet ſententia: *Quòd non reſpondere objectis, vel animi ſit indicium elati, vel ignorantiæ tenebris involuti;* ſicut reſpondit collegium Bononienſe, inter *Conſilia Curtii Senioris, Conſ. 50.*

Talia ferè ego in medium proponebam & conſultabam cum meis, quæ vel timido addere mentem potuiſſe videbantur, ne dum mihi graviſſimis exulcerato injuriis, è quo præter malæ & Punicæ fidei notam ex adverſo etiam perjurii & peculatus crimen mihi mendaciſſimè pariter & ventoſiſſimè imponere videret: Cum ſubitò nunciatur mihi, Spiram ab amico quodam IV. Cal. Octobr. (quo eadem die Prunnerus ante annum venerat Senas, cum ego biduo poſt Senis diſcederem) rediiſſe ipſum in Germaniam ad ſuos. Multa deinde de odio locutus erga me, & quam multis in locis acerbè me perſtringeret, non ſine minis regalibus, ſi me in conſpectum ipſi dari contingeret: Sanè, inquit, vereor, ut conſpectum ejus feras, ira æſtuat, & tentat ſeſe atq; *iraſci in cornua diſcit;* non ſecus quàm *taurus* ille *Virgilianus:* Vel ne inconſpecto ipſo protinus pedibus demiſſis domum fugias. Tune, inquit, adverſus eum conſiſtes, *qui Martem in terris, Neptunum effugit in undis?* Confirmabat, per Pannoniam rediiſſe; jamq; ex caſtris nobis adeſſe Cæſaris. Quod autem navigârit, nihil attinet dubitare, cum conſtet fuiſſe Venetiis. Orabat deinde ut ſi ab animo meo eam præſentiam vel ad quartam horulæ partem impetrare, & poſſe me ſuſtinere ejus congreſſum conſiderem, pro honore meo, & univerſæ familiæ, nulla interpoſita mora adeſſem; & vel obſidionem (quam ille propediem mihi à duce hoc augurabatur) forti ferrem animo; vel eminus ſaltem tela, quæ conjecturum ſe jactabat, exciperem.

Quid cenſetis aliud me, ad orationem tàm Scythicam, quam timuiſſe & palluiſſe, ut *nudis preſſit qui calcibus anguem?* vel fluctuaſſe

velut

velit minuta magno

Depensa navis in mari, vesaniente vento?

Ecquis enim est ex iis, qui hæc leget, non meticulosus, tutus licet & ἔξω βελῶν, cui hæc non aliqua ex parte horrorem incutiant; jamq; prælium & cladem hanc animo suo præsumat, vel per somnium videat? Quis? qui de sublimi non pennas sibi ad spectaculum hoc optet, illudq; funestum Dinnero ominetur:

Infelix puer, atque impar congressus Achilli?

Quid facerem? illinc periculum ab hoste manifesto, hinc metus, nisi accurrerem ab amicis. Quod tamen periculorum collatio elegit, parendum amicis, illorumq; observandum arbitrium existimavi, quorum opera hæc, quæ sunt in me perexigua, essem consecutus. Ubi Wirceburgum patriam meam veni, rursum deliberatur ab amicis, quid facto opus sit? Plerisq; visum est, ut literas ad adversarium darem pro atrocitate facti mitiores, ipsumq; & officii erga amicum & necessitudinis, quæ mihi cum familia ipsius intercedit, commonefacerem: Fieri enim hac ratione posse, ut homo non indoctus, perspecta animi mei moderatione, & æquiorem se nobis præberet, & serò tandem cognosceret, aliorum se circumventum consiliis; qui simplicitate ingenii ejus abusi, ipsum in hanc orchestram, velut choragum, detrusissent. Sed longè aliter cæteri judicabant, non modò nihil remissurum de audacia; sed insolentiùs etiam acturum, vel omninò non responsurum esse: Hunc namq; morem esse stultorum hominum, ut nunquam æquè efferantur, quàm cùm supplicari sibi putarent: Nullum stultitiæ propius conjunctiusq; malum esse, quàm arrogantiam: Satiùs esse, ut nos duo, arbitris adhibitis, committeremur. Accidere enim solere in congressibus istiusmodi, ut homines à mendacio compositi ardorem vultus atq; conspectum aliquando innocentis non ferant, atq; in illis non minùs primi (quam in omnibus præliis fieri, ait Tacitus) oculi vincantur: Nonnunquam (ut incredibilis est oblivio hominis mendacis) seipsos intricare & suis induere laqueis. Hanc sententiam, quamvis & tum arbitrarer verissimam, & esse, eventus postea comprobant; vicit tamen prior opinio, datumq; mihi negotium, uti subitò eas literas conficerem.

Fuit id prid. Id. Octobris, cùm ad ipsum scripsi Prunnerum: Mirari me, quod V. C. Dn: Joannes Schadius &c. affinis ipsius ad me perscripsisset, me gravissimorum criminum ab ipso postulatum: Nihil minus hoc tempore, & ab homine erudito & amico, quem in Gallia atq; Italia novissem, expectasse. Neq; tamen adhuc adduci omninò potuisse, ut fidem haberem; quanquam id crebris aliorum etiam nunciis ad me perferretur: Porrò quoq; existimare, eum nihil tale, de me vel dicturum vel scripturum esse, quod ipsi constaret esse falsissimum.

Meminisset postremò, quod Italico proverbio diceretur: *Neminem idcircò melius habere, per quem alteri esset male.* Adscripsi verba Italica: *Chi altri tribola, non si posa*; quod his delectari hominem ejus linguæ peritum crederem:

Hæ literæ cum ad ipsum essent perlatæ, statim se responsurum dixit: Interpellatus post biduum, negavit se quicquam velle rescribere: Submonitus præterea à meis domesticis quidam ipsius, ut responsum urgeret, non dissimulabat negotium fore difficilius; Prunnerum paucarum esse literarum hominem; in eo *Lipsianum* esse, huncq; morem studiosè hactenus custodiisse. Ad istud verbum *Lipsianum*, cum meus ille vix ægrè risum contineret, misereq; causam diffidendi quæreret, quò nudis dentibus videre nugas hominis liceret: Per me, inquit, vel nullarum planè literarum fuerit Prunnerus; quid hoc ad me? Sufficerent tamen nobis pro tempore pauca, quæ responderet, quibus jam pridem mendaciorum nimium fuit; hisq; dictis hominem reliquit.

Id verò ubi relatum fuit ad cæteros amicos, & cognatos meos, omnes accusare stultitiam hominis: Detestari fraudem & sycophantiam: Indignari, quod post acceptam injuriam tantam, quanta cuiq; fieri potuit, insuper despicatui ab infantissimis hominibus adversariis meis haberentur. Deposcendum tamen omninò collegium & congressum putabant, faciendumq;, ut hac ratione adversarius ex antro sive latibulo suo, velut Catus ille Virgilianus in lucem extraheretur: Ille causam diceret; ego contrà defenderem: Unum hoc relinqui, quasi quoddam judicii προοίμιον, in quo positis juxta se collatisq; dictis, ὥσπερ πρὸς ὕγρα παρὰ τὴν προφορὰν, facilior esset, & expeditior eruendæ ratio veritatis: Quod cùm seriò postulari cernerent adversarii, annuunt: Dicunt diem ipsis Idibus Novembris, & legem colloquio, ut ego à congressu plane abstinerem. Quamvis autem hoc iniquum videretur meis, excludi & arceri à judicio eum, de cujus quæreretur innocentia; dissimulatum tamen fuit ad tempus, ne omnis ineundæ concordiæ præcluderetur via. Hoc quoque convenerat, ut ad colloquium deligerentur utrinque viri docti, Jurisq; periti, in primis autem pacis & concordiæ studiosi.

Ubi dies venit, prodiitq; in arenam adversarius cum fratre; rursùm postulatum ab his, quos ego ad conventũ hunc evocaveram, cognatis & amicis meis: *Vellent, juberent* (quæ antiqua rogationis est formula) ut Andr. Dinnerus aliquò in conclave relegeretur, neq; pro se loqueretur. Hoc enim consultò agebant, ne vel debacchato in me liberiùs vicissim obstrepere possem, vel objectis respondere. Licet autem repugnarem ego vehementer, ut qui nollem adversarios sine me hoc secum rationes deputare, quod Galli *compter sans l' hoste* efferunt; factum tamen SCtum: Egoq; in vicino conclavi conclusus, adhibitis custodibus:

Paries

Paries inter utrosq; duntaxat intererat, ita tamen ut exaudire omnia possem clarissimè. Principiò tumultuari adversarius, non consistere, micare auribus, nunc in hanc, nunc in illam partem procurrere, ut planè *leonem* illum *Cumanum* μεταμορφωθέντα apud Æsopum aspicientibus referret. Ea immodestia in juvene imberbi cum plerisq; intolerabilis videretur, tamen auctoritate & reprehensione meorum cohibita est: Didicitq; tandem homo non indocilis, hac velut contumelia tractatus, frænum mordere, figere pedem, & conferre. Proximum fuit, interrogarent propinqui mei, quid sibi vellent literæ ad fratrem, quibus honorificè mei fecisset mentionem; meq; de gravissimis criminibus detulisset? Ibi homo ferox: Quid, inquit, verbis opus est? quasi obscurum sit, Dinnerum in Italia fulloni pro sarciendis vestibus debere coronatos tres, & duos hospiti cuidam Gallo Aureliis? Mirari quotquot aderant, ingenium & sales hominis. At quos sales? quam plenos gratiarum, quamq; in tempore! quum enim ad rem non attinet quærere;

Qui Galbam salibus suis & ipsum
Possent vincere Tectium Caballum.

Aderam ego, ut dixi, in conclavi vicino, unde omnia hæc exaudirem. Ubi ad nugas has ventum, non risum tenui, non me, quin invitis custodibus in aream irrumperem, meq; in conspectum darem. Quid, inquam, ais scurra urbanus, deliciæ Populi? Si meum gessisti negotium, atq; satisfecisti creditoribus meis, quos putabas; æquum est, ut id à me recipias: Sin mandatum à fullone & caupone habes, ut hos à me nummos, quos ipsis falsò me debere asseris, exigas, cedò, inquam, exhibe? Negabat se quicquam solvisse meo nomine; multò autem minùs habere mandatum. Causabatur tamen, quòd hæc de me scripsisset, factum ideò, quòd ego in Italia: Philippo Lonæo C. V. dixissem: Prunnerum juris esse doctorem, quod ille soli mihi, tanquam Eleusinium quoddam sacrum, concredidisset: De quo tamen testor fidem nemo vel dejerandi mihi fidem habiturus erat. Negavi tamen, unquam à me factum, poposci arbitrum, stipulatus pœnam si aliter hoc se habere constitisset. Recusabat ille. Urgebatur tamen interea de literis non segniter à meis, ut singulatim ad capita accusationis responderet, vel ederet literas, autographum suum. Negabat se dicturum. Conquestus deinde non semel languidè & muliebriter, quod nunquam se redactum iri in has angustias putabat, ut qui neq; mantellum uspiam mendaciis, neq; confidentiæ hospitium, neq; dolis diverticulum amplius reperiret (ut Plauti verbis utar) confirmabat, noluisse se unquam mihi factam injuriam: Nunquam de dolo vel fraude fecisse mentionem in literis: Quæ autem de ærario Senensi scripsisset, non pertinere ad personam meam.

Hæc cum ita pronunciasset, statim ea à tabellione & testibus ex ore ipsius fuerunt excepta, publicis tabulis consignanda. Interfuerunt actioni illi præter *Danielem Burchardum, Præfectum in Tunderff Avunculum meum*, ex cognatis & adfinibus meis CL. Viri, *Jo. Burchardus, J C. Avunculus meus. Joan. Majerus J C. ambo Consiliarii R. & Ill. Episcopi VVirceburg. & Franconiæ Ducis &c. Jo. Chilianstemius J C. apud Rittingenses, Jodocus Rudingerus & Elias Schamrod, uterq, Senator Urbis Imperialis Schvvinfurtensis.* Omnibus videlicet jam catastrophe fabulæ adesse visa est: Cùm subitò hanc procellam tempestas multò atrocior insecuta est. Impotens quippe animi adversarius, ne cessasse die præcedenti videretur, pagellam paucarum literarum, quam *Synopsin punctorum litis cum Andr. Dinnero* inscripserat, ad me postero die, misit, in qua ea, quæ ante negarat, denuò in personam meam conferret; seq; probaturum ostenderet. Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, planissimeq; omnia ad divinum illum, & suspiciendum Lipsianum suum (solœcismum calamus scribebat) de quo supra dictum.

Quid multa? Ubi horribilem sacramq; tabellam omnes adspeximus, modò *barbarie incredibili* respersam, & *infelici quadam verborum siccitate* convestitam; sed & pluribus propemodum mendaciis, quam verbis refertam: Mirari omnes, quid homini accidisset, qui adeò nos fungos putaret, ut conspecta tabula
,, hac sua, velut ad obtutum Gorgonis, protinus iri exanimatos crederet. Quan-
,, quam illud elegans & ad ornatum, quod multis lineis rectis, obliquis & paral-
,, lelis, angulisq; aliis acutis, obtusis aliis distingueretur; atq; ipsa hac varietate
,, non injucunda oculos pasceret intuentium: Cùm tam solicito studio æquis
,, spatiis dimensa, ac quibusdam quasi metulis divisa, Archimedæam quandam
,, nobis picturam in arena repræsentaret. Quam quoties ipse adspicio, vel cogito, simile quiddam patior, quod pictoribus usu venire tradunt, ut nunquam absolutam picturam, nisi in pejus effingant, planeq; labore ab Archetypo illo decido, quod in his, quæ postremæ aliquid trahunt pulchritudinis fieri solet. Erat qui tacitus Lucilii illos versiculos admirabundus demurmuraret, ubi de simili, ut opinor synopsi Lipsiana:

Ut lepidè lexeis composita, ut tesserulæ omnes
Arte pavimento, atq, emblemate vermiculato!

Stomachari non pauci quod adversarium meum licentia quadam furere, ac velut Protea, sive Empusam, in tam varias formas se transformare viderent: Nullo discrimine, candida de nigris, & de candentibus atra effutire; modò dicere, modò negare, mendacii juxta immemorem & veri impotentem. Alii promiscuè clamare, hominem in Anticyras quamprimùm ablegandum; non remos, non ventos satisfacere, ita malum jam hoc insaniæ invaluisse.

Ad

Ad istum modum cùm variè aliquamdiu certatum esset sententiis, ibi senior quidam, surgens de loco: Accipite rem, inquit: *Magna sunt stultorum miracula*, ut apud *Diog. Laërtium* loquitur Diogenes. Quis negat? Veruntamen plus periculi est in illo stultitiæ genere, quod assentatores & laudatores invenit. Hæ enim pestes, cùm velut scenicæ quædam meretriculæ ad istiusmodi ægrotos admittuntur, jam, inquit, universæ Anticyræ purgando cerebro non suffecerint; adeò verò mentem non liberant morbo, ut insuper fomentum insaniæ suppeditent: Quippe ubi contrarium quiddam eveniret ejus, quod Poëta sapienter ait: *Optimum & primum esse, ipsum sapere: Proximum verò, prudenter consulentibus morem gerere:* Dubiumq; esset, consultor hîc an advocatus stultior esset, qui insaniam, novo quodam, adeoq; perniciosissimo furoris genere aleret, atq; incenderet, laudare paratus:

Si benè ructavit, si rectùm minxit amicus.

Quantò, inquit, rectius *Ulpianus* noster (*L. 1. §. 4. de servo corrupto*) Cum augeri malitiam laudando negat oportere? Hic cum interpellatus esset à quodam stupentibus omnibus, & quorsum evasura esset oratio, expectantibus: Vaporariũ quendam triconem dicebat caperata fronte & tristi, invidum, δύσκολον, & planè Timonem: *quem*, ut *Cæcilius*, vetustus Poëta ait, *neq; ut apprehendas; neq; ut mittas, scias*. Neq; ulterius progressus, ei, qui proximus adstabat, nomen (ut mihi videbatur) in aures, simulq; de Synopsi insusurrabat. Ego, quod parum ad summam injuriæ interesse putarem, Entellus, an Dares mecum congrederetur, quodq; ea res invidiam & sermones habebat, tum quidem nihil aliud sum percunctatus. Suspicor tamen notare ipsum voluisse commanipulonem quendam adversarii mei, qui ipsum spontè currentem incitaret tamen; & ad faciendum in me impetum extimularet.

Sed cesso ego, his missis, ad te reverti, atq; ad Synopsin tuam, Dn. D. Prunnere? Et ut hoc primum scisciter, Ecquid pudet te hominem perfrictæ frontis in tam parva tabella tam multa mentiri, scurrari palàm, bonisq; illudere? Quanquam enim non satis liquet, majorné malitia fuerit tua, an audacia; ut ea primum ex Italia scriberes, quorum postea caneres palinodiam: Rursumq; apud nos pro veris scribere res, quibus tute verbis tuis fidem omnem antè abrogasses: Tamen in utroq; impudentiam esse maximam, palam est; ut & mentireris ea, quæ probare nulla ratione posses, & profitereris denuò in scriptis, de quibus te ipsum convicisses. Hocne JC. officium? Hocne amici, & viri boni? Id verò quotiens cum animo meo perpendo altiùs, planè in hanc venio opinionem, " ut consultò dissimulatum à te honorem & nomen Doctoris in Italia existi- " mem; ut cùm esse nolles, quod esses; simul & ostenderes nec esse te, quem "

esse

„ esse conveniebat; iiq; reliqui ferè omnes dant operam, ut hoc sint vel maximè, quod maximè esse cupiunt. Prudenter, inquam, hoc à te factum, tuaq; perpetua modestia dignum, ut cujus cæteros omnes his moribus, ut etiam sui ipsius puderet.

Ex eodem fonte est, quod testamentum te vulgò condidisse ajunt, priusquam in Italiam tenderes. Et rectè quidem, ut videlicet te ipsum propter scelus tuum, calumniam, inquam nominis mei, quam jam tum concepisse te animo eventus docuit, vitæ usura diuturniore, & reditu in has oras indignum quodammodo judicares. Siquidem is, mea sententia, vita indignus existimandus est, qui sine causa alteri, id quod unum vita præstantius atq; carius habemus, ademtum voluit. Verùm, ô sortem, quid non potes? Vivit tamen (quod vos Medici, & Mathematici, quotquot estis, miremini, quibus hujus pulli nota genesis) vivit præcoculus ille noster; neq; rediit solùm, sed & *Lipsizat*, & scribit Synopseis, & nugatur lepidè & ducit lineas, monente graviter, quod omnes sciunt Pictorum Principe. Atqui si tuum illud in procinctu fati solatium effectum habuisset, quod morte demum accidere tradunt JC. pueri; næ & tibi rectiùs fuisset consultum, qui hæc nunc devorare non cogereris: Et mihi, qui hâc respondendi molestia carerem. Quid enim?

- - nunc non è manibus illis
Nunc non è tumulo, fortunataq; favilla
Nascentes violas legeremus?

Nihil dico de legatariis tuis: Quibus haud scio, an nuncius ille, quod morari in terris desiisses, gratior ad aures, quàm alteri cuidam, quem dicere nolo, advolasset. Nunc verò uno me hercle anno plus vixisti, tibi quàm vivendum fuit: Quod ita esse fateberis, si consideraveris non modò, quid sit calumniari aliquem; quo tu facto tesseram apud bonos omnes veritatis amicos confregisti: Sed &, quid sit, haberi pro calumniatore. Quod genus convitii tum gravissimum est, tum nescio quomodo suprà simplicem aliquam & humanam malitiam, quod ex ipso nomine constat. Neq; autem te fugit, quàm verum sit, quod Itali proverbio dicunt: *E mala cosa, esser cattivo; ma e peggio, esser conosciuto:* Ut autem pro tali habearis, id verò dabitur à me sedulò opera; cùm in Apologia hac mea, tum aliàs: Hoc quoq; ut intelligas, te non modò, quod petebas, assecutum non esse, ut luminibus meis præstrueres, & præjudicatæ ad plurimos existimationi detraheres; sed quod te mordeat, cœpisse exinde famam fidemq; meam, quasi κατ' ἀντανάκλασιν, ut loquitur JCtus, (*L. si arborem 17. §. 2. ff. de servit. urb. præd.*) clarius magis magisq; refulgere. Hoc ergo primum rectè, ut & tua confessione testarere, indignum me esse, cui hanc fecisses injuriam, teq; non obscuris argumentis pluris ostenderes dignum, cui ita respondeatur.

Venio

Venio nunc ad alteram partem: Interrogatus tu, me adhuc absente, ex quo compertum haberes, me malæ fidei accusari in Italia, & condemnatos ex facto meo successores in officio illo procuratorio? nominabas Dn. Georgium Fridericum Sonwaldum, successorem meum, Comitem Palatinum, virum multa doctrina, maximo ingenio, & juris civilis cognitione accurata; quem non obscurè innuebas à me multa partim repetiturum in Germania. Quo argumento? Quia, inquis, condemnatus est à Natione Germanica. Tantumne? imò, ais, quæsivit non semel ex me Senis, ubi domicilium haberet Dinnerus? Sed ignoscendum est imprudentiæ tuæ, qui alieno tempore non venturum ad me Spiram Sonwaldum, & ita detectum in fraudes tuas existimabas. Quàm autem illa cum dictis tuis adversa fronte pugnet, ex ipso, qui in propinquo est, cognoscas licet; quid enim & scripto professus sit, & publicè testibus cum tabellione convocatis ad IV. Cal. Novembr. quia & in tabulas publicas est redactum, tuq; illas vidisti, nihil attinet hoc loco repetere. Quod autem de mala fide mea pervulgatam rem in Italia esse scripsisses, de qua ne minima quidem unquam fuerit suspicio, dolo malo te fecisse, & in eo te nequiter mentitum esse.

Sed ut pergam ex te porrò quærere: Ex propriòne dolo condemnatus est Sonwaldus, an alieno, sive meo? quid stas? quid hæsitas? Proprio, dicis: Non ergo in me fabam hanc cudi oportuit; sed in auctorem. Quanquam hoc falsum esse constat, ex dolo aliquo suo Sonwaldum condemnatum esse; quem defendere in præsentiarum non est mei instituti. An ex meo facto condemnatum asseris? Patiebatur, opinor, homo simplex, si alienæ culpæ piacularem substitui; neq; cuiquam & Natione veniebat in mentem, quod pueri norunt, noxam caput sequi oportere. O nugas! ô JCtum nuper nobis de cœlo delapsum! ἀσπάζω φίλον φῶς. Si enim hoc dicis, Ipsum quidem peccasse Sonwaldum, me verò visum idoneum, quem eam ob rem traduceres, & flagellares; quin eadem nobis opera, non ingratis futuris, cur ita ego substitui debuerim, explicas?

Substitutionum varias esse species, nôsti. Refert autem, *directè* an *obliquè*; *expressè* an *tacitè*; *vulgariter, pupillariter, exemplariter, breviloquè, compendiosè, ex proposito, intentione*, an *eventu* substitutus sim Sonwaldo? Atq; docere hoc priùs oportuit, ut vel hac ratione fructum aliquem ex inimico, quod *Plutarchus* docet caperemus. Sin ita constituis: Eum, qui collega meus non fuit, sed successor, ex delicto tamen decessoris mulctari debuisse: Quid causæ erat, obsecro, ut, quod *cognatis* personis, ne filius pro patre, & contra, ne uxor pro marito teneatur; quod *hæredibus*, ne ex facto defuncti, nisi quatenus ad eos pervenit; quod *fidejussoribus*, ne, nisi excusso ante Principali debitore, quod *omnibus*, ne alienum factum noceat, proficere vulgò solet; id tunc temporis successori meo

ad evitandam pœnam non prodesset; atq; mihi quidem dolus compendio, ipsi damno esset? Cur contra juris regulam, coactus ille solvere, quod à me recepturus erat, si deliquisse me pareret? Legum atq; auctorum nomenclaturam consultò omitto, quod hic nihil est opus; cùm neq; me condemnatum unquam constat, neq; condemnatos à me quicquam repetere.

Sed fuerit sanè aliquo tempore, ut successor me meus appellaret, nomen inquireret, Patriam investigaret: Quid hoc ad te? Cùm nihil in eo operæ tuæ læderentur? æquumné erat, te continuò furem me & depeculatorem in literis tuis vocare, quod nemo dixerat, scripserat? Quando unquam facta mentio Senis, de dolo vel fraude aliqua Procuratorum? Eos, qui condemnati sunt, ex nullo vel delicto vel quasi delicto condemnatos, scimus: me verò qui condemnatus non sum, furti, peculatus, perjurii & doli postulas? Quis unquam horum te criminum quæsitorem constituit? Quis ejus rei teli fecit indicium?

Reliqua desiderantur.

Idem Davidi Mylio, Borusso.

REdditæ mihi sunt literæ tuæ, Amicissime Dn. Myli, in quibus consilium meum exquiris, super re anteà quidem penitus mihi incognitâ, ea tamen, de qua coràm conferre tecum mallem. Atq; utinam, quâ tu fiduciâ à me consilium petis, eadem ego facilitate impertiri illud possem! Negotium subitum est; personæ mihi non cognitæ: Tuis quoque literis (& prudenter) vetitum ne de consilio tuo alias facerem certiores. Alioquin enim operam dedissem, ut vel ex aliorum suggestione harum rerum esse peritior. Ac principio quidem cujusmodi sint ista mysteria nova d. planè ignoro. Semel in omni vita ὡς ἐν παρόδῳ mussantes de illis audivi viros linguæ sanctæ cumprimis peritos, sed quale sit judicium ipsarum juxtà cum ignarissimis nescio. Nôsti Græcum illud: πολλάκις τὴν γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι. Nolui equidem te avelli à Juris studio; sed major mihi religio commoda tua vel latentia adhuc nec obvia oculis meis impedire; utcunq; ea procurare certius non possim hoc tempore, plurimis ex hac Academia cotidiè discedentibus. Quæ omnia cùm ita se habeant, neq; in iis quæ facti & natura suâ sunt incertissima, certum aliquod dari consilium possit; auctor tibi essem, ut si species aliqua tibi blanditur præsens in eo loco ubi nunc es, novam conditionem ad tempus duntaxat breve, unius vel duorum mensium (id quod pactionibus effici potest) amplectere: Donec quid vel ibi vel alibi expectandum tibi sit, penitius explorare possis. Nec enim magnum periculum est in mora modici temporis, ut ait JC. Et hæc quidem amantissimis literis tuis respondere visum est, salvo tamen omnium rectiùs sentientium judicio; ut Advocati vulgò solent,

solent, in primis autem consilio Consultissimi ac Nob. Viri Dn. Remi nostri, qui rectius de his negotiis judicare novit. DEUS Opt. Max. consilia tua regat, nosq; omnes protegat. Vale.

Idem Dan. Burchardo.

Jam diu est, quod nullas ad Te literas dedi, *Praestantiss. Dn. Avuncule*, non sine crimine, quod ipse fateor: Quoniam amantissimis literis tuis responsum per tot jam menses debeo, in quibus pro tuo ergà me amore, plurima mihi tribuisti, quæ pudor quidem meus vetat agnoscere: Sed gratias tamen agere pro egregia tuâ ergà me & studia mea, opinione humanitas cogebat. Quamvis enim ex fratre meo causas intermissæ scriptionis intellexisse te spero (si modò redditæ illæ tibi fuere literæ) tamen hoc ipsum amoris erat, rumpere moras si quæ erant, neq; per tantum temporis clausum amicitiæ iter ac velut septum habere. Quare vel serò ad officium redeo, ipso anni tempore me admonente & aurem quasi vellicante. Novum quippe annum exacto veteri per DEI gratiam ingredimur, qui ut tibi tuisq;, mihi item & meis felix, orbiq; Christiano salutaris sit, ex animo precor atq; opto. Quod votum cum annis superioribus moris fuerit & consuetudinis: Nunc necessitatis esse incipit. Sicut omnes non nimium rerum quæ geruntur ignaros atq; imperitos vel à Rep. remotos sine ulla difficultate intelligere puto. Quod verò adversariæ religionis homines per tot annos frustrà optârunt ac ne vix sperare quidem ausi sunt. Discordiam quidem & dissidium apertum inter Principes nostros, hoc jam manibus eos tenere quis non videt? Proverbium Hispanicum vulgò jactari, didici in Italia: *Divide & Impera.* Quo nullum quoad verba brevius, quoad rem verius Imperiisq; ac regnis omnibus exitiosius excogitatum credo. Tuta enim & secura semper vincendi ratio per discordiam hostium fuit. Inciditq; tanquam pomum quoddam Eridos inter Evangelicos controversia de Juliacensi ducatu, quæ quomodo aut quando finem sit acceptura, soli DEO notum est. Hinc Occidens & Gallus cum florentissimo Belgarum imperio armisq; assueto & confirmato minatur multos in societatem tumultus, ut videtur pertracturus quos propter invidiam appellare nolo: Illinc Aquilo & Saxonia nescio quid parturit: Fœdera utrinq; nova cum peregrinis; fato quodam patriæ nostræ exitialia. Tertia verò factio, ut alterutri forte se adglutinabit, tamen utramq; immane odit & in eo tota est, ut ex jam dictis favet, oppressâ utrâq; suum aget negotium. *En quò discordia cives Perduxit miseros*, ut cum divino Poëta exclamem. Nec desunt belli flabra & classica ab iis, qui turbida in aqua piscationem ajunt copiosiorem esse; Qui cum vel quod amittant in Germania non habent, ad spem rerum novarum & prædæ insuetæ

ſuetæ erecti ſunt, vel odio aliorum etiam propriorum bonorum jactum facere quaſi in communi naufragio non dubitant. Pereant, ajunt, amici, dum unà inimici intercidant. Breviter: In hac tragœdia ita omnia turbata ſunt (quam partem Græci δέσιν τȣ̃ δράματ@- vocant) ut ſine DEO nec mundus hic, nec ipſa quod ajunt ſalus, exitum tantarum turbarum invenire queat. Mittuntur cotidiè deductiones Jurium quoad ſucceſſionem in ducatibus litigioſis eorumq; confutationes nunc ab hoc nunc ab illo Principe. Et benè quidem, ſi cognitioni Juris hac ratione quaſi via præmunitur & calamis, non gladiis res tranſigitur. Sed hac ſine negotium non ſtaturum cum alia argumento ſunt, tùm vel maximè hoc quod jam ſcripturus ſum. Videtur ipſa Germania pacis ſatis diuturnæ tandem pertæſa motus novos rerumq; converſionem exoptare. Nam & rerum dulciſſimarum eſſe quandam ſacietatem nemo eſt, qui ignoret. Mel nimiam bilem generat. Longa ſerenitas facit, ut procellas nonnunquam & imbres optemus, quos & magicis artibus advocare multi veriti non ſunt: Sic nihil, quod diuturnum, gratum eſt, & ſors diverſa probatur. Cum enim deſideriis omnia condiantur teſte M. Tullio, credibile eſt plurimos reperiri, qui bellum non tàm inamabile eſſe credant, quàm vulgo ab aniculis deſcribitur: Planeq; his evenire quod Satyro, qui cum ignem recens à Prometheo Diis ſubtractum, in terris primum aſpexiſſet, ſplendore elementi & pulcritudine captus oſculari & amplexari flammam voluit, niſi à Prometheo prohibitus fuiſſet. Cavere namq; juſſus ne barbam ſuccenderet, abſtinuit. Sic enim novatores iſti non ante periculum ſuum intelligunt, in quod Remp. & ſeipſos præcipitant, niſi malo ſuo cum maximo rerumq; privatarum incendio admoniti. Publica enim perdendo tua necquicquam ſerves, ut ait fortiſſ. Imp. Sed quorſum, dices tu, iſta, tàm multis? Scio equidem, mi domine Avunculе. hæc tibi eſſe notiſſima, tantoq; quàm mihi notiora, quanto tu me & ætate & uſu rerum præcedis. Sed difficile planè eſt initiis malorum publicorum non terreri eum, qui vel per ſomnium, quis finis futurus ſit, conjicere poteſt. Deinde neminem eſſe credo, tàm ferreum tamq; adamantinum, qui vel expectatione horum non commoveatur: Impium verò in patriam, qui tantis obortis tempeſtatibus de portu ſolicitus non ſit, quem extrà DEUM fruſtrà quærimus, vel Ethnicorum teſtimonio autorum. Quare cum per ferias iſtas in hanc cogitationem incidiſſem, Chriſtum inter fluctus hoſce ut videtur, dormientem imitatione Nazianzeni his verſiculis excitare auſus ſum:

Æquora ſe tollunt, dulcem excute Chriſte ſoporem,
Et celeri imperio noctem hyememq́, fuga.

Paucis opus putavi ad eum, qui nobis etiam tacentibus neceſſitates noſtras probè perſpe-

perſpectas habet iisq; ſuo tempore ſubvenire novit. Quos ego tibi verſiculos ſtrenæ loco, penuria meliorum dono mitto, rogans, ut tàm exiguum munus ne contemnas, meq; deinceps, quod facis, ames. Bene vale. Dab. Altorphii d. 2. Januarii M. DC. X.

Idem Eidem.

CLariſſime & Conſultiſſ. Dn. Doctor, Cognate plurimum obſervande, Promiſi in nuperrimis literis meis me hodiè reſponſurum ad eam particulam literarum tuarum, in qua innuis. Eſſe quoſdam (haud dubiè viros ampliſſ. meiq; amantiſſ.) qui dubitent, An malim Norimbergæ, quàm hîc in Academia vivere. Rogas ergò, quæ mea ſit ſuper hac re ſententia. Eam nunc paucis patefaciam Tibi. Ac primum quidem non inficiabor, Me à puero ita ergà inclytam & celeberrimam Remp. Norimb. animatum fuiſſe, ut quo ſtudium & operam meam ipſi probarem, non tantum labores quoſcunq; perferre, ſed, ſi ita res ferret, extrema etiam omnia pati in gratiam ejus, dulce & decorum judicarem: Sive amore urbis Germaniæ totius Nobiliſſimæ & Reip. optimè conſtitutæ, ſive cupiditate quadam honoris, quæ optimo cuiq; à Natura inſita eſt. Neq; enim quenquam tam imperitum rerum vel etiam tàm invidum eſſe credo qui neget illos apud omnes haberi, qui ſplendore talis & tantæ Reip. continuò illuſtrantur, ejusq; luce & radiis perfunduntur: Ad quam collatæ aliæ urbes & Resp. paullò minus quàm tenebræ eſſe videantur. Quare cum poſteà te auctore, exhortante etiam Dn. Socero meo à Senatu Nobil. & Ampliſſ. in numerum Conſulentium & Profeſſorum Acad. hujus receptus eſſem, non potui non eâ functione vehementer lætari: Jamq; adeò honorificentiſſimum mihi duco, quod intelligo quoſdam reperiri, qui mihi locum aliquem in urbe veſtra meq; viciniorem ſibi eſſe cupiant. Ceterum cum mecum ipſe perpendo, non quantum quisq; velit aut cogitet, inſpiciendum eſſe, ſed quantum quisq; re ipsâ præſtet aut poſſit: Nec magis præmia voluntatis præclaræ quam pœnas pravæ cogitationis intelligi: Cum & probè vires meas examino & ingenii & corporis & patrimonii (quas in conditione tali, qualem eminus mihi oſtendis, junctas eſſe oportet) mirum profectò dictu eſt, quantum ſpiritus ille alacer eâ cogitatione dejectus fuerit meq; cuivis potius conditioni alteri quam iſti parem eſſe convicerit. Ac de ingenii quidem viribus nec queror, nec glorior, ſed pro conceſſis quantulæcunq; illæ ſint, datori illarum gratias ago, qui eas diſpenſat cui vult & quomodo vult. Corporis certè vires parum firmas eſſe palàm eſt, quod illæ adhuc in pueritia morbo continuo decennali fractæ atq; proſtratæ fuerunt. Quod verò ad patrimonium attinet, ipſe nôſti quantoperè illud impenſis in ſtudia & peregrinatio-

nes extenuatum & accisum fuerit, cujus bonam partem etiam liticula ante paucos annos de titivillitio nata devoravit. Et docet hic ipse locus (in quo ultrà salarium annuum honestum Senatus Amplis. de patrimonio meo aliquot centena per hoc triennium impendi) me Norimbergæ in urbe sumtuosissima nequaqam diu durare posse. Quod enim Proculus JCtus ait se à rusticis senibus audisse, *pecuniam sine peculio fragilem esse:* Idem mihi de iis qui Norimbergæ vivere cupiunt, verissimè dici posse videtur, ubi quod compertum habeo, nemo facilè sumtus tolerare potest, nisi emolumentis quibusdam aliis sive adventiciis sive ex patrimonio proprio adjuvetur. Quanquam ex hoc ipso Proculum ditissimum fuisse conjicio, qui non propria egestate sicut ego, hoc verum esse didicerit, sed rusticis credere quàm ipse experiri maluerit. Quibus omnibus consideratis neq; ex dignitate Amplissimi Senatus neq; è re mea fore judico, si hoc tempore quicquam novi cõsilii susciperem & in eum locũ forte progrederer, unde paulò post pedem cum pudore retrahere tenuitas mea cogeret. Sunt alii iiq; non pauci (quo nomine Reip. nostræ ex animo gratulor) qui omnibus instructi præsidiis quæ vel ab animo vel fortunis peti solent, ea quæ mihi negata video abundè supplere & cumulatè præstare possint; Quibus proinde provinciam hanc in Urbe libens meritoq; hoc tempore resigno. Quamvis etiam sciam, Dn. Socerum meum V. C. hac in parte à me longè dissentire, qui & ab initio hoc operam dedit, ut Norimbergæ potius quàm in ullo alio loco domicilium figerem: Credo quod ad vitam practicam quam istam quietam aptiorem me semper judicaret; & quod sibi suisq; viciniorem me optaret: Tamen necesse est illum multa ignorare, qui nunquam Norimbergæ vixit, & iis abundat commodis, quibus ego careo: Cujus tamen judicium hac in re & ergà me affectum minimè vituperare possum, quod omnia eum ad honorem & commodum meum referre scio. Quod idem cum te quoq; Cl. Dn. Cognate, facere literæ tuæ proximùm amantissimè de hoc negotio ad me perscriptæ testentur, ita quidem ut certamen quoddam ornandi & promovendi mei cum Dn. Socero meo suscepisse videaris; non possum non tibi pro ista ergà me animi inductione gratias agere: Rogans, ut deinceps quoq; hanc ergà me voluntatem perpetuò conserves, hancq; sententiam meam, uti soles, candidè interpreteris. B. V. cum tota familia. Dat. Altorfii 2. die Martii A. 1609.

Idem Dn. Georgio Volckamero, Reip. Norib. Septemviro, ac Scholarchæ.

CONvenit me ante biduum in diversorio isthic Nob. Vir Casparus Gottfrid à Seckendorf, præfectus in Burgthann, qui narravit mihi, se peremptoriè citatum

tatum esse ad Judicium feudale civicum, quod est Wirceburgi, ad instantiam heredum Stephani Muelich quondam vasalli sui, quod Decimas, quas heredes isti cuidam Georgio Bayer cum consensu suo hypothecâssent, sed propter magnitudinem æris alieni luere posteà nequivissent, eidem Georgio in feudum concessisset. Rogare itaq;, quia brevissimus terminus sibi præfixus esset, dies nimirum 13. Februarii Styli novi, ut imparato sibi ab advocatis operam in conscribendis Exceptionibus fori declinatoriis darem. Promisi urgenti, quanquam invitus & aliis rebus occupatissimus, nondum ut fieri solet actis perlectis, quæ mihi domi demum evolvenda tradidit; sed nihil denegandum ipsi ratus, tùm alias ob causas tùm præcipuè, quod minimè gravem vicinum Academiæ nostræ experiremur. Postea verò cũ perlectis Actis cognoscerem Curatores liberorum Stefani Muelichii cives esse Norimbergenses, quibus lis hæc cum Georgio itidem cive Norimberg. & Nobili isto intercederet, eumq; casum extitisse perspicerem, unde advocatio mea incipere non posset: Necessariam mihi putavi permissionem inclyti Senatus Dominorum meorum: Quod ita in juramento Consulentium, quod initio præstiti, scriptum esset, Ne civi contrà civem &c. sine permissu Senatus adessem vel quomodo consiliarer. Ut autem consensum hunc magistratus mei supremi impetrem, Amplitudo tua, vir Nobiliss. pro singulari suâ auctoritate facilimè efficit & efficere volet, si consideraverit me nullam aliam ob causam hoc quicquid est laboris in me suscepisse, quam ne deceptum se queri à me possit præfectus iste, qui brevissimo termino circumscriptus subitò cum aliis remotioribus negotium hoc fortassis communicare non poterit. Neq; autem ipse me immiscere ultrà Exceptiones istas cogito, cui satis superq; domi est quod agam: Ita ut aliunde mihi labores accersendi non sint. Rogo itaq; majorem in modum ut A. T. non tàm me, qui ipsi infinitis modis jam ante obstrictus sum, quàm virum hunc nobilem vicinum nostrum, impetrato mihi consensu obnoxium sibi reddere vel si opus esse putaverit, toti Senatui Amplissimo supplicare me jubere velit. Dat. Altorfii 27. Januar. A. 1610.

Idem Clementi Andlero J. U. L. Comit. Oeting. Consiliario.

C*larissime & Consultissime Vir, Dn. & Amice plurimùm honorande*: Postridiè discessus tui, convenit me Ornatissimus juvenis, Dn. Jo. Schulterus; qui nihil tale expectanti significavit, se fidem matrimonii non ita pridem dedisse lectissimæ Virgini, Mariæ Euphriosynæ, filiæ Rev. & CL. Viri, Dn. Jacobi Schopperi, Theologi & Professoris primarii in Academia ista, Compatris ac Collegæ mei, plurimùm honorandi; Quam ob causam se intra paucos dies ad

Magnif.

Magnif. Dnn. Affines suos profecturum, quibus cum omnia ad idem negotium pertinentia transigere cupiat; rogare ut causam hanc Tibi, Vir *Clarissime* uno & altero verbo commendarem, & matrimonii fidem adjuvarem. Equidem quod res est, scribo; non nihil hoc indicio consternatus fui, ratus, quod talibus fieri solet, grave fore honoratissimæ cognationi, quod quem studiorum causa huc ablegassent, cùm sponsum reciperent: Graviùs etiam acceptum iri, quod sine auctoritate, & consensu propinquorum rem tanti momenti tractare ausus fuisset. Quamvis enim, quid de propinquorum, & curatorum consensu in nuptiis jure statutum sit, non ignorem; tamen *officiorum limites, multò latiùs, quàm juris regulas patere*, semper existimavi. Quibus de rebus & erroribus commissis, humaniter à me admonitus, respondit, duos tribunos violentissimos intercessisse, ne quod se deceret, satis perspiceret: Metum verò & Amorem. Quorum ille ne ad suos referret, prohibuisset; hic verò, ut quod mente agitabat, sine mora perficeret, impulisset. Eadem posteà cognovi ex eodem Dn. Collega & compatre meo conjunctissimo, qui fidem filiæ datam se paulò antè, juxta cum ignarissimis nescivisse, confessus est. De amore, sed honesto & sobrio, multò quidem antè aliquid inaudiveram, ex aliis: Sed nec facilè rumusculis talibus credere soleo, aliis rebus occupatus; & infinita intervenire posse cogitabam, ne ad veritatem & speciem matrimonii res deduceretur. Et quis non aliquando in Academiis vel amasse, vel amare, dictus fuit? Nosti illud: *A Diis amantur soli, quos homines amant.* Sed hoc fortasse extra propositum. Illud sanè non injuria objici illi video, quod à Musarum exercitu ad Amoris & Cupidinis castra, invitis ducibus, transivit: Quod ego minimè excuso. Illud tamen expendendum existimo, quod nullam magnam jacturam in transfugio isto res literaria passa est; sive ingenium, sive ætatem affinis tui; sive laborem, quem studia ista desiderant, consideremus. Ingenium illi mediocre, ad humaniores potiùs artes, quibus etiam utcunq; imbutum esse deprehendi; quàm ad studii legitimi difficultatem expugnandam. Acta verò ea, de qua non absurdè proverbium illud usurpari possit, quod à rusticis Italicis se ait didicisse *Franciscus Ripa* JCtus tractatu de peste: *Annos viginti ignorans, triginta nihil habens, quadraginta nihil potens, ignavus semper, pauper & impotens erit.* Adde, quòd sæpè interrupta hæc studia ipsius fuerunt, & nuper admodum insigniter, cùm diu apud vos domi hæsisset. Creberrimè verò à *morbis*, de quibus metuendum esse ajebat Excell. Medicus meus, D. Ernestus Sonnerus p. m. *ne ex familiaribus inimici, & hostes aliquando* Schultero *fierent.* Jam verò studia, eorumq; prosecutionem, firmitatem quandam corporis desiderare, nemo ut opinior, unquam inficiabitur: Majorem peregrinationes & militia requirunt; Quibus tamen nemo juvenem hunc aptum esse

esse dicet, nisi una opera etiam ad tibicines (ut est aupd Petronium) mittendum censeat: Tanta valetudinis teneritudo, & laboris impatientia est. Quare nemini mirum videri debet, si quemadmodum ii, quibus palatum febris corrupit, ad cibos etiam præstantissimos nauseant, alios verò appetunt, quos sanitati redditi forè respuerent; & hic noster ægrum animum & diffidentia virium & valetudinis, de spe perducendorum ad finem studiorum, vel suscipiendarum peregrinationum dejectum, ad consilium matrimonii transtulit: Tali virgine electa, quam, qui præter dotem, quicquam aliud æstimare in hoc sexu noverunt, invidere ipsi possint. Hoc enim ex animi sententia, si quid hac in parte judicii mei est, tibi confirmo, me, quam pietate erga Deum, obedientia & reverentia erga Parentes, vitæ & famæ integritate, deniq; accuratæ rei familiaris gubernandæ peritia ipsi præponam, nullam penitùs nosse. Et quando de fœminis nemo rectiùs, quàm fœminæ judicare possunt, affirmare possum, eandem esse optimæ cujusq; matronæ de virgine ista opinionem. Nihil dico de utroq; parente, qui talem genuerunt, & educârunt: Nec enim fugere te existimo, quo loco apud nos Pater sit, & quo item loco, priusquam ad Academiam hanc transiret, apud Electores & Principes quosdam imperii fuerit. Superest, quod inconsultus juvenis, spreta autoritate propinquorum de statu & libertate sua decernere ausus est. Non probo; nec parens virginis unquam probabit. Sed obsecro te, si ætate ista tam circumspectam diligentiam, tamq; exactum in tractandis negotiis judicium expectamus, cur leges nostræ, & jus universum, excusata passim, consilii fragilitate, erroribus illius tam sollicitè subveniendum putavit? Quamvis & aliud sit, quod pro se respondeat, alienum verò consilium potiùs, quam suum vel eorum, qui nunc Altorfii vivunt, se tunc temporis in celando negotio isto secutum esse: in quod nunc ampliùs non inquiro. Breviter, errorem hunc suum, ipsemet fateri, & Amplissimæ Cognationi satisfacere paratus est: Interim te, *Vir Clarissime*, meis verbis orat, atq; obsecrat, ut in præsenti negotio sibi faveas; eoq; illud perducere labores, ne quod abominatur, fidem semel datam cum æterna nominis sui contumelia, & salutis æternæ dispendio violare cogatur: Quam ego petitionem optimi juvenis, fiducia amicitiæ nostræ fretus, ita perscribere ad Te non dubitavi, rogans, ut relationem optima fide factam candidè interpreteris; sicq; de me existimes, ne alienorum negotiorum, adq; me nihil pertinentium, semper quidem incuriosum, nec ullius unquam matrimonii in vita proxenetam fuisse: Habere tamen scriptionis hujus idoneas causas, quas optimo cuiq; & in primis tibi probaturum me confido. Totius autem rei eventum DEO OPT. MAXIMO commendo. Benè & feliciter vale, *Vir Clarissime*, cum uxore, & familia. Dabam Altorfii 26. Febr. A. 1613.

FRAGMENTUM ORATIUNCULÆ Dinneri, ad Comitem Schlickium, habitæ Altorphii pro lectione.

ILlustrissime Comes, Domine gratiosissime: Quòd mihi dominisq; auditoribus meis optantibus divûm promittere nemo potuit, fore nimirum, ut Illustr. G. T. in Auditorio isto hyberno conspiceremus, quod ingressa, ceu sol novus, insueto planè splendore illuminat atq; complet, hoc volvenda dies en ultrò nobis stupentibus vixq; lumen tantum admittentibus obtulit. Quamvis autem verendum mihi sit, ne Illustr. G. T. bonam horam malè perdiderit, cujus attentionem non excitare, sed hebetare atq; obtundere potuerunt allegationes Doctorum Practicorum. Ex quorum commentariis hæc, quæ prolata sunt, hausimus: Prætereaq; neminem, utcunq; studiorum horum peritum, tam confidentem esse oporteat, ut auribus Illust. G. T. dignum aliquid afferre se posse speret: Quæ sicut prosapiæ nobilitate illustrissimos, omnesq; humanitate facilè superat: Ita doctissimo & literatissimo cuiq; congressa (visa ac comperta loquor) palmam dubiam facit. Tamen vel metum hunc vel pudorem meum vincit gemina raræq; dulcedinis lætitia, altera vetustior, recentior altera. Cùm enim memoriâ tempus illud recolo, quo ante 28. annos unà cum Illustr. G. T. eodem die primam in Jure Civili & elementis Justiniani sub communi Doct. Conr. Rittershusio, JC. olim celeberrimo, lectionem excepi: Non dubito, hæc studia vel eam ob causam beata dicere, ipsam verò lucem candidissimam & auspicatissimam appellare, quà me tanto Heroe socio atq; consecraneo iisdem initiatus atq; imbutus fui. Altera lætitiæ causa est, quòd pro uno Comite Schlickio duos nunc adspicio. Hæret namq; Illust. Parentis lateri filius generosissimus: Non tam ditionis bonorumq; olim heres futurus, quàm virtutum omnium atq; doctrinæ paternæ imitator & æmulus: Ut solo hoc nomine felix dicendus, quod vitæ instituendæ regulas atq; exempla non à plebeis atq; obscuris magistris, sed à sapientissimo atq; exercitatissimo Parente quotidiè petere potest. Utinam autem &, quod in Academia ista nostra amet, idem reperiat!

Ejusdem Responsio

Ad Invitationem Reverendi, Clariss. Excellentissimiq. Viri, DN. CHRISTIANI MATHIÆ, *SS. Theologiæ D. & Prof. in Academ. Noremb. primarii, designati Præpositi Regii Ecclesiarum in Dithmarsia &c. in Disputatione publica de ἀκαταληψίᾳ DEI, publicè pronunciata in Auditorio VVelseriano pridie discessus ejusdem Dn. D. Christiani, ex eadem Academia. Octavo Calend. Octobris Anno Christi M. DC. XXII.*

VEllem equidem, *Vir Reverende, Clarissime & Excellentissime Dn. Doctor, Collega plurimùm observande, Amice magne & certissime, Præses Disputationis*

his hujus dignissime, vellem, inquam, compellatio atq; invitatio ista tua ad disputandum, quam honorificentissimam mihi duco, ultima atq; postrema in hac Academia non esset. Ita namq; licuisset mihi uti eâ formulâ, qua sæpius antehac ad Te usus fui, ut spatium aliquod laxius temporis, cogitandi de tam sublimi atq; divino argumento, mihi concederes, atq; tum, si quis nodus vindice dignus occurrisset, Tu pro singulari ingenii tui acumine, exactaq; rerum divinarum cognitione, dubitationem atq scrupulum mihi omnem eximeres. Nunc cùm petitioni & ampliationi isti meæ locus, propter præmaturum discessum tuum, nullus sit relictus: Tamen vel eo nomine gratissima mihi compellatio tua ad aures accidit, quòd occasionem mihi præbet, quanti ego studium Tuum in hac palæstra disputandi Teq; ipsum semper fecerim, publicè declarandi, eademq; operâ supremum quasi Vale ex hoc loco Tibi dicendi. Quod ut præstem, prolixiori oratione opus non est. Est enim oratio rebus dubiis inventa, ut verissimè à veteri quodam Auctore dictum est. Nihil autem minus dubium est quàm vel tua in hanc Academiam merita, vel mutuus inter nos amor, sanctéq; culta per aliquot annos amicitia. Cujus imago *Ut esse Phœbi dulcius lumen solet*
Jam jam cadentis, - - -

Ita propinquo corporum nostrorum discidio, abituq; tuo, solito formosior amabiliorq; animo meo obversatur. Et quidem quod ad tua in hanc Academiam beneficia attinet, illorum memoria in nobis non prius quàm vita extinguetur. Ea namq; duas maximè ob causas plurimùm se Tibi debere perpetuò fatebitur: Et quòd celeberrimorum Europæ Virorum atq; Doctorum, quos ab ipsis incunabulis Academia hæc sortita fuit, successionem atq; seriem in ea interrumpi, adventu tuo prohibueris: Et quòd rectam accuratamq; docendi & disputandi de rebus divinis rationem, quæ, sicut multis harum rerum intelligentibus visum est, antea sine hospitio atq; lare apud nos vagabatur, primus in Auditoria ista induxeris, inq; suis eam sedibus stabiliq; domicilio collocaris: Deniq; sola nominis tui celebritate effeceris, ut nō tantùm brevi tempore ad summam dignitatem Theologia in Academia ista adsurgeret, verùm etiam studiosissimorū ab ore docentis pendentium juvenum undam, vix ampliùs locus, ubi docebas, caperet, parietesq; propemodum ipsi ac subsellia mirarentur. Quarum rerum causa, cùm omnes Tibi æquum est, quibus Academiæ hujus incolumitas cordi est, magnam gratiam habere: Tum imprimis ego, de quo privatim quoq; præclarè meritus es, & alii Collegæ tui, plus etiam quàm pro Civili parte obligati sumus; minimè ignari, quantum detrimenti ex divortio isto tuo ad Remp. Academicam redundare possit. Sed nolo pluribus verbis uti: Ne si hæc aliaq; similia commemorare cæpero, ea, quæ splendidiora fieri oratione debebant, vel culpâ ingenii deteram, vel minora vero faciam. Radiabunt illa luce suâ, & in oculis hominum etiam Te ab-

 sente

ſente verſabuntur, quin etiam in poſteritatis gratæ (ſi tamen aliqua futura eſt) memoria hærebunt. Deum immortalem toto pectore veneror, ut gratias, quibus nos vel agendis impares ſumus, Tibi, Vir Excellentiſſime, vice noſtrà cumulatiſſimè referat, Teq; ſoſpitem ac valentem memorem cumprimis Academiæ hujus, & quos in eadem relinquis, amicorum, Patriæ Tui cupientiſſimæ reſtituat, ac, quod in voto Chriſtianorum præcipuum eſſe debet, conſilia omnia atq; ſtudia tua porrò quoq; ad ſanctiſſimam nominis ſui gloriam, & Eccleſiarum, quibus deinceps præfuturus es, utilitatem, immortali cum laude tua, clementer dirigat. Poſtremò, ut eò, unde progreſſa eſt, oratio mea redeat, iterum atq; iterum pro compellatione amoris & honoris pleniſſima gratias Reverend. Dignitati Tuæ ago, ignoſci mihi petens, ſi & frigidè idipſum faciam, nec petitioni tuæ ſatisfaciam, quam nunquam deinceps in hoc loco, irato Academiæ noſtræ DEO, iteraturam novimus &c.

Programma præfixum ante explicationem tit. de publ. Judic.

Inſtitutionum Imperialium Studioſis S.

QUanquam ſcio, non deeſſe ex vobis, qui omiſſo tit. ult. Inſt. De publ. Jud. à capite Elementa juris cognoſcere, quàm fugientis, ut ita loquar, ſcientiæ pedes apprehendere malint (nam & hîc verum eſſe experior vetus illud verbum: *Plures Orientem quàm Occidentem ſolem adorare*) variæ tamen cauſſæ fecerunt, ut nihil immutato ordine, recto curſu ad metam operis propoſiti contendendum mihi putarem. Et alias quidem ſive conſilii mei ſive ordinis rationes ipſe Juſtinianus ediſſeret. Unam ego probaturum me vobis confido, cui verendum erat, ne præterito tam celebri titulo, De publ. Judic. ipſas quoq; Leges Julias, Pompejas, Cornelias & Fabias, quibus judicia illa conſtituta ſunt, maleſuadâ ſeculi noſtri licentiâ & inſano criminum amore expunctas penitus & antiquatas crederetis: Sicut nuper extitit Vir Doctiſſ. qui legum illam principem Legem *Honeſtè vivere; Alterum non lædere; jus cuiq; ſuum tribuere*, velut contraria vivendi conſuetudine, & tacitis populi ſuffragiis jamdudum ſublatam, in Indice legum abrogatarum omiſſam eſſe graviſſimè queſtus eſt. Cæterùm adhuc quidem ſuperi vetuere nefas, nec tantùm ſceleribus in Nemeſin licere voluerunt. Vivunt, valent & vigilant hodieq;, quas dixi, leges, porrò quoq; valituræ, niſi quid ſecùs, quod abominor, Getarum præſidi videbitur. Dignæ proinde, quibus breviſſimæ explicationis honorem impendamus, antequam ad lineas rurſum & ad gradum, quod dicitur, redeamus, iiſq; gratificemur, quibus nihil negare certum eſt.

Initium docendi faciam proximo die Martis, SI DOMINUS VOLUERIT. Benè valete.

MAN-

MANTISSA IV.
EPISTOLARUM,
QUAS VARII
AD
ANDR. DINNERUM, JC.
SCRIPSERUNT.

DECANUS

Et Reliqui DOCTORES Juridicæ Facultatis in Academia Tubingensi,

ANDR. DINNERO, JC. S.

PErgratas, Nobilissime & Amplissime Vir, Domine & amice plurimùm colende ac amande, tuas nobis fuisse literas, ambitiosè prædicare, supervacuum arbitramur. Reddidit eas nobis, superioribus diebus, Dominus Georgius Hieronymus Marstallerus, Juris Candidatus meritissimus, & quidem ipse ille, qui in iis commendatur. Etsi verò præstantissimus Juvenis, suavi illâ indole, & præclarâ eruditione, moribusq; ab ipsâ humanitate factis, domesticum secum testimonium circumferat, adeoq; ita omnium animis influat, ut alieno teste indigere minimè videatur, sed virtute suâ, universis se probare possit, ob eamq; nemini, qui Musas amat, non gratissimus sit: Accessit tamen tua, Vir Consultissime, commendatio, velut auctarium: Quæ nos invitat meritò ad constans studium, politissimo Juveni adfectum nostrum, in omni officiorum genere, cummulatissimè approbandi. Quem, & calamo hoc, tanquam interprete, apud te testamur: Ipse autem, quandocunq; affulgebit occasio, reipsâ abunde expirietur. Et vel tuâ, Vir Ampliss. causâ: Qui quantò lubentius familiaritatem nostram profiteris, & amorem jactas ardentius: Tantò nos solidioris gaudii fructum percipimus: Ut, qui eum in jure olim auditorem, hodiè amicum habeamus, qui præclaris doctrinæ suæ radiis, non Noricum solùm agrum, sed & universam collustret Germaniam. In primis autem seriò nobis gratulamur de constanti illo tuo adfectu, cujus spirantis & vigentis generosum per literas dedisti argumentum. Quem ut tibi Amice plurimùm æstimande, ex parte nostrâ firmum semper invictumq; promittimus: Ita ut eundem nobis constantem serves, enixè rogamus. Et ne hæc ex more potius, quàm animo prolata videantur: Dabimus operam sedulò ut Marstallerus intelligat, tuam apud nos commendationem, non vulgare pondus habuisse. Tibi autem omne studium & officium, quod à nobis proficisci poterit, omni tempore deferimus, ac pollicemur. Vale, Vir Excell. & nos quod facis, porrò quoq; redamare, perge. Perscriptum in Collegio nostro, decimo septimo Februarii, Anno recuperatæ per Christum salutis; 1627.

J. F. à W. Baro, Eidem.

COmpendium omnium malorum Bellum esse, haud inscitè dixere Veteres, idq; Christianus orbis in mediis bellorum undis natans, nimium hactenus miseriâ illâ afflictus, & conquassatus, ubiq; nobiscum querulatur, Vir Clarissime & Consultissime, Amice candide & dilecte, si verò addimus & dispendium; Diabolum illum Monetarium, Alchymistico Proteo suo in adulteratis metallis & monetis sævientem;

Accumulatorum prodit sentina malorum.

Quantas enim calamitates, quantumq; malorum secum trahat, nullus penè angulus in Imperio, quem lateat, & nemo, nisi cui, Germania ipsa ignota, ignorare potest. Sicut verò Circius ventus vertigine turbat regiones, ita moderna depravatio monetarum, omnia intervertit & interturbat, proptereaq; penè Imperium ad restim rediit. Quid enim nos magis destruit, crudeliusq; spoliat quàm Diabolus monetarius? Unde enim est, nisi à corruptâ monetâ, durissima illa annonæ dufficultas & caritas, rerumq; omnium summa inopia & penuria, adeò ut Magnatibus, nedum iis, quibus res est angusta domi, vita calamitosa miseraq; sit agenda? Nonne adulterina moneta omnes contractus, omneq; hominum commercium in præceps trahit? Nonnè propterea nefandæ confusioni, omnisq; generis vitiis licentia est data, & quicquid tandem honestati & pietati contrarium fenestra aperta? Imò furtum, inter legitimos justosq; dominii acquirendi modos refertur? Nonnè summa ubiq; injuria in supremo gradu dominatur? Nonnè jam studia artesq; liberales, in quibus cardo salutis publicæ vertitur, jacent, conticescunt & ruunt? Nonnè in eum jam res rediit locum ut nec Princeps,

Cujus ad exemplum totus componitur orbis,

nec subditus suum faciat officium? Quid ergò boni sperabimus? & quid mali non formidabimus? Quæ Iliades malorum, quibus vel infans in utero matris exterreri possit, adhuc metuendæ? Et quis tandem hoc nos falce levabit? Quod si jam archiva historiarum, & historicorum scrinia curiosè excutiamus, nullibi reperiemus, quis Cerberus è profundissimo inferni barathro? quis Nero? quis Domitianus? quis Albanus magis nos effascinare, excoriare, deglubere, divexare, cruciare & perdere, imò magis duras, dirasq; carnificinas excogitare potuisset, quam malè feriati homines, qui ex sordido & impio questu, furto & raptu vivere laudi sibi ducunt? Heu stupendam hominum avaritiam? Heu feralem hominum in seipsos truculentiam! Heu detestabilem monetarum depravationem! Heu deletricem Imperii in Utopiam relegandam! Quis enim ad tot tantasq; Rerump. clades & calamitates non commoveatur & animitùs ingemiscat. Illud autem magis

magis dolendum est nos (qui sub Imperii Romani tutelâ spiritum ducimus, & in quo his malis, præsertim depravationibus monetarum per sacras & æternùm valituras LL. & constitutiones abundè prospectum est) publicam salutem, quæ suprema lex est, & patriam nostram, cum inæstimabili & irrecuperabili privatorum damno, tàm imprudenter periculis atq; ruinæ prostituere. Nullum sanè est dubium, quin DEUS O. M. officii rationes à quovis sit exacturus accuratissimas & gravissimas, potissimum verò ab iis, qui Reip. gubernacula tenent, & hac in re, benè gestâ, conniverunt, laxasq; huic mari malorum dederunt habenas, imò fomentum, ut oleum camino addiderunt & subministrarunt, quos si nihil aliud à perniciosissimâ illa indulgentia, & corruptione monetarum ipsâ, Heroica tamen Herois Philippi Hassiæ Principis, vox absterrere debuisset, Man soll ein Fürsten kennen bey reiner Straffen / guter Müntz und Haltung beschehener Zusag. O quàm vellem ea nunc essent tempora, quibus Heroicum hoc dicere liceret, melius nobiscum ageretur. Quod quidem optare sperare verò hoc rerum statu, quo omnia in pejus ruunt, vix possumus. Dum autem hæc respiciebam, & considerabam, Vir Consultissime, ecce mihi nuncius de justo rerum pretio definiendo; sub nomine meo edito, quo nobis viam & modum monstras, quibus prædictis obsistatur malis, & quomodo istud negotî curari & dirigi possit rectius. Pius sanè hic zelus non modò mihi aliàs labascenti plurimum solatii attulit, sed etiam cum ab amico veteri & candido sit profectus, fuit exoptatissimus & jucundissimus. Neq; etiam dubito, quin toti orbi terrarum æquè rem feceris gratissimam & utilissimam; nec non eo ipso nomen tuum reddideris clarius celebriusq;. Multi enim docti viri, quibus his in oris & Tubingæ, tractatum tuum legendum dedi, ceperunt te magnifacere, & benè tibi cupere. Faxit Deus ter Opt. Max. ut hic labor tuus laudatissimus in Germaniæ patriæq; nostræ incrementum, nostrorumq; adeò omnia salutem unicè tendat & vergat. Quod reliquum est, & quidem initium literarum mearum esse debebat, tibi, Clarissime Dn. D. ob dedicationem honorificam (qua me indignum quidem & nomen meum conaris & studes aliis quoq; & apud exteros notum facere & celebrare) gratias ago habeoq; maximas, easq; etiam referre & rependere, cum occasio erit, cogito. Tibi verò nummos hos argenteos interim tanquam grati & benevoli mei erga te animi argumentum, mitto. Et hæc sunt, quæ hâc vice grato animo, licet inculto stylo, perscriberem. Etiam atq; etiam vale cum tuis & à me æternum salve. Argentinæ. 12. Januarii. Anno à nato Salvatore. 23. quem Deus Opt. Max. nobis fortunet & largiatur felicissimum.

Idem

Georg. Volckamer, Reipubl. Noribergensis Septemvir & Scholarcha Eidem.

Literas tuas, *Clarissime ac Consultissime Vir*, nuper ad me datas, quibus de Filii quondam mei, nunc verò DEI Opt. Max. pio & felici obitu mihi condoles; grato animo accepi, utpote humanitatis & consolationis plenissimas: Pro quibus tibi non quas debeo, sed quas possum, gratias ago.

Et quidem inficias ire non possum, quin iste tàm inopinatus Nati mei ex hac vita discessus, animum meum utpote paterno affectu minimè carentem, graviter perculerit, ne dicam penitùs sauciârit: Non quod ipsum ad meliorem vitam transiisse atq; mortalitatem cum immortalitate commutâsse nesciam; sed quod verè pio & obsequioso filio, quem senectutis meæ baculum fore sperabam, sim orbatus. Veruntamen cum præsentem temporum statũ & conditionem considero, & qualis ille futurus adhuc sit perpendo, in mentem venit illud, quod Sapientiæ IV. legimus: Cum DEO placeret, Dilectus vivens inter nefarios, translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut fallacia deciperet animam ejus; propterea properavit illum educere Dominus è medio iniquitatum. Et tandem cum Jobo concludo: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Sumq; proverbii illius memor: *Rosam, quæ præterit, ne quæras iterum*! Atq; sic totus in divina voluntate acquiesco. Ceterum quæ de M. Gotthardi Erythræi filio inter alumnos recipiendo, nec non de emblematum nova impressione monuisti, illa omnia cum penes me non solum consistant, sed DD. collegarum meorum auctoritatem & assensum requirant, dabo operam, ut suo tempore & loco in medium proponantur, &, quatenus fieri poterit, promoveantur. Interim, Cl. Vir, benè & feliciter vale & me quod facis, ama. Ex ædibus 16. Augusti A. 1611.

Martinus Pfinzing ab Henfenfeldt, Senator & Scholarcha Norimb. Eidem.

Vir *Clarissime atq; Doctissime*: Legi epistolam nuper ad me missam: Relegi unà cum tuis laboribus & doctissimis observationibus demonstrationibusq; historiarum magna cum animi mei voluptate. Non intermittendum puto, quin in lucem veniat & omnibus de verâ religione sentientibus hujus seculi antiquæ Pontificum fraudes & illecebræ ob oculos versentur. Utrum verò hoc tempore interregni hæc divulganda, & adversæ parti argumentum sit dandum, ut in controversiam & Disceptationem ducat, quasi verò tàm longo temporis intervallo latuerit, & ad frugem venire non potuerit; illud tuo, & aliorum pru-

dentiori judicio relinquo, & pro communicatione me tibi gratum offero. Alterum quod à tua in me benevolentia processit, continetur in literis à Comitibus à Löbenstein & Wertheim ad te scriptis, quas fideliter cum aliis inclusis remitto. Cogitavi quidem de illa tua in me singulari fiducia: Verum hoc tempore neminem habeo, quem pro dignitate, & desiderata ejus officii eruditione, tibi ad promotionem possim commendare honorificè. Pergratum mihi feceris, si cœpto amore & sinceritate me tibi devincies: Ego te ob animi tui ornamenta & singularem rerum experientiam observare amicè non desinam. Vale feliciter. Dabam Noribergæ 18. Febr. 1612.

Andr. Dinnerus Dn. Martino Pfinzing ab Henfenfeld, &c.

NObilissime & Amplissime Domine, Patrone pl. colende, Pro judicio *de responso Florentino* gratias maximas A. T. ago; & tantò quidem uberiores, quod scripto illud complecti dignata est, quod ego officium nec sperare, multò verò minus petere ab eadem, propter occupationes tàm publicas quàm privatas, mihi notas, ausus fuissem. Judicium verò istud sicut cum animo & consilio meo mirificè consentit, ita pro eo ac meretur plurimi facio. Retinet enim circumspectæ cujusdam prudentiæ & cautionis notas manifestas, à matura ætate & rerum usu profectas; quas nemo sanus contemnere vel potest vel debet. Quanquam autem sciam me magnam gratiam communicato responso isto à quibusdam extrà territorium Dnn. meorum inire posse, qui nomine loci & auctoris dissimulato editis plurimis similis argumenti opusculis stomachum filio perditionis moverunt: Mihi tamen id facere minus hactenus integrum fuit, tùm quod naturâ ad edenda mea cunctantior sum, tùm quod aliorum exemplo didici, quàm nasuto & dentato seculo scribant, quotquot hodiè scribunt. Prætereà sic mecum colligo, suspectam de veritate fore editionem, si sine nomine vulgantis prodeat; si cum illo, periculo non carituram in eo, qui fundum Pontificium vel aliorum causa adhuc quidem omninò evitare non potuit, qua de re coram quoq; A. T. locutus sum. Sicut autem plenam probationem à suspecto instrumento frustrà quis expectat; ita non immeritò temerarius habetur qui periculo quo carere possit, non terretur. Quare cùm pedibus in A. T. sententiam eo, tùm literas tuas honestissimæ de me opinionis plenas exosculor, atq; ut illam perpetuò mihi cum animo isthoc tuo, Vir Nobiliss. conserves, omni cultu & observantia vicissim à me demerendam, etiam atq; etiam rogo B. V.

'Ανδρὶ

Ἀνδρὶ μεγαλοπρεπεστάτῳ, καὶ ἐξοχωτάτῳ, κυρίῳ Ἀνδρέᾳ τῷ Διννέρῳ, Διδασκάλῳ καὶ Ἀπαγγελτῇ τῆς Νομικῆς ἐπιστήμης περιφανεστάτῳ κυρίῳ, καὶ φίλῳ μου διὰ πάσης τιμῆς ἀγομένῳ.

Εἰς Ἀλτορφίαν τῶν Νωρικῶν.

Χάριν καὶ ἔλεος παρὰ τοῦ ἑνὸς Τριυποστάτου καὶ ὁμοουσίου Θεοῦ.

Οἱ ἄλλοτε ἄλλως μεταβαλλόμενοι, χαμαιλέοντι, ἢ πολύποδι παρεικάζονται, καὶ κακῶς ἀκούουσιν. Ἐχρῆν μὲν γὰρ ὅλως ἀμεταστρέπτους εἶναι ἀνθρώπους γε ὄντας, ἀλλὰ μὴ ζῶα δειλια ἀλόγῳ τὴν μεταβολὴν πάσχοντα μιμεῖσθαι. Εἰ δέ ποτε μεταβολῆς, ἴσως δεήσει χρυσοῦ δίκην μεταβάλλεσθαι προσήκει, ἀλλὰ μὴ τῶν ῥηθέντων. Ἐκεῖνος γὰρ ὅτε μὲν ὧδε ὅτε δὲ ὧδε μεταβαλλόμενος καὶ μετασχηματιζόμενος εἰς πολλοὺς κόσμους, ὅπου ἂν ἡ τέχνη τοῦτον ἄγῃ, μένει τοῦ τοῦθ᾽ ὅπερ ἐστὶ χρυσός. Ὡς οὐχ ἡ ὕλη, ἀλλὰ τὸ σχῆμα τὴν μεταβολὴν δέχεται. Τούτῳ ἐγὼ παρεικάζω τοὺς πιστοὺς καὶ εἰλικρινοὺς φίλους. Οἳ κἂν τόπου μεταβολήν, κἂν ἀέρος ἐναλλαγήν, κἂν ἄλλοτι τοιοῦτον πάθωσι, τῇ γνώμῃ ἀμετάτρεπτοι μένουσιν, οἱ αὐτοὶ τοῖς φίλοις ὄντες ἀεὶ οἷοι καὶ πάλαι ἦσαν. Τοιοῦτον κἀμὲ ἴσθι πάντοτε πρὸς τὴν σὴν ἐξοχότητα διατελεῖν, Ἄνερ ἐξοχώτατε, καὶ πανταχοῦ περιφανέστατε κύριε Ἀνδρέα Διννέρε. Εἰ μή τί γε καὶ πολὺ πλέον ἢ πρότερον τὸ πρὸς σέ μου ἐπιδίδωσι φίλτρον ὁσημέραι. Τὰ γὰρ τερπνὰ καὶ χρήσιμα ἀπόντα μᾶλλον ἀνιᾷ, ἢ παρόντα τέρπει. Ἡ γὰρ παρουσία ἀμαυροῖ πως τὴν τῆς αἰσθήσεως ἡδονήν. Πρὸς μικρὸν δὲ ἀπελθόντα, καὶ τὴν ἡδονὴν τῇ μνήμῃ ἐγκαταλιπόντα, εἰς ἀνίαν παρασκευάζει τὸν στερούμενον, οὐ τὴν τυχοῦσαν. Ὅπερ κἀμοὶ ἐπί σοι συνέβη, μεμνημένῳ τῆς σῆς χρησίμου συνουσίας, τῆς ἡδείας συναναστροφῆς, τοῦ ἐντεῦθεν συλλεγομένου μοι καρποῦ. Οὐ γάρ ἐστιν ὅ τι συλλαλήσας σοι ἀπῆλθον δίχα καρποῦ καὶ κέρδους. Καὶ ἐγὼ μὲν ᾤμην μόνῃ τῇ Ἀλτορφίᾳ καὶ τῇ Νωρικῇ χώρᾳ ἐπίδηλον εἶναί σε. Νῦν δὲ ὁρῶ ἐμαυτὸν ἄντικρυς ἀπατηθέντα. Οὐδὲ γάρ ἐστιν Ἀκαδημία ἢ πόλις, ἐν ᾗ οὐ περιάδεται ὁ ἐν Νομοδιδασκάλοις περιφανέστατος Διννέρος. Ὃ (ἵνα ποιητικῶς εἴπω)

Εὐδικίῃ καὶ ἀκηρασίῃ μεληλημένος ἀνήρ,
Στήθεσιν εὐαγέεσσιν ἀεὶ νημερτία βάζων,
Ἐκ πάγλως δολερῆς συγέων μελεδήματα γλώττης.

Τοιοῦτον ἡ φήμη πανταχοῦ σε κυρήττουσα, τοὺς μὲν μήπω ἑωρακότας σε εἰς πόθον τὸν εἰς σε ἐπεγείρει, τοῖς δὲ ἅπαξ γοῦν θεασαμένοις σε ἀθυμίαν ἐντίθησιν, ὅτι στεροῦνται τῆς σῆς ὄψεως. Δεῖ οὖν σε χρηστὸν καὶ φιλόφιλον ὄντα, φαρμακόν τι ἐκείνοις ἐπινοῆσαι. Οὐχ οἷον ἡ Κίρκη παρασκευάζει τῷ Ὀδυσσεῖ, ἵν' ἐπιλάθηται ὧν ἐπόθη οἰκείων, ἀλλ' οἷον ἡ Ἀκαδήμη τῷ Λαέρτῃ ὀρέγει παραμυθικοῦ τῶν πόνων, οἷς ὁ γέρων ἐκεκμήκει. Τοιοῦτον ἐγὼ φημι, καὶ ἰσχυρότερον μέντοι, τὰ σὰ γράμματα. Ὧ ἂν ἐθελήσῃς ἡμῖν μεταδοῦναι, καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ στερῆσθαι σοῦ ἀθυμίαν παραμυθήσῃ, καὶ τὸν περὶ σοῦ ἐν ἡμῖν πόθον ἐπὶ πλέον αὐξήσεις. Εἶεν. Εἴσοι πόθος εἰδέναι τὰ κατ' ἐμὲ, ὡς ἔγωγ' οὐκ ἀμφιβάλλω, οὕτως ἔχει. Πολλῶν συμβουλαῖς κέκρικα παραχειμάσαι ἐν Τυβίγγῃ. Ἔνθα οὐ μόνον παρὰ τοῦ Γαληνοτάτου Ἡγεμόνος Οὐιρτιμβέργης, ἀλλὰ καὶ παρὰ πάντων τῶν ἐνθάδε διδασκάλων πλείστης εὐνοίας καὶ φιλοξενίας τυγχάνω. Ἔαρος δ' ἐπιφανέντος, τὴν εἰς Ἑλλάδα, σὺν Θεῷ, βαδιοῦμαι. Εἰδέ μοι γένοιτο ὑμέτερα γράμματα δέξασθαι, πρίν με ἐνθάδε ἀπᾶραι, ἐν εὐτυχίᾳ τοῦτο θήσομαι. Ἐπὶ τούτοις ἐρρῶσθαί σε εὔχομαι, καθ' ἑκάτερον τὸν ἄνθρωπον, ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ, τῷ ἑνὶ τῆς ὑπεραγίας τριάδος τῷ Θεανθρώπῳ, καὶ μόνῳ σωτῆρι ἡμῶν. Ἐν Τυβίγγῃ. Ἔτει τῆς τοῦ Θεοῦ πρὸς ἡμᾶς καταλλαγῆς αχιζ''. Γαμηλιῶνος Θη. ἐπὶ Ι''.

Ὁ τὴν σὴν ἐξοχώτητα πάντοτε διὰ τιμῆς ἄγων,

Μητροφάνης Ἱερομόναχος, ὁ Κριτόπουλος,

ὁ ἐκ Βερροίας τῆς Μακεδονίας.

Viro Amplissimo atq; Excellentissimo,

DN. ANDREÆ DINNERO, Doctori atq; Professori Juridicæ facultatis celeberrimo, Patrono & Amico meo, omni honore prosequendo,

Altdorffium Noricorum.

Gratiam & misericordiam ab Uno, Trino & coëssentiali DEO.

Qui commutabilis sunt animi atq; multiplicis, omnibus omnium sermonibus vapulant & polypo vel chamaeleonti assimilantur. Omnino autem ipsos animum obfirmare, nec ab incepto decebat desistere, cùm homines audiant, neq; par sit ut bru-

ut brutorum inconstantiam sibi imitandam proponant. Quod si vero [illegible] *liquando mutationem efflagitet, mutari convenit; haudquaquam uti ea, quæ dixi, animalcula sed veluti aurum. Istud enim licet modò in hanc modò in illam mutetur formam, & in varias mundi oras, prout sors tulerit, deportetur: Idem tamen semper manet, & nunquam non antiquum obtinet, adeò quidem ut nihil nisi formam deperdat, materiam verò & naturam semper eandem servet. Huic ego veros atq; sinceros amicos collatos velim, qui quamvis locum aut aëra mutare vel simile aliquid admittere cogantur, constantiam tamen præstant, & à pristinâ suâ benevolentiâ ergà eos, qui firmâ quondam ipsis necessitudine erant conjuncti, ne latum quidem unguem discedunt. De horum grege me quanquam esse scias, Excellentissime atq; celeberrime vir,* Dn. Andrea Dinnere. *Imò mei ergà te amoris vis magisq; augetur. Ea enim quæ jucunda pariter atq; utiliter fuere, majori absentem mœrore afficiunt, quàm præsentem voluptate. Si namq; simus præsentes, non tanti reputamus voluptatem, quanti paululum absentes: Ea enim, si aliquantulum à nobis auferatur, ut nihil nisi sui memoriam atq; recordationem relinquat; in tristitiam haud vulgarem nos conjicit. Expertus hæc scribo, cum mihi idem acciderit, quotiescunq; ad animum mihi revocavi consuetudinem tuam utilissimam, & conversationem jucundissimam, salutaresq; qui inde ad me redundabant fructus. Neq; enim unquam abs te discessi, nisi doctior. Arbitrabar ergo tunc temporis Altorphii modò & in amplissimis Noribergæ finibus famâ te celebritate esse conspicuum, sed quàm mea me fefellit opinio! Jam enim comperior, nullum esse literarum emporium, nullam urbem, ubi non Juris Antecessor Clarissimus Dinnerus præclaris monumentis ad omnem memoriam commendetur, Dinnerus, inquam, ille, qui est, ut poëta canit:*

Gnavus justitiæ cultor, fidusq; satelles,
Simplex sincero promens è pectore verum,
Et mala fallacis fugiens tectoria linguæ.

Talem te fama prædicat, & tanto tuo encomio iis quidem, quibus nunquam videndi tui copia contigit, ingens desiderium; hisce verò qui præsenter olim in tuam sese amicitiam insinuârunt, cordolium excitat, quod conspectu sint privati tuo. Hinc jurârim ego, peculiare te, cui nihil prius, nihil est antiquius fidâ amicorum consuetudine, excogitâsse pharmacum, quo inesces atq; allicias homines. Non vero tale esse puto, quale Circe Ulyssi parâbat, ut, quos desiderabat, comitum & domesticorum oblivisceretur: Sed quale Academia præbebat Laërtæ Ulyssis parenti, utpote quod laborum solatium, quibus senex ille defatigatus fungebatur. Ejusmodi ego pharmacum intellectum velim. Sed & hoc ipso adhuc efficacius, literas scilicet tuas, quarum si potestatem mihi feceris, & mœrorem, cujus tui mihi causa est ab-

scimus, ames & tui amorem reddes firmiorem. Sed ad alia quoq; transeundum. Si quod hariolari mihi videor, scire aves quo in loco me res sint sita, breviter sic habeas. Multorum suasu hyemem hanc Tubinga transigere constitui, ut Serenissimus VVirtemberga Dux, & plerią; omnes, qui liberales artes & disciplinas ibi profitentur, suam in me voluntatem & benevolentiam, ubicunq; res fert, re probant insigniter. Adventante veris tempore, & DEO clementer me sospitante, profectionem in Graciam faciam. Quod si tua ad me litera ante iter hoc commeabunt, inter maxima beneficia numerabo. Tandem valere te jubeo, secundum utrumq; hominem in Domino nostro Jesu Christo, qui est persona Trinitatis, Deus & homo & servator noster unicus. Tubinga anno à Deo nobis reconciliato 1627. Jan. die 19.

Excellentiam Tuam æternùm colens
Metrophanes Hieromonachus, Critopulus,
Berrhœensis Macedo.

Dei gratia, Johannes Christophorus Neustetter, *dictus* Sturmer, *Ecclesia Cathedralis Bambergensis Præpositus, ac Archiepiscopalis Moguntin. Custos, nec non Præpositus ad S. Stephanum Bamberga &c.*

Eidem.

ELegantem epistulam tuam *Vir Eruditissime*, quam more Christiano rectè à voto felicissimi novi Anni auspicaris, accepimus, ac lubentes legimus. In ea nobis multa fausta cum affluentia bonorum à summo illo Datore exoptas, & precaris, nos eadem & majora tibi reprecamur, ut DEUS Opt. Max. non solum hunc, sed innumeros alios annos tibi prosperos esse, atq; te Reip. literariæ diu superstitem velit. Officia tua tàm largè, tàm candidè offers, ut qui tibi ob præstita multum debemus, nunc plurimum nos debere fateamur. Sanè candorem illum tuum & eruditionem ipsi conjunctam singularem, ac te ob ea valdè amamus. Si quid erit, in quo tibi gratificari possumus, indica, tempori aut loco non deerimus. Ceterum quod tuam nuperam hinc profectionem atq; magis tractationem apud nos excusas, in hoc operam & studium tuum promtum, de quibus nunquam dubitamus, magis agnoscimus, iisq; ubi res postulat, liberè sicuti rogas, utemur, nunc grates habemus magnas. De cliente quod in fine annectis, etiam illi vasalli sine equo, cum calamo, tui similes, nobis semper sunt gratissimi, in quos te primum summo favore amplectimur, & hisce benè valere cupimus.

Dabantur Bambergæ a. d. XIX. Jan. Anno M. DC. XII.

AMICE

AMICE LECTOR: Duas hasce Epistolas, *seriùs nobis oblatas, ne fastidio quodam spernere, vel studio Tibi subtrahere videremur;* Dinnerianis hoc loco *subjungere placuit: Cumprimis, quod* causæ Senensi *non parùm inserviant; de qua* in Mantissa III. pag. 690. & seqq. *agitur.*

Dinnerus Avunculo suo.

QUod uterq; in hodiernum usq; diem in votis habuimus, ut tandem aliquando de origine, progressu & fine caluminæ de me sparsæ, certi aliquid comperiremus, vanissimumq; nebulonem, adversarium & criminatorem meum, ἐπὶ αὐτοφόρῳ, quod JCti dicunt, deprehenderemus: Id ante paucos dies, cum consecutus videar, nefas putavi, te, *Clarissime Domine Avuncule,* quem contumeliam hanc suam ducere video, hoc celare diutiùs; eoq; nuncio non participare, in quo simul & innocentiam meam, & impurum animum adversarii, cum incredibili mentiendi pruritu conjunctum, tanquam in speculo contemplarere. Abiens Senis Procurator, secundum statuta Nationis Germanicæ, ibidem duos alios nominat, quorum alterum Natio in locum abdicantis surrogat, & confirmat. Hîc cùm à me complures illustres, & aliæ personæ, contenderent, ut unà cum alio quodam nominarem Dominum Georgium Fridericum Sonwalt, Virum egregiè ab iis rebus commendatum, quibus Viri Clari & prudentes censentur: Mihi tum temporis non familiariter, sed de nomine tantùm & facie notum: Facilè assensi, nominavi; factus est Procurator in locum meum, ego abii. Illum ego nuper mihi in via hîc factum obviam, salutavi, atque ad mensam communem invitavi. Huc ubi ventum est, præsentibus nobili quodam aulico Cæsareæ Majestatis, familiari meo, & aliis J. U. Doctoribus, amicis & commensalibus meis, cœpi graviter conqueri de gravissima nominis mei contumelia, illata mihi à Prunnero. Commemoravi deinde, quas ad eandem Nationem dedissem literas apologeticas; quibus Testimonium muneris gesti ab eadem petebam. Hic interpellato sermone meo: *Vidi,* inquit, *& legi literas tuas, Bamberga ad Nationem datas.* Addebat forte fortuna, *redditas coacto conventu universali Nationis; lectas publicè & privatim, statimq; plerisq; qui me norant atrocitate calumniæ; cæteris novitate rei commotis, Testimonium honorificum mihi decretum, & sine mora conscriptum atq; consignatum fuisse. Id ita confectum se legisse atq; vidisse: Quod autem nondum mihi transmissum esset, invita Natione factum. Seq; paratum esse, rem ab origine totam, & causas*

causas moræ, commemorare; si molestum non esset. Rogatus ita cœpit: *Baronem Thonraedel, Consiliarium* (qui à me & collega meo Johanne à Ponte mutuos ex ærario obtinuit 70. coronatos, opposita in securitatem debiti, cautione, quâ Comes Jo. Nassovius, qui tum Senis degebat, fatebatur se trecentos coronatos ab eodem consiliario accepisse mutuos) *paullò post abitum meum denuò à se* (Procuratore) *& collega quodam meo, de Johanne à Ponte, accepisse alios 60. coronatos, ex eodem ærario. Acceptis hîc nummis, sumtaq; aliunde, quàm potuit, pecunia maxima, subitò discessisse Senis Consiliarium, Genuam versus: Injecta spe, ipsi Procuratori fore, ut intra dies 14. Senas reverteretur* (tantum enim temporis spatium licitum est Consiliariis per statuta Nationis abesse, quo lapso alius creatur Consiliarius) *cum ab eodem abiens contendisset, ut intereà temporis fieri Proconsiliarium curaret. Se interea, quòd hæc vera esse crederet, convocasse Nationem, renunciasse Proconsiliarium; ærarium etiam, ubi de discessu Baronis, constitit, ex ædibus Itali cujusdam, quas D. Consiliarius incolebat, in suas transtulisse, & penes se* (quod tamen ad Proconsiliarii partes, atq; officium pertinet) *justo metu, ne ab Italis nondum creato Proconsiliario expilaretur, habuisse. His ita perfectis rebus, rescripsisse Genua Baronem, se quidem semper habuisse animum revertendi, sed impediri à Propinquis, qui iter Hispanicum urgeant; adeoq; invitum cogi, ut quamprimùm in Hispaniam, ad capessendum Equitum crucis rubræ ordinem se conferat: Non inficiari debitum, sed curaturum, ut à suis ærario satisfiat; interea omnia sua bona velle Nationi pignorata, atq; hypothecata.* Has ad se privatim datas à Barone literas confirmabat. Tum verò ajebat, cœptum tumultuari à Germanis (in quibus non pauci erant ab eodem Barone alieniores; propter fastum & jactantiam, quam causam incertum) à quibus, indicta concione publica, propter discessum contumeliosè tractabatur, & fur, peculator, atq; expilator appellatus, Consiliarius, traducebatur. Convitia autem ista cum parciùs objicienda Baroni respondisset Procurator, hic meus successor, quod persona esset illustris, quod solvendo, quod debitum non inficiaretur: Idq; faceret, jure familiaritatis, quæ cum absente Barone ipsi intercedebat, totum in se conversum impetum; flagitantibus importunissimè omnibus, ut non modò ærarium, sed & rationes ærarii, totamq; illam summam, quam abesse ærario pareret, restitueret: Objicientibus etiam, quod Consiliarium cùm posset, abiturientem non retinuisset, adeoq; ærarium ipsum cum omni sua causa & onere ad ipsum transiisset. Aperto deinde ærario, cum deprehenderetur Baronem ducentos coronatos & ampliùs debere, neq; reperiretur illa cautio 300. coronatorum, cujus suprà feci mentionem (nam & hanc à Barone, sicut alia, fraudulenter surreptam, conjiciebat) abfuisse dicebat, tum verò tumultuosiùs etiam cœptum agi, & denuò ut solus 200. coronatos restitueret, urgeri. Quid, inquit, facerem? cum neque ex contractu, neque

ex

ex maleficio aliquo meo, vel quasi conveniri me posse viderem (publicè namq; constabat, Baronem non solùm accepisse eam pecuniam mutuò, sed versam etiam in rem ejus; hocq; chirographa & confessio ipsius confirmabant) sed & illo solùm capite statutorum Nationis: *Quod nulli permissum esset amplius dare mutuum, quàm 20. coronatos.* Quanquam multis præjudiciis hoc aliter in persona Consiliarii se habere ostenderim; quod verum est: Negavi; addebat, mihi soli hanc culpam imputari debere, sed communem mihi esse cum collegis meis, cæterisq; Procuratoribus; inter quos Te, mihi tum quidem ignotum, appellavi. Et hæc fuit causa, quare Testimonium tum quidem temporis missum non est, renitentibus videlicet Procuratoribus. Sed nihil se profecisse hac ratione dicebat, & condemnatum se quidem esse in 60. coronatos, Joannem à Ponte in 30. & tertium quendam Tirolensem in 30. coronatos: Palamq; respondisse Nationem, se de me nihil conqueri; & non obstante hac ipsorum petitione, mihi tamen Testimonium daturam esse; qua in re egregiam enituisse operam & studium, erga me absentem, Dn. Jo. Fuggeri Baronis &c. & Dn. Henrici Guilielmi Dapiferi S. R. Imperii, Baronis in Waltpurg; qui intra paucos dies, pro præside summi hujus tribunalis Spirensis à Cæsarea Majestate (ut loquuntur) præsentabitur: Quorum uterq; me immerentem (licet inter se dissentirent) Senis benignissimè est complexus. Se rogare, si justa facti alieni ignorantia, præsertim quod cautio Comitis de Nassau reperta ampliùs non esset, de qua supra dixi, me offendisset, ne eam rem alioversum acciperem; nihil se à me, multò minus cæteros vel petere vel repetere hoc nomine: Mirari etiam, quod Testimonium nondum transmissum esset; differri diutius non posse: Quod si moram exiguam res non ferret, una literula se effecturum, ut subitò acciperem, habere enim se scribendi & mittendi occasionem expeditam. Quod Prunnerus me nota aliqua aspersisset, fecisse ipsum nequiter, & ex invidia; cujus causam ad ipsum non dissimulâsset. Nunquam enim vel minimam suspicionem de mea mala fide aliqua fuisse, sed ita omnes judicare, me acerbissimis literis meis primis graviter injuriam hanc vindicasse. Hoc quoq; addebat, gloriatum ad se eundem Prunnerum, quod mutuos mihi dedisset 50. coronatos, atq; hac ratione fortunas meas suspectas voluisse reddere: Paucis autem hoc persuasisse, vel nulli potiùs, qui me nosset. Sed mihi incommodi non tàm jejuna hominis malevolentia, quam ficta tua cum mercatoribus simultas aliquid attulit, cum necessitate coactus mutuos ab ipso (notandum, quod scis) coronatos acciperem. *Abs quovis homine,* ut ait ille, *cum opus est, beneficium accipere gaudeas: Quanquam molestum est, illis te abstringere, à quibus cum beneficio infamiæ messem metas.* Hæc ita verè gesta esse asseve-

ſeverebat: Talis autem eſt, ut meritò fides ipſi habenda ſit. Tu quid à me in hoc negotio porrò fieri velis, re ut vides planè expedita, collato cum Ampliſſimo Dn. D. Pruenero conſilio, etiamſi nondum acceperis Teſtimonium, maturè reſcribes. Is, qui hæc mihi retulit, Procurator, totam hanc hyemem praxeos cauſa hîc Spiræ morabitur, ut hoc etiam nomine ſecurus ſis. Excuſabis autem me, quod eidem Dn. D. Prueneto, Domino meo colendo, non ſcripſerim; cum quo literas has meas Tibi, *Præſtantiſſime Dn. Avuncule*, communes eſſe volo. Is, cujus mentionem in literis ſuis fecit, Dominus Chriſtophorus Teig, Vir eſt induſtrius; apud quem ea aliquando eſt reperire, quæ apud alios non indaganda ſunt. Hoc pænè omiſeram, quanquam parum ad hanc cauſam facere videtur, quod interpellatus de fratris debito frater Dn. Baronis Tonraedel ſe ſatisfacturum promiſit. Benè vale, *Præſtantiſſ. Dn. Avuncule*, cum Tuis & meis. Dabam Spiræ 8. Sept. A. C. 1603. raptim, ut apparet.

Idem Georgio Tuchero, Patr. Nor.

S. P. Cùm Spiræ nuper ad meos rediiſſem, *Nobiliſſime & Humaniſſime Dn. Tuchere*, intellexi ex Domino Avunculo meo, Daniele Burchardo, Præfecto in Tundorf, quàm non utilem modò, ſed & neceſſariam abſenti mihi in curan[illegible] literis meis ad Nationem Senenſem, navaſſes operam; quæ quàm grata mihi fuerint, noli, obſecro, quærere; ſimul memineram itineris noſtri Gallici, & conſuetudinis, quæ tecum mihi Aureliæ interceſſit: Quam cum cogitarem, neq; fieri poſſe putabam, quin vicem meam doleres; neq; dubitabam, quin hoc, quicquid eſt oneris, mea cauſa & libenter ſubiiſſes, & idem in poſterum facturus eſſes. Intellexiſti autem, ut arbitror, quàm calumnia de me ſparſa non modo vana, ſed & ipſa malevolentia jejuna fuerit; ceu ego non à facti tantum crimine, ſed & ſuſpicione longiſſimè abeſſem: Id quod ille ipſe nugaciſſimus & μωροκακο[illegible] [illegible] inficiari auſus non eſt, ut ad oculum, hæc Tibi legenti, patebit, quæ unà mitto. Sed clanculum canis iſte mordere voluit, quod jam intelligo. Quem ego, ſi vivo, ex latebris extraham, & excipiam aliquando, ut dignus eſt. [illegible] tamen vehementer illis me devinctum eſſe fateor, qui me abſente, & turb[illegible] ignaro, ad ſe quodammodo injuriam mihi illatam pertinere exiſtumaverunt, [illegible] prætermiſerunt, quò naſcenti malo maturè mederentur, ſerpentiq; infamiæ præſtruerent; memores, ut opinor ejus, quod D. Gregorius Nazianzenus [illegible] *Nos invicem nobis & manus, & aures, & pedes eſſe.* Vel quod JCtus: *In[illegible] hominis, hominem beneficio affici.* Inter hos cùm meritò Te, *Nobiliſſime Domine Tuchere*, numerem, qui hanc à me gratiam, nihil quidem adhuc de te meritò [illegible]

vele-

volueris; difficiliq; hoc tempore meo, non solùm verbis liberaliter operam tuam pollicerere, sed & re ipsa, quantæ Tibi curæ existimatio mea esset, ostenderes. Est profectò, ut tantum me Tibi debere hoc nomine profitear, quantum nemini: Demq; operam, ne hujus te beneficii in me collati unquam pœniteat. Te majorem in modum rogo, atq; obsecro, ut deinceps quoq; ita erga me velis esse animatus, & (quod sedulò facis) famam meam, cui semper favere visus es, tueri apud bonos & defendere. Neq; dubitabis, quin eo beneficio vel virtute Tua, vel amicitia nostra rem sis facturus dignissimam, meisq; perpetuis officiis de te vicissim demerendam. Vale, Domine & Amice observande. Datæ Rundorf. XV. Cal. Jan. A. C. 1604.

MANTISSA V.
EPISTOLARUM
MISCELLARUM.

Joach. Camerarius Ludovico, Comiti ad Witzenstein &c.

S. D. *Generose & Nobilis Comes, Domine colende:* Epistolam Generosæ Clementiæ tuæ ad me scriptam his diebus accepi: Et gravissimarum sententiarum & eruditissimi judicii, & quod mihi jucundissimum fuit, clementissimi favoris erga me tui plenam: Ita autem fideliter custodire memoriam animi demissè grati, clementissimæ humanitatis erga me tuæ me non existimationem de generosa tua pietate virtuteq; & studio optimarum artium, cognosci jamdudum potuisset, si id processisset; sicuti cupiebamus, quod superiore anno egimus, ego & Philippus filius meus, quem venisse in notitiam Generosæ Clementiæ tuæ, ex illius sermonibus rescivi, & sum lætatus. Proposui enim hujus hortatu prooemium commentationibus quibusdam Ethicis ad T. Generos. Clement. compositum, quòd legeretur ab aliis quoq; illo libro edito. Idq; cùm meâ opinione tum affirmatione filii mei gratum acceptumq; fore Generosæ Virtuti Tuæ, habui persuasum: Sed nescio, quid impedimenti moræq; illatum sit editioni; tam enim multis mensibus apud Typographum Basileæ nostra delitescunt, cùm quieta spes fiat nobis, brevi esse illa apparitura. De quibus autem tua Generosa Clementia scribit, ea renovârunt in animo meo tristissimas cogitationes infelicitatis nostræ, quæ eò est major, quò minùs attenditur atq; curatur ab iis, ad quos cùm præsentia damnatum impendentia pericula in primis pertinent. Ad Rempubl. quidem quod attinet, vestrum ordinem, qui illum capessit ac gerit, intelligere videreq; oportet. Ego & mei similes frustrà hac solicitudine afficimur; cùm tamen bonos Viros patriæ amor non patiatur esse animis securis, Ecclesiæ vulnera, quæ indies penè recentia corpori illius infliguntur ab iis, qui laboranti opem ferre, & afflictam sublevare, & periclitantem conservare debebant præ cæteris: Hæc, inquam, considerantur à me diligentiùs & ingenti dolore me afficiunt cogitantem, quorum nostri ipsi sibi calamitatum autores sint, quibus omnis fructus, qui copiosus in concordia & mutua benevolentia percipi poterat, intercipitur. Dimicant de suis opinionibus, prætendentes ardorem quendam tuendæ doctrinæ cœlestis, homines plerumq; indocti; omninò autem confidenter petulantes, qui neq; bonarum literarum & artium studia colunt, atq; his etiam obtrectant, neq; Veterum scripta legunt, contenti novitiis rixarum altercationumq; libellis, qui undiq; jam pridem catervatim evolant,

lant, & indulgendo cupiditatibus suis in hac vitæ licentia immodesti sunt, & oderе disciplinam cujuscunq; sanè querela est, inserta literis Generosæ Clementiæ Tuæ, nimis ea justa est, & de iis deploratur, quibus caussa jam non læditur, sed prorsus amittitur. Quomodo enim inter istam disceptationum & alienationum odiorumq; acerbitatem obtineri illa possit? Sed ut ubiq; ferè res sese ostendunt, adhuc folia cadunt, & mox scilicet arbores cadent. Non libet de istis rebus, & ut verum fatear, in maxima animi perturbatione, ne possum quidem plura scribere, cùm undiq; tantùm peccatorum occurrat, ut si qui etiam corrigere vellent, essetq; hoc penes ipsos, aggredientes illi negotium statim hærerent, sicut fabula narrat de eo, qui cœpisset cribri foramina obstruere, non reperiens, unde ordiretur aut ubi desineret. Fui superiori anno in Regionibus patriæ meæ, quacunq; perrexi, & ubicunq; constiti, ibi grassari visa est homerica ἔρις ἀμο πτημά ἴσα, & undecunq; exquiri occasiones distractionum atq; certaminum. Quod si, ut prudentiores metuunt, sunt isti conatus fatales cumulatorum multiplicium errorum & delictorum, ferendum scilicet est, quod mutari non potest, & imploranda DEI æterni misericordia, quæ est immensa, & cujus ille in ira quoq; non solet oblivisci. Quem precor, ut Tuam Generosam Clementiam benigne tueri, salvumq; Te & incolumem corpore, dignitate, fortunis, præstare velit. Epistola Generosæ Clementiæ Tuæ, nescio à quo, in meas ædes perlata est; has autem tuas misi Norimbergam ad Philippum filium meum, qui ibi, quod Deus æternus feliciter evenire velit, nuper ductâ uxore consedit, ut Generosæ Clementiæ Tuæ reddendæ curarentur, cùm alia nulla ostenderetur occasio. Fiet autem fortassis, ut seriùs illæ ad Tuam Generosam Clementiam perveniant. Implicui quædam hîc proposita Academiæ hujus consuetudine, quorum lectionem arbitrabar Tuæ Generosæ Clementiæ non ingratam fore. T. Gen. Clem. benè valeat. Vale. Lips. die XXIII. Mensis Aprilis.

Cunr. Rittershusius Michaeli Trew.

S. P. Jampridem Illustris Gymnasii vestri Bibliothecæ destinavi exemplar *Isidori* mei, cupiens videlicet exstare aliquod meæ, ergà illos, qui ibi docent, pietatem & bonas literas, observantiæ monumentum. Id nunc demum tr[illegible] mitto, per Domini Ecclesiastæ vestri agnatos. Cupio autem librum hunc per Te illi Bibliothecæ publicæ, meo nomine, inferri atq; inseri, ut vel hac ratione testes, quanti Te faciam, & quam gratas habuerim literas tuas ἑλληνιστὶ scriptas, quibus me dignatus es. Si plusculum otii mihi fuisset, quo nunc planè destituor, conatus fuissem paria tecum facere; eodemq; Te sermone affari, tametsi, ut eo, fatear, me à multis annis parum esse exercitatum, quamvis φιλέλληνα me semper fu-

per fuisse, atq; esse non negem. Nunc Te velim paucis hisce lineis, quas ad te aliò festinans, dicto, contentum esse; omninoq; Tibi ita persuadere, me tantum Tibi in ἰδιωτισμῷ tribuere, quantum paucis aliis nostrorum hominum, qui quidem mihi sunt cogniti. Adolescens, quem ad nos ablegastis, instructum testimoniis & commendationibus vestris, erit mihi & sua & vestra causa gratissimus. Vale, & alio tempore copiosiores à me expecta. Collegis tuis salutem amicam adscribo, & nominatim Domino Mauricio Cnodio, qui me heîc salutavit humanissimè. Altorfii die S. Galli. A. C. M. DC. VII.

Idem Eidem.

S. P. D. In ruborem datus sum redditis mihi tuis, *Vir doctissime*, literis, quas ipso Epiphaniorum die sub initium hujus anni afferebat Henricus Grammanus. Recordabar enim, me superioribus tuis, quas Græcè ad me scripseras, nondum vices rependisse. Quid, quòd sæpiculè meditantem parantemq; facere retraxerunt alia ex aliis negotia, quibus per hanc diuturnam viduitatem meam mirum est, quantoporè distringar; ut rarò meus, & amicorum esse queam. Quo magis excusatum esse debet. Tibi silentium diuturnius, quo sum usus, præter voluntatem quidem meam, cùm certè sæpissimè intereà de Te cogitans me ipsum & accusarim tacitus, & infelicem æstimarim, qui amicis non possim, quantum debeo, & cupio, temporis tribuere. Hæc quoq; ipsa scribens ὑπὸ ἀπηγορεύσας, quod totis mensibus ne posterioribus quidem responderim. Erit autem mihi testis ipse Henricus Grammanus, quàm fuerim occupatus tùm aliis temporibus, tùm illo ipso, quo hinc abibat; & quàm tamen cupidus Tibi satisfaciendi. Sed omitto excusationem prolixiorem. Illud potiùs operam daturum polliceor, posthac meas ut non tamdiu desideres. Spero enim post paucas dierum hebdomadas, Deo volente, paulò magis vacuum, à domesticis quidem curis, me futurum, parte illarum in novam vitæ sociam derivata, quam amici mihi suadent, ut ducam. Qua de re aliàs certiora: Nihil dum enim conclusi, in re tam ardua. Juvenis egregius, quem mihi commendabas, etsi perexiguo tempore fuit nobiscum, tamen in me officia humanitatis, opinor, minimè desideravit. Vellem autem, si res ipsius tulissent, ut diutiùs hîc manens pluribus documentis experiri potuisset, quantum cupiam tua causa, & in gratiam CL. doctissimiq; Viri M. Theodori, fratris ejus. Huic à me plurimam, quæso, dicas salutem, & pro felici auspicio amicitiæ, cùm ipso contrahendæ, & aliquando σὺν Θεῷ coram constabiliendæ, tradas hoc *Asylum Davidicum*. Cum eodem communis erit Tibi scheda inclusa, ex qua intelligetis, quid parem de Isidori epistolis recudendis. Quid videatur, ad me tuo commodo perscribes. Retuli eadem de re etiam ad Re-

ad Rectores Gymnasii Schleusingam & Gotham, Viros doctissimos, Græcarum & Latinarum litterarum; à quibus responsum expecto. Vale, & aliàs à me expecta uberiores; præsertim ubi rescripseris. Salutem adscribo amicam Rev. Dn. Dreslero, Ecclesiastæ; Mart. Cnodio, collegæ vestro. Altorfii, d. II. Apr. M.DC.IX.

Idem Eidem.

S. P. Jampridem venit mihi in mentem ad Te scribere, de consilio quodam meo, in recudendis *epistolis S. Isidori*; quas *ex manuscripto Codice Bibliotheca Bavarica*, ante paucos annos, magno cum labore descripsi, de Græcis Latinas feci, & primus in lucem protuli; cùm essent antea ineditæ. Etsi enim Commeliniani à me acceptas curarunt, in primis ante triennium; tamen ita sunt impressæ, & ita flagitiosè mutilantur exemplaria illius bibliopolii, nescio cujus, aut quorum culpa, ut vix credam, vel unicum exemplar integrum hoc toto triennio ex illa officina quemquam accipere potuisse; quod multi sibi accidisse conquesti sunt, & ego, inde mihi mitti petens, jam sæpiùs expertus sum. Quare, ut ille de suis quibusdam scriptis ajebat, & editæ sunt illæ epistolæ, & non editæ. Taceo, quod forma editionis Commelinianæ videtur satis incommoda ad usum, cum sit majuscula, & (ut loquuntur typographi) in folio. Posset autem ex *libro quarto*, qui ante triennium *ἀνέκδοτος* adhuc erat, confici mediocris libellus minore est, octava forma, in usum scholarum ad exercitia, non solùm pietatis, ac religionis Christianæ (quam in omnibus ferè paginis ille author spirat) sed & eloquentiæ, qua nemini facilè accedit Isidorus. Possent quoq; ex prioribus tribus libris, qui *anno 1554.* editi sunt *Parisiis*, selectæ aliquot decuriæ epistolarum, si non tota etiam centuria, auctuarii loco adjici. His notas meas aliquot locis adjungere cogito. Agam autem de nova illa impressione cum Typographo quodam Lipsico, Thoma Schirerio cui tantò faciliùs persuaderi posset, ut reciperet, si ille spem haberet distrahendi exemplaria pluscula in celebria quædam Gymnasia; in quibus aliquando epistolæ illæ prælegerentur, aut certè discipulis commendarentur. Hanc ad rem Tu quoq;, *Doctissime Dn. Michael Piste*, unà cum CL. Viro Dn. Theodoro Grammano, Rectore vestro, non parum conferre posses. Expectabo igitur de eo vestræ judicium voluntatis. Vale, & salve plurimum. Altorfii, 11. April. A. S. 1609.

Jo. Albertus (*Græcarum literarum apud Parisienses Professor Regius*) Eliæ Ehingero.

VErsu me provocas, *Vir Clarissime*, hominem Poëtices legibus pridem solutum. *Vejanius armis Herculis ad postem fixis &c.* Nosti cætera. Itaque

noli

noli expectare, ut te similibus numeris remunerer; sed prolixam cape voluntatem, & si quo te possum officio demereri, promtam & expeditam. Quæris, an *Biblia* nostra *Pontificialia* vel *Regia*, sint sub prælo? quot linguis distincta? in quot tomos divisa? quis ferat impensas? quando inspectura sint lucem? queis sit cura demandata? Quibus ut satisfaciam, scire te primùm convenit, *nec Pontificis*, *nec Regis opus* esse; quamvis hujus, aut illius munificentia longè dignissimum. *Privati hominis* sumtus est, qui nummos, quos benè multos habebat, nullibi meliùs collocari, quàm in divini Fœderis editione putavit. Is *in Curia Parisiensi Patronus* cùm esset, foriq; tædio teneretur, ad hunc laborem, velut ad stationem tutam & quietam, se contulit; ac multorum usus est opera, sed imprimis eruditi Viri, *Gabrielis Sionitæ*, qui *Samaritanam* versionem, & *Arabicam*, in Latinam linguam transtulit. Totum verò propemodùm effectum est opus, & CXX. constat tomis. Superest unicum, brevi, nisi nos operæ typographicæ decipiunt, unà cum reliquis lucem aspecturum. De *Sorbonica Schola* quod interrogas, hoc accipe: Nullam ei, cum Jesuitis, de re literaria societatem intercedere; tametsi literas publicè docere non desinant: Dumq; nostri suas partes tuentur, illi suas non segniter obeunt; utrosq; pacis opera, quæ in commune prosunt, continuò meditari. *Jacobus Sirmondus Theodoreti* Græcolatinam editionem adornat; *Renatus Charterius*, artis Medicæ Professor Regius, *Operum Hippocratis, & Galeni*; quorum VIII. tomi nuperrimè prodierunt. Alii alia subinde. Vides, ut hîc altissima pace, & literarum otio fruamur, Dei gratia, & Christianissimi Regis beneficio; qui, quod de *Dagoberto* Rege scriptum habemus, *sceptra Francorum tàm strenuè moderatur, ut cunctis hostibus suis sit potentior; & cunctis Regibus, qui ante ipsum fuerunt, felicior.* Lutet. Paris. VI. Id. Febr. A. D. M. DC. XXXIX.

EPISTOLÆ EX SYNTAGMATE MICHAELIS MEISNERI.

AD

CANDIDUM LECTOREM.

Mos fuit Græcis artificibus ante officinæ fores quædam ludicra affingere arcendæ Invidiæ: Eum voluimus æmulari, atq; ante Famæ ædem litterale hoc Amuletum appendere amovendæ Maliloquentiæ. Magnis tractatibus Livor obstrepat: Hic Nugæ habent; sed Litteratæ tamen & futuræ, si non æternæ. Nemo cogitur, ut

invitus credat. Favorem placitis adhibuêre, qui, ut propriis virtutibus abundant, sic alienas amant. Ama & Tu favorem mihi jungere, qui faves Bonæ Menti; ut utrisq; ad altiora struas viam: Hanc monstro, præferens unâ operâ accensam à Philologis facem Monitorum ac Rituum: Illa inscientes doceant hi doctos delectent. Nec mireris, Eruditorum Cerbere, ex eodem libello suis quemq; studiis apta colligere; in eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertam. Tu quoq;, quæ tuæ stomachi, trifauci, gulâ excerpas: Tu insectatione alienæ scientiæ venêris in solo Inscitiæ gloriolam ut simiæ pedunculos: Tu quasi Persuasionis hortum colens maledicâ Gnathonum vernilitate Te alito, ut capreæ veneno: Tu inhians Invidiæ zizania, scilicet Integritatis abscissa, Calumniæ lolium, ut lupus, devorato: Donec insatiabilis mordacitatis tuæ fames in proborum obtrectationem tanquam chylus cachecticorum in impurum sanguinem convertatur. Ut autem tuæ intemperiei etiam famuler, suadeo Tibi, uti ne priùs os tuum trilingue adhibeas ad nostra majora carpenda, quàm quantum in his minoribus refutandis valeas, scripto egregii stili tui exemplo nos docueris: Id verò jure à Te exigimus, ut quantum ab ingeniis laudatorum absis, tantum à tuis moribus illos abesse patiaris. Qui quidem latratus tuos infra suos motus habent; ne tamen ad Virtutis ad intentantibus vanum timorem injicias Pyræmon Tibi constitutus, qui tuæ fronti notas stigmaticas inurat, totique faciei grandissimis litteris inscribat:

CAVE CANEM.

Caspar Barthius Michaëli Meisnero.

ET geminas tuas litteras, Doctissime Meisnere, & gemmeum libellum tuum faventibus diis vialibus, accepi. Respondissem ad primas, si per commoditatem incommodam licuisset, quæ nunquam sanè nobis, qui literarum amorem cæteris bonis in vita communi omnibus præponimus, vel commodior est, quàm cùm incommoda videtur, vel magis adversa, quàm cùm faventem se declarare nititur. Utriusque caussa in temporum diritate sita est; si qui enim animis & fortunæ bonis non sumus emarcidi, cogimur nunc in cursu rerum publicarum pro virtute adorare infelicium lixarum furias, qui trudunt omnia ad lucrum, & insidentes administrandorum officiorum clavos, hoc agunt, ut, quod reli-

quum

quum Eryonies bestiæ faciunt, ipsi malis artibus populo exsugant, adeoq; cum pulvisculo bonæ mentis studia eradicent. Quòd si collecto & involuto virtutibus nostris animo hoc agere insistamus, ut Tranquillitate animi intrinsecâ potiti spernamus Casus rerum volubilium, vitreæ sortis nutu pendenteis, & veri hominis cultui nos dedamus; rati tumultos illos exteros & vagenteis turbines ambitiosarum insaniarum ad nos nihil pertinere, jam experimur re ipsâ, quàm nihili etiam in his simus, quibus curæ nostræ abstractos ab rebus caducis nos privilegio quopiam interioris Sapientiæ transscribunt. Tum enim immensa vis se aperit bonarum quidem litterarum, sed talium, quarum cordices lambentibus ætas nobis omnis conterenda est; siquidem eruditionem vero suo pretio æstimare, quam adulari nobis de inscientiæ nostræ præsumtione malumus. Hæremus hîc utrobiq; & tam extra quàm intra nos longè retrahimur à perfectione & morum & litterarum, quibus studere, siquidem vulgo nos exemtos servare volumus, ipsâ conscientiâ Genii nostri compellimur. Cæterùm cùm animum generosum hæc maximopere excrucient, neque sit, quo succurratur opinioni nostræ, quoquaversum aciem mentis speculatum mittamus, subit tamen egregia ab exemplis nonnullorum, paucorum licet, hominum, consolatio. Non enim adeò inclementi vultu Omnipotentia res humanas despicit, quin errore communi majorem partem, in declive trahente, hæreant tamen in munimentis bonæ mentis litterati homines, qui cùm virtutis existimationem ferè exaruisse videant, turbari autem studia ipsa quoque litterarum, Amænitatem tamen ingeniorum suorum non deserant, sed presso pede Tranquillitatem suam servent, neque adeò solliciti de iis, qui tumultu magno aerem complent, neq; admittentes penetralibus suorum pectorum contemtum illum ridiculum, quo concutere nituntur reductos à plebe animos Architecti illi & Operarii turbarum. Neq; verò hoc termino favor cælitum sese coërcet; audemus in ipsis imminentium periculorum cumulis, superesse nostris litteris, & spem Posteritati ostendere, præstituros nos etiam hoc rerum rutubâ, quæ memoriam nostram perennent. Quo nomine duplici sanè laude commendari meremur; qui & spernere publicos nocentissimosq; litterarum meliorum hostes possimus, & nobis, ut dixi, eò usque superesse, ut cum inscitia aliorum pugnare animum inducamus, non contenti bonis nostris eatenus uti, quatenus illis tranquillitatem in pectoribus nostris cum omni felicitatis copia absolvere datur. In hoc genere, Vir Doctissime, cùm jam ab multis annis studia mea versari videam, ratus providentiæ quodam decreto mentem mihi ad hunc scribenbi scopum destinatam, quamvis, ut antè dixi, miram discendarum rerum copiam ab omni Antiquitate undique me urgere nôrim, non desisto, quotidianis me conviciis ad persistendum cogere, præcipuè, si quando lit-

do litterati alicujus exemplo mei commonear, quod ut rariùs mihi meisque litteris contingit, ita gratior fructus eſt, quem ſpes productior edit. Jam vides, me Epiſtolæ ordinem ad aureolum tuum libellum deduxiſſe, quem ſuper Adnotamentis veterum Philologorum ex recentiorum obſervationibus, eleganter & eruditè compoſuiſti. Fatebor Tibi candido animo, ita me optima mens & ſucceſſus felix operis tui affecit, ut in Te redire videar ad annos jam mihi ante adoleſcentiam & juventutem elapſos, quibus ſuavitas illa obſervandi plurima in libris priſcorum auctorum aliquod apud Eruditos nomen dedit. Cumque nihil, quod tuum ſit, diſplicere poſſit, gnaro videlicet non vulgari Te viâ ad Laudem Famamq; veram graſſari; tum verò argumento hoc videris mihi palmarium feciſſe. Si enim judicio rectè utimur in cenſendis probandisq; ſcriptis iis, ex quibus omnia Sapientiæ & eruditionis ſtudia pendent, quis tam infeliciter ſtupidus erit, ut Notas ſupervacuas putet, quibus quid quaque de re judicemus, quo pacto ab alia aliam diſcernamus, & proponamus, & illis ipſis pretia lectionum aſtringamus? Utinam veteribus moribus collapſis, vel ſcriptorum nobis manſiſſet ſalva auctoritas. Utinam hac quoq; collapſâ ſuperſtites ſaltem ſcriptorum de ſcriptoribus cenſuræ eſſent, in quibus amiſſis ſanè immane damnum tempora noſtra patiuntur. Barbari nos ſumus, Linguas, quibus humana & divina Sapientia omnis compoſita eſt, ærumnabili, ut ille ait, labore addiſcere cogimur, cùm ad intelligentiam rerum devenimus, jam in alium omnino Orbem delati videmur neq; hoc alia magis de cauſa, quam quod nullo præeunte nobis ipſis judices ignotarum adhuc ſcriptionum eſſe compellimur. Hæret hic curſus ſtudiorum, atq; ut bonum eligamus unum & ſimplex, innumera ſequiora & legere & diſcere neceſſe habemus. Quæ res in ſtudiorum priſcorum diſciplina longè alia fuit, notatis videlicet iis, quorum probabilis uſus & ratio non erant, laudum titulis contra inſignitis, quibus res præclaræ & ſcientiâ accurratiore dignæ comprehendebantur. Quæ cùm ita ſint, neq; à quoquam cum bono ſenſu ſecùs cenſeri poſſit, nonne optimè & præclarum ingenium tuum & operam diligentem collocâſſe dicendus es, qui ex recentium ſcriptis doces nos compendio eas novas, quibus judicium de quibuslibet ſummorum auctorum locis ſine ulla moleſtia proponere poſſimus? Ut videlicet labore & induſtriâ noſtrâ de omnibus poſteri meliùs & ſtrictius ſentire poſſint, redemto diuturno ſudore per exiguum noſtrum. Scio non defuturos neq; jam deeſſe, qui rem levem futilemq; cenſeant, quicquid hujus elaboraveris, vel in poſterum etiam elaboraturus ſis; verum ii homines neq; harum ſunt litterarum, & humanitatis nomen nomine ſolo præferunt, dum ſtudia liberalia lucro & ambitione metiuntur, re verò ipſâ ſapere nihil aliud poſſunt, quàm quod ab liberalibus litteris alienum eſt, quas non attigerunt

runt

runt ipsi, & ut alii vel non tangant, vel tactas deserant, omnem lapidem pro se singuli & in universum omnes movere non desinunt. Eos ego superciliosos & crudissimæ Eruditionis viros cum magna auctoritatis ipsorum præfatione interrogari abs Te velim (quoniam non minùs dextrum in defendendis, quæ jam docueris, quàm in docendis quæ defendenda arbitreris, Te fore & esse existimo) Ecquid sciant aut fando modo audierint omnem eruditionis summam in monumentis Antiquitatis positam esse? Si concedant hoc, cur ea quàm optima, emendata, illustrata, distincta, judicata, censita quàm diligentissimè, nos legere velle pati nequeunt? cur solos illos, tot vanioribus horum contemtu laudatis, vitilitigant, incessunt, denique exsecrantur, & devovent, qui ad posteros, quantum in ipsis est, fontes omnium doctrinarum limpidiores traducere cupiunt? Cur inutile hoc studium censent, quod litterarium, hoc est circa apices Elementorum pugnans, summâ injuriâ dicunt, çum sine eo ne unam quidem paginam veræ doctrinæ assequi valeant; ad quam juvandam atq; illustrandam quod attinet, sanè summo studio laborandum est, ne lateat posteritatem, modò tam iniquis hominibus ulla restet? Quod si adeò absurdo judicio & ingenio mortales reperiantur, qui negare ausint, quicquid hodiè scimus priscorum nos libris debere; Age illi cum eximio ingenio Viri linguarum principem Hebræam, Græcam conditricem humanarum disciplinarum, Latinam excultricem & traductricem è memoria hominum exstirpent, dedant verò sese deinceps cum vulgo assecIarum suorum aut divinis aut humanis quibuslibet litteris; hîc vero ut in cathedris, suggestis, pulpitis, principumq; adeò ipsorum Dicasteriis, regnent, videbunt certè, si Diis placebit, se satis opulenter de suæ doctrinæ succo instructos.

Vides, Doctissime Meisnere, quò me libelli tui dexteritas deduxerit, qui cùm usum Notarum ad sententias distinguendas & scriptorum pretia digerenda priscis usitatarum, ita illustret, ut in eo genere simile adhuc nihil prodierit uspiam; meritò penitiùs nos ad æstimandas laudes tuas introducere debuit; quæ sanè in hoc non absolvuntur, ut levium Elementorum apices diribant; sed quid nigrum, quid album sit, eò generosiùs & fideliùs perpendere jubent, quò meliùs deinceps judicium nostrum per hæc arguta compendia palàm facere poterimus. Macte ingenio studiorumq; hac tuorum excellentiâ, & tene callem hunc Virtutis egregiæ, quæ no non præsentium modò utilitati, sed futurorum etiam mortalium emolumento desudet, Tibi laus æterna jam decus illud spondet, quod etiam eminus videns facilè Lemurum assultus, facilè Invidiæ Livorem, facilè denique Inscitiam & Impudentiam contemnes, securus in publico hoc Europæ tumultu de tranquillitate morum & animi tuorum, partâ per eas litteras, quarum interior cognitio Te divinis illis animatus quotidianum collocutorem sistit, quæ receptæ

jam DEO, jam multa secula compositæ, monumentis tamen divinorum ingeniorum posteritatem suam suas scientias, ab sese inventas, excultas, & translatas, docere non desinunt; quin quicquid sanctum, sacrum, Justum, salubre, decorum, pulcrum, honestum, utile, denique quicquid ullo nomine commendabile scire mortales Omnipotentia voluit, libris nobis aureolis propinent; quibus ut gratias aliquo modo agamus; age se ducti à Fortuna lubricis & futilibus m... ...ibus, um illis gratissimè conversemur, illis verè candidis, verè probis animabus; cumq; ex longa & quotidiana cum illis collocutione, tot divitiarum & deliciarũ, quot omnium seculorum in litteras redacti thesauri ferunt, compotes & intelligentes facti fuerimus; audeamus & ipsi vestigiis earum insistere; & conscribamus libros semper-victuros, semper memoriam nostri gratam acceptamq; nepotibus præstituros; quorum felicissimos eodem ducamus, & post fata corporum in animis eorum viventes, mereamur & nos quandoq; iis accenseri, quos extra omnem contemtus aleam positos admiramur, & eò pressiùs laudamus, contentiusq; sequimur, quò vecordiore odio ab improbis imperitisq; hominibus incessi eorum memoriam videmus. Huc cùm Te mecum studia nostra communia ducam, jamq; tam nobile & selectum bonæ mentis & ingenii perfelicis pignus, quale hunc tuum libellum merito tuo ipsiusq; laudamus, dederis, turpiùs putes non cepisse, quàm tanto principio defuisse. Livor ipse, sine quo pergere minime poteris, testimonium incomparabile præstantiæ Tibi tuæ dabit, aderitq; laudibus tuis, dum opprimere eas nititur, scilicet ut multis tuæ virtutis hostibus, q... benè agas, ex eo clariùs etiam cognoscas, quòd malis imperitisque integritas & doctrina tua exosæ esse incipiant. Vale, Vir Doctissime, meq; tardæ scriptionis excusa; Salutem plurimam Clarissimo Viro & penitiorum etiam litterarum consulto, Wolgango Seidelio vestro, plenis votis ascribo. Scriptæ Lipsiæ a. d. Cal. April. cIↃ IↃcXXII.

Georgius Remus JC. Eidem.

ADvenit tabellarius hesternâ die sub noctem, Vir Clarissime Doctissime, DN. MEISNERE, qui mihi tuas reddidit, & unà libellos eximios, ex optimis auctoribus collectos, inprimis TULLIO, eloquentiæ Romanæ fonte mananti, laudem magnam meretur hic labor tuus: Teq; omnium favore dignissimum esse, evincunt satis superq; cùm industria tum judicium accuratum ... politumque. Tibi ego, quas agam gratias, vix repperio, & eo magis ... amorem tuum amo ἀέλπτον, quo calidior est affectus in me ignotum & ... tem tuus.

Αὐτόματοι ἀγαθοὶ ἀγαθῶν πρὸς δαῖτας ἴενται.

canit vetus vates. Id Te factitare video. Verùm cautio Tibi esto, ne ea tribuas transcribasq; mihi, quæ me pudor meus agnoscere vetat. Meo me pede metior ac modulo; veneror magnorum Criticorum scripta, eorumq; vestigia tantum non adoro. Fasciculum, quem Ampliss. Senatui inscripsisti, curavi DN. Consuli, uti moris est. Is ad Senatum crastinâ referet, neque aliter potest. Tabellarium frustrà expectare nolui. Responsum sequetur, & quicquid decreverit Senatus, faxo, recipias, muneris, sive munusculi: Boni consules. Et, βάλλ' οὕτως. Perge bonis oscinibus ejuscemodi commatis plura dare. Dn. BARTHIUS hac Panegyri Francofurtensi magnæ & reconditæ eruditionis opus, ac thesaurum dedit in vulgum. μεγάλη αὐτῷ χάρις. Vale quàm bellissimè, Thespiadum ocelle, Phœbi decus, bonarum litterarum columen: Tibiq; persuadeas velim, nil non Tui causâ me velle. Senatui commendabo libellos tuos datâ primâ occasione. Norimbergæ, XIV. Cal. Maji, cIↃIↃcXXIV.

Heinricus Gebhardi JC. Eidem.

UTrasque literulas tuas, Vir Clarissime & Ornatissime, accepi ac munuscula, quæ Illustribus ac Generosissimis Dominis RUTHENIS Junioribus inscripsisti atque misisti Chartacea, ipsarum Generositatibus per amanuensem meum (quandoquidem propter absentiam ipsemet non potui) tradi curavi: Nec dubito, quin ipsis honorifica hæc dedicatio pergrata fuerit. Cæterùm cùm hactenus ab aula nostra ferè semper abfuerint, castra hinc inde ac rem militarem speculantes, in huncusque diem occasio mihi hac de re cum ipsarum Gen. colloquendi penè nulla fuit. Faciam autem etiamnum ac primùm, quod potero, monebóq;, ut gratos se memoresq; exhibeant, sed & meo ipsius nomine pro munusculo mihi tranmisso gratum me propediem experieris. Vale, Dabantur tumultuante calamo. XXII. Decembris Anno M. DC. XXIII.

Casparus Barthius Eidem.

LItteris tuis eâ copiâ responderem quâ soleo Amicis, qui nequaquã tali officio parcus sum, mi optime & amicissime MEISNERE, si tuas res præter esset: Typographorum Francofurtensium operas & Tabellarium vestratem: Quorum illi non pro spisso urgent, si quid à me semel promissi extorserunt. Iste semper priùs ferè abituriit, quàm consedit hic. Mitto tuis ἀντίδωρον, χρύσεια χαλκείων. Quid faciam? Non aliter jam sapiunt Musæ nostræ. In tuis omnia pulcra, præter brevitatem Notarum, quibus cur non tantùm indulsisti, ut ipsæ æquarent librum spatio, & nos tuam clariùs eruditionem conspiceremus? Rescribi à Te exoptem omnem rerum vestrarum statum. Fieri enim facilè potest, ut fasce libro-

librorum uno, qui ad Corpus Poëticum faciunt, quod sequenti æstate, σὺν Θεῷ δ' εἰπεῖν, promulgaturus sum, onustus ad Vos hac hyeme veniam. Quid pretii vita vestra ferat, quid renuet. Hîc omnia cara sunt, ut Euclioncs penè fiamus ex alioquin minimè adstrictis hominibus. Vale & salve. Dominum illum, quem amare Scripta mea ais, meo nomine saluta, quem & aliæ causæ sunt, quibus amem. Raptim Lipsiæ, a. d. X. Sept. cIↄ Iↄc XXIII.

Georgius Remus JC. Eidem.

REdditas non solùm meas esse Tibi, Vir CL. & Doctissime, Dn. MICH. MEISNERE, Amice observande: Verùm etiam à Te salutem amicam nunciavit Mercurius vestras, homo sedulus ac diligens. Ingratas non penitùs meas Tibi accidisse, spero. Apud Amplissimum Senatum hoc quicquid est δωρεδίου ad Te curandi impetravi: Animum verò præ munere magni facies paratissimum, & in Musas benè probeq; affectum. Si quid fortè posthac in rem tuam potero, id lubens efficiam. Det, largiatur nobis, & Germaniæ, communi Patriæ exoptandum omnibus precibus ac votis bonum, PACEM JEHOVA DEUS, Arbiter & Sequester pacis atque belli! Annonæ tunc quoque copia facilior fuerit, ubi arma ponent, qui hodie triumphant. Exardescere vero bellum in Pannoniis, fama est constans. Nos exambire suspiriis ac gemitibus flagrantissimis à DOMINO non desinemus Pacem, uti bonæ deæ à nobis exc[illegible] possint. Vale quàm felicissimè, ac porrò protolle Musarum pomæria, o[illegible] nisu ac conatu. Norimb. VI. Cal. Maji, cIↄ Iↄc XXIV.

D. Michael Reudenius Eidem.

VAldè desidero complementum tui libri, ut eum quibusdam literatis ostendam: Trades itaque meo Genero, qui quamqrimum huc mittet. Princeps noster est Doctorum Virorum amantissimus: At hæc tempora, quæ in[illegible]tos penè belli sumtus postulant, faciunt, ut ipsi minùs erga eos liceat esse libe[illegible] Ac ferè locum habet illud Nasonis:

Nunc hederæ sine honore jacent, operataq; doctis
Cura vigil Musis nomen inertis habet.

Nam dominantur milites ob Rebellium colluviem iterum adsultantem, non[illegible]mis tamen metuendam, si conjunctio animorum & virium cum Saxoniæ Electore continuetur, si etiam subditi sint pacati, qui ob monetam depravatam [illegible] multum minantur, atque dissidiorum civilium fomitem alunt. Reverend[illegible] Domino D. Förnero Suffraganeo tuum studium egregiè probatur. Si Gymnasium nostrum adhuc in priori esset statu, quo artes professi fuerunt Seculares,

sicut

fixam Tibi spondere in eo sedem. Verùm hoc tempore totum Regimen commissum est Reverendis Patribus Societatis Jesu, qui nullum admittunt, nisi sacris suis initiatum: An semper bono Studiosorum, alii judicent. Raderos, Schottos, Pontanos, Scribanios hîc nondum vidi. Tu verò mitte unum & alterum exemplar libri: Non dubito, quin occasio se sit oblatura, quò è pulvere scholastico, & squalore emergas, atq; superatâ invidiâ, præmia consequaris, quæ tua eruditio meretur. Vale Bambergæ XX. Aprilis Anno 1622.

J. Seussius Eidem.

CLarissime atq; Doctissime Vir, Amice dilectissime, Strenas tuas, sic enim Doctissimos libellos nomino, rectè accepi, pro iisq; magnas ago gratias. Non tamen mihi fuere hi tui libelli ignoti, quippe mihi jamdudum à Nobilissimo Domino BARTHIO, filii instar dilectissimo, quo hoc tempore Germania non habet doctiorem, donati. Utinam Tibi pro hoc tuo in me affectu multum commodare atq; gratificari possem. Sed vides, in quæ tempora miseræ nostræ Musæ inciderunt? approbationem autem meam, si qua est in me, requiris de tuis doctissimis opusculis. En habe:

Quod de Meisnero CASPARUS BARTHIUS olim.
Judicium scripsit Indiciumq́, tulit;
Approbet hoc etiam cur non quoque Seussius? ARA
Quod THUS SUB PRISCA, Barthius ipse probat.

Repono pro tuis Strenis Musas meas inclusas, atque ad omnem tuam voluntatem, me Tibi totum offero. B. V. atque S. Vir Clarissime. Scripsi Dresdæ XIX. Januarii Anni cIↃ IↃcXXV.

D. Michaël Reudenius Eidem.

OPtimè consuleres studiis & famæ tuis, Eruditissime MEISNERE, mihiq; amicissime, si Lipsianum Stylum non solum phrasi, quod bono cum successu facis, exprimeres, sed etiam istius admirandi Viri imitanda proponeres divinam mentem, & egregia facta. Cur enim diutiùs pateris cineribus obrutum latere ignem, qui in flammam adsurgere, coruscare, & fulgore invidiorum oculos perstringere dignus est? Pulvere quotidie inquinari scholastico, pedorem devorare puerorum, includi ergastulo, ubi (ignosce liberæ loquutioni)

Nec toga nec focus est, nec tutus cimice lectus,

quis nisi terræ filius, aut vile mancipium æquo animo sustineat? Versentur, & consenescant in tali vitæ & laborum genere ii, qui capita erigere altiùs à mediocritate sui ingenii vel supinitate prohibentur. Tibi natura dotes largita est eximias,

mias, & invidendas, quas curâ auxilii magno fœnore, ut nisi eas dispergas larga manu in eruditorum orbem, nec satis gratus sis DEO, a cujus benignitate profluxerunt; nec sufficienter inservias proximo, qui tali um indigus.

Syntagma tuum nimis gratum fuit Reverendiss mo & Excellentissimo D. D. FRIDERICO FORNERO, Suffraganeo, atq; Clarissimo JCto BARTHOLOMÆO MAHLERO, exquisitiorem quoq; literaturam docto: Cujus filius egregius juvenis nuper è peregrinatione reversus est domum, ab ERYCIO PUTEANO insigni testimonio commendatus, in cujus aliquandiu vixit conturbenio Lovanii.

Perge igitur obsibilantium vocum remoram perrumpere, & candidatis, ac iis, qui supra vulgum, principibus Viris placere, atq; confide non tantum de fama honesta, verùm quoque de Patronis. Quamprimum se dabit occasio, exemplar tradam Reverendissimo Domino THOMÆ Abbati, Monasterii PANTZ, Religionis D. Benedicti, qui talibus quoque studiis amœnioribus solet dare aliquas horas, iisq; suaviter temperare ordinis sacri rigorem. Exhibui quoque Societatis Jesu Patribus, qui gratias habent, mallentq; teipsum videre & alloqui.

Censura, quam paginâ 105. egisti, Te supersedere potuisse censet nemo homo, cùm heterogenea sit, & neque ad complementum, neque ornatum libri aliquid momenti adferat, id quod veniâ tuâ dixero. Nôsti in libera Republica, qualis est literaria, liberas oportere esse linguas.

Vale; & ansam respondendi, si placet, arripe quam primùm. Bambergæ X. Julii M. DC. XXII.

Augustus Buchnerus Eidem.

PRo gemino munere, Doctissime MEISNERE, geminas Tibi ago gratias, id est, magnas. Et quidni agerem, quum non modò voluptatem singularem, sed & mille fructus lecturo se allaturum promittebat? Sanè tres quatuor paginæ leviter saltim mihi inspectæ nil nisi rarum, exquisitum, doctum spirabant. Ut de paucis illis totius operis ingenium haberem cognoscere. Quod nemo legat, quin se doctiorem fieri lubens fateatur. Jam quid gratius, quid jucundius mihi contingere poterat, quam vel SCALIGERO disputanti interesse, vel BARTHIUM audire disserentem? Quorum alterum admiror unice, alterum verò amo. Et profectò ipsa novitas quem non moretur atque allicit? Quare gratias Tibi meritò ago pro isto munere, & magnas quidem, quod exquisitum penitùs ac selectum. Ἀντίδωρον jam aliud non habebam præter Panegyricum meum: Eum igitur mitto; tum ut legas, tum etiam ut censeas. Alterum exemplar

plæ ad illum, cui inscriptum est, rectè curabis: Simulq; eum officiosissimè à me salutabis: Sed etiam me excusabis, quòd non addiderim literas, quod pervolebam certè: Sed negotia non permittebant, & tabellarius quoque valdè properabat. Interim hoc sibi certò persuadeat, velim, me ejus & amatorem esse ingenuum & cultorem virtuti & eruditioni ejus semper devotum. Præfestinò Witebergæ ad d. 11. Maji Anno clɔ Iɔc XXII.

J. Celdus Corbonarius Eidem.

TUas accepi, negligentiæ accusantes me, & mutatum quasi insanum quantum ab illo ante Nuptiarum vincula. Vellem parciùs. Verùm audi, quod verum est. Non ita assiduus ego in vallibus muliebribus sum, ut hinc planè desertum eam vestros Montes. MUSAS dico, quas perquàm adhuc placere ut videas; ecce nomenclaturam hîc habe Sponsarum mearum domum non ita dudum deductarum.

Atque utinam tuam quoq; Sponsam (cujus tamen Tu ipse Pater es) CICERONIS RITUS brevi videre nobis fit, nostris jam nominatis adjungendam & suaviter suaviandam. Video verò, Tibi magis seriæ aliàs rei hos Ritus & Flores magno delectu decerptos colligi, tantum τεκμήριον tui etiam in hanc Virginem amoris, quàm illi μέγα πνέοντες non amant, sed vitiant, CICERONIANI tamen, monstroso vocabulo dici affectantes. Sed vos Ciceronipetas. Ciceronicolas, Tulliastros, Ciceroniastros! Tantum abest, ut veri amoris fructum fruamini, id est, ut succum & sanguinem ab illa Musa ducatis, ut ne veros colores & Veneres in illa amari dignas unquam dijudicare habeatis. Tu verò ingenii tui flammam, quam adeò rutilantem novimus, ut exstinguas eam potiùs quàm compescas, nobis laxare perge, & latos & lætos Authorum campos pervagatus, quas rariores Veneres curioso mentis oculo elegans formarum spectator Tibi notâsti, in totius orbis theatrum producere ne fuge, securus quotidianarum formarum constupratorum, & spurcitiei strenuè litantium. O vos Speculatores! ubi statis? Histrioniam exercetis, & personas sumitis, quas nimis indecorè sustinetis. Sicnè oportet extra ordinem censendos in ordinem cogere, imò extra omnem penè ordinem projicere, & in numero ponere, qui excerpi omnino merentur! O tempora! ô mores!

Interea Tu benè compositæ mentis & verè Musici hominis signum edis, dum vel quovis Terrarum eligis vivere, quàm rixis & turbis misceri. Macte hac modestiâ. Hæc enim illa est, quam Philosophia nobis imperat, & omni Philosophiâ augustior cœlestis disciplinæ autoritas, quæ tali Sacramento milites suos consignavit, ut Patientiâ armati quotidie cum hostibus suis experiantur. Generosos

rosos etiam milites sic imitari videris, qui non gementes Imperatorem sequuntur, & suis viribus freti eundem intrepidè ita alloquuntur: Quocunq; transcripseris Imperator, eò & pareo, daturus operam, ut vel imum ordinem honestem. Sed Tu strenuè perge, laboris tui Musici fructum certè laturus. Quem illum? Placebis melioribus, & queis CORCULIS esse datum est. &c.

Joh. Weitzius Eidem.

CLarissime & Præstantissime Domine MEISNERE, Fautor & Amice plurimùm honorande! Quid quæso, me esse hominis existimas, qui tam humanè & benignè à Te provocatus tam serò ad hoc scomma scriptionis mutuæ pertrahi me patior? Noli sinistri aliquid suspicari, quasi hoc factum tui contemptu sit? abominor enim & detestor medullitus hoc in humanum vitium; atq; [illegible] vel ad nutum alterius mihi calamus in manu. Et Te, adeò mei amantem, a[illegible] candoris nivei Virum, insuper habeam, nec responso digner amicabili? A[illegible] Verùm si ἐχεμυθίας veram vis causam, ingenuè dabo. Cùm raro huc tab[illegible] à Vobis commeent, per quos tutò rescribere potuissem; distuli responsum meum, & quidem distuli invitus, ob tantum temporis intervallum. Et quanquam Marcardus semel atque iterum mihi aures vellicavit, & ad scribendum impulit, quasi commodè meæ ad Te literæ Sleusingâ perferri queant: tamen n[illegible] longæ mihi istæ sunt ambages visæ. Monui interim discipulos meos, WALDE[illegible] FELSIOS, ut, si à matre advolaret Pegasus, me monerent. Ideoq; h[illegible] Lichtenbergâ accipies, nisi animi fallor. Si Tibi notitia intercedit cum Bibliopola Erfurtensium, Joh. Bircnero; per illum rectissimè mutuæ nostræ com[illegible] possent. Si vero commodiorem & compendiosiorem nôsti rationem, [illegible] mihi velim à Te monstrari; & faxo, ut nihil jure in me desiderare possis. [illegible] GEMMULIS verò tuis & COROLLIS quid sentiam, quæris? Mi MEISNERE, palpo Te non percutiam. Estné Tibi notum Glyceræ C[illegible] nomen? Illa, in conficiendis sertis & coronis, eâ fuit arte & industriâ, ut [illegible] Pausias pictor de variandis coloribus certamen instituerit. Nihil [illegible] tuam odoratam messem, quam plena falce ex uberrimo CICERONIS [illegible]rio demessuisti. Quid etiam? Dum micantissimos & fragrantissimos [illegible] sculos collegisti, non tibi Lauream, quernam, æsculeam, gramineam, [illegible] frondeam & virescentem, sed immarcessibilem & æternam coronam tex[illegible] ut veteris legis XII. Tabb. elogium meritissimè Tibi competat:

QUI CORONAM PARIT IPSE, VIRTUTIS
ERGO ARGUITUR.

Me verò quod tam amicè publicè compellâsti, ecquas Tibi gratias dicam, habeam

beam, ac referam? Nullas ſat poſſum. Itaque voto obſignabo: DEUS Tibi benedicat & faciat, & ſuâ copiâ meam ſarciat tenuitatem & εὐδαιμονία, adeoque longævitatem donet atq, indulgeat, meiq; amorem florentem conſervet! Gothæ ἐν ἡμέρᾳ ἀναστάσεως τοῦ Χριστοῦ σωτῆρος, Anno cIↃIↃcXXIV.

Matt. Berneggerus Mich. Virdungo.

SAlve plurimum, *Vir Excellentiſſime, Fautor obſervande!* Cùm anno ſuperiore in Auſtriam patriam meam iter adornâſſem, ſupremum valedicturus parentibus meis prope octuagenariis, omninò conſtitueram in reditu cùm alias urbes celebriores, anteà non viſas, inviſere: Tùm præcipuè Noribergam, & quæ mihi Noribergâ major eſt, Altdorphium veſtrum adire, teq;, quem vel non viſum colo, ſuſpicio & admiror, coràm complecti. Verum hoc totum conſilium meum, etſi ſcholarcharum ſuffragio jam comprobatum, interverterunt mei collegæ, dum novo me munere in hunc annum onerârunt potiùs quàm honorârunt. Quanquam ut æquiori animo domi manerem, fecit Bohemicum incendium ſub id temporis exortum, quod vicinam etiam Auſtriam correpturum dicebatur. Hæc eò commemoro, Vir Clariſſime, ut cauſam perſpicias, ob quam tuis literis ad exitum Martii, ſuperiore anno redditis, nihil tùm reſponderim, viva ipſe epiſtola futurus. Duo fuerunt illarum capita, quæ nunc quoq; repetis. De utroq; ſic accipe: Galenicum in mea Bibliothecula, quod ſit ἀνέκδοτον, nihil eſſe. Emi abhinc biennio bibliothecam D. Iſraëlis Spachii, quæ quondam fuit Ludovici Rochefortii, Medici & Conſiliarii Ducis Sabaudiæ, in qua rara multa: Ex manuſcriptis veteribus mathematica & hiſtorica, nihil medicum, præter pauca quædam Hippocratis, vetuſtate pænè conſumta, & lectu difficilia, quæ typographo cuidam Genevenſi, qui meditatus editionem Hippocratis, donavi. Quòd exemplaria noſtri Agricolæ nondum exhibita, ex eo diſce mecum, quod quidem haud dubiè jam ante nôſti, pænè totam, atq; adeò planè totam bibliopolarum & typographorum nationem eſſe nequeam. Cum Heidenio darem excudendum commentarium tuum, pactus ſum & honorarium & exemplarium certum numerum, promiſit utrumq; illud cum conditione, ſi feliciter diſtrahat librum, hoc etiam ſine conditione. Cum ex mercatu Francofurtano rediiſſet, & de redditis exemplaribus inquirerem, quibus literas etiam adjunxi, neminem è veſtratibus, cui daret, adfuiſſe dixit. Monitus deinde tuis literis, cùm denuò rem urgerem, vix 20. aut ad ſummum 30. exemplaria divendere ſe potuiſſe reſpondit, & ob acceptum ex hoc libro damnum quicquam ſe daturum negavit: Imò niſi mihi civi ſuo parceret, apud Magiſtratum de refundendis ſumtibus poſtulaturum fuiſſe. Quid facerem? ne mea, quam interpoſui, fides periclitaretur, offero pecuniam

redimendis exemplaribus viginti: Hæc deniq; dat (& nunc mitto) sed [illegible] accipit, credo pudore non servandi pacti adductus. Cum in fine [illegible] addidissem, velle me omnia quæ adhuc habeat exemplaria, eo pretio quo [illegible] penderit, ab ipso redimere, & postea mutatâ libri facie, ac nonnullis [illegible] calcem, cum vendibiliorem reddere, aliiq; bibliopolæ committere, noluit. [illegible] quo ipso, ut & aliis argumentis, mendacium esse conjicio, quod de [illegible] no queritur, eludendi pacti causâ confictum. Quæso tamen, inquire [illegible] bibliopolas an ita sit. Nostri enim ita conspirant, ut eorum opera mihi [illegible] possim. Etsi meum, hominis obscuri scriptum non expeti facilè perspi[illegible] Tamen quia tuum nomen in omni regno literario clarissimum est, libr[illegible] ejusq; beneficio meam appendicem sic abjectam & invendibilem jacere [illegible] persuadere nullo modo possum. De bibliotheca Dasypodii quod [illegible] alteris tuis, eam annis ab hinc quinq; vel quod excurrit, cum floren[illegible] batam curiosâ ac pænè dixerim furace scioli cujusdam manu, quæ mihi [illegible] inscitiâ potiùs quàm incuriâ intactam reliquit nobilissimam partem, scilicet MSS. Græca, ex quibus pleraq; ἀνέκδοτα: Quorum editionem adornâssem, si [illegible] animo votoq; destinâram, studio mathematico, quod inde à puero me [illegible] ultrà vacare licuisset. Nunc præter expectationem, ac fortassis etiam [illegible] Minervâ, ad Professionem historicam admotus, admodum raro mihi licet ad [illegible] simas illas Musas oculos retorquere. Jubilæum Argentoratensis Acad[illegible] in eo meam qualemcunq; oratiunculam fortè vidisti. Contra Jesuitæ Mol[illegible] mensis Academiæ vicinæ, ut est solitum inter accolas odium, duo virul[illegible] pta dederunt in lucem, quorum in priore nomini meo parcunt: In altera [illegible] me Satyricum, Sycophantam, Calumniatorem vocant, qui Papæ re[illegible] dibus coaluisse dixerim. Etsi verò hæc talia fortiter contemno, præ[illegible] ne verbo quidem vel mihi vel aliis errorem demonstrent: Tamen & a[illegible] rogatu, & superiorum prope jussu tacere vetor. Itaq; pontificiarum [illegible] unicum specimen, hoc est, è mari guttam daturus, cœpi refutare quæ & Bar[illegible] in Annalibus & Turrianus peculiari contrà Vergerium libello, & T[illegible] deniq; in historia Lauretanâ, omnes Jesuitæ pro Idolo Lauretano [illegible] produxerunt. Si quid habes, quod huic argumento serviat, ut [illegible] summe, communicare digneris, obnixè rogo. Red maturato opus est. [illegible] valeo (nam & hoc scire cupis) mediocriter. Teq; optimè & R[illegible] superstitem esse animitus opto. Dabam Argentorati A. D. 1619. 8. Jan.

Idem

Idem Eidem.

EXcell. Virdunge: Fiducia benevolentiæ in me tuæ, pluribus experimentis mihi perspectissimæ, commendo tibi, qui has exhibet, Dn. Gabrielem Haasium, Argentoratensem, Phil. Magistrum, olim discipulum meum & in classe nostra suprema, & privatis in collegiis: Nunc amicum percharum. Patrem habuit ex ordine Quindecimvirali, magnæ apud nos autoritatis. Ipse magno studiorum amore tenetur, quæ non potest, pro eo ac cupit, inter suos ac in his amicorum, temporis furum, interpellationibus tractare: Itaq; secessum quærit in vestrâ Academiâ celeberrimâ; præcipueq; Tibi, quem & publicâ famæ voce, & meo præconio tantoperè commendari toties audivit, innotescere cupit. Sine quæso, ei patére summæ doctrinæ tuæ fontes, & quod quidem citrà incommodum tuum fiat, ope consilioq; studia ejus juva & dirige, adeoq; præsta, ut sibi meam commendationem profuisse sentiat. Pluribus hæc rogarem, nisi de promtitudine tuâ in promovendâ studiosâ juventute mihi constaret optimè: Nec etiam inopia temporis prolixiorem epistolam scribere sinit. Bohemicum incendium, quod vicinam etiam Austriam patriam meam corripuit, ut primum fuerit restinctum, constitui (quod & antehac scripsisse puto) meos invisere, & in reditu te invisere; ut, quem absentem colo suscipioq;, præsenti quoque veneratione complecti queam. Deus Te, summum virum, Reip. literariæ bono, diutissimè salvum florentemq; servet, V. Deproperabam Argent. 3. April. 1620.

Idem Eidem.

SUb mercatorum vestratium è nundinis nostris abitum aliquammultas ad varios epistolas scripsi: Tuam autem humanissimam, in Thermis Würtenbergicis, præsente tum Grutero, redditam, in finem usq; rejeci, ut aliis scriptionibus defunctus, prolixius ad eam respondere & animum amore tui prorsus æstuantem in verborum liberiora spiracula solvere possem, sed res contrà vertit. Nam cunctatione nimiâ & avocamentis quibusdam est factum, ut vix hæc pauca deproperare licuerit. Irritâsti prorsus aviditatem meam injectâ mentione orationis tuæ de Idololatria Nov-antiqua, ut non possim conquiescere quin habeam. Itaq; summoperè rogo, ut eam, quantocunq; pretio, à me bonâ fide reddendo, alicunde erutam aut mittas, aut certè describendam cures. De commentario in Agricolam bono animo esse te jubeo, apud bonæ fidei depositarium est. Ut primum hi sævi & rei cumprimis literariæ infelici venti ponent, saxo, si vixero, ut lucem aspiciat. Quam in rem officina Riheliana jam promisit operam suam. Ad priorem enim illum typographum, in quem olim malâ quadam fortunâ incidimus,

cidimus, hominem nihili, redire non placet. Vale, Vir summe, & me tuum [illegible], qui & ipse ab usu thermarum sic satis valeo, porrò, quod facis, ama. Arg[illegible] 13. Jul. 1626.

Idem Eidem.

S. P. D. *Vir summe, Fautor & Amice honoratissime.* Sub finem Julii prox[illegible] literas tuas accepi, quibus Agricolam tuum repetis. Eum nunc de[illegible], quod nulla prius occasio exciterit, ecce mitto. Facerem id perinvitus, si [illegible] esset ulla spes propediem rediturae pacis, ad quam bibliopola me semper r[illegible]. Si isthic inventus fuerit qui excudat, mihi vel potius Reip. literariae vehem[illegible] gratulabor de tàm eximio opere, cujus precium ex comparatione n[illegible] meorum aestimare magis disco: Quae ipsa tamen audeo subjicere oculis [illegible], [illegible] facturus, si magis judicii tui, quo vales acerrimo, metuerem severitate[illegible] de benevolentia & aequanimitate confiderem. Addidi quae desunt ad e[illegible] pridem Excell. D. Hofmanno misisse memini. Eum ex me, quaeso, perof[illegible] saluta, & porrò quod facis, ama semper - tuum Berneggerum. Scr. Arg[illegible] τοίχοις 12. Sept. 1631.

P. S. De publicis scribere tutum satis non est. Utrumq; benè, ut ho[illegible] rum statu, nobiscum agitur: Etsi scimus, famam in majus omnia extollen[illegible] longinquo de exitio nostro mentitam. A vicino Lotharingo aliquid p[illegible] imminebat: Sed jam, nescio qua causa, paratus iste omnis in ventos abit.

Joannes Heringius, Oldenburgô-Phrysius, Eidem.

Epistola tua, *Vir Clarissime*, gratissima mihi fuit precioq; numario cario[illegible] geq; suavius accidit, quod inter doctorum chartulas & hanc amicam [illegible] mentemq; reperio. Hortaris ad Honoris, Diligentiae ac Modestiae [illegible] fideliter, quibus omnibus Tu litâsti maximè: Ultimae in primis virtuti, [illegible] ab hisce non tàm meis quàm aliorum dehortaris laudibus. Inge[illegible] ac c[illegible] id semper in ore moreq; habere solent, ut, ex Fabii dicto, *erubescant et[illegible] ab aliis laudantur.* Sed quicquid factum, certè fictum nihil adhuc opino[illegible] quidem modestiae velo obtegere solemus ea, quae à summis in doctrina V[illegible] perioribus aut aequalibus attribuuntur; sed inscius sum an ea, quae ab in[illegible] scientiaeq; adhuc avidis? Liberiore igitur inposterum jure tecum (qu[illegible] non vis) agam ac parciore. Siquidem dicente Euripide,

- - πῶς ἂν σ' ἀπαινέσαιμι μὴ λίαν λόγοις
Μητ' ἐνδεῶς, μητ' ἀπολέσαιμι τὴν χάριν.

[illegible]

Αἰνούμενοι γὰρ οἱ 'γαθοί. Τρόπον τινὰ
Μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἐὰν αἰνῶσ' ἄγαν.

Venerari igitur, ac amare pergam, quod satis. Ceterum his diebus præsentem J. P. Parei libellum Nobiliss. Dn. Remus legendum transmisit. Paucula legi, sed quoniam *ad Senatum Criticum Provocatio* est, cujus tu non minima pars es, censui negotium illud judicio tuo committendum. Volui tamen nec id sine responsione ad priores literas. Video Tibi placere, quod à vegeto animi corporisq; robore *Frisii* dicti sint quasi Frisch. Sed vereor, ne allusio magis sit, quàm originatio. Placet tamen, quod eos ex tractu Orientis Septentrionali in hæc loca, cum ceteris Teutoniæ populis venisse, autumas. Jam verò constat, *Mysas*, *Phrygum accolas*, seu finitimos unà quoq; emigrâsse; & nunc *Misniam* incolere, Saxonicè Myssen dictam. Prætereà, nec id obscurum, Borealibus sive Septentrionalibus gentibus plurimùm accidisse ut origines suas ignorârint, teste *Strabone l. 4.* Quare rei veritatem magis sequendam esse, & hos similiter nomen regionemq; mutâsse, credendum. Retinerem itaq; ob alias quoq; rationes libenter meam (salvo si posset fieri aliorum judicio) deductionem à *Phrygibus*; effœminatos quos quidem appellas. Sed nec hoc obstat: Scimus enim à quibus præter alias gentes, famosissimi Romani originem deduxerint, longè confusiorem; à pastoribus, militibus, nebulonibus, vilissimisq; ac promiscua hominum colluvie. *Florus* etiam *lib. 1. c. 1.* addocet, & *transmarinos* tunc *Phryges* adfluxisse. Sine dubio reliqui aliò. Qui quoq; volunt *duplicem* esse *Phrygiam*, ut sic istud de alterutrâ tantùm intelligatur. Ultimò & simile aliquid confirmat. *Reinerus* enim ille *Reineccius in Comment. de Saxon. Origin. p. 6. & 7.* indicat, hæc nomina: *Saca, Saxa, Saxones, Sassones*, eadem esse, gentemq; eandem. Et quem latet, ait, vocabulum idem dissimilibus non modò populorum, sed & autorum prolationibus, & Scriptionibus variari? quem latet sæpenumerò accidisse, ut gens una in regionibus diversis consederit? v. g. *Daa, Dai, Davi, Daci, Dauciones, DANI.* Item, *Suevi, Suebi, Suobeni, Sueones, SUECI, Suedi, Sitones, Suitones*, & similia, re & veritate sub eandem derivationem cadere; pluribus idem addit. At quæ non solum enunciationis, sed & sedium diversitas? Quibus cum aliis à me adductis fundamentis consideratis, constare adhuc puto adsertionem meam: *Phrysios à Phrygibus deduci posse.* Similem quoq; variationem in adpellatione montis *Vesuvii* factam docuisti ad Florum; & quoq; in nominibus *Parthorum Regum* monstrat *J. Lipsius ad lib. 2. Annal. Taciti pag. 78. 79.* qui etiam *lib. 13. Annal.* meminit *Phrysiorum ducis* cujusdam, nomine *Bojocalus.* Quod etiamnum corruptè populares mei retinent: Et sine dubio est Bojock nostrû contractum Boicke. Hinc nomen adhuc frequens Hait Boickel/

Latinè. *Hajo Bojocalus*. Sed, his omissis, aliud subvenit, ut quoniam cum Teutonica gente hæc simul erupit, Germanico-Saxonicum forte sit illud: Fry isset Land/ h. e. Frey ist das Land/ contractè Friesland/ quasi Fry/ oder Freyland/ quod *libera* sit *terra* vel natio, proprioq; utatur jure, ac libertate, præ reliquis insigni; sicut aliàs *Franci*, die Freyen Franken/ à Frey aut Fry & Ank quasi Fryank. *C. Becmanno* derivante *de Orig. L. L.* quod adhuc etiam apud Saxones in proverbium abiit: Einem Frey oder Frank etwas verkauffen/ liefern &c. Hæc ego volui, amore Patriæ. Nisi enim velociter, recentiori adhuc velo, revocaverimus originem horum per diligentem indagationem, eveniet, *ut nec ipsam ulterius antiquorum nominum habeamus veritatem*, dicente Imp. in Novell. 15 pr. *& nesciamus quemadmodum in aliam nomen translatum sit adpellationem ac originem*, eod. in simili contestante *Nov. 14. 13*. Venio ad alteram epistolæ partem, in qua medicum istum *Timochatem*, Regis Pyrrhi & *servum* & *amicum* simul fuisse gravatè accipis. Putarem adhuc eum in amicitiæ ac còtidianæ conversationis jura susceptum fuisse, ut hac occasione ductus faciliùs dominum prodere, ac venenum præbere potuerit, quando tàm frequentem sui copiam faceret. Deinde videtur hoc etiam probare locus, à me tùm adductus ex *Taciti l. 4.* Annal. *Sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac medicus Liviæ*. Jam verò constat, medicos in famulitio fuisse. Sic *Cic. in Orat. pro Dejotaro*, Philippum vocat *medicum*, & simul *servum regium*; quem adeò dignatus est, ut cum leg[illegible] unà mitteret. Hinc etiam *Suetonius in Calig. c. 8.* ex Augusti epistola: *Misi prætereà cum eo ex servis meis medicum*. Adde *Symm. l. 2. ep. 18. Plin. l. 10. ep. 4. & 22.* Quanquam hanc amicitiam non intimam, vel ita strictè è Philosophorum doctrina, sed infimam & communiori vel latiori explicem significatio[illegible], pro amica ac cotidiana conversatione, συμβιῶσι ac frequenti fideliq; usu. H[illegible] boni consulas, rogo. Eò enim spectant, ut videas me, ex Platonis præscri[illegible] libenter esse velle φιλομαθῆν, & acquirere φιλήκοον atq; ζητητικὸν ingenium. [illegible] Musæo 27. Novembr. Anno 1620.

Jo. Fred. Gronovius Eidem.

S. P. *Clarissime & Consultissime Vir, Domine observande:* Vellem, ut v[illegible] cum anno veteri finiri etiam cessationem Tuam in eruditissimis litteris T[illegible] mecum communicandis, utq; meam erga Te observantiam, ita Tuum in me Favorem Amoremq; renovari hoc imminente; quam Tibi ego Tuisq, optimo Reipub. Litterariæ ac Tuorum, quæ felicissimum decurrere precor. Tu verò fortassis strenam à me expectabas: Et cœperam deplere Permessidos undam, [illegible] nec secessus & otium mihi, nec ea animi alacritas, quam ad largos illius haustus requiri

requiri ajunt & experimur quotidiè. Ejus vicem ecce Tibi hic *Petri Scriverii* ad Dn. Procancellarium Carmen, in quo vir optimus & Doctissimus honoram Tui facit mentionem, contra morem quorundam Lucumonum, qui ex solo aëris tractu æstimare ingenia præsumserunt. Fruere, Amice Magne, in hac rerum omnium turba, honestissima Virtutis Famæq; Tuæ contemplatione, & ingravescentem venerandam ætatem Tuam conscientiæ sanctitate, quando Litterarum æstimia quot horis vilescere magis pergunt, sustenta. Valdè scire velim, quid *Antestari* sit in Pœnulo:

POE. *Ite in jus, ne moramini.* AN. *antestare me, atq; duce.*
AG. *Ego te antestabor. Postea hanc amabo, atq; amplexabo.*

Item apud Cajum *lib. I. Instit. tit. VI.* §. 3. ubi ait mancipationem fieri solitam, *præsentibus quinq; testibus, Libripende, & Antestato*. Nam Interpretes mihi hic non videntur satisfacere, & longè aliter utitur Horatius, *licet antestari*, vulgoq; explicant JCti. Exspecto etiam judicium tuum de diversitate lection. MSti Augustini. Salve, *Vir Magne*, & amorem nostri persevera. Dab. Norib. IV. Non. Januar. A. C. cIↃ IↃcXXXIII.

Idem Eidem.

CLarissime & Consultissime Vir, Domine & Amice observande: Valetudinem Tuam mutâsse ex animo lætor, (nam in prioribus Tuis ab ea officia Tua aliquantulum inhiberi querebare) utq; imitari desinat perfidorum hostium astus, qui paululum recedunt, ut ex intervallo impetu sæviore adoriantur, Deum Opt. Max. oro. Clemens ille Schleichius, cujus mentionem injeceram, Typographus alias sat celebris Hanoviæ, Francofurti, Lipsiæ est, qui Barthii Adversaria, Gebhardi Crepundia & Catullum &c. excudit, aliaq; multa, quibus Humanitatis studiis Viri docti consultum ierunt. Nec dubito, nisi res ejus per nuperam Saxoniæ populationem attenuatæ sint, facilè in se sumptus & laborem editionis eum recepturum. De cæteris quid agas, Tui est arbitrii: Velim tamen publici boni causa accelerare Te tanto monumento litteratum orbem juvare, ne, quod tamen abominor, si quid humanitus tecum fiat, nos isto thesauro defraudaremur. Scis enim quid multis aliis acciderit, tum præcipuè olim collegæ Tuo Piccarto: In cujus hæreditatem quibus est administratio permissa, nihil pensi, ducunt, juvari Rempubl. si id fiat operâ & ex fama hominis. * * Cætera quæ sparguntur, incerta, nec digna, quibus charta maculetur. Salve & vale, Virorum & Amicorum meorum Maxime Noribergæ, ὡς τάχιστα XI. Calend. Febr. Anno cIↃ IↃcXXXIII.

Idem Eidem.

CLarissime, Excellentissime Domine: Mitto huc tandem promissi fidem serius opinione explens, hanc Rutgersii Variarum lectionum libros. Ignoscat Humanitas Tua culpæ, non meæ sed ministri Academiæ, seu Pedelli cui compingendos dederam. Is hosterno vespere demum, quæ ipsius fuit negligentia reddidit. Dum explico locum illum Juvenalis qui *lib. III. c. XV.* enodatur errore lectione incido in *caput* præcedens *XIV.* Ubi aliter rectius mihi de *Tertulliani* loco sentire videor; *Cæteri quoq; ejus ornatus, quid non aliud ex alio mutant? & montium scapulæ decurrendo & fontium venæ ebullando, & fluminum viæ obumbrando.* Ultimum corrigit Rutgersius in *ebombilando.* Quod ego quidem verbum nusquam legi, nisi in *Philomela*, Ovidio adscripta, ubi *apes bombilare* dicuntur; pro quo tamen *Gifanio* placet, *bombitare.* Verùm, est adhuc aliud vitium Tertulliani: Quid enim, *scapulæ montium decurrendo?* An montes liquidi sunt, ut decurrant? Nec adeò frequens, montes labascere, nisi terræ motu concussas. Lego igitur, suum in locum quodq; transponens: *Et montium scapulæ obumbrando, * * * * & fluminum viæ decurrendo.* Agit, ut ipse Rutgersius indicat, de vicissitudinibus rerum humanarum, sibi invicem succedentium, & se mutantium. Igitur montes obumbrationem mutant, pro solis nempe cursu, modò hanc modò illam montis partem telis suis incessentis, quæ tùm umbras gignit. Omnia puto clara. *Statii* locus adsinis *lib. I.* in oratione legati ad Eteoclem:

- - *astriferum velox jam circulus orbem*
Torsit, & amissæ redierunt montibus umbræ.

Bernartius: *Manifesta corruptio: quid enim umbræ in montibus?* L. ex Lipsii libro, *redierant vallibus umbræ.* Atqui Statius non dicit umbras in montibus, sed quia montes de se spargunt umbras, cur non umbræ illis rediisse dicantur, quas scilicet de se spargant, non in se habeant? Ut qui syrmate, vel ejus generis vestitu dependulo solum verrit, illud habere dicitur; cùm tamen terram id tegat: Ita montes umbram habere dicantur. Atque ut ubi abest syrmate vestitus, ibi nulla terræ opertio: Ita ubi abest mons, nec umbra est, nempe quæ monti adhæret. Hæc occasione emendationis Rutgersianæ. Quæ si tuæ Clariss. Excell. placuerunt, magis ego in hoc judicio triumfabo, quam Rutgersius in Polyandri æstimio: Sin minùs, à T. Exc. aliter erudiri gloriæ mihi ducam. In musæo. Postrid. Cal. April. Anno cIↃ IↃcXXXI.

Idem

Idem Eidem.

SAlve, *Clariss. Virorum, Domine & Amice observande:* Valdè mihi gratulor de conjectura ista tua in Hesychium mecum communicata. Altera ista lectio tenebræ meræ, nec cispelleri conati quidem Hadr. Junius, H. Stephanus, Meursius. De utriusq; Regis optimi morte fama certa est, Succiæ quidem in acie tribus vulneribus confecti, Bohemiæ pestilentiali febri exhausti. Hic mente sanissima, ardentissimis precibus ad extremum usq; halitum DEO se commendavit. Joan. Narsius Regis Sueciæ Historiographus edidit A. 28. Tragœdiam, GUSTAVUM SAUCIUM, quam legi ex commendatione Procancellarii. In ea sub finem introducitur Mercurius consolaturus Proceres & Exercitum, non lethale esse vulnus, jam secundò à Polonis Regi inflictum, hæc addit ominosa verba:

Remittitur nunc error alter. Tertium
Cave, cave, GUSTAVE; compesce impetum.
Perit periclis, qui pericla diligit.

In Polonia electum ajunt Uladislaum, post luculentam commendationem, Senatoribus regni factam, à quatuor ejus fratribus consanguineis, Legatis Cæsaris & Nuncio Apostolico; qui posteriores ipsum semper decorârunt titulo *Hæreditarii Regis Sueciæ*; ut quasi aliud agendo memoriam funesti belli refricarent, & ad illud post inducias integrandum concitarent. Sed istis mortibus multorum spesq; metusq; à DEO sunt confusa. Qui nostri misereatur. In *Gunthero lib. II. v. 595.* ubi refertur Historia de Stratoris illius in hostium arcem furioso impetu,

\- - - - - - *parvaq; securi*
Quam genus hoc hominum serviles gestat in usus,
Subnexam sella,

Non video, quis sit *Strator*, nisi de eo, qui vias aggeresq; sternit ac munit, sit intelligendum. Deinde, quid & quæ illa *sella*, cui subnexa fuit securis? An legendum, *pelli*? Expecto quid tibi videatur? Salve, decus ac præsidium meum, & me ama. V. Cal. Decembr. A. S. cIɔ Iɔc XXXII. Noribergæ.

Idem Eidem.

AMplissime & Clarissime Vir, Domine & Fautor magne: Vehementer indolui, cum ex Hugio nostro percepi, pertinacem istum morbum tuum iterum Te vellicasse. Video morem ejus, ut perfidiosi hostes, paululum retrocedit, ut ex improviso majore impetu repetat priora castra, Interim æternum illud

Numen obtestor, quibus possum, votis precibusq;, ut in solido locetur rursus afflictissima valetudo tua. Tuq; diutiùs optimo publico nobiscum commorere. Ego in fatali hac ruina etiam sequi penè coactus sum, quò ibat; nihilq; jam acerbius, quàm quod à Vobis sejunctus Tibi adesse, & constantem tuum animum, in quo velut fatum vires suas experiri de compacto constituit, his oculis intueri non possum. Jacent prætereà studia mea, quando in spe, non diuturnam me hic habiturum sedem, degens, molestiam convasatos libros explicandi subire nolim. Interim incidi apud Nob. Joh. Ulricum, Consiliarium quondam Archipalatinum, in *Mstum Martiani Felicis Capellæ*, quem, ne nihil agam, cum Hug. Grotii editione conferre cœpi. Apparet, si non sit antiquissimus, ex antiquo tamen & probo exemplari descriptum; adeò non unum locum post Grotianos habet elegantiùs, stiloq; Martini convenientiùs; & in optimis quibusq; cum eo con- „ sentit. Non est quidem ille auctor ejus notæ. ut multum temporis in hoc „ sit insudandum, quem *barbarum Scaliger, lippitudinem latinitatis* vocat *Scriverius*; interim cum nihil agas, hoc nihil agere, aliquid agere est. De commutatione tam turbulenti status nos hîc, certò scio, pauciora, quàm vos habetis. Itaq; si quæ felicior spei aura vos afflavit, si tantum otii Tibi suppetet, literarum flabro ad me derives. Salve, *Vir Magne*, & valetudinis Tuæ, quæ nos simul trahit, curam gere. Deus Opt. Max. Te Reip. litterariæ, Academiæ, Amicis servet. Scripsi Norimbergæ, XIV. Novembr. A. cIↃ IↃc XXXI.

Petrus Servius Jo. Georgio Volckamero.

GRatissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, quia à te; quem verè amo, colo, observo; quia humanitatis & officii plenæ, cujus causa me plurimum Tibi debere fateor. De meo libro, quem istic imprimendum te curare velle polliceris, gratias Tibi ago maximas. Ego namq; post tuum ab urbe discessum, mutato consilio, nostris typis commisi; cujus exemplum ad Te mittam, si mihi significaveris cui rectè dare possim. Mitterem & aliud, quod Cl. Hofmanno peferendum curares; si haberem, cui traderem. Tu hæc videris, si lubet, si licet. De Severini operibus gratum, imò gratissimum, est enim opus summâ doctrinâ & selectissimis observationibus refertum. Vale, mi Georgi, meq; si amas, ut verè amare scio, de Germanorum studiis ac literis certiorem per literas aliquando facere ne graveris. Iterum vale. Romæ XV. Cal. Januarii, ipso die Aesculapio Athenis sacro, A. C. 1642.

Idem Christ. Adamo Ruperto.

SI eæ, quibus assiduè premor, occupationes Tibi notæ essent, facilè ipse compos voti fierem, h. e. à Te veniam impetrarem tarditatis mearum literarum.

Urgee

Urget me vehementer assidua cura Nosocomii, premit Academia, premit aula Pontificia, premunt Patroni, Viri principes, populus; ipsa demum urbs Roma perampla, ea quidem à me, & minorum gentium Medico, quotidiè peragranda. Ita me Deus amet, singulo die, singulo decem æstate horas, octo hyeme cõsumo, in visendis curandisq; ægris. Impetravi tamen à meis occupationibus, vel subripui potiùs aliquid temporis, pervestigandarum Inscriptionum causa; quarum hîc habes fidelissimum exemplum. Complures alias exscripsi, ad militaria munera pertinentia; quas si tibi usui fore intelligam, libenter mittam. *Donium* iterum per literas rogavi, ut, quas pollicitus erat, Inscriptiones impertiretur, obmutuit; nescio quam ob causam. Tu velim, ut meo Tuove nomine ei scribas, rogesq;, si lubet, Inscriptiones, fortasse enim potius Tibi quàm mihi, (homo enim ex hypocondriis laborat) eas dare cupit; hîc tamen tu videris, cujus prudentiæ omnia committo. Illud verò te rogo, mi Ruperte, ut apud Hofmannum me excuses, si varias *Theophrasti* lectiones è Bibliotheca Vaticana à me non habet: Codicem enim inde extrahi non licet, nisi peculiari Pontificis decreto; quod & petere minimè consultum, & impetrare longè difficilimum: Urgente præsertim bellorum mole. Quos verò eò mitto idoneos amanuenses, non habeo; nec hactenus habui, etiamsi diligenter quæsierim: Illud tamen polliceor, in meq; recipio, me neq; diligentiæ, neq; labori parciturum, dum Viro Clarissimo, mihiq; charissimo gratificer. Valete ambo, meq; multùm amate: Romæ, prid. Cal. Novemb. M. DC. XXXIII.

Idem Eidem.

ILlustrissime & Excellentissime Domine: Fastis Consularibus à prima adolescentia adeò delectatus fui, ut *Sigonium, Panvinium, Golzium*, ceterosq;, qui in iis illustrandis operam posuerunt, singulari quadam benevolentia prosecutus sim. Hinc factum est, ut anno superiore Volkamero nostro, qui Romæ (quæ ejus est humanitas) me salutavit, officiiq; causa adivit, ac inscriptiones rogavit, tibi fastorum illustrandorum causa mittendas; meam operam libenter animo pollicitus fuerim; teq; studio ex amore complexus. Itaq; nihil mihi potius fuit, quàm per literas rogare, ut quas haberet, in uberrimis suis collectaneis, ea de re Inscriptiones exhibendas curaret, nobisq; impertiretur: Imò verò cum casu acciderit, ut, cum meæ literæ à nostro Volkamero *Florentinam ad eum* perferrentur, is Romam versus itineri se dedisset, coràm easdem Inscriptiones cum verbis rogavi; & nuper acceptis Tuis literis. Sed (ut est doctorum hominum ingenium) pluribus non fuit opus, contendere; promisit statim, spopondit, recepit, se, cumprimum aliquid otii ab occupationibus impetraverit, eas exscripturum, mihiq;,

hiq;, ut Tibi perferendas curem, missurum. Ego verò omni studio ac diligentia curabo, etiam per amicos, ut quæ Romæ effodiuntur, Inscriptiones, describam omnes. Tu interim, V. C. incumbe toto pectore in eam curam, ut nobis gestientibus exornatos industria tua, perfectosq; illos exhibeas. Vale 17. Cal. April. M.DC.XXXIII. Serò quidem literis tuis respondeo, quia serò, Idib. nimirum Martii, & mihi redditæ. Iterum vale.

Idem Eidem.

S. P. D. Cur serò ad tuas literas respondeam, duplex causa est: Altera, quod tardiùs eas acceperim; culpa autem publici tabellarii, aut ejus qui mihi reddidit: Altera, quod acutissimo correptus morbo, ad IV. Nonas Martii ad hanc usq; diem, magno confectus languore, jacuerim. Morbus pestilentiæ naturam redolebat, quippe à castris profectus, contagione contractus, & sævitia, in omni penè memoria inaudita, in me incitatus. Etenim tanta vi in motum vitalem, in spiritus, in cor ipsum invasit, ut sex omninò dies pulsus venarum planè delituerit, nullo medico, vel accuratissimè explorantem, (de me autem nihil affirmo, qui, probitati scientiæq; medicorum confisus, pulsum nunquam tetigi) vitalem illam motum sentientem. Vivo tamen Dei beneficio, eosq; singulari: Sed ita tamen vivo, ut non nisi vitam agere liceat, rebus ferè omnibus, literis certè inutilis. Itaq; si *Capitolii dedicatione, deq; Alexandro III. P. M. Friderici Aenobarbi collum pede calcante*, tibi nunc non satisfacio, valetudo culpam sustinet; quam cum primùm recuperavero, dabo operam, ut è Museo Barberino habeas omnia quæ cupis. De hortis Farnesianis nihil actum, nihil scriptum, nihil unquam cogitatum à N. Quæ ea de re in lucem prodierunt, è *Tobiæ Aldini* ingenio, industriaq; prodierunt; viri, me hercule, botanicis chymicisq; rebus planè excellentis; joco tamen, aut (quod cura crediderim) dolo malo à N. cujus fidei ab[illegible] Aldinus impressionem libri commendaverat, sibi vindicata. Cætera ibi promissa, & mihi etiam voce recepta, adhuc servata non sunt. Hæc velim, ut nostro Hofmanno, qui talia à me per literas petiit, meo nomine significes. Quod verò tu mihi paras hortorum Eustetensium, munus profectò valdè gratum; sed quæso te, Mi Ruperte, noli committere, ut tua munificentia ego erubescam: Tibi persuade, soli animo & liberalitati tuæ, & meæ voluntati, & amicitiæ nostræ à te penè satisfactum. Hoc te rogo, rogo & illud, ut Magnificis illis *Illustrissimi* titulis, quibus honoris causa literas, quas ad me mittis, inscribere soles, non utaris; quod ut facias, exemplo meo etiam moneo. Vale, à Catello Gardulfo, *ubi olim* [illegible] *Longa*. Prid. Non. Majas M.DC.XLIV.

M. Aur.

M. Aur. Severinus Eidem.

VIr Illustrissime, atq; Eximie: Quam auspicatò meis, ex frequentibus cum sagacissimo Volckamero, hospite quondam meo colloquiis erui, te doctos inter viros Germanos eloquentissimum, inter eloquentes doctissimum. Itaq; demiratus institutum tuum, Commentationes Heroïcis argumentis pares, stylum cum veterum maximis æquiparabilem, optimis ævi nostri non imitabilem; Censorium limatumq; judicium, profundum & acre ingenium, quo tua singula, Cedro digna, facis. Doctorum Virorum amorem in tua studia rapis, bonas Artes divinis inventis exornas, amplificas, locupletas; tantarum virtutum tuarum amore inflammatus, philtro instigante, nescio quid molitus fui, quo gratiæ tuæ veneratissimæ commeritus sum tantum, ut sæpè nomen cum honore meum, & privatis ad Volckamerum litteris, & publicis, quæ vulgò nunc leguntur, hexametris commemoraveris: Deniq; me literis, quales Plato formâsset; Mercurius dictasset; Cornelius tuus, aut Plinius approbasset; Venus & Suada Charitibus suis afflasset, nuper ornasti, doctis, Jupiter! & voluminosis; quippe quibus vel aliud agens visus es, omne ævum tribus explicare chartis. Adimas tibi, Ruperte, subtrahasve, quantum velis, digna sapienti Viro modestia. Næ tu igitur collega compar es non tam Hofmanni, quam Herois Magni, qui gloriæ rectæ fautor, solidæ conscius, abjectas hominum deprædicationes habet insuper sic, ut exhorreat propemodum ulla cum laude nominari; dignus alioqui vir, qui perpetuò ne dum cum laude, sed & cum admiratione nominetur. Sic Hygeja, Panacêjaq; benemeritissimam de literis & hominum salute dexteram ei restituat, restituatq; nobis suis amicis literas, lugentibus amissa bona. Quoniam autem, *Christophore*, multa ista tua solicitatus urbanitate, & comitate, non una tantùm Antiquitatis curiositate, levidense, quod obtuleram SCti munus, tàm excedente prosequutus es gratia; tàm effuso complexus es animo, tàm egregiis es officiis remuneratus, auxilii mihi multò majorem & serviendi studiis tuis, & placitis gratificandi voluntatem. Inamœnus autem sim, & omnium odiis dignissimus homo, nî totis, commoditati tuæ devotis, & expositis facultatibus meis, vener solicitè, quod tibi sentiam operæ pretium futurum. Itaq; subdidi *testamentum Q. Cuspidii*, monumentum erutum, è scriniis *D. Camilli Justini* Historici, facilè principis Neapolitani, qui rogatus à me, communibusq; nostris amicis historiæ non silendæ ergo communicavit. Quicquid illud, boni consule; meq; in tuorum Academiæ Professorum benevolentiam insinua: Præsertim *Amplissimi D. Georgii Richteri*, qui tàm excellenti, quàm longinquo me honore dignatus est in Laurea deferenda, Clarissimo atq; Charissimo Domino Volckamero, cui

Eeeee Viro

Viro memorato per me postremo, Amico non postremo, me meosq; fœtus, quibus hospita Generosa Noribergæ perhumaniter typis demandatos, ni videamur tantummodò currentem impellere, plurimum commendavi; cum bono simul amico providens, satagensq; mihi vestro familiari, quatenus hacce fœtura sub hac brevi meæ lucis usura, frui queam. Vir Eximie, monumentis æternis fruere vigeq;, & incolumem Te serva diu tibi, tuis, Patriæ, & Amicis. Neapoli Parthenopes, prid. Cal. Majas M.DC.XLIV.

Jo. Baptista Donius Eidem.

PErillustris atq; Ornatissime Vir: Cognovi ex literis *Petri Servii*, Clarissimi Viri, mihiq; amicissimi, insignem tractatum te habere præ manibus, in quem Coss. Præfectorum Urbis, aliorumq; Magistratuum Romanorum nomina ac seriem, publico Reip. & literariæ bono, jam pridem congeras: ac proinde vehementer cupias, si quas haberem inter mearum veterum Inscriptionum collectanea; quæ memoriam ac nomen alicujus exhibeant, eas tecum primo quoq; tempore communicari. Quod desiderium suavissimis atq; humanissimis literis tuis, V. Id. Januar. ad me datis, planiùs ac pleniùs etiam significasti. Quare cùm nihil unquam ardentiùs expetiverim, quàm doctorum Virorum egregiis studiis, quanta mea tenuitas sinit suffragari, atq; eorum obsequi voluntati, præsertim tàm justa faciliaq; poscentium, committendum non putavi, ut spem expectationemq; tuam destituerem. Delegi igitur nonnullas ex meis Inscriptionibus, quæ crebriores, ac majoris pretii videbantur: Plures etiam transmissurus, si amanuensis idonei copia mihi adfuisset; aut latorem harum literarum majori fasciculo onerare auderem: Aut deniq; reliquæ tanti essent, ut lucubratum istud opus, quod præ manibus habes, notabiliter illustrare, aut locupletare possent. Cæterùm post ingentem illam Gruteri messem, non nisi exiguum spicilegium facere nobis licuit. Satis multas quidem collegimus; pauc[illegible] notabile quidquam, ac singulare præ se ferunt. Verùm quidquid hic, [illegible] etiam in rebus, quatenus exiguæ meæ vires ferent, lucubrationibus tuis, Vir [illegible]rissime, commodare potero, nunquam non libenter, amiceq; præstabo. [illegible] à Deo Opt. Max. prosperum vitæ cursum, divinamq; suæ gratiæ incrementum interea precor. Vale. *Florentinæ.* XIV. Cal. Jul. A. C. 1644.

Joh. Weitzius Eidem.

PRobum tu profectò, & solidum amicitiæ, *Ruperte Clarissime*, jecisti fundamentum, dum *Ph. Caroli* tractatibus Philologicis me ivisti mactatum: Et quid? *Gentilis* Nobilissimi, & *Verdungi* eruditissimi orationes insuper promittis

q[illegible]

quibus donariis adeò me tibi obnoxium, reddis, ut quibus prothymiam hanc modis compensem, aut paria faciam, quasq; gratias reddam, vix invenire habeam. Sunto igitur hæc symbola, & tesseræ novæ amicitiæ, quam deinceps tecum constanter colam:

Dum res, & ætas, & sororum
Fila trium patiuntur atra.

Cæterum dum in Romana versaris Historia, *Sulpitiæ Poëtriæ satyram*, quia editurus sum, & foràs daturus brevì, *de Gente Sulpitia*, quæso te, aliquid emolire, & eo me dona; cum grata animi significatione rursus tuo inscriptum nomini, cum tempore videbis. Quod æmulum habes N. certè pro Patris non ille facit ingenio; qui mitissimi sanè fuit ingenii. Sed fumus iste ne te mordeat, qui actutùm excrescens in ventos abibit. *Adeò nihil ab omni parte beatum; virtusq; suos semper & ubiq; locorum hostes aut habet, aut invenit.* Tu contrà audentior ito! nec frangaris istis in cursibus petulcis & temerariis (pænè scripseram, temulentis) sed virtute tua elude masculè, & pedibus conculca vesaniam. Si grave non est, aut molestum, *Tydæum* vestrum peramanter à me saluta. Fuimus in schola nostra condiscipuli conjunctissimi. & aliquoties à me incitatus, & provocatus, nondum pellici in palæstram hanc literariam potuit. At non noram illud illius iàm superbum: Quare ex ipso, quid fiat τοῦ μακαρείτου *Piccarti* nostri *phraseologia?* pergatnè in illa, in ordinem redigenda, & quousq; res pervenerint? Ignosce, quod hoc tuis humeris imponam onus. Tu quoq; fac simile, si quid his in oris expediendum; & promtum paratumq; me invenies. Vale Amice τριπόθητε, & amorem mihi tuum perenna.

Christ. Adamus Rupertus Jo. Weitzio.

VIr *Clarissime & Excellentissime:* Fateor negligentiam meam, tam ad omnes repentinas occasiones intentus non fui, ut & isthæc imparato sese obtulerit. Quanquam & alienæ occupationes potissima temporis intercipiebant, ut nec mihi satisfacere, nec aliis potuerim. Igitur benevolus ignosces, si promissum meum *de Gente Sulpitia* nondum exsolvo. Faxo tamen, ut quamprimùm id fiat. Cl. Tydeo voluntatem tuam nuper exposui, sed is infortunium literarum suarum excusabat, quas Lempio tuo traditas, in via periisse nimium querebatur. Sed profectò frustra es, si quæ ab illo petis, etiamnum expectas. Senium, podagra, & inopia bibliothecæ nihil tale sinunt perficere. Suppressæ sunt CL. V. Conr. Rittershusii *notæ, ad epistolam Amphilochii*, quas quum nuper ille non avi tantùm sui, sed omnium majorum nepos, domo abesset, mecum communicavit privignus ipsius. Eas Lempio tuo exscribendas dedi, & hìc mitto. Bilem mo-

vebit, scio, socordia, an malitia? Quæ delicias hasce viris piis ac doctis tamdiu invidit. Tenebris etiam damnavit lectiones sacras, sed quas vindicare non licuit. Certè animum vulgandi non habere videtur, qui nulla famæ ratione habita, tamdiu suppressit ac sepeliit. Virdungicæ Orationes lucem jam viderunt, sed qui hasce tibi feret, nec pluribus onerandus fuit, nec expectare potuit, donec exemplar Noriberga acciperem. Cl. Hofmannus, neptis suæ desiderio, pænè contabescit; nec mirum, quum tot liberorum mortibus exhausta domo neminem habeat, qui senectutem ejus deliciis & amœnitatibus tolerabiliorem reddat. Vale, *Vir Excellentissime*, & benevolentiam tuam mihi persevera; qui me honori tuo totum devoveo. Dabam Altorphii ad d. XII. Cal. Jun. A.S. cIↃ IↃcXLII.

Jo. Freinshemius, Christ. Ad. Ruperto.

Diu est, quum Panegyricum Tuum, *Vir Clarissime*, Brandenburgicæ Principi dictum, Bœclero nostro commodante vidi: Ex quo, præter insignem eruditionem, animi quoq; ingenui & erecti notas depræhendisse visus sum. Neque tamen molestum est, sicut in aliis, ita hîc quoque primas Tibi concedere, & quando benevolentiam Tuam officiis mereri non potui, tamquam DEI munere oblatam, adgnoscendo beneficium, &, quâ possum gratitudine, tueri. Utinam autem in negotiosissimos hosce dies non incidisset respondendi necessitas, profectò redderem prolixiorem epistolam, quàm accepi; licêt hanc quoq; adfectu scribentis non inferiorem arbitrer, eloquio & argumenti paratu vincimur: Cui tamen ipsi, quod potero, reponam. De *Silani matre* primùm, quam *Juli*[illegible] Augusti neptem facis, fateor Lipsiana maximè genealogia per motum, ad[illegible] machinam novæ alicujus Juliæ confugisse; non tam ob auctoritatem Viri, q[illegible] quia rationes ejus probabam: Atque nunc, cum maximè probo. Non [illegible] movere Te debuit, quòd de *Ap. Silano* Lipsius addidit, nam, si rectè men[illegible] ejus capio, argumentum hoc, quod consocer Claudii fuerit Appius, non h[illegible] probare cogitavit, quia Lepidæ maritus hic fuerit; sed eò potiùs advocav[illegible] ostenderet, cur Æmiliæ Junium maritum adsignaverit. Ut apertiùs dicam, no[illegible] hæc videtur argumentatio Lipsii: *Silanus Æmiliam in matrimonio habuit, ergò consocer Claudii fuit.* Sed inversa potiùs: *Consocer Claudii fuit, ergò Æmi*[illegible] *habuit.* Atq; idem huic quoq; consequentiæ fundamentum est, quòd Tu [illegible]tuebas, L. Silani Ap. F. cum Octavia Claudii conjunctio. Atq; hoc pro Lipsio; istud jam contra tuam adsertionem. Quo auctore, vel argumento [illegible] probamus, *Juliæ maritum fuisse Silanum?* Erant & alia, quæ interjicerem, [illegible] ad hoc Herculeum propero. Silanus Taciti nostri, quem Juliæ filium fui[illegible] tuis, Te quoque adfirmante Cos. fuit A. V. C. 762. Qua ætate volumus? De-

mu[illegible]

mus enim interim, Augustum in pronepote leges attendi voluisse, ut in se, ut in nepotibus fecerat: Adeoq; Consulem fecisse anno ætatis actavo aut nonodecimo; aut, si vis adhuc prætextatum, quod tamen ne Marcello quidem suo, neq; C. & L. Cæsaribus tribuit, nemone isthoc notaverit. Non Tacitus usquam, non Suetonius, non Dio, in hisce singularis & diligens Historicus. Sed hoc quoq; largiamur, illi quacumq; de caussa prætermiserint. Hoc certè constat, Juliam neptem non fuisse natam ante A. V. C. 735. Nam A. 733. Agippæ nupsit prior Julia, cui sequenti anno Cajum peperit. Fingamus jam, nupsisse hanc *Juliam* ut primùm potuit, non utique minorem annis duodecim; esset is ab V. C. annus 747. Jam autem *Æmilio collocatam* esse virginem, ex Suetonio constat. Neq; minùs cum eo vixisse potuit, uno anno, priusquam nescio cui Silano traderetur. Apud hunc dum conciperet, pareret, alter annus consumeretur, itaq; *nativitas Silani* nostri incideret in annum 749. consulatus in principium anni 762. Sic, ut omnia, quantum possumus, adceleremus, impuberem habebimus Consulem. Hæc me ratio movit, cur conjecturam meam tam timidè & dubitanter proferrem: Nam Plinii locum non ignorabam, sed huc trahi non posse, id verò intuebar.

De *Sobrina Agrippina, Domitia*, videor rectè repræhendi; nisi fortè validiores adsertionis meæ caussas habui, quas nunc, tot negotiolis interpellatus atq; distractus, non possum recolere. De ceteris, & præsertim *Drusilla*, seriò fortassis cogitabo, quum eo ventum fuerit. *Paraphraseos Specimen* habebis, DEO dante, ex nundinis Francofurtensibus, si constituas, mihiq; significes, cui tradi jubeam. Gratissimum notationum Virdungianarum munus non minùs admiratione facilitatis tuæ, quam sua gratia me adfecit. Dabo operam, ut qua possim, par referam pari. De majoribus Commentariis spem injecisti: Quam hactenus in tua benevolentia colloco, ut facultatem eos describendi, si usus postulet, factum iri interpreter. Ideoq; quum res meæ sic ferent, conduci aliquem curabo numis meis, qui à Te petat, & describat. Tui autem, si lubebit, amice concedes; sin, amice negabis. Neque me ob rusticitatem meam minùs ames; eo enim sum ingenio, ut quæ ab amico sperare fas esse putem, fas esse putem & petere, & quia nihil per alterius incommodum adsequi cupio, non ægre fero repulsam; quoties quæ postulavi, non nisi cum molestia concedentis tribui posse intelligo. Pari jure & ego cum amicis agere consuevi: Quà possum, obsequor; ubi majore largientis damno, quàm accipientis emolumento quid petitur, nego: Apertè omnia & simpliciter. D. Dannhawero, quia mihi vicinus est, tuas literas, quantum adipsum pertinebat, eodem die legi; ille, quæ scribebas, non recordatus, in hac Urbe Te vidisse autumabat: Ceterum in memoria tua se

vivere, lætus audivit. D. Bœclerum nondum conveni posteà. Morbus difficilis & anceps, quò tenetur, amicorum officia exclusit; quia medicus ajebat, referre valetudini, ne frequenti salutatione ad sermones provocaretur. Nunc, quia meliusculè se habet, invisam eum; & tuo simul, meoq; officio defungar. Tabellario satisfactum esse, in fine literarum tuarum legi: At ille jam petierat, abstuleratq; κόμιστρον satis luculentum; ut Jure monuerit Excellentissimus noster Hofmannus, *hæc talia inscribenda esse fronti literarum, quia nullam haberent tabellaris.* Negando, me Professorem Argentoratensem esse, propemodum defessus sum: Ita per hos decem menses titulum hunc certatim ingesserunt undecumque venientes literæ. Vobis tamen idem indicandum esse censui, ne plana ambitione appellationem, ad me minimè pertinentem, videar adfectasse. Vale, & quum mereri videbor, amare me perge. Dabam Argentorati A. D. Non. Januar. Anno Christiano M. DC. XLI.

Idem Eidem.

QUamquam nihil mihi esset jucundius, *Vir Clarissime*, quàm diu Tecum confabulari per literas, præsertim in tali argumento; tempore tamen excludor, vix ad hæc pauca sufficiente, quorum ariditatem ut per benevolentiam Vestram, Nam & Excell. D. Hofmannum simul adfari cogor, amica interpretatione leniatis, emendetis, atque etiam suppleatis, maximoporè rogo. Deinceps absoluto hoc *Specimine paraphraseos*, videor futurus paulò quietior; quid tamen eventurum sit, adhuc in incerto est: Jam enim sæpè me ista spes fefellit. Quicquid erit, dabo operam, ut vel diu ante scribam, quàm mitii possint literæ ne subitò deprehensus officio meo defuisse videar. Habetis hîc exemplum ejus, quod dixi, Speciminis: Plura nunc addere neq; per festinationem potui, & tabellario parcendum videbatur. Mittam autem, quàm potero, proximè, alterutri Vestrum; tàm Dn. Sauberto, qui me devincit nuper epistolis Philippi, preciosioribus profectò, quàm ejus cognomenti nummos novimus. Valete, *Viri Excellentissimi*, & me ob tumultuariam hanc scriptionem nihilò amate minùs. De typographis Genensibus cogitabam, & per Dom. Gothofredum, sd quem post nundinas, volente Deo, scribam, experiar, qui illorum formæ fus sit. Valete. Dabam Arg. A. D. Id. April. Anno Christiano M. DC. XLI.

Jo. Georgius Stützelius Fidem.

ITa sanè est, Clariss. & Eruditiss. Dn. Ruperte, fautor & Amice colende, jam inde ab aliquot lustris Dn. Parentem tuum, eximium J. Doctorem, τὸν νῦν ἐν μακαρίοις, noveram. Agebamus enim tum uterq; Altorphii, ubi ille, [illegible]

privatim

privatis lectionibus tùm publicis Disputationibus, Eruditionem & industriam suam tàm studiosorum cætui, quàm Doctorum Collegio, apprimè probaverat, cùm & sesqui-lustro ante, editis, in famosissimi JCti, Joh. Rami, ad Epistolas PP. præfixas Commentario, optimæ notæ notis, nomen suum Immortalitatis memoriæ consecrasset. Verum, antequam notitia illa nostra in propriorem coalesceret amicitiam & familiaritatem, rebus ita ferentibus, tuoq; Dn. Parente in Franconiam avocato, separati sumus: Neq; tamen in hunc diem ejus oblitus sum. Unde factum est, ut pridem cogitatio animum meum subierit, te illius cluere filium. In quo quando me verum fuisse video, non possum non, cum utriq; (tàm tibi, quàm mihi) gratulari, tum de arctiori sanctioriq; cum filio, quod cum parente fieri per fata non licuit, fœdere ineundo laborare. Cujus cùm per Exc. D. D. Hofmannum jam diu jacta sint fundamenta satis, ut puto, firma, his ipsum opus jam eò commodiùs superstruere quid vetet? præsertim cum uterq; id meritò fieri existimet. Ego quidem propter singularem illam (cujus jam aliquot egregia in publico extant specimina) tuam Eruditionem. Tu verò propter honestam mihi de te jam olim conceptam, tibiq; dudum insinuatam, opinionem, quam ad seram posteritatem illibatam retinere, & si vixero, publico etiam mandare sedet. Neq; enim ejus me pigebit, multò minus pudebit unquam: Quin animo lætor, potuisse rem tam leviculam tuam, tam pronum in me mereri affectum, &, quem elegantissimæ tuæ præferunt, amorem. Qui uterq; si (quod in tali negotio maximè spectandum & sectandum) genuinus esse debet, ab illa, quam in te animadvertere videor, hæsitatione & dubitatione penitùs abstinendum, & candidà simplicitate, simpliciq; candore cominus agendum est: Id quod ex meâ parte futurum recipio, de te verò mihi promitto; Valdè laudo tuum, quod mihi aperuisti, & Romanas gentes in ordinem unumq, volumen redigendi, & Fastos Roman. corrigendi, institutum, valdè, inquam, hoc laudo: Atq; utinam in musæo meo sit, quo tàm pulcros ausus juvare, tam insigne opus promovere queam! Verum, nullibi minus instructus adpareo, quàm hîc, utpote cui nec vetera rimari datum fuit monimenta, & si datum fuisset, ultra incomparabilem Magni illius Grutteri, fautoris & Amici mei, etiam post fata, ætatem colendi, diligentiam, nihil reliqui cuiquam credideram: Nec priscos valdè congerere contigit numos huc facientes. Quos enim olim, curâ meorum emissitiorum, conquisiveram æreos & argenteos non paucos, erant quidem notæ non malæ, sed parum vel nihil ad hanc rem conducere visi, & intereà omnes & singuli inter amicos hîc-illîc-ibi dispertiti, ita ut ne unus quidem superet. Sed nec scriptis librisvè huic operi servientibus mea abundat supellex; quippe quæ, si demas *Richarti Streinii Baronis Schvvarzenarii* de Gentibus & Familiis Romanorum

rum (qui & ipſe tamen integro octernione caret, nec ſuppleri hactenus potuit) libellum; & *Antonii Auguſtini* de LL. & SCtis opus, cum notis Fulvii Urſini, Pariſiis A. cIↄIↄ LXXXIV. editum, (cui complurima vetuſtiſſima, cùm ex lapidibus, tum ex ære adjecta ſunt monimenta, quæ omnia tamen præfatum hominis Dæmonium, *Gruterum*, vaſtiſſimo Inſcriptionum operi inſeruiſſe non dubito) hoc, inquam, opus & libellum illum ſi demas Bibliothecula mea nihil penè habet memorabile; niſi fortaſſe etiam *Caroli Sigonii*, de antiquo jure civium Rom. Italiæ, Provinciarum &c. laborem planè Herculeum; & Pauli Manutii Antiquitatum Rom. accenſeas libros. Hæ ſunt opes meæ præcipuæ. Quidenim refert Cuſpiniani in Caſſiodori Conſules recenſere Commentarium? Quid opus nominare Haloandrinam, per Conſules Rom. & Olympiadas, digeſtionem? Cum hæc & ille paſſim reperiatur. Si quid tamen ex relatis uſui tuo putaveris accommodum, vel uno innue verbulo, & proximâ occaſione faxo potiaris. Neq; enim hæc & alia talia tàm mea ſunt, quàm amicorum, quorum commodis, quæcunq; meliora & rariora hactenus comportavi, potiſſimum dicata & conſecrata eſſe volo. Tuum igitur erit mandare quid cupias, mihi, ex lege, quam mihimet indixi, parendi incumbet viciſſitudo.

Cum Clariſſ. Gronovio nulla mihi interceſſit hactenus notitia: Sed nec cum aliis, qui ſuas ad ſtudium iſtud conferant ſymbolas, poſtquam ſcil. Exc[illegible]. Freinshemius ex Germaniâ diſceſſit. Bœclerum enim meum ad ſacras curas & tractationes animum jamja[illegible]pellere mihi nuper relatum eſt, quamvis ipſe carum nihil dum perſcripſerit.

Quod ad tuam in Juſtino Hiſtorico explicando attinet operam, quid, p[illegible] B. Berneggerum noſtrum, qui nihil penè & ad textus emendationem, & ad e[illegible]endam eruditionem, ſecuturis ſeculis reliquit, quid, inquam, obſecro, poſt [illegible] ego conferam? Ejus accuratiſſima diligentia cum aliorum operis coadunata, p[illegible]rum putum nobis ſiſtet Juſtinum: Atq; hoc à te præſtitum in publico vid[illegible] optem. Rectiſſimè tu, quod non nimium properas. Hâc enim ratione n[illegible] ſolum declinaturus es Invidiam, & judicia fors ſequiora; ſed multorum e[illegible] tuis vigiliis utiliter fruendi accendes cupiditatem; utrumq; non ſine laude t[illegible], & hinc famæ incremento.

Tuam de Freinshemii è patriâ abitu, & luctuoſo Weitzii noſtri ob[illegible] querelam, in ingratioſiſſimo argumento tamen doctiſſimam, legi, placuitq; to[illegible] nec diſplicebit, ſcio, cui melior ſententia menti. Faxo igitur accipiat B[illegible] lius meus, qui Exequiarum Weitzianarum curam, quin & editionem in ſe ſuſcepit, utinam pro voto noſtro!

Par ſit, me te, in primo iſto congreſſu noſtro, aliquo mactare munuſculo.

Verum

Verum cum omnia mea lustro, nihil ibi invenio, quod tuum intuitum ferat. Ne tamen hæ planè incognitæ tibi adparere vererentur, comitem illis dedi sanctissimum juxta & pulcerrimum amicissimi quondam mei Codomanni fœtum, quem non tàm ex mole suâ, quæ nulla, quàm virtute æstimabis, boniq; consules. Ubi dignius quid erit olim, impertiam & illud libens. Interim, Cl. mi Dn. Ruperte, quam optimè Vive-Vale, & D. D. Hofmannum, alterum seculi nostri Galenum, à me officiosè saluta, & me amare perge. Rotenb.-Tub. XX. Octobr. Jul. A. C. cIↃIↃcXLII.

Jo. Henr. Blendingerus Eidem.

Χαίρειν, *Vir Clarissime, Amice honoratissime*, quod Symmachus alicubi, id ego in fronte mearum meritò pono: *Non solet ab Amicis anxiè venia postulari.* Prolixè hæc excusationis vicem esse possunt, gratiamq; Tuam & favorem denuò restituent duo illa: *Peccavi: Deceptus sum.* Tu veniam modò fasso, ego postulanti Tibi, crebriores in posterum dabo literas. Quæ mihi sors θείᾳ μοίρᾳ obtigit, ejusmodi est, ut contentus ea facilè forem, si, ut sæpissimè animo, ita semel iterumq; corpore vobiscum esse possem: Nunc cùm frustra hæc me vota solicitent, nausea mihi, & cur dissimulem? reliqua ferè sunt omnia: Nummorumq; ego satis benignam copiam, delitias, saliaresq; epulas, & reliqua fertilissimæ Hungariæ bona cum altrice mea Altdorphio facilè permutaverim. Sed quia hæc me fata ursère, & huc traxere; ferendum est, quicquid Deus, cui soli de me sententiam do, posthac propinaverit; idq; eò faciliùs, quod γῆν πρὸ γῆς subinde mutare inconstantis esse animi judicatur. Interim Senecæ verbo: *Hoc ego non multis, sed Tibi: Satis enim magnum alter alteri theatrum sumus.* Cæterum quod diu minitatus est bellum, tandem aliquando Sacræ Cæsareæ Majestati indixit Georgius ille Ragotzii, Transilvaniæ Princeps: Quo fato, & eventu, fatorum arbiter Deus novit. Id ego asserere ausim, florem exercitus Cæsariani esse, quem contra Transilvaniæ Principem comites Gœtzius & Bucheimius duxere. Prætériére apud nos sex cataphractorum legiones, verè, ut *Herodotus* veteranos adpellat, *immortales*: Adeò post longa itinera variosq; labores singulæ cohortes justo debitoq; constabant numero: Ut plures in unam coivisse credidisses. In tractu nostro montano, integro biduo stationes habuere; inter easq; legio nobis Palaviciniana forte obtigit. Milites erant veterani, & non tantùm non triarii, utrorumq; castrorum sectatores. His quamvis effreni ferri licentia, & quidvis audere non licuerit: Ita tamen partim sese gessere, ut iteratum eorum apud nos transitum apud omnia pulvinaria deprecemur. Planè sicut Megacreon, olim Abderitis suasit, ut universi, mares pariter ac fœminæ, sua delubra adirent, supplí-

cesq; Diis assidentes precarentur: Ut posthac dimidium futurorum malorum à se propulsaretur: Nam de præteritis magnam se illis gratiam habere; quod Rex Xerxes non bis quotidiè cibum capere consuêsset. Fore enim, ut Abderitæ si uberentur; ut & prandium simile cœnæ instruerent, aut non præstolarentur Xerxem advenientem, aut præstolati pessimè inter omnes homines affligerentur: Ita planè nos. Utinam, vel tandem Germani nostri frustrà in Hungaria ἀερομαχεῖν cessarent! Usq; adeò hæc terra impatiens est militis Germani. Sed de his plura illi, qui ad vos remeant. Nos ad alia. Comitem Nadasty, novum Illustrissimi Palatini nostri generum, à nobis exiisse, jam diu est, cùm nosse potes. Is etiamsi paullò durior sit aliis; charissimum tamen fratrem Tuum benè habet; proximus is ab isto, & utramq; in aula paginam facit. Quæ negata hactenus cum eo mihi fuit colloquendi copia, brevi spero dabitur. Secutus illum est Comes Illieshazy, junior: Nunc, præter duos Illieshazy, Comitum in Hungaria nemo est, qui avitæ religioni nuntium non miserit. Clemens propitius nobis Deus noster sit, malaq; impendentia, imò jamjam undiq; ungruentia averruncet. Sed heus Tu! quid in Germania nostra agitur? Cur taces? Ubi tui illi ἀνθρωποφάγοι, πολίπορθοι, & Romani terror Imperii? Vereor sanè, ne quæ mala olim Hannibalem ex Italia, eadem ipsos ex Germania evocârint. Dimitterem Te, nisi unum adhuc Te scire, & dolere vellem. Cùm nunc nuper fundamenta ædium quarundam lapsabunda in suburbio Posoniensi redintegrarentur, effossi sunt *nummi* argentei & Romani antiquissimi, majores minoresvé Joachimico, *Domitiani, Justinianiq;*, aliorumq; nomina exhibentes. Talem nuper dono accepi, vetustate & ærugine ita exesum, ut in uno latere præter ingens *caput lauro redimitum* adpareat nihil; in altero verò (nisi me oculi fallunt) *Hippocentaurus* vix dignosci possit. Promisit mihi plures, quos si è re tua esse videro, faxo videas, omniumq; quotquot Posonii sunt (sunt autem plurimi) iconas quàm exactissimè depingi curabo. Ita vale, ô carum caput, & cum Exc. Dn. D. Hofmanno, quem ut Hippocrates Galenum, honoris causa, ita & nos eum παλαιὸν jure suo adpellamus, diutissimè perenna. Dabam ἀπνδοσὶ, fervente Sirio, St. Georgii è Museo VI. Id. Augusti, Anno τῆς ἐνζάρκου οἰκογρομίας. cIɔ Iɔc XLIV.

G. Richterus JC. Johanni Kobio, Facult. Jurid. Decano.

SAlutem, & Pacem perennem, hoc est, divinam, sine qua humana nulla est, „ *Amicorum exoptatissime*! Rara avis in Academiis hodiè Studiosus Juris, „ Philosophia, aliisq; literis humanioribus, probè imbutus; rarior in Curia, „ in Foro rarissima. Eò acceptior ergò Candidatus iste, non è multis, *Christophorus*

phorus Theophilus Dilherrus; qui Philoſophiam, & ſorores Muſas, cum Jurisprudentia non infeliciter conjunxit; *dignus Kobio*, Doctore & Brabeuta, à quo honores accipiat; cujus ductu & exemplo conjunctionem iſtam amat, colit, ſervat: Noſti enim hunc Philoſophiæ amantiſſimum. Neq; vulgaria mihi promittunt, quæ coràm ex prædicto Candidato audivi; ita ut eum aliquando patriæ Reipublicæ utilem Juris Candidatum futurum, non fruſtrà ſperare mihi videar: Faxit Optimus Maximus, feliciter! Fiat igitur, quod officii ratione debeo, & ſpontè mea lubens facio: Siſtat ſe ille Ordini Veſtro Ampliſſimo, ad ſpecimina danda privata publicáq;; ſpes veſtras (ut cum Ennio aliquando loquar) ex voto impleat. Vale & ſalve cum Collegis Clariſſimis, amicis dilectiſſimis. Dabam in hortulo, a. d. 15. Septembris, A. cIↄIↄcXLIX.

Remitto Candidati epiſtolam *ad Te, rariora, quæ dixi, itidem ſpirantem; ex qua, juncta* diſputatione Helmſtadiana, *ceu* ex ungue Leonem, *agnoſces.*

MANTISSA VI.

JUDICIA SEPTEM

CONTINENS,

DE

I. *Locis II. Sam. IV, 5. & XI, 2.*
II. *Scaligeri Thesauro Temp.*
III. *Barclaji Argenide.*
IV. *Card. Richelieu Morbo.*
V. *Tribus Schoppii Capellis.*
VI. *Pennalismo tollendo.*
VII. *Δοκησισόφῳ quodam.*

JUDICIUM I.

Theod. Hackſpanii de Locis illis,

II Sam. IV, 5. & XI, 2.

vid. sup. 573. 574. וְהוּא שֹׁכֵב אֵת מִשְׁכַּב הַצָּהֳרָיִם׃

GRæcus vertit: *Καὶ αὐτὸς ἐκάθευδεν ἐν τῇ κοίτῃ τῆς μεσημβρίας:* Latinus, Pontificiis authenticus: *Dormiebat ſuper ſtratum ſuum meridie.* Germanica noſtra verſio modo eodem, **und er lag auf ſeinem Lager im Mittage.** Optimè omnium Chaldæus reddit: וְהוּא שָׁכֵיב יָת שְׁנַת מַלְכַיָא hoc eſt, *Ipſe verò dormiebat ſomnum Regum:* Si verbum verbo reddas. Quis ille Regum ſomnus fuerit, doctiſſimus Judæorum R. David Kimchi explicat: כלומר כי מנהג המלכים לישן בצהרים: ת׳ שנת מלכיא: hoc eſt, Targum aut paraphraſis Chaldaica Jonathanis vertit, SOMNUM REGUM; quibus verbis nobis explicat morem ſeu conſuetudinem Regum in Iſraël, qui dormire ſolebant in meridie. Negari quidem non poteſt, Hebræum מִשְׁכָּב ſonare *cubile*, aut *ſtratum:* Verùm tunc conſtruitur vel cum ב præfixo, vel etiam cum על præpoſitione. Dicendum itaq; ita fuiſſet, ſi Græca, Latina, atq; Germanica rectè eſſent translata, בְּמִשְׁכָּב *in lecto*, vel עַל־מִשְׁכָּב *ſuper ſtratum:* Nunc verò אֶת־מִשְׁכַּב legitur, ubi particula אֶת nota eſt accuſativi caſus, ac fidelem interpretem monet, ut Hebræorum conſuetudinem obſervet, qui nomen verbale crebrò jungunt ipſi verbo. Ita Gen. VIII. 21. Deus dicitur *odoratus odorem quietis:* Et Pinehas Num. XXV. 11. *zelâſſe zelum Dei.* Atque huc reſpexere Hebræi probatiſſimæ fidei. Marcus Marinus: *Et ipſe cubabat cubationem meridiei.* **Er hielt den Mittageſchlaff.** Schindlerus: *Cubabat cubitum meridiei.* Buxtorfius: *Et ipſe erat recumbens cubatu meridiano,* hoc eſt, *meridiabatur, ſomnum meridianum capiebat.* Vatablus in Notis: *Et ipſe dormiebat dormitionem meridianam.* Tremellius & Junius: *Intraverunt in domum Isboſeth, ipſo meridiante.*

II. Sam. XI. 2.

וַיְהִי לְעֵת הָעֶרֶב וַיָּקָם דָּוִד מֵעַל מִשְׁכָּבוֹ׃

GRæcus vertit: Καὶ ἐγένετο πρὸς ἑσπέραν, καὶ ἀνέστη Δαβὶδ ἀπὸ τῆς κοίτης: Et rectiſſimè Germanica noſtra verſio: **Es begab ſich / daß David um den Abend**

Abend auffstund. Id enim postulat præfixum ל Hebraicum. Atq; hanc versionem observant Chaldæus, & omnes Latini interpretes, excepto vetere, Pontificiis authentico, qui perperam לְעֵת transtulit *post meridiem.* Tremellius: *Tempore pomeridiano, quo solent homines meridiari.* Vatablus: *Sub tempus vespertinum, postquam scilicet somnum meridianum vel pomeridianum dormierat.* At quomodo, dicet quis, vespera cum somno meridiano convenit? Optimè. Nam ex cap. 12. Exodi constat, Hebræos duplicem habere vesperam, uti ex sequentibus patebit. Initio autem de horis Judaicis nobis constare debet, quæ cum nostris ita coincidunt:

Horæ { *Judaica:* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.
Nostra: 7. 8. 9. 10. 11. 12. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Judæi enim ab ortu Solis ad occasum usq; horas suas numerare solebant, ita ut prima illorum hora fuerit à nostra sexta matutina usq; ad septimam. Diem verò dividebant in tres partes. Una erat בֹּקֶר *mane*, quamdiu Sol, jam ortus, in parte mundi orientali commoratur, cui quatuor horas tribuunt. 2. צָהֳרַיִם *meridies*, cùm Sol, in medio cœli consistens, orientalem & occidentalem mundi partem collustrat, cui duas horas quintam & sextam tribuunt. 3. עֶרֶב *Vespera*, sex horas complectitur, usq; ad initium occasus Solis. Vespera autem Hebræis duplex est: *Una*, quæ incipit à tempore, quo Sol incipit declinare: *Altera*, post occasum Solis ita dicitur. Surrexit David à somno circa vesperam priorem, incipientem, ubi desinit meridies, adeoq; surrexit à somno meridiano. Aliàs dicerent Hebræi, eum surrexisse circa vesperam Solis, non circa vesperam luminis. Nam vespera prior *Solis*, posterior *luminis* quoq; apud ipsos appellitatur. Conferatur cum hisce caput XX. Matthæi, v. 1. 5. & 8. ubi manè & vespera posterior occurrit, nec non horæ Judaicæ, versibus intermediis, leguntur. Huc etiam faciunt, quæ notat Buxtorfius in Lexico pag. 572. 574.

JUDICIUM II.

Ignatii Hannielis, JC. Hist. Chronol. & Polit. in Acad. Rostochiana P. P.

DE THESAURO TEMPORUM.

Josephi Justi Scaligeri, J. Cæs. à Burden F.

Sic sentio: Magnum illum Eusebium dignum se interpretem: Magnum Scaligerum dignum se auctorem, quem explicaret, & in quo ingenii sui vires, ostentaret, nactum. Nemo Eusebii sensum illo sagaciùs indagare; Hallucinatio-

cinationes, errores, ex parva ſcripturarum, aliorumq; profanorum auctorum interpretatione ortos, diligentiùs eruere: Involuta dexteriùs explicare: Confuſa accuratius diſtinguere: Obſcura, ambigua dilucidius interpretari, annorum variorum formas feliciùs in lucem producere; ærarum, periodorum cauſas, rationes, artificia, & conſultas nonnunquam à vero aberrationes, hucusq; ignoratas, ingenioſiùs, veriùs aperire; Chronologicos Canones facilius, eruditius condere ſingula acutius, brevius, nervoſius perſequi. Summa, diviniùs in divinam illam Syllogen commentari non potuiſſet. Et licet ego in paucis ab eo diſſentiam, præſertim in ea, quæ non tam *de mundi conditu*, quem tanti non facio, quàm *Abrahami nativitate, & vocatione* quæſtio eſt, in qua hiſtoriam & συγχ-σιν χρονολογικὴν locum non habere ipſemet Scaliger fatetur. Proinde cù[m in]tervallum illud, quod à Diluvio ad Exodum eſt, demonſtratione deſtituatu[r, ex]plicatio ejus ſola authoritate & interpretatione nititur, quam in literis ſacris [con]venientiorem attulerit, is, ipſo Scaligero judice, vicerit. De cæteris o[mnibus] probè inter nos convenit. Sed & in iis, in quibus diſſentimus, ut quod re[s est] dicam, meo ipſo judicio potiùs diffido, quàm ut Scaligero valdè obluctar. T[an]ta viri virtus, tanta eruditio, ut mihimet ipſi non credam; adeoq; in mani[feſtis] quæ mihi quidem videtur luce trepidem; & me citiùs in omnibus cœcutire [pu]tem, quàm Scaligerum iſthæc jam anteà non benè providiſſe: Neq; id im[merito]. Nam quotquot hodiè ſumus CANONOGRAPHI, verius quàm CHRONO-LOGI, Scaligero faſces ſubmittere, eumq; Præceptorem noſtrum agno[ſcere] cogimur; quippe à quo veram & genuinam chronologiæ inſtituendæ ration[em] hactenus ab omnibus ignoratam, primùm accepimus. Absq; eo eſſet, a[dhuc] in Annianis tenebris incerti vagaremur, de rebus nobismet incognitis cœco[rum] invicem pugnam perpetuam pugnaturi. *Salve Heros nobilis, Lux, non [ve]rum tantùm, ſed omnium retrò temporum*, digna *qua noctuas, talpas, aliaq; o[bſcu]ra & lucifuga animantia, tenebris perpetuum damnatis ſtupefacit: Solas vero J[uvenes] alites, nobilioraq; ingenia, radiis ſuis illuſtrata exhilaret, foveat!* Fortuna[tum] feliciter iis eveniat, qui grata mente labores ſuos agnoſcunt: Ingratis vero [li]vidis, & luridis, æternùm plorent, ipſis volentibus, meritoq; ſuo, & vovem[us] & optamus, Amen. Scripſi VII. Calend. Maji. Anno. Chr. Diony[ſiano] M. DC. VII.

JUD-

JUDICIUM III.

Anonymi cujusdam,

ad

Guilelmum Pignorium

DE BARCLAJI ARGENIDE.

PRo transmissâ ad Nob. Peiresium mei commendatione & Barclaianorum in Argenide nominum explicatione, nunc tibi iterato, Vir CL. magnas ago gratias. Videram quidem jam ante Francofurtensi & Leidensi editionibus præfixos Nomenclatores: Sed illi semper mihi plus ingenii & diligentiæ quam veritatis habere visi sunt: Ideoq; quod meum judicium non tàm procul à vero abfuisse cognovi, non mediocriter exultavi. Quanquam autem statim à lectis tuis literis impetum concepi meum de totâ illâ scriptione Barclaiana in chartas conjicere, ejusq; judicii ut nuper promiseram te judicem facere: Tamen adeò festinus & abruptus fuit contubernalis mei, per quem ultimum ad te scripsi, ex hac urbe discessus, ut præter salutem tibi nuntiandam, nihil ei committere potuerim. Facies igitur quod faciles & benigni creditores solent, qui exiguæ nec affectatæ moræ rationem nullam habent.

Non satis audaciæ erat quod qui in Politicis ingenium superioribus annis exercuerunt, regnandi præcepta, ipsi magnam partem negotiorum expertes, principibus tradiderunt, nisi temerariis quoq; disputationibus de limitatâ Principum potestate, de subjectorum in dominos reservato, ut loquuntur, jure, de tyrannicidii justitia, aliis consimilis audaciæ thematibus sacrosancta sceptra lacessere ausi essent: Evulgato horribili imperii arcano, licere quoq; Principum vitiis irasci: Quibus sanè est quod acceptos feramus pernicioso de rep. sensu, infectos plurimorum animos, & inde secutam civilium odio, non adeò pervagatam insaniam atque rebellionem, his propugnatoribus, nunc velut legitimum nefas.

Nam si principum flagitia vitâ aut regnorum jacturâ multare, atq; evitare ob eam causam debitum obsequium licet, calumniandi materia patefacta, & improbis cupidinibus obseptum iter, hoc principalium peccatorum traducendorum licentia quàm tritissimum erit: Adeoq; quibus ob scelera & pœnæ metum maxima peccandi necessitudo est, aut quibus ambiguæ domi rei & ob magnitudinem æris alieni afflicta fides in pace, domesticis malis excidium patriæ opponere, & privata Reip. malis operire volent. Cum sui gradus nunquam satis patiens ambitio regiis erroribus perfidâ & malignâ curâ semper imminebit, suamq;

causam libertatis larvâ & boni publici prætextu velabit. Ita nunquam pacem habebunt regna, nunquam principes securi esse poterunt: Semper simultates, questus, indignatio, bellum deniq; gentium tranquillitatem turbabit.

Sed ad asserenda quidem inviolabilia principum jura *Gulielmus Barclaius*, aliiq; præclarissimi viri, ut exactam eruditionem, ita acerrimum studium attulerunt: Ipsum autem rebellionis ingenium, factiosorum prætextus, artes, fines, quid sperare, quid timere videantur, postremò viam ac modos, quibus contumaces obrui, eorumq; nimii spiritus infringi possint, in Argenide Joanni Barclaio depingere finis & consilium fuit. Et rebellionum quidem originem causasq; tot motuum, qui seculi nostri pacem turbant, ait esse nimiam antiquorum Regum facilitatem, segnitiem, patientiam, & incautam in magnates profusionem; qua prodantur imperii vires, aperiaturq; injuriis despecta majestas. Regiæ amicitiæ indulgentiâ conditum hoc culmen, hancq; aciem, ex qua hodiè factiosi pugnant in Reges. Quod ipsum quoq; inter Vestrates, *Trojanus Boccalinus* consimili cum immunitates, prærogativas, privilegia fontem rebellionum, semen zizaniorum, lapidem scandali appellat. Et sanè mihi quoq, ab hac unâ causâ esse videor non nisi ad proprium cujusq; libidinem exactum obsequium, & regiæ potestati vindiciis opposita murmura, questus & postremo, remedium ex armis.

Ita *Germania* ante in unius Imperatoris reverentiam intenta, nunc in varios dominos lapsa ipsi pænè excidit. Olim in *Gallia* Neustriæ, Armoricorum, Pictonum provinciæ duces comitesq; viribus suis tuti, veluti precario obsequio Regibus obnoxii fuerunt. In *Britannia* quoq; formidabiles principum opes atrocibus regnum cladibus miscuerunt. Hodiè deniq; ea tantùm imperia se furiis mactant, quæ per principes & libertatis imaginem studiis & factionibus trahuntur. Hæc de frequentium rebellionum causa Barclaji sententia est.

In titulum autem belli & colorem res publicas & privatas prætereo seditiosos docet: Nunc se insontes à Rege proditionis insimulari destinariq; suppliciis: Nunc nova portoria & vectigalia aliaq, prædandi vocabula quotidiè excogitari: Exanimati regni sanguine paucos hirudines expleri. Novis hominibus & peregrinis, exercitus, præfecturas, legationes, mandari, hocq; veteres & emeritas stirpes inexperto recentis potentiæ gaudio cedere: Coërcendam tyrannidem eorum qui principis facilitate abutuntur [illegible] dum labentem rerum statum. Has aliasq; factiosorum artes sub *Lycogenis* persona graphicè omninò Barclaius depingit: Sed quacunq, specie perfidiam [illegible] tueri & ornare volent, diu esse quod eandem alii rebelles maculârunt. Non salutis publicæ curam esse, sed ambitionem & quietis nescium ingenium, quicquid hi tales moliuntur.

Mod-

Modos quibus inquieti ſpiritus nimiæ potentiæ optimatibus excutiantur *Meleandri* actiones docent; expectare pœnitentiam, & ubi patientiâ nihil profeceris arma expedire, bellum interdum abrumpere & pacem aut inducias facere: Ut illi qui in tam improbum fœdus coierunt, ſpargantur, ægrè in unum redituri. Ita novis artibus ſpatium fore quo vel inter ſe commiſſos, vel conſeneſcente factione apud populum exoſos ſua impietas perdat, aut certè exſatiati inquietudine rerum novarum ipſi ſe ad reverentiam Majeſtatis recipiant.

Interdum neceſſarium conſilium erit, quod *Oloodemi* & *Eriſthenis* ſupplicio proponitur: Seditionum ſumma capita in aula prolecta majeſtatis damnare, in iisq; exempla facere: Item promiſcuum vulgus ad ſpem allicere arma ſine noxa ponendi & transfugiis nudare duces: Victoriis, opibus multare, quarum ſuperbiâ inflati, dominos laceſſere audent. Ignominia deprecationis elatos animos frangere: Magna imperia nunquam diuturna facere, arces caſtellaq; ambitionis munimenta exſcindere, alia deniq; quæ paſſim toto opere, præcipuè autem duobus *Cleobuli* ad regem orationibus exequitur Barclajus. Verum enimverò, quia nimis vulgata licentia imperandi regulas principibus præſcribendi non placebat, & plerunq; aliorum eventis doceri malunt: Hiſtoricâ narratione, quæ diximus ſuprà, docere commodiſſimum Barclajo viſum eſt.

Ne tamen invidioſè hunc aut illum principem, velut in ſcena traducere, & tanquam reos ad tribunal nominatim citare videretur, eos qui remp. turbant: Ac ita invidioſis exemplis, & periculoſa libertate uſurpata odio omnium par non eſſet; placuit grandi hac fabula, hiſtoriæ inſtar adornata inſcios circumducere per ſuaviſſimas ambages: Ut ne nimis quidem imago ſimpliciter extaret; ſed quilibet, velut in objecto ſpeculo, meritum ſuæ famæ agnoſcere poſſet. Fabula autem ne naturam exueret, & ubiq; grave ſupercilium malè ſumeret ab armis; à pudicis amoribus argumentum accipere debuit. Hoc utiliſſimæ lepiditatis commentum, nullum autori periculum creare poterat. (Vita enim, non homines notabantur.) Et eò plures ſtudioſioresq;, lectores habiturus erat, quod non quaſi docentem ſeverumq;, ſed tanquam nugantem in manus accepturi eſſent. *Multò enim pars major eſt*, inquit *Hieronymus* in præfat. libri X. in Esa. *Mileſias fabulas revolventium, quàm Platonis libros: In altero ludus & oblectatio eſt: In altero difficultas & ſudor mixtus labori. Deniq; Timæum de mundi harmonia, aſtrorumq; curſu, & numeris diſputantem, ipſe qui interpretatus eſt, Tullius, ſe non intelligere confitetur. Teſtamentum autem Grunnii Corocottæ Porcelli decantant in Scholis puerorum agmina cirratorum.*

Ex hactenus dictis ipſe mecum (*Gulelme Pignori*) judicabis ſupervacuam, ac dicam, ineptam eorum fuiſſe ſedulitatem, qui omnibus à Barclajo confictis nominibus, præter pauca, quæ cum eſſent hominum, Barclajo privata familiari-

 miliari-

miliaritate cognitorum, nulla diligentia eruere potuére, certas perſonas adaptarunt: Obliti ejus, quod Barclajus *Argenidem* ſuam *fabulam* appellat; teſtaturq; *imaginaria* ſe paſſim *vocabula*, ad ſuſtinendas virtutum vitiorumq; perſonas excitaſſe. Et profectò cum amores *Poliarchi* & *Argenidis*, qui utramq; libri paginam faciunt, fabuloſos nemo niſi emotæ mentis negare poſſit; fruſtrà quærentium labor erit, quis Poliarchus, quæ Argenis? qui *Britomandes*, & *Timandria*? quis æmulus *Archombrotus*, & raptor *Radirobanes*, & libertus *Gelanorus*, & nutrix *Seleniſſa*. Ut comœdiam Pleudoli & *Getæ*, & *Davi*, & *Chremetes*, & *Thais* faciunt; ita librum, Regiis amoribus, regiis odiis ſpiritibus deniq; regiis plenum, dignas hoc iras pectoribus concipere, perſonas implere par erat.

Nimiopere profectò abſurdum eſt, unius leviuſculæ conjecturæ lenocinio adductum; cùm ſexcenta alia abnuant, de re aliqua ſtatuere. Nam qui[illegible] probabilius, quàm Poliarchum & Archombrotum, conſiliis factisq; diver[illegible] uni perſonæ attribuere? *Seleniſſæ* regiæ nutricis, donis corruptæ perfidè a[illegible] ſecreta evulgantis, deniq; ferro ſuo cadentis ſchema *Catharinæ Mediceæ, Fra[illegible] Reginæ*, imponere? Ex *Aneoreſto, Allobrogum Rege*, Poliarchi educatore, ex p[illegible]gna elapſo, regnum vita ſolitaria mutante, *Clementem VIII. Pontificem* fac[illegible] *Radirobani Principi* juveni, præcipitibus conſiliis obnoxio, pro tuenda r[illegible] majeſtate, contrà rebelles Meleandro auxilia ferenti, intrà juventam in A[illegible] cæſo *Philippi II. Hiſpaniarum Regis*, cautiſſimæ prudentiæ ſenis, & contra *[illegible]ricum III. Galliæ Regem* (quem *Meleandrum* eſſe volunt) factioſos in regno [illegible]bus ſuis foventis in ſuo Eſcuriali mortui perſonam induere?

Prorſus ergò mihi certum eſt, ut amores, arma, odia, æmulationes, [illegible] prava honeſtaq; conſilia, perfidia, pericula, vota, ſatisfactio, omnia in A[illegible]de fabuloſa ſunt: Ita neceſſariò *Poliarchi, Argenidis, Archombroti, Rad[illegible] Britomandis, Timandræ, Hianisbes, Seleniſſæ, Gelanori*, & pleraq; alia, à B[illegible] excogitata nomina in neminem unum cadere; & in ſola Argenide, v[illegible] ſcena, conſiſtere. Quia tamen, quod ſuprà dixi, præcipuus Barclaio ſcop[illegible] ſub hac fabularum ſuavitate, *rebellionis gentium & artes, ac Principum pler[illegible] ex deſpicabili facilitate errores* docere: Non ſanè abnuerim, inſpexiſſe ipſ[illegible] ceterorum hominum actiones, & hiſtorias; quas deinde ſuorum nom[illegible]mulacris aptaret. Ita ſub *Meleandri* perſona *Henrici III. Franciæ Regis* [illegible] nec in injurias idonea ſeveritate acrem bonitatem libens agnoſco; & *G[illegible]* terorumq; *ex Lotharingica familia Principum* ambitio ſub *Lycogene, O[illegible] Eriſthene, Menocrito, Anaximandro* commodè intelligi poteſt. Nec *C[illegible] Villa-Regius* ſibi dedecorum putat. Deniq; in *Sicilia Galliæ* regni con[illegible] deſcribi facilè crediderim.

U[illegible]

Ut tamen manifestum esset, sub Meleandri larva non tàm Henricum Regem latere, quàm universè Principem nimia animi lenitate despicatui & insidiis facilem depingi: In Cleobulo non tàm solius Villa-regii, quàm arcani consilii præsidiis & * * hominis humanam rerum civilium scientiam imaginem extare. Et in *Lycogene* non simpliciter *Guisium* & impotentis animi & imperandi libidine ardentis ambitum, Largitiones Regis apud populum traducendi sceleratam solertiam, aliasq; turbidas artes in unam veluti tabellam coactas exhiberi. Plura Barclajus addit, quæ in notatos cadere non possunt. Nam *Henrico* non toti XXXIX. anni vitæ spatium fuerunt: Et cum ex Polonia ad Regnum patrium capessendum venisset, pleræq; illius partes bello & turbis fervebant; quæ ferri Meleandro, qui sub initia imperii pacata omnia habuisse atq; adeò nimiâ felicitate laborâsse à Barclajo dicitur, convenire non possunt. *Guisius* cum fratre Cardinali in Comitiis Bloesensibus inquietos spiritus cum sanguine emisit: In ipso Regii cubiculi ingressu Regis jussu confossus: Quod cum Lycogenis in acie cæsi exitu parum congruit. *Villa-regius*, Henrici Regis gratia excidit, domumq; relegatus est, quod cum Cleobuli fortuna minimè convenit. Ut inde minimè mihi dubium sit, Barclajum in Meleandro Lycogene, aliisq; plerisq; pingendis, non ab Henrico tantum & Guisio, sed à quicquid uspiam in historia egregii praviq; legitur colores petiisse.

Reliquorum autem nominum minimè incerta explicatio est quæ præfert indiculus tuus. Nam *Mergania* per literarum *μετάθεσιν* *Germaniam*, & eodem involucro *Usinulca Calvinum*, *Derreficus Fridericum* Palatinum, *Ibbarranus* Cardinalem *Barbarinum*, qui nunc Urbanus VIII. P. M. *Dunalbius* Cardinalem *Ubaldinum* significant. Quos duos posteriores viros in aula Romana virtutis dignatione famaq; eximios certiori immortalitatis dono, quam quo Ulyssem Calypso * * erat, sibi Barclajus ut Romæ novus homo obstringere voluisse videtur: Nec minus *Antonium Querengium*, magnum tuum amicum, utriusq;, ut loquuntur, signaturæ Romæ Referendarium, virum summæ eruditionis; quem *Antenorium* vocare lubuit, quod *Patavio, Antenoris urbe* oriundus esset. *Hieroleandri* larva *Hieronymum Alexandrum, Aleandri*, Cardinalis ex fratre, nepotem tegi, nominis similitudo, & Aldina Catella ostendunt.

Vidi Romæ apud Casp. Scioppium V. CL. multorum poëtarum, ingenio per otium abutentium, carmina; quibus *Aldena ex partu obitum* lugebant. *Barbarinum*, Florentiæ notum, *Lydum* appellat: Quia *Tyrrhenus*, Hetruscæ gentis conditor, *Lydus* fuisse traditur, ut referunt *Dionys. Halicarn. in primo Antiquitatum*, *Val. Max. l. 2. Dict. & Fact. memor. & Myrsilus Lesbius lib. de Orig. Ital. & Tyrrhenorum.* Quo etiam intuitu *Concinnus Anchra Marchio*, cum

conjuge par conjugum ex Lydia vocantur. *Somerseti Comes*, & uxor, in Anglia aliud par conjugum ex Phrygia dicuntur: Quam ut Gedfredus *Athuras Monumetensis*(cujus tamen historiam fabularum ineptiis refertam *Gulielm. Nebrissensis* ostendit) prodidit. Beatus quidam ordine Trojanus, filius Sylvii, Nepos Ascanii, patria profugus Græciam petiit ibiq; progeniem Heleni è servitute vindicavit. Inde * * oraculo monitus per columnas Herculis in *Aquitaniam* pervenit, *Gosarium Pierium*, Aquitaniæ regem profligavit; urbesq; Turonum constructa & Gallia vastata, in Britanniam à Gigantibus habitatam, transiit; eiq; ex suo nomine appellationem fecit.

Procerum primi in aula *Aquili* & *Hippophili* sunt Melchior *Cleselius* & *Franciscus Gomezius, Sandoralius* Dux Lermæ. Hi post exhaustum immensæ potentiæ cursum ad purpuratum sacerdotium, tanquam ad aram confugisse à Barclajo dicuntur; quia *inter maxima pontificia potestatis arcana est, Cardinales sanctos & inviolatos, nec ulli profanæ potestati obnoxios esse*. Hinc S. Thomæ Cantuariensis, Georgio Martinucio, Guisio & Cleselio Cardinalibus, ut sibi factas injurias, graviter semper Pontifices ad animum revocarunt. *Calvinianos* ut suo ingenio superbè nimis fidentes græco etymo *hyperophanios*, appellat, & *Bethlehemium Transylvanum, Paranhylaum*; eadem ratione, qua *Sylvium*, Aeneæ filium, Græcè *Hylaum* interpretatur *Dionys. Halicarnassæus*.

Hæc mihi sola nomina, certis personis à Barclaio destinata, videntur; nec elucidatio tua plura habet, quam quia ab ipso *Haleandro* habuisti. quem Barclaji amici sui, sensus optimè novisse credere est. Certum habeo reliqua omnia ficta & inania simulacra: In quibus tamen & reliquo omni commento egregiè τὸ πρέπον observatum est. Hinc in Gallia *Comindoriges*, in Africa *Jubas*, *Hiempsales*, *Micipsas* invenit Barclaius, Timocleam feminam Siculam Epityro [illegible] cos excepisse ait; quod id * * genus *Varro VI. de L. L.* testatur in Sicilia ususitissimum fuit. Eandem *Timocleam*, ait, cœnam suprà ceterorum Græcorum mollitiem curâsse: Quia scilicet Siculi deliciis infames erant, ut inde Σικελικὴ τράπεζα teste *Suida* in proverbium abierit: Quò *Plauti* locus in *Rudente Prol. v. 53.* pertinet:

> *Infit lenoni suadere, ut secum simul*
> *Eat in Siciliam: Ibi esse homines voluptarios,*
> *dicit: Potesse ibi fieri eum divitem:*
> *ibi esse quæstum maximum meretricibus:*

Epirotos descriptio pænè ad verbum ex *primo* historiarum *Polybii* descripta est. *Archombrotus* quanquam Græcè sciret, tamen rusticam Siculorum linguam non intellexisse fingitur: Siculos enim etsi Græcè, pessimè tamen locutos esse, ex illo *Plauti in Manechmis* constat. *Prol. vers. 11.*

Atq; adeò hoc argumentum Graciſſat tamen,
Non Atticiſſat, verum Siciliciſſat.

Medicus Afer *Themiſon* dicitur, quod hoc nomen qui magni haberi in arte Medica volebant, boni omnis causâ ſumere ſolebant. Meminerunt *Juvenalis Apulejus in Apologia & Seneca in Epiſtolis*, de ignium publicorum, quos Angaros Barclaius nominat inſtituto, quæ *libro 1.* de morte minimè fabuloſa ſunt. Nam & *Ariſtoteles lib. 1. de Mundo & Apulejus* ejus mentionem faciunt. *Apuleji in lib. de Mundo* hæc verba ſunt: *Duces ac Satrapæ* (apud Perſas) *ubiq; diſpoſiti, & permixta locis omnibus mancipia regalia. Ex eo numero erant excurſores diurni, atq; nocturni exploratores; & per vices incenſæ ſunt faces ex omnibus regni ſublimioribus locis: In uno die imperatori ſignificabant quod ſcito opus.* Eundem morem apud Anglos vigere, *Polydorus Virgil. lib. 25. Hiſtor.* refert his verbis: *Qui Oceanum accolunt, in vicinis tumulis lucernas, pilis affixas, locant: Ac ubi ex hoſtium adventu major illuſtrior res accidit, ſubitò lucernas accendunt, clamoreq; per agros & regiones ſignificant: Hinc alii deinceps excipiunt, proximisq; eodem modo ſignum edunt; atq; ſic celerior ad omnes vicos & urbes fama perfertur; & agreſtes civesq; ſe adverſus hoſtes armant.* Angari Perſica voce veredarii ſeu tabellarii celerrimi dicuntur, quod me ex Suida & Heſychio docuit *Barn. Briſſonius in lib. de Reg. Perſ. princ.* quam vocem Barclaius ad publicorum ignium commentum appoſitè transtulit.

Meleandri, de reperto Gigantis cadavere, narratio expreſſa eſt ex hiſtoria, quam *Thomas Facellus Rer. Sicul. dec. 1. lib. c. 6.* in hunc modum refert: *A. Salutis c I) I) XLVIII. cum Georgius Adornus Genuenſis Eques Joannita claſſis tùm ordinis ſui præfectus Syracuſis hyemaret, venatum aliquando in agrum Syracuſanum Gereates olim dictum, egreſſus eſt. Qui dum venationi ſtudet, canis in venatu ſolers & ſagax omnes ſpeluncæ ſubterraneæ & latebroſa naribus & unguibus ſcrutatus, cauda & latratu venatores advocat. Equites, qui cum Georgio advenerant, prædam rati, equis citatis accurrunt. Sed ubi oſtiū ingentis ſpecus ſolùm vident, eo relicto, venationem retrò perſequuntur. Poſtridiè verò Georgius, remigum manu aſſumta, ad ſpecum eandem, aurea veterum numiſmata, quorum ibi thecas crebrò reperiri contigerat, quæſiturus, regreditur. Spelunca ore vi patefacto, ſcalis, quas ibi in vivo ipſo lapide exciſas, aditum monſtrantes, offenderat, in antrum profundum deſcendit, ingreditur, cuncta explorat, tandemq; pro ſperatis nummis cadaver hominis XX. cubitorum reperit. Quod ubi membratim mirabundus ſtupensq; examinat, pars capitis, coſtæ & crura (ceteris partibus in putrem cinerem ventumq; ſolutis) ex attrectantium manibus ſola integra decidere. Quæ pro miraculo*

raculo Georgius quamprimum omnia, præter duas molas, ad Joannem Homedeum militiæ magistrum, Melitam transmisit.

Afros *Cœlestem Deam* præcipuo cultu venerari, omninò ex historicâ veritate Barclaius refert. Sed quam ille *Venerem* appellat *Herodianus* lib. 5. *Lunam* esse dicit. *L. Apulejus* Afer Junonem esse credidit in his verbis: *Magni Jovis germana & conjuga sive tu Sami, quæ querula partu tuo vagituq; gloriatur, tenes vetusta delubra sive celsæ Carthaginis, quæ virginem vectura Leonis cœlo commeantem percolit, beatas sedes frequentas &c. Præterea D. Ambrosius,* contra Symmachum *Cybelem* esse mavult. Ejus hæc verba sunt: *Unde igitur exemplum, quod currus suos simulato Almonis in flumine lavat, Cybele? Unde Phrygii vates, & semper invisa Romanis non æquè Carthaginis numina? quam* Cœlestem *Afri,* Mythram *Persæ, plerią;* Venerem *colunt pro diversitate nominis; non numinis varietate.* Non tamen illam sine auctore *Venerem* dixit Barclaius. Nam & Platonici omnes, *Apuleius* præcipuè *in Apologia,* & inter recentiores in convivio *Marsilius: Ficinus,* de Cœlesti Venere & duplici amore sapientissimè disputant, & *Pausanias in Arcadicis* tres Veneres facit: *Cœlestem, Vulgarem,* & *Tertiam* sine nomine.

Duobus tamen in locis dormitâsse, mihi Barclaius videtur 1: cum in carmine, quod incipit, *Alma soror Phœbi &c.* Afros inducit, Dianam ad apro[illegible] (qui teste *Plinio lib.* 8. in Africa nulli sunt) venationem invocantes his versib[illegible]

> \- - - - *tu nostris annue donis,*
> *Et cum spumiferos junctis in retia campis*
> *Impellemus apros, & cum tibi sacra feremus*
> *Non occulta veni* - - - - -

Nec commodè dici poterit, de importatis in Africam apris intelligi ista debe[illegible] Nam hoc fortasse de cervis & capreis, quas nec gignere Africam, is, quem d[illegible] Plinius adfirmat, verum sit; Ursi & apri nemoribus & in venationis volupt[illegible] septis saltibus non includuntur. Et Barclaium de opertâ venatione loqui, [illegible] verba ostendunt. Deinde in eo quoq; impingere videtur, quod *lib.* 5. *Cun[illegible]lariam* insulam in angusto *freto, quod à Sardinia Corsicam dirimit,* ponit. Q[illegible] tamen aut quas potiùs (plures enim sunt) tabulæ Geographicæ in ipso [illegible] *Calaritano* locant. Sed hæc levia sunt; & unus alterq; nævus de m[illegible]g[illegible] corporis pulcritudine nil detrahunt. Vale, *Excellentissime Vir,* & inep[illegible] mearum, quas tamen non potui in arctius contrahere, prolixitati ignosc[illegible] etiam atq; etiam rogo. Idib. April. A. cIↄ Iↄc XXIIX.

JUDI-

JUDICIUM IV.

EUROPÆ,

DE MORBO CARDINALIS RICHELII.

A. S. cIↄ Iↄc XLII.

LAboravit tecum Europa pænè universa, Cardinalis Eminentissime; publicus fuit morbus tuus & privatus; sensere tumorem brachii tui omnes manus, & uno abscessu omnis pænè Orbis intumuit.

Sed non idem de te omnium sensus: Doluerunt tecum omnes boni; extulere caput vitia, laborante virtute; apparuerunt in te amores & odia populorum; speravit victoriam hostis, si brachium Galliæ defecisset; inchoarant de te homines malæ fidei tragœdiam; fecisti comœdiam, dum læto exitu actores fefellisti.

Placet percurrere affectus nationum, & convalescenti tibi exhibere fabulam, quam tu ipse fecisti. Primus affectus Galliæ fuit: Hæc, si res gestas aspiceret, amabat auctorem; si res futuras, dolebat esse mortalem. Quis (ajebat) retinebit fortunam Galliæ, cui tu, RICHELI, trabs eras, & cardo, ne caderet? quis evolvet eas artes, quibus tu Europam implicâsti, ut Gallicam faceres? quis antevertet Hispanorum consilia, ne priores sapiant? quis præoccupabit agenda, ut desit, quod agant? quis ostendet nuditatem nationis, quæ extrà Hispaniam gloriatur armis alienis, & intrà patriam vix se tuetur suis? quis invitabit populos ad libertatem? quis ostendet singulis, quid possint? quid adjuvabit, ut posse velint? quis conciliabit pacem orbi, tunc justam cum suum cuiq; restituet, tunc securam, cum orbis unam domum non metuet? Hic erat de te Galliæ sensus: Si qui aliter sentiebant, foris Galli, intus Hispani aut hostes erant. Longè alius de se erat Hispanorum sensus. Ex iis qui boni sunt, optabant te citò beatum, ne eos miseros efficeres; iidem precabantur tibi æternitatem, ne tu totum hoc seculum Ludovicæum redderes; addebant Lusitaniam brevi ludum fore, si tu cessares ludere; atqui hi minus mali. Qui minus boni erant, paulò asperius de te sentiebant. Ille duorum regnorum jacturâ mortem tuam emeret, ne tu plura regna superares. Ille amissam vellet Italiam, ut tu Hispaniæ parceres. Hic benè sperabat Catalauniæ, dum de te sperabatur malè. Hic metuebat Valentiæ, si tu benè valeres; omnes æternam tibi quietem precabantur, ne tu Hispaniam perturbares.

Sed quis explicet Italiæ sensus, quos ipsa sæpe dissimulat, etiam dum publici sunt? Mirabatur *Roma* alienum periculum, nec sentiebat suum. *Venetiæ* spectabant tempestatem ex portu, tunc otiosæ, cum ubiq; tempestas est. *Neapolis* spondebat se novam, si tu sponsus esses: *Sicilia* memor vesperæ, verebatur mane. *Florentia* id unum cogitabat, unde floreret. *Genua* oderat antiquos dominos, & timebat novos: *Mediolanum* inter spem & metum libertatis, media erat: *Alpes* Cisalpinum te optabant, antequam æternus esses. *Fœderati Principes* timebant libertati publicæ, si publicus libertatis minister occidisset.

Nec levis erat dissensio Germaniæ de morbo tuo, quia gravis erat de Imperio. Timebant omnes domus unam domum, metuebant omnes venti unum Austrum: Verebantur omnes aves unam Aquilam: Aquila ipsa libertatis amans frustrà bicipitem se ajebat, si semper unum respiceret terrarum cardinem: Belgæ amarent gentilitium Gallum, nisi Leonem timerent: Sequani nec Galli esse vellent, nec Hispani. Helvetii servi esse volunt, & liberi. Sed ad hæc consilia requirebatur ingenium tuum, & ad opera brachium.

Neque idem erat de morbo tuo Angliæ sensus. Optabat illa te redivivum sibi, si perires Galliæ: Haberem, inquiebat, Senatores, non Reges, si Regius Minister esses: Tres insulæ unum regnum essent, non triplex; divideret eas mare, non fides: Rex meus coronam gereret, non tiaram & brevi Mariæ fi... vellet esse Marianus. Hic ferè erat de te Europæ sensus: RICHELI, ex...cuisti populorum judicia, dum exerceris: Probâsti te Cardinem Orbis esse, ...cussisti Europam dum nutasti; agnovimus te solum esse ex eclypsi, quàm s...bre Galliæ sidus esse, nunquam melius quam ægrotans docuisti. Laborare ...a est universa Gallia te laborante, nunc salus tua communis omnium bono... lætitia est, omitto aliorum lætitias, ut explicem gaudia Ludovici. Triumph... gaudio Ludovicus te convalescente, quo benè valente toties triumphavit: N... jucundior ei nuncius accidisset, recuperatæ alicujus provinciæ, quàm tuæ valetudinis, in qua tot recuperandæ provinciæ vertebantur: Visere te, non vide... voluit Ludovicus, & ardens amore tui occurrit ultrò tuæ valetudini, quam ...nientem expectare non potuit. Quam suaves illi amplexus regii! aperire p...rant sinum ulceris, si nondum planè patuisset; quam gloriosæ illæ laudes re... & publicæ! quam fidelis illa responsio tua: Recusaturum te vitam, nisi ut ...a Ludovico consecrares! Nec importuna vox illa militaris inter amplexus vestro... Benè valete ambo, & nostris ensibus cetera permittite! Restitutus ergo ..., RICHELI, non tàm tibi, quam Regi & Galliæ. *Quantum amant Gall... superi, qui maturo ad cœlum Richelio adhuc carere voluerunt, ut eum Ga...e ...rum commodarent!* Quantum amat Galliam Richelius, qui cum immortali...

me...

metas attingeret, adhuc mortalis esse voluit, ut Galliam redderet immortalem. Incipit novos triumphos sperare Gallia, dum te videt de morte triumphantem. Nec tu ob aliam causam vinci adhuc à morte noluisti, nisi ut victorias de hostibus nostris absolveres. Eos triumphos restituta tibi sanitas persuadet, quam superi non reddidissent, nisi diuturnam esse vellent; & diuturnam esse nollent, nisi Galliæ & Europæ gloriosam esse decernerent.

VIVE ET DE NOSTRIS LONGOS DEUS AUGEAT ANNOS.

JUDICIUM V.

Andreæ Dinneri JC.

DE TRIBUS CAPELLIS

Casp. Schoppii:

FUr, vespillonis filius, ne nihil ageret, quod salvo honore poterat, vel ne potius cum Attalo Martialis mulas ageret, capellas agere ac minare instituit. At vereri debuit, ne contrà se cornua, quod dicitur, triga ista capellarum ferret. Multis enim bestiæ fuerunt exitio: Ipsæ autem bestiæ sibi maximo semper & certissimo. Sed nulla pauperies quadrupedum cum hoc damno conferri potest, quod impudentia & maledicentia dant homini, quod ambitio infert, quoq; eos mulctat scelerum conscientia. De hoc damno nihil lex XII. Tabularum constituit, nihil prætor edixit. Adversum capellas ergò auctor agat necesse est, easq; Jure Hispano in noxam sibi deditas tantum agat, quantum & potest & valet.

Casaub. ep. 540. ad Scaligerum:

At ὁ τρισκατάρατος Ratisbonæ triumphum agit de veritate Dei, & virtute tua ac parentis tui triumphata. Non puto eum, esse qui Tres capellas edidit scriptum (Deus bone!) inficetum, impium, diabolicum. Symmachum ejus vidisti, & quomodo Lectium, & Juretum, virum de literis optimè meritum, excipiat.

JUDICIUM VI.

Andreæ Dinneri JCti

DE TOLLENDO PENNALISMO,

in quodam Programmate.

SEnatus inclytus Reip. Noribergensis, tot honestissimis & saluberrimis legibus in Universitate ista latis, nihil actum credit, nisi consuetudini quorun-

dam pravæ ac barbaræ, qua nihil vel ad infamandam, vel etiam dissipandam eandem Universitatem, exterminandamq; ex eis honestatem, & disciplinam omnem efficaciùs esse potest, in ipsis principiis occurrat; & cum hac veluti Excetra bellum suscipiat: Eam, barbaro nomine PENNALISMUM vocarunt; quam verò nomine *pandecten quandam inhonestissimorum facinorum; vis nimirum tàm publica quàm privata, injuriarum, psalteriorum, canticorumq; famosarum, furtorum, deprædationum, vulnerum & cædium, grassationum nocturnarum, debacchationumq; cum Stentoris clamoribus, & comitis hujus assidua Ebrietatis* dicere debebant. Compertum siquidem habet idem Senatus inclytus ex querimoniis quotidianis, plerosq; parentes, non modò fama latrocinii hujus domestici, gliscentisq; indies in Universitate ista contagii, deterreri, quò minus suos huc ablegarent filios: Verùm etiam quos magnis sumtibus eò adduxerint, pœnitentia metuq; μεγάλης κακοθελίας motos confertim inde abducere, consilium cœpisse. Quod ne eveniat, omni studio & contemplatione præcavendum ratus, officii sui esse judicavit, quàm severissimè in grassatores hoc genus vindicare; omnemq; movere lapidem, ut in ipsa velut herba omnis pestis honestatis & virtutis comprimatur.

I.

Convictis igitur PENNALISMI, quem in novitios ad Universitatem hanc advenientes tyronelli isti exercent, pœnam relegationis, & aliquando circumstantiis id merentibus, *cum nota infamiæ*, inposterum Ordo Nobilissimus denunciat ac statuit, qui invito novitio, vel invocati violenter in alienas ædes, vel habitationes ad concussionem illam exercendam irrupisse probati fuerint; vel etiam, ut convitii aliquid extorquerent, ostium occentarint, fenestras flagellarint, aliaq; his similia suprà commemorata consciverint.

II.

Sed etsi in volentem novitium sese hoc genus maleficii exercuisse prætenderint, ut hactenus sæpè factum; quia tamen pessimi exempli res est, & vix unquam tale quid, absq; metus incussione, vel flagitationibus improbis, ac persuasionibus subdolis, quæ dolum arguunt, evenire potest; nihilq; in his rebus [illegible]rius est eo, quod Ulpianus alicubi dicit: *Persuadere, plus esse, quàm com[illegible]*
Idcircò motus indignitatate rei Amplissimus Ordo, eum, qui hoc perpetra[illegible]
„ carcere *decem* dierum, *subtractis omnibus intemperantiæ instrumentis*, [illegible]
„ *pane & aqua relictis*, mulctandum censuit. Ita quidem, ne in arbitrio Re-
„ ctoris, vel Senatus Universitatis sit, quicquam de numero dierum ejusmodi
„ reis remittere; aut mulctam pecuniariam, in locum carceris pœnæ, [illegible]
„ tuere.

III. Hæc

III.

Hoc ampliùs reservandum sibi duxit Senatus Amplissimus, ut pro atrocitate circumstantiarum, violatores legum harum *ab alterutro Magistratu Universitatis, vel Oppidi, pro diversitate jurisdictionis & facinorum comprehensos*, inq; custodiam datos, alibi quoq;, *extra Oppidum & Universitatem hanc*, condignis pœnis afficere possit, & velit.

IV.

Postremò autem paternè hortatur omnes Universitatis hujus cives, ut Lernam hanc vitiorum odisse, quam executionis, quæ parata est, severitatem experiri malint; ejus memores, quod, *quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, quæq; contra bonos mores fiunt, ea nec facere nos posse, credendum est.*

JUDICIUM VII.
Christ. Adami Ruperti
ad
Δοκησίσοφον quendam.

S. P. Verissimam hanc esse puto de *Annii Viterbiensis* somniis eruditissimorum, acerrimoq; judicio præditorum hominum, censuram; nec nos moveat, quod quidam aliter sentiant, sive censeant. Judicant enim cœci de coloribus. Non enim labrotenus gustâsse literas; sed earum, ac præsertim Græcarum, ingenti flumine pectus inundâsse, nec gustum duntaxat aliquem modicum Antiquitatis hausisse, sed ipsam universam percalluisse, &, ut sic dicam, concoxisse oportet, qui in hisce talibus judicis partes sibi sumserit. Ex hac verò notâ sunt illi summi, & de Rep. literariâ præclarissimè meriti viri, qui de suppostitiis istis Scriptoribus sententiam tulerunt, Pseudo-Philone, inquam, Beroso & Megasthene: Quem planus idem Italus Annius monachus Metasthenem proscribit. O os! ô frons! Scriptorem pro vero & genuino aliis obtrusum ire, cujus ne nomen quidem scias? Taceo, quod isthoc nomen omninò Græcum non est. Quomodo igitur è Græco Latinum, vel saltem (quod tu vis) ejus Epitomen nobis concinnârit, qui in ipso auctoris nomine tàm prodigiosam Græcæ linguæ ignorantiam prodat ac præferat? At Gothofredi auctoritate, [*Gothofr. è lateritiis aureos facere volebat, ut de Roma Augustus*] plurimum hîc commoveris. Fuit sanè vir ille plurimæ lectionis, & indefessi prorsus studii JCtus; Sed enim hîc in alieno foro litigat. Quid? quod ejusdem, ubi præsertim humaniores literas &

hæc Critica tractat, insignem ἀκρισίας & pueriles prorsus hallucinationes pridem viri docti notârunt? An ignoras, quantoperè cum Commentario suo in Senecam vapulârit ille *Grutero?* Quem risum ipsi *Lipsio* (qui tamen amicus illi fuit) suis INEPTIIS expresserit? Quid verò *Giphanius*, aliiq́, doctissimi Jureconsulti de ipso senserint, scimus è seniorum colloquiis. Noli igitur, mi homo, insectari viros summos, & quibus in omni re literaria, maximeq; in eruenda Antiquitate, excutiendaq; ratione temporum pares nulla unquam habuit ætas: Nec arrosionem sive lancinationem alieni nominis interpretare, Veritatis assertionem adversus impostorem illum Italum. Si verò juvat è γνησίων illorum scriptorum fontibus bibere; legas, suadeo, veterum illorum Græcorum fragmenta, quæ posterioribus Editionibus divini illius & toti Mundo stupendi Operis Josephi Scaligeri de Emendatione Temporum adjecta sunt; & quæ vir idem omni laude major luculentissimis Annotationibus illustravit. Idem literarum columen in Epistoliis alicubi (quæ post ejus obitum in unum volumen redactæ, lucem non ita pridem iterum adspexerunt) Daretem Phrygium, Dictyn Cretensem, compluresq; alios ὑποβολιμαίους quoq; esse scriptores te docebit. Quæ quum ita sint, Modestiæ posthac litemus, censeo & seriò imbibamus illud Romani Sapientis: MULTOS POTUISSE AD SAPIENTIAM PERVENIRE, NISI SESE JAM PERVENISSE CREDIDISSENT.

Benè vale, & monitum ab amico animo profectum in bonam partem accipe: Nec livorem, nec simulationem interpretare hunc meum, aliorumq́, benè meritorum candorem.

SPI-

SPICILEGIUM
POST MESSEM
ILLUSTRIUM EPISTOLARUM,

Quas
Viri Celeberrimi,
Vict. de Rubeis, Jos. de Aromaticis, Cæs. Cremoninus, Andr. Spigelius, Jo. Rhodius, Jo. Benedictus, Jo. Meursius, Guil. Harvejus, Jo. Walæus, Vopisc. Fort. Plempius, P. Laurembergius, Matth. Berneggerus,
AD
CASP. HOFMANNUM,
aliique ad alios
scripserunt.

Victorius de Rubeis Caſp. Hofmanno.

PRiſci illi Medicinæ proceres, non humanis tantùm, ſed & divinis propemodum laudibus, etiamnum extolluntur, quòd ea, quæ aut ab ipſis inventa, aut illis veriùs à Deo infuſa aliquando fuit, artis aſclepiadæ ſcientia, pereunti, variis ex morbis, hominum generi, præſtò fuêre. Tu verò, *Hofmanne doctiſſime*, quomodo unquam ab aliquo, vel dicendi gloria Clariſſimo, ſatis pro meritis laudatus ab iis, qui hac tempeſtate, vel in ipſis, qui & Dii aliquando habiti ſunt, benefactoribus, tu tanquam alter occurrens, ex improviſo DEUS benefacis, eorumq; præclara ingenii monumenta, Orbi ſarta tecta reſtituis? Hinc eſt nimirum, quod ſi tamen hanc ſingularem in omnes beneficentiam diligam, ſi etiam obſervem; quod meum eſt, faciam; imò ſi & ceteri eorum omnes. Atq; utinam in partem iſtorum Herculeorum propè laborum & gloriæ, tanquam olim Theſeo, & mihi venire liceret. Aut faciè ſaltim apud nos, ut elapſis ſuperioribus, ita & hoc labenti ſeculo reperiren[illegible], qui ſimilium capti ſtudiorum amore, non diſſimilem ſibi apud poſteros [illegible] ,, riam compararent. At ſecus interim audit, & indeteriora procurrunt [illegible] ,, verſa, ut (juxta Venuſinum) *Ætas parentum pejor avis*, verè *nos tulerit* [illegible] *quiores*. Tu tantùm unus es, *mi Hofmanne*, cum paucis excipiendus. Ac [illegible] me tranſmiſſum opidò quàm eruditum opuſculum (quod aliorum tamen ing[illegible] tia, ſuo ſententiarum pondere, exæquet volumina) conjecturæ ſit; mihi ip[illegible] deris, in iis, quæ paras, non me, non quovis alio Theſeo, ut Hercules, indigere. Tu unus operi, tu tantæ ſufficiis ſubſtructioni. Es etenim, ut eſſe videris, excellens idem Medicus, idemq; Philoſophus; & utrinq; tàm Græcæ, quàm Lat[illegible] linguæ, ut qui maximè, ſpiras eloquium. Qui ego, quamvis vix Grajas à limine Muſas ſalutaverim, vero tamen verius eſſe non dubito, quin familiaritate mi[illegible] hac Aula conjunctiſſimus, Attica vir eloquentia, Romanaq; præpollens, id [illegible] ſedulò, tuo tantùm inſpecto per tranſennam libello, affirmabat. Quod au[illegible] ſupereſt, literarum tuarum non eſt, quod in reliquo ipſe, quid ſentiam requ[illegible] In eam enim pedibus, & quidem libenter eo ſententiam, libera ut cuiq. ſit ſem[illegible] ad philoſophandum, patenſq; via; ſincero tamen quod fiat animo, & dili[illegible]ter indagandæ propalandæq; ſtudio veritatis; ut magno, ſicut olim Philoſoph[illegible] ita & medico illud proferre, tandem aliquando laudi tribuatur: Φίλος ὁ Γαλην[illegible] φίλος ὁ Ἱπποκράτης, φιλτάτη δὲ ἡ ἀλήθεια. Cujus ipſe veritatis ſtudioſus c[illegible]

ſu

sis (esse autem semper debet, quisq; studiosissimus) mirifica earum à te expectantur omnia. Interim DEUS Ter Optimus Maximus te servet incolumem, tuaq; omnia, propitio semper numine secundet. Vale. Scrib. Florentiæ d. 23. Jul. cIↄ Iↄc XXI.

Idem Eidem.

Cum præ curis aulicis, quibus distineor, tuis parere mandatis non potuerim; alteri in tui gratiam ea committere, opportunè satis judicavi. Præ ceteris doctis viris, ac necessitudine mihi conjunctis, mihi visus est *D. Claudius Belgardus, Gallus*, & à Secretis Serenissimæ Christianæ, magnæ Ducis Hetruriæ, cui provinciam conferendi libellum περὶ χυμάτων Galeni, cum codice Mediceo demandarem. Ille ut doctissimus, ac humanissimus libellum, & quidem libenter, ea, qua potuit diligentia, contulit; quem cum adnotationibus ad te mittit, ac tuo acri judicio, sintne ad mentem auctoris, quæ emendata sunt, poteris judicare. Vale Florentiæ. Cal. Julii, cIↄ Iↄc XXVII.

Josephus de Aromaticis Eidem.

Redditæ sunt mihi litteræ tuæ gratissimæ, ab erudito viro, & moribus ornato, *Johanne Jacobo Hegio*, utriusq; nostrum amantissimo. Ex ipsis magnam cepi voluptatem; quòd cognoverim, te optatam de me habere opinionem. Semper enim id summoperè expetivi, ut mea tibi nota benevolentia foret. Quod sperabam facilè; cum ex tua eruditione magna, & nominis decore fuerit exorta. Quid enim tibi notius credendum erat, quàm quòd tu ipse peperisti laboribus, vigiliis, & solida doctrina? amorem scilicet eorum, qui virtutem colunt. Tuum pulcerrimum opusculum *de Lienis usu*, jamdum legi, cumprimùm nempè transmisisti magno nostro Cremonino. Habui siquidem tum temporis ab eo, ut non solùm legerem, sed & ejus quoq; nomine responderem tibi. Audio libenter, quòd rursus cuderint; imò curabo quoque, ut transmittant; & eò quidem anxiùs, quòd duo reliqua non vidi. Hartigius noster te certiorem faciet, me tibi obsequentissimum futurum. De *Folio* sic se res habet. Ex Hippocrate docueram, eos, qui medicinæ gratia sunt me secuti, *fieri obstructiones quasdam, in vasis cordis*, (qua de re Deo dante, fortè quædam publici Juris faciam) & ex *Botallo* in aliquibus servari adulta jam ætate, quod ovale foramen dicitur; & hæc oculis subjeci, ut viderent: In quibus autem & qua de causa hæc eveniant, videndum potiùs duxi. *Ordinus* quidam, cui de ovali foramine renunciaverat discipulus quidam meus, eo jam defuncto, hujus rei se inventorem facit. *Folius*, qui menses aliquot mecum fuerat, ac à mea consuetu-

dine discesserat, id à se inventum dicit: Imò & librum, adjuvante amici cujusdam calamo, hac de re conscribit. Rem audio. *Botallum* inventorem dico. Is nonnullis de Botallo, malè quid additis, ambitioso indulget genio, suadenti, hinc ad gloriolam iter adapertum sibi & publici juris facit, iis quoq; additis, quæ ad vasorum cordis obstructionem viderat; sed malè, & præter rem detortis. Tunc, me curante, sententia Botalli auditur. En *Veslingius* adest. Jamq; de ovali foramine in adultis agitur; Galenum inventorem jactat. Sic nobis pensitatum fuit, an Botalli placitum fuerit à Galeno cognitum? Renunciat causæ, & ad jurgia se convertit Folius: & hucusq; silet alter. Sed ista potius sunt digna risu, quàm narranda tibi. Vale, Vir celeberrime, & me ames, rogo. Venetiis. Non. Jun. M. DC. XL.

Cæsar Cremoninus Eidem.

PErgratæ mihi fuerunt litteræ tuæ; ita jucundum est audire, sui memoriam apud bonos amicos, aut viarum distantia, aut temporis diuturnitate non esse abolitam. Accepi etiam omen vitæ longioris, quâ mihi gratularis. Utinam essem is, quem dicis! qui sic possem huic seculo prodesse, quod tu facis; ut video in tuis scriptis de liene, hortans, ut Aristotelem non deseras.

„ Puto enim, non solùm de bono medendi munere aliquid ex illius do„ ctrina non detrahi, sed multum posse amplificari, rebus ad humanam consti„ tutionem attinentibus, præclariùs cognitis. Ego quidem paululùm interrupi consilium, *de Hominis Peripatetici structura constituenda*, ab alia studia, quibus fui implicatus; resumam aliquando, facturus *Apologiam dictorum Aristotelis, adversus Galenum, illi contradicentem*; & aliquando immodestiùs insidentem. Tu perge, quæ cœpisti, in hoc tuo, *de usu lienis*, valdè erudito opusculo; sicq; hærebis, Aristoteli, ut profiteris, tanto gloriosiùs id facies, quantò remotiùs ab horum temporum consuetudine. Quod attinet ad *quartum Meteoron*, nunc sumus in Explicatione aliorum trium; quæ omnia aliquando promulgabuntur. Hæc de me ipso. *Valentinus*, de quo à me quæris, mihi est cognitus: Vir ingeniosus, & eruditus, cui ego omnia bona desidero. De illius apud inquisitionem actis non sum conscius. De meis scriptis accepi à Cortesio, ipsum favisse impressioni, quæ alioquin hîc est valdè prolixa; dono accepi unum volumen, quemadmodum & tibi unum mitto. Benè vale, & me ama. Paduæ Nonis Aprilis cIↄ Iↄc XIV.

AD

AD

CASPAREM HOFMANNUM,

Auditorem olim suum, dum Patavii inclytæ Nationis Germanicæ Consiliariatum prudenter obivit, accuratissimum & maximè benevolum: Nunc in Academia celebri Altdorfina, elegantioris Medici personam eximiè sustinentem, Cæsar Cremoninus, atavus Zanebonus Cremonensis.

VEnimus, Hofmanne, *ad canos; jucundior ætas*
Illecebras poscebat; ea renuente, severis
Nos dedimus studiis horas; nunc jure dolebit,
Si decedentes tractemus mollius annos;
Justum est & posthac ad eandem vivere normam.
Non decro, ut quantum valeo ipse, calumnia sæva
Naturam in Matrem pereat, quod gignere monstra
Gestiat, atq; Hominem, trinum quasi Geriona, omnem
Proferat; & schola inops, falsi in caligine cæca
Exultans, videat Stagira ut Pergamus absit.
Aggredior: Si fortè Atrops festina recidat,
Progressus tua proficiet Sapientia nostros.

Patavii 1621. m. April.

Idem Eidem.

ACcepi tuas litteras, mihi gratissimas, & librum mihi & omnibus Doctissimum. Nondum perlegi totum; quod faciam. Percurri aliquam partem, quæ mihi totius indicium; sic ex ungue Leo. Dedi ad te transmittendum novum opus *dictatorum in Aristotelis defensionem contra Galenum, de origine & principatu membrorum.* Si tibi arridebit, mihi valdè erit gratum. Interim benè vale & me ama. Patav. 10. Aug. Anno M. DC. XXVII.

Adr. Spigelius, Anat. & Chir. Prof. Ord. Eidem.

TObias Pontanus Silesius, olim convictor tuus, *mi Hofmanne*, literas tuas mihi perferendas diligenter tradidit; eis ego nunc primum respondeo, quod in hunc usque diem partim studiis, & lectionibus publicis (quæ contra communem usum hujus Gymnasii, quem sanè nosti, usq; in Cal. Julii perdurarunt) partim valetudini, quæ paucis diebus, post curas communes, adversa mihi fuit, indulgens, citiùs facere non potui. Gratularis primò amicitiâs & seriò,

quod *in Aquapendentis locum*, ex Germania, huc fuerim accersitus; pro quo officio gratias Tibi ingentes ago. Nec, quod seriùs id feceris, excusare Te decet; scis enim M. Tullii tritum illud dictum, *seram gratulationem reprehendi non solere.* De otio & profectu literario plurimùm vicissim Tibi gratulor, eoq; magis, quod hoc fruaris in publica utilitate. Libb. Galeni de usu partium msſ. hîc reperire non licet; nosti enim, *omnes Græcas disciplinas ferè ex Italia jam exulasse.* Excell. Vir, *Aquapendens* libros edidit *de formato fœtu, de ovo, de iis, quæ supra cuticulam sunt.* Venetiis jam imprimitur ejus *magna chirurgia*, cum chirurgicis administrationibus: Sed puto ad has, quemadmodum ad alios libros, haud dari aditum, ante ejus mortem. Ego jam typographo dedi *librum* meum *de lumbrico lato*; item *epistolam de incerto tempore partus*, ad Germanos JCtos; quos propediem Tibi mittam. Cura, ut valeas. Patavii, prid. Calend. Aug. cIↄ Iↄc XVIII.

Idem Eidem.

FRequenter ab auditoribus meis de Te, *mi Hofmanne*, omnia bona audio, quæ mihi, quò meliora, eò gratiora; præsertim cum tantum profeceris in studio Anatomico, ab illis percipiam. Tuæ proximæ literæ mihi imposuerunt, ut ad Te *observationes*, quas haberem anno elapso *de struthiocamelo*, mitterem. Repetis easdem per alios quoq; discipulos tuos, quos ad me misisti. Quod hîc debito non satisfecerim, multa impedierunt; atq; nunc etiam impediunt. Sed tamen scias, me aliquando ad Te eas missurum, per literas publicatas: Jam enim mihi animus est, ita *Anatomen* & *Chirurgian* docere, ut quicquid vel novi invenerim, vel dissentientia ab aliis, epistolarum volumine concludere; sumta occasione, qua aliorum quæsitis cogor respondere. Non enim placet eorum „ *mos*, nimis profectò *multis familiaris hoc tempore*; qui, ob novam aliquam „ opinionem, *retractant materias & res multis voluminibus.* Laudo enim, „ quæ quisq; ante nos invenerit, si bona sint, tacendo approbare; quàm *scribendo repetere*, aut pro nostris vindicare: Pauca verò, quæ quisq; desuper laboribus suis eruit ex profundo artis, luci dare; paucisq; paginis coërcere. Itaq, si ad Te de hisce Anatomicis scripsero, ita scribam, ut & alii quoq; literas tuas inspicere possint. Nœsslerum meo nomine salutes, velim. Cura valeas. Raptim, Patavii, d. 14. Nov. cIↄ Iↄc XIX.

Joh. Rhodius Eidem.

C*Larissime Vir*: Affectus jam antè experti indices, traditæ mihi sunt vestræ Norimbergæ, 20. Novembr. Parsimoniam & tarditatem officii mutui, partim

tim occupationibus meis, partim argenti inopiæ imputabis. Æstiva in Praxi, & Botanicis exacta; & jam hyberna lectionibus, consultationibus privatis, publicisq; sectionibus: Quæ vix vel tantillum diverticuli concedunt &c. *Augustinum Gotaldum* Venetiis iteratò quæsivi: Sed nunquam offendi, nec credo, quicquam ipsi esse ad vestrum votum, aut palatum. Negotium tamen mihi creditum, nullus posthac intermittam. Vidi ibidem quoddam *de Astrologia fragmentum*; quod, quale sit, jam non est operæ. Hoc enim ipso momento, deproperatum ad vos abitum nunciavit præsens Excellentissimus Dominus Doctor, *Christianus à VVecken*, olim Nationis Germanicæ Consiliarius, egregii ingenii Juvenis; qui, quam suâ mihi festinatione attulit brevitatem, ipse officii gratia conpensabit. Notavit ille Romæ pridem *in Bibliotheca Vaticana, varias* quasdam *lectiones, ex Græco Galeni Codice*; quæ nam eæ, aut cujus, mihi præ temporis angustia lustrare non licuit: Meo tamen monitu, & Vestræ Excellentiæ studio, eò perductus est, ut ad vos Noriberga devians, eas libenter sit communicaturus. Quod ad *Leydenses* istas attinet, certa spes est, non solùm popularis mei industria, sed qui hinc brevi discessurus, Clarissimi Domini Doctoris Worstii Junioris benignitate eas fideliter ad me transmissum iri. Interea, siquid vel bonorum autorum lectio, vel Prælectiones aut Consultationes, ad vestrum institutum apportarint, futuræ prolixitatis vadimonio, dignam semper ejus memoriam habebo. Si publica negotia vobis responsum negant, vicariam operam præstabit Popularis meus, Dominus Christianus Clemens, in vestra Academia, Philosophiæ & bonarum litterarum studiosus; quem cum voto felicitatis, ut memet, vestro favori commendo. Scribebam præproperè Patavii XXIX. Decemb. cIↃ IↃc XXII.

Idem Eidem.

SAlutem plurimam, *Clarissime Vir*: Si nec dum meas Patavii, X. Junii, traditas reddiderit juvenis ille studiosus, ad vos discedens, quid intervenerit, satis divinare nequeo. Jam enim ex aliis accepi, hominem Augustæ, à febri convaluisse, ceteraq; negotia sibi credita, probè confecisse. Sed neq; de fide ipsius unquam dubito. Si quid hîc erratum, crediderim id nimia (ut in dubia valetudine fieri solet) alienæ operæ fiducia factum. Inter cetera, quantum memini, illis significavi, Dominum Doctorem *van der VVecken* Wormatiæ substitisse. Addidi quoq; nonnulla de obitu R.P. Pauli, Honoribus D. Spigelii, D. Santorii in Avicennam Commentariis, & Mercurialis in Hipp. aphorism. Enarratione, nondum quod credam, in Germania visis. Monui quoq; Bibliothecam Venetam, Sereniss. Reip. sumtibus, publici usus causa in ordinem redigi; D. Sozomeni obitum retuli, fallaci fama falsus, nimiumq; isti Bibliopolæ fisus, qui nescio,

quæ velut ipsius relicta, venum exponebat. Hinc ipsius ad vestras responsum hac æstate urgere destiti. Ipsum adhuc satis vegetum, cum nunc intelligam, quàm primùm Venetias concessero, istâ occasione Virum compellabo; ut penitior in Bibliothecam, semel à me lustratam, aditus pateat. Reliquum Italiæ statum, optimè exponet præsentium exhibitor, jam diu communis meorum studiorum socius, qui inexpectato suo, ex itinere Romano in patriam reditu, in hanc me temporis angustiam conjecit; quæ me ab optata officiorum prolixitate excludit. Interea mente promtâ, de vobis benè merendi occasionem, avidè expecto. Vale, *Vir Clarissime*, & publico vive: Cui me, meumq; hunc popularem Excellentissimum, unicè commendo. Patavii, 3. Decemb. CIↃIↃCXXIII.

Idem Eidem.

SAlutem & Officia, *Clarissime Vir, Fautor multùm observande &c.* Nescio; qua fortunæ injuria, minus ex voto, meæ ad vos ferantur. Quas studioso isti, mense Junio, anni superioris dederam, prorsus intercidisse, video. Excellentissimi D. D. Christiani à Wecken, prolixioribus ad vos sermonibus, commendatam officii partem. inopina festinatio eripuit, pariter populari meo, Viro Opt. & Doctissimo. Meliori sorte, vestræ ad me omnes, ab Excellentissimo DD. Vischero curatæ. Vellem peræquè iis satisfactum. Parum promitto, & trepidè. Semel, cum Clarissimo Domino Spigelio, Div. Marci Bibliothecam aspexi veriùs, quàm inspexi. Nosti, *Vir Prudentissime* quàm sint recondita hujus gentis ingenia; maximè si ab exteris sua expeti suspicantur. Diu, fateor, viam meditatus sum, perlustrandi *Celsum MS.*, ex quo Cajus exemplum mihi creditum, alicubi suâ manu restituit. Nisi Clarissimi Domini Cremonini, vel Spigelii interventu fiat, spe omni excidi. Credo tamen, ejus fore humanitatis Dominum Sozomenum, ut vestro nomine salutatus, istorum librorum inspectionem concedat, quos Ornatissimus Dominus Bucretius, Juvenis Optimus, secum habet. Sicubi Codices isti, à vulgatis variant, ex unius alteriusve loci collatione certior, ocyus suggeram. Indè, si vestris subito litteris ad nova humanitatis officia excitabitur D. Sozomenus, Virum nostris fortè votis facilem experiemur. Excellentissimus Dominus Spigelius hac hieme *Gal. de Ossibus* ad Tyron. *libellum* exponens, nonnulla Latinæ versionis loca, ex Græco emendavit; imò & Græca ipsa, conjecturis satis ingeniosis, ex Artis usu adductis. Ex iis cursim pauca notavi, rebus quàm verbis intentior, omnia si habere contigerit, cum aliis submittam. Commendatio ad Clarissimum D. Virginium de Rubeis, grata erit, vestri & mei causa. Nam & Florentiæ quædam mihi commoda intellexi. D. Faber etiamnum Romæ, Sum. Pontificis gratia floret, Vir Optimus & candidus, cui etiam

etiam innotescere aveo. D. Santorius noster Professionem primam Theoricam litteris renunciavit, ut SC. decretum, suâ sponte anteveniret; istarum, si libet, exemplum, cùm Exc. D. Vischero commune habebis, ne qua culpa rejectus videatur. Româ in ipsius locum magni nominis Medicus vocabitur. Ex Galliis nihil habeo; De expeditione Serenissimi Regis, circumferuntur, quemadmodum & de Anglo varia. Omnia illhîc notiora arbitror. Academiæ vestræ nova dignitatum incrementa gratulor. Nostra Natio hac hieme satis numerosa fuit; nec sine fructu, quia faventem habuit Apollinem. Utinam diu! Vereor, ne quid sinistri portendat, *terræ motus* ille *ingens*, qui 19. Martii, hora 2. noctis, non modò *hanc urbem*, & vicina, concussit; sed & *propè Ferrariam*, in opidulo quodam, turris multarumq; ædium ruinâ, magnam mortalibus cladem attulit. Deus Opt. Max. Germaniæ pacem pristinam restituat, Italiæ diuturnam perennet! cujus benignæ protectioni vos omnes commendo. Patavii 18. April. clↃ IↃcXXIV.

Idem Eidem.

SAlve, *CL. Vir*, *Fautor honorande &c.* Seriùs ad proximas vestras, sub finem Decembris traditas respondeo, quòd meas omninò vacuas redire nollem. Etsi verò dubiis, *de Celsi nostri ætate & ortu* propositis, amplam satis discendi occasionem præbueris; iis tamen nunc ex animo, gravioribus occupato, satisfacere nequeo. De Celso JC. paucula me aliquando notasse scio, quæ nunc memoriæ non suppetunt. *Sub Tiberio & Nerone* vixisse virum, docent multa, quæ in aliud tempus differenda. Gratioris operæ spero, quæ nunc submitto paucula, Galeno jam propè absoluto, lucem allatura. Anno superiore Venetiis incidi inter alia manuscripta, in *Artem Parvam*, charta & charactere verè Græcam, politè scriptam. Vestri non immemor, assumto D. Bucretio, cum Codice Græco Aldi, singula diligenter contuli. Quædam deprehendi diversa, nec tamen, quantum in transitu observare licuit, semper meliora. Ista qualiacunq; sunt, nunc cum D. Mejero transmitto. Interstinctiones etiam notavi, ne quid curiositati deesset: Adhibito Codice Basiliensi, quo hîc destituimur, minus fortè discriminis erit. Nonnullis in locis supplementa videbis, quæ, num in sola *Aldiana* editione, an verò etiam in *Basiliensi* desint, scire aveo. Mihi certè aliis dedito, nunquam vel unam sententiam expendere licuit. Quicquid sit, mei in te studii argumentum erit, si lucem merebitur; quod instituto serviet, in tuum traducas. Alia si occurrant ejus generis plura, labori aut pretio non parcam. *Cay*, quæ cupis, *opuscula* quædam, in patria habeo, sed parùm ad Galenum factura; nisi Periochas velis. Interea meas hasce schedas ità servari desidero, ut ad me redire possint; quem nullum aliud hujus recensionis exemplum habeam, & laborem repetere,

repetere, sit satis morosum. D. Wecken denuò solicitandum credo. D. Bucretius vester, inexpectatò Philosophiæ, Medicinæ, & Chirurgiæ Doctoris titulum, nuper assumsit. Cetera D. Mejerus, quem cum ἰσοθίῳ voto, mei ergà vos affectus interpretem dimitto. Vale CL. Vir, ut publico vivas. Patavii 3. Julii, cIↄ Iↄc XXVI.

Casp. Hofmannus Jac. Zeæmanno, inclutæ Nat. Germ. Consiliario.

Literas tuas, benevolentiæ & amoris plenissimas, *mi Zeamanne*, rectè accepi; respondeo autem tardiùs, fortè opinione, ob languorem quendam meum, ab insolito hujus regionis æstu conceptum; ob quem etiam ferè grabatulo meo affixus sum. Quò minùs vel de itinere ad vos tàm longo, vel de Cathedra tàm sublimi cogitare possem! sed & si melius mihi cùm valetudine conveniret, altioris considerationis erat mutatio status tàm insignis, à profunda quiete, ad labores & turbas gravissimas! cum familiâ obstreperâ! relictâ post tergum bibliothecâ, auro contra cara! Quamobrem tibi quidem, ὦ φίλη κεφαλὴ, gratias agas & habeo gratas, quod judicio tuo ad tantum dignitatis culmen provehere me volueris; Perillustribus autem & Excellentissimis, antiquissimæ Universitatis vestræ Professoribus, Dominis meis, omni observantiæ genere colendis, multò majores, quòd tantum tribuerint raucæ illi de me famæ, quæ inter amicos verè - amicos, delituit hactenus; ut non tantùm Collegam me sibi optent, verùm etiam primam in confessu tàm splendido locum ostentent. Pro qua existimatione, si possem omnibus & singulis tantum honoris reddere, quantum nomini meo tenebricoso aliàs, accessisse hac vocatione splendoris sentio, facerem utiq; animo promtissimo, paratissimoq;. Interim quia ignorare non possum, quicquid ferè claritatis habeo isthinc, id natum esse mihi verè ex studio in Galenum, ejusq; METHODUM medendi: Oro omnes & singulos, huc potiùs convertant oculos & animum, curentq;, quantùm humanitùs fieri potest, ut editio illa Græco - Latina cum Notis suis, quàm primùm Juris publici fiat. Ego annis & laboribus fractus, si maximè illuc veniam, fortassis durabo per semestre: Sed labor hic meus tantò (sic spero) vivacior erit, quo major est Resp. Veneta, per totum terrarum orbem. Intelligitis fortassis, ô viri eximii, quorsum hæc dicam? *Venetiæ* principio seculi 1500. usque ad annum 28. dederunt nobis *quater Galenum Latinum*, non comtum illum quidem, sed qualem tempora ista ferebant. Venetiæ dederunt nobis Galenum Græcum ex Aldi Officinâ, 1525. Venetiæ ab anno 1540, usq; ad hoc seculum 1600. beneficio Lucæ Ant. Junctæ, & posterorum, communicarunt nobis *novies Galenum Latinum*. Quid Papienses, Basileenses,

Pari-

Parisienses, Lugdunenses, alii, in hoc genere præstiterint, scio: Sed & hoc scio, absq; Venetis si fuisset, inanes futuros conatus ipsorum. Et sit, qui dubitet, Venetias suo jure sibi deposcere editionem hanc Græco-Latinam, quæ quasi compendium sit futura omnium aliarum editionum, quâ Græcarum, quâ Latinarum. Audacter loquor, sed vera loquor. In Græco Codice, primum omnium erosa sunt σφάλματα typographica, nullo pænè numero comprehensibilia. Idem divisus est in capita, ut Latinus. In singulis capitibus rubrica sunt notata, quæ censura indigebant. In Latino pariter sunt correcti errores manuarii. Totum opus divisum est eo ferè modo, quo HIPPOCRATEM Foësius. Sunt etiam *sectiones decem*, quarum prima *Isagogica* habet, 2. *Physiologica*, 3. *Pathologica*, 4. *Semistica*, 5. *Diætetica*, 6. *Pharmaceutica*, 7. *Chirurgica*, 8. *Hygiena* & *Therapeutica*, 9. *Miscellanea*; inter quæ aphorismi, & Epidemiorum libri, 10. *Philosophica*, & *spuria*, quorum magnam abjeci partem. Hæc adeò narro, ut φιλογαλήνοις quibusdam salivam moveam; moneamq;, cogitent de exitu hujus negotii. De Germania nostra si quis loqui volet, illum ego plorare jubebo caput; Jam enim vix litteræ ibi sunt, & litterarum Patroni; adeò Marte, fame, peste diruta sunt omnia. In Gallia tale quid præ manu habet Morellus, credo, Parisiensis; Sed quod tanti non est, ut habeo abs Clarissimo Slegelio nostro qui vidit. Spes igitur omnis vobis incumbit, ô Viri Illustres, vestrum est expugnare unius & alterius è DD. Reformatoribus animum, ut sumptibus publicis edatur. Hoc scilicet debet GALENO Resp. vestra vel ideò, quia in pervetusta sua Academia Patavina colit & excolit Methodum Gal. cujus adipiscendæ gratiâ, tota Europa eò excurrit.

Hæc ego ad te, hac occasione, mî suavissime, quorum mihi interpres uti sis, rogo, apud eos, qui hoc scribendi onus imposuerunt tibi. Si opus fuerit, facilè perpellam in vota mea DD. Schlegelium, uti commendet rem Illustrissimo Domino Contareno. Ad hunc quas scripsisti litteras, hoc manè ablegavi Noribergam, unde Jenam proficiscantur. Excell. D. Werlingium, ut & D. Rhodium salutes, oro, iterum à me. Habebunt à me brevi litteras, si DEUS volet. Benè & feliciter vale. Altdorfio 20. Julii cIↃ IↃc XXXVIII.

Joannes Benedictus, Med. D. & Græc. Lit. Prof. Casp. Hofmanno.

TAm grata, quàm opportuna consuetudo, quæ mihi cum Nobilissimo Domino Philippo Jacobo Stromero, apud vicinum & familiarem meum hospitante, hac in urbe obtigit, occasionem præbuit, *Vir Clarissime*, cum nominis tui sciendi, tum meritorum tuorum famam discendi. Inter varios sermones,

in frequenti conversatione, ultrò citroq; habitos, cum nuper Basilea scriptum ad me fuisset, esse Neurembergi doctissimos quospiam viros, qui Galeni novam editionem pararent; ipsumq; Neurembergensem esse intellexissem, subiit sciscitari, sciretnè, tale aliquod opus isthic tentari? Illicò significavit, rogatum fuisse à te per litteras, cùm Lutetiæ antehac versaretur, ut inquireret, à quibus in Gallia istiusmodi editio, quàm in animum induxeras, etiam susciperetur. Hac data est porta consilium meum aperiendi, quod tibi quoq; ex specimine hîc incluso patebit. In quo, quanquam sesquimyriadis duntaxat insignium errorum meminimus, aliorum tamen quorumvis tres, imò pœnè quatuor myriades simul detersas facilè ostenderimus. Id eâ mente ad te mitto, paucaq; hæc scribo, ut obnixè rogem, omni operâ consilioq; nobiscum onus tantum sublevare velis. Quodq; cum operis istius συνέργῳ illic pollicemur, unumquemq; laudem à nobis, pro benefacti magnitudine reportaturum, hoc breviculo tibi peculiariter sancitum volo. Petitionem hanc meam, V. C. boni consule; quumq; licebit, ea, quam ex singulari humanitate tua expecto, responsione dignare quæso. Vale. Datum Salmurii Idib. Augusti A. cIↃ IↃc XXII.

Jo. Meursius Eidem.

Litteræ tuæ, *Vir Clarissime*, omninò gratissimæ mihi fuerunt; & quod ab eo venirent, cujus virtutem ac doctrinam ante decennium, cum apud vos per trimestre agerem, præsens æstimare didici; & quòd tam pronum ergà Rempublicam litterariam studium tuum nunciarent. Quod profectò utinam juvare possem! Verùm in Bibliotheca nostra Lugdunensi hac, nihil tale asservari, interroganti affirmavit Collega meus, Daniel Heinsius, ejus Præfectus. Si litteris tuis acceptissimis seriùs respondeo voto tuo, quæso ignoscas; quippe VIII. Jan. mensis scriptæ, exeunte demum Julio ad me pervenerunt. Vides facilè, culpam hic nullam meam esse. Si litterarum hoc iter sæpius ingredi tibi placebit, ego vicissim officio amici nunquam deero. Vale, *Vir Clarissime*, & amare me perge, Tui studiosissimum. Lugduni Batav. a. d. XXVII. August. A. cIↃ IↃc XVII.

Guil. Harvejus, Medicus Reg. & Prof. Anat. Colleg. Med. Eidem.

Iudicium tuum *(mi Hofmanne doctissime)* de me, de motu & circulatione sanguinis, candida mente scriptum, pergratum mihi est; atq; me vidisse hominem doctissimum, & alloquutum fuisse, gaudeo, cujus amorem ita libentissimè amplector, ut redamem. Primùm oratoria facultate me criminari, & tacitè castigare placuit, quòd visus sim tibi, *Naturam stultitiæ erroris insimulare, & damna-*

damnare; atq; artificis stolidissimi, ignavissimiq;, personam ipsi imponere, eò quòd sineret sanguinem recrudescere; & rursus ut concoquatur, rursus iterum iterumq; in cor remeare, & toties in habitum ut recrudescat; atq; eo fine Naturam, ut habeat quòd agat, factum & perfectum sanguinem, frustrà pessundare. Verùm enim verò, ubi, aut quando, hæc talia à me, aut dicta aut cogitata fuêre, cum latet, (qui semper Naturæ solertiam, sapientiam, industriam, sum admiratus) non parum me perturbavit, talem viro æquissimo videri. In libello edito ego mo- " tum sanguinis *è corde per arterias in habitum*, & similiter ex eodem *per venas* " *retrorsum ad cor*, continuò & continenter fieri duntaxat assero, eo fluxu & " refluxu, eà quantitate & copia, ut *in circuitu, quodam modo moveri*, fit necesse. " Sed de coctione & causis hujus motus & circulationis; præsertim de causa finali (si placuerit *cap. 8. & 9.* relegere) neq; loquutum fuisse, & omninò consultò prætermisisse, apertis verbis reperies &c. Hæc ego volui purgandi causa, apud Virum Doctissimum, amantissimum, & ut me tantæ censuræ infamia liberarem. Et, quæso te, doctissime, æquissime; si *quæ de circuitu* affirmâram, *oculis cernere* volueris, illud spondeo, quod *Anatomicum* magis decet, quandocunq; volueris & dabitur occasio, me præstiturum; sin illud aut nolueris, & neq; per te ipsum investigare dissectionibus placuerit; noli, inquam, obsecro, aliorum industriam vilipendere, aut vitio vertere; aut homini probo, non prorsus inepto, nec deliranti, in re toties per tot annos experta, fidem derogare.

Jam vale & cave, & pariter mecum agas, eo enim, quo scripsisse te animo dixti, candido & benigno accipio. Tui quoq; fac simile rescribenti mihi è tali pectore. Noriberg. 20. Maji CIↃ IↃC XXXVI.

Casp. Hofmannus, Guil. Harvejo.

HUmanitas tua incredibilis, *mi Harveje*, facit, ut jam non diligam te, sed deamem. Quo facilius à me impetrare potui, ut quod heri promisi, judicium meum de circulatione sanguinis tua, hodiè præstem. Spes autem est, accepturum te eo animo, quo ego do, non ullo tincto livore, quo te pungam; nec ulla elato arrogantia, quo ultrà te sapere videar: Sed simplici & candido. Quamobrem etiam spondeo tibi, si discussis nebulis, VERITATEM Hespero & Lucifero pulcriorem, ostenderis mihi, me cum Stesichoro, palinodiam publicè canturum, & in partes has concessurum. Et ne ambages quærere videar, sensum tuum puto esse talem, *sanguinem ex corde in arterias translatum, &c.*

Heic ego tecum primùm rhetoricè agam: I. Videris Naturam accu- " sare stultitiæ, quæ tantoperè erravit, in opere pænè primario, confectione & "

„ distributione alimenti! Quo semel admisso, quid non sequetur confusionis
„ in aliis operibus, quæ à sanguine dependent.
„ II. * Videris re ipsa damnare, quod verbo laudas, receptum ab omnibus
„ elogium Naturæ; neq; deficere illam in necessariis, neq; vero abundare in
„ superfluis &c.

Hæc ego volui, ut liberem fidem meam, quæ accipies eâ manu, quâ ego dedi. Tu mi Harvee, benè age, & benè ambula cum Illustrissimo Comite Tuo, Domino meo Gratiosissimo, *à chi baccio le mani humilmente.* Perscriptum Altdorffi 19. Maji cIↄ IↄcXXXVI.

Joh. Walæus Casp. Hofmanno.

QUi jam dudum eruditissimis scriptis venerationem promeritus es, nunc etiam candore & humanitate excitavisti tui amorem, qui me tibi incognitum, humanissimis literis voluisti compellare; unde nullam eripi mihi occasionem patiar, qua humanitati, expectationiq; tuæ possim respondere. Etsi jam meæ fidei eos libellos velis committere, quos à bibliopolis intelligo te habere præparatos, experieris, me daturum operam, ut correctè eleganterq; imprimantur. Et si quid obtineri pro honorario possit, id tibi tuisve manebit
„ illibatum. Multa cogor amicis sæpè ineptis præstare, sed plura velim publi-
„ co, & viris magnis. Academia nostra, DEO sit laus, floret hactenus, docendæq; Medicinæ quinq; hodiè insudamus. Ego, cùm plurima in generali Medicinæ parte sint ab usu remota, forsan & à veritate, ea præ reliquis malo sectari, quæ ad Medicinæ praxin faciunt; in quibus faciliùs, & majori cum fructu veritas possit expiscari. Libenter sanè in vivis brutis inquiro, quomodo naturaliter functiones obeantur; & causas in cadaveribus, à quibus fuerint impeditæ. Verùm eas curas non rarò interrumpit praxis medica, cura rei familiaris ægrorumq;, & meæ aliorumq; ineptiæ. Ita hisce diebus, *Jacobus Primirosius* duplici libello in me insiliit, & theses quasdam *de motu sanguinis*, à Studioso compositas, sed meo præsidio defensas, ivit oppugnatum. Qui duabus Epistolis coactus fui respondere, quas *Thomas Bartholinus*, Anatomiæ parentis sui inservire voluit, quam recentiorum observationibus, æneisq; figuris adauctam jam edidit. Quas si videre contingit, *Vir Celeberrime*, velim tuum de iis judicium audire. Deus Opt. Max. te diu sanum & incolumem rei medicæ servet. Vale Medicorum decus, & me ama. Dabam Leydæ X. Decembr. cIↄ IↄcXL.

Vopiscus Fortunatus Plempius Eidem.

ACcepi literas vestras suavissimas, simul & effigiem: Nescio quid utriusque possit esse candidius. Revereor canum illud caput, & omnis in eo litera-

turæ

turæ consummationem agnosco. De Galeno tuo idem metuo, quod scribis, non facilè te inventurum aliquem, qui excudat: Non tàm, quia generale nimis opus est, sed quia Germania vestra adhuc turbata est. Etsi enim concoquat aliquis bucceam istam; quomodo digeret verò? Digestio potissima Francofurti fit, ubi nunc quæ celebrantur, vix sunt in speciem nundinæ. Sedatæ sint illæ turbæ, videbimus Galenum tuum undiquaq; ambiri. Me vide. Quod enim icircò credis typographos abhorrere, vel absterreri ab excusione, quod non satis orbi innotueris: Falleris, *Hofmanne*, nimis humiliter de te ipse sentis: Jam diu celebratus & doctus, docta per ora virum. Interim quicquid ego possum, ad nomen famamq; tuam, longius latiusq; divulgandam, totum tibi offero, consecroq;. Mitte tractatus illos tres, quos scribis, vel omnes, vel quem vis; conabor, ut alicubi inprimantur. Ceterùm mones me, ut si iterum *Ophthalmographiam* meam, abigam tibi ὕπνον illum oculorum, qui somnium esse dicis: esse ὕπον, ἀπὸ τοῦ ὑπόω, undè etiam φάρμακον ὑποτήριον. Quid ego faciam Auctori Definit. Med. (vide *Gal. Comm. 1. progn.* item *comm. 2. prorrhet.*) quibus locis ὕπνος nominatur & describitur, prout ego descripsi. Neq; enim illic ὕπνος scribi potest ab ὑπόω; quoniam hoc verbum significat *premo*. Oculi non saltant & concutiuntur, quia premuntur. Dilucidabis igitur mihi mentem tuam in proximis; simul alia addes, quæ in Codice scripto minus placent. Hisce vale, & affectu mutuo cale. Lovanii VIII. Eid. Jan. CIↃ IↃC XL.

Idem Eidem.

Litteras vestras 18. Julii scriptas, heri demum accepi. Te verò amo, *mi Hofmanne*, te æstimo: Scripta tua, in oculis fero. Hæc tibi non dico, quasi palpum obtrudens; sed ità privatim, ità publicè loquor cum iis, qui me norunt; imò ita nuper in vulgato scripto testatus sum. Non est igitur, quod secius de me opineris. Dixi, te solere *confragosa loca* ostentare; non intelligens loca in Galeni textibus correpta, & emendatoris egentia; sed in illis tuis pulcerrimis commentariis, multas difficultates à te moveri, quas optas ab aliis solvi. Istas ego à te solvi optabam, ratus, ita melius mihi satisfactum iri; utpotè cui plus, quàm aliis, tribuam. Itaq; ut te in posterum ad id faciendum instimularem, scripsi *confragosa loca* à te ostentari, id est, *dubia egregia, & consideratu perdigna* suscitari; sed te elabentem relinquere alios sub cultro, id est, non solvi eadem dubia. Haud existimo, quicquam hic malifeci, certè animo minimè malo.

Circà *usum unionis opticorum* dicis, me promisisse quidem *nova, aliisq; indicta, sed obtulisse ἀρχαῖα*. Nescio, ubi hoc promiserim. In eo sanè capite scribo, nullum hic mirificum latere usum; adeoq; nihil novi excogitandum fuit.

Ergò veterem sententiam arripui, *roboris gratia fuisse unitos.* Hoc impugnas, & petis: *Cui bono fuerit robur; quem hostem peculiarem & occultum habeat præ*
„ *ceteris nervis?* Excrementatios humores, magis hunc quàm alium cerebri
„ locum præterlabentes, qui se insinuare possunt inter utrumq; nervum, & alte-
„ rum ab altero disjungere longiùs: Non intra cerebri medullam, ubi omnia
„ sunt occupata, sed cetera. Nam Optici portiones visendas extra cerebrum
„ promunt, imò ipsa conjunctio extra cerebrum est. Igitur est ibi, duo pel-
„ lantur.

Postea improperas mihi, *obtrudi quoq; à me difficultates, non solvi; leaentes sub cultro quoq; relinqui; meum quoq; dæmonem cæcutire.* Quas ego difficultates obtrudo, conor saltem solvere. Si non solvo, si cæcutio, hominem me ostendo; id est parùm, nihil minus quàm nihil scientem. Quid enim misselli hîc nos scimus?

Deinde causam Doctoris tui O. M. Illustrissimi Domini ab Aquapendente augens, dicis, *male me naturæ consiliarium memet constituere. Talia prohiberi ab Aristotele,* cum ait: *Non licere nobis inquirere, si quo alio modo fieri res potuisset; sed potius cur hoc modo egerit?* Mihi videtur ipse Aquapendens hujus delicti accusandus, non ego. Nam ipse scripsit, *potuisse naturam per longissimum etiam ductum, nervos membraneis nexibus suffulcire, stipareq;.* Inquirit igitur ibi, si quo alio modo res fieri potuisset, *contra præceptum Aristotelis.* Ego autem inquiro, cur hoc modo egerit?

De *Hippocratis* deniq; sententia *lib. de Loc. in hom.* expressa, utut sit (non enim damno) *Cæsalpinus* longè indiversum abit. Etenim per *visorios nervos, omnium crassissimos, & in grandioribus animalibus pervios,* rectè quis intellectas ab eo dicat venulas, tenues, in vetiformi currentes. Hæc sic breviter ad vestras responsa volo; atq; iterum ingero: Te amo, *mi Hofmanne,* te æstimo: Lucemq; aliquam à tuo splendore me mutuaturum puto, si à te vicissim amer. Homo sum minimè contentiosus, contradictionis benè patiens, discendi verò avidissimus. Undè, quæ hîc in me scripsisti, æquissimè consulo. Audio porrò, te notas fecisse in integrum Galenum: Vellem vulgata essent. Saltem eæ solæ prodeant, si à vasto Galeni opere recudendo typographi abhorreant. Ego alteram editionem meditor meæ Ophthalmographiæ, in qua quædam mutabo, quædam addo curiosa. Ab anno edidi *fundamenta Medicinæ*, Acribologia scholastica accurata: Quæ velim scire, quàm tibi firma videantur, si habes. Vale, & mea ma. Lovanii 17. Cal. Novembr. cIc Iↄc XXXIX.

Esaias

Esaias Sachs, Medicus Cæs. Eidem.

SIc est, *amantissime mi D. D. Hofmanne, amice & fautor honorande*, Senes esse femineces; vitam vivere, miseriis multis & affectibus expositam, & tandem pede tertio, vel etiam quarto claudicare ad alteram vitam. Vides hoc in te ipso, ut qui ex paralysi nondum rectè propter senium convalueris; scis etiam, quàm sæpè levem gravior, imò ipsa apoplexia (quàm fortem, secundùm senem nostrum, solvere impossibile) excipiat, & prosternat. Expertus sum idem & ego, dum ante quatuor septimanas circiter defluxio satis vehemens, manum dexteram, propter præcedentem luxationem debilitatam, occupavit, & quidem cum tanta vehementia, ut illam nec movere, nec scribere hactenus potuerim: Et licet jam aliquantùm dolores remiserint, nihilominus recidiva metuenda; & quicquid Deus imposuerit, æquo animo inposterum perferenda sunt omnia. Quòd in Galeno sudaveris, audivi & ab aliis; & certè si considerem ingenium, judicium, & eruditionem, polita & elaborata, & docta erunt omnia; quæ & viri docti & legent & approbabunt. Tu modò perge, & fœtum tali viro dignum in lucem emitte; habebis, qui te defendere, & momis resistere poterint. De privilegio modò libellum supplicem ad me mittas, non sis solicitus; obtinebo illud, apud S. Cæs. Majestatem, facili negotio, simulq; ut ex Cancellaria justo pretio habere possis, procurabo. Aliàs nihil magis in votis habui, quàm vos videre & alloqui; verum ægritudo, & nunc abitus noster, qui ad decimum quartum hujus, diæta jam finita certò futurus, in totum impediverunt. Saluto interea Clarissimum Virum D. D. Jungermannum, cui ratione *lunariæ* assentio; & illam *non ex vegetabilium, sed mineralium classe esse certò, statuo*; præsertim „ cum neminem sciam ex Chimicis, qui vegetabilia, metallis mista, mutatio„ nem metallorum, & quidem ex Venere Solem, ipsius ope efficere posse, adfirmet. Sed transeant illa, & poterit illud experiri, quicunq; voluerit; *ego potiùs ex pingui solo & vineis cultis, aurum habere posse existimo.* Valeat, & salveat; & pro bono publico adhuc diutissimè vivat. Ratisbonæ, X. Oct. A. cIↄ Iↄc XLI.

Petrus Laurembergius, Med. D. & Prof. Eidem.

S. P. *Cl. Præstantissime Hofmanne*, magno me & singulari honore affectum arbitror, quòd existimasti meam operam seu tibi, seu publicæ rei litterariæ, usui atq; adjumento esse posse. Quocirca nihil prius ac potius habui, quàm ut amicissimis tuis litteris protenus responderem; quæ indices fuerunt tàm honestæ tuæ de me existimationis, tùm tenerrimi ergà me affectus. Ut primo congressu invadam in arcem ipsius causæ, haud equidem diffiteor, jam ante annos plusculos, operam,

operam me aliquam & laborem poſuiſſe in emaculando & excutiendo Galeno; nulla alia fini, quàm ut is aliquando legi poſſit à Philiatris noſtris, & ſua & Romana lingua, proximè ad verum. Ceterum, quia hiſce in oris exigua affulgebat ſpes, nanciſcundi Typographum, qui & in re eſſet lauta, & magno ac memorabili operi imprimendo, ſumtus ſuggereret; cœpi paullatim, decollante ſpe, inceptos labores, non quidem ab animo, ſed tamen à manibus ſegregare, & totum me mancipare aliis noſtræ artis partibus, ſuo loco & honore reſtituendis. Si ingenuam & liberam vocem profari liceat, non erant labores iſti ac conatus noſtri ad aliam faciem, quàm qua I. Latina *verſio pura* eſſet, ac vernacula; exprimeretq́, nativam elegantiam Græci characteris II. Græcus Codex (quod hactenus neglectum.) diſcriminaretur in *capita* hæc, in *verſiculos*, aut textus. III. Cuiq; capiti apponeretur *elegans*, *breveq́, argumentum*, exponens non ſolùm vim totius capitis, ſed & præcipuorum verſiculorum. IV. Compendioſa brevitate notarentur *in margine ſummula rerum ac verborum*. His animus erat, ſub umbilicum cujusq; Codicis, adjungere *ſpicilegium variarum lectionum*, unà cum elegantioribus, ſed *ſuccinctis notis, ad loca magis ardua*; itemq́; *Indicem*, omnibus numeris abſolutum.

Verùm, ut ingenuè fatear, nondum potuit mihi hactenus evenire ille Codicum delectus, quem tanti negotii amplitudo poſtulavit; ſed qua heic locorum, pauper admodùm meſſis metitur talium librorum, ſeu quia hominum noſtratium perverſitas invidet & viris doctis famam, & Publicæ rei commodū atq; utilitatem, Nunc verò, quia ita tibi eſt volenti, non renuo, quin lubens ac meritò eam, quam à me petis, gratiam tibi gratificer; mihiq; in partem imponi patiar laborem, conjunctum quidem cum magna moleſtia, ſed tamen non expertem, vel gloriæ, emolumenti. Haud diſplicet mihi ea, quam Aubrii obtulerunt, conditio, ut inter nos uterq; partiamur operas. Sed, quemadmodum jam dixi, deſit mihi MSS. & vetuſtorum, Codicum ſupellex; qualem ſi aliundè mihi proſpicere poſſis, faciam, ut nec te initæ amicitiæ ac ſocietatis, nec Aubrios ſumtuum (ad me quidem quod attinet) pœnitere unquam poſſit. Tu modò de conſilio tuo, accuratiore ſcriptione me edoce, ut ſcire poſſim, I. quibus libris velis me operam meam locare? II. & quam methodum viamq; inſiſtendam putes. Expecto litteras tuas ad proximas Lipſenſes nundinas; quibus, ſi comites feceris nonnullos tuorum conatuum, erit, unde tibi me inſigniter obnoxium fatear. Salve, *Vir præſtantiſſime*, & me, quod facere cœpiſti, amare perge. Hamburgi XVI. Sept. cIↄ Iↄc XX.

Guil.

Guil. Ernestus Schefferus Eidem.

PRo prolixa tua in me benevolentia, *Excellentissime Vir*, est, cur agam gratias maximas; utere quocunque modo mea opera, cùm ad benè merendum sim natus, atq; educatus; nullibi, si modò possim, tibi deero. Equidem cur non? Miratur non tantùm Germania, sed etiam Italia, Gallia, Anglia, & Belgium, singulares animi tui dotes, & studium augendi Remp. nostram Medicam. Nisi ratio senectutis habita fuisset, jampridem ab Illustriss. Ordinibus Hollandiæ, amplo constituto stipendio, professoria provincia fuisset oblata. Qui Leidæ libellum tuum publicavit, vocatur *VValæus* M. D. & Professor ibidem; ipso duce Typographus excudit, nec non tractatum tuum, *de partibus similaribus* impressum, mihi pollicitus est; si quædam in eo monenda, maturè ut sciam, curato. Hoc absoluto, majori desiderio edet ultimum tractatum, & non, uti mihi videtur, sine magno emolumento.

Folii opinio, *de anastomosi venarum cordis*, aliquot anatomicis sectionibus, præterita hyeme, recenter, uti ad me scribunt, est explosa Paduæ; utinam venerandæ antiquitati litarent novatores, firmiora & politiora invenirent. Vale & vive diu feliciter. Dabam ocyus, Francofurti, 13. Maji. cIↃ IↃcXL. Salveat ex me D. Jungermannus.

Joh. Saubertus Eidem.

Ε Τημερεῖν ἐν τῷ Χερσῷ. Ita est, *Excellentissime Vir*, miratus sum epistolæ tuæ argumentum, non quod in suspicionem aliquam apud me veneris, aut ego calumniatoribus tuis locum dederim unquam; sed quod de me sis hæc talia suspicatus, quem meminisse debueras tui semper observantissimum, amantissimumq; esse. Nemo bonus, quo cum versari soleo, aliter dixerit, si dixerit verum: Nemo, inquam, aliter,

Sit licet ille Numa gravior, graviorq; Catone!

Deprædicavi merita tua semper, & ingenii tui monumenta, hospitibus in bibliothecâ Reip. exhibui, cum veneratione. Hofmannum dixi

- - - Inter notissima Phœbo
Lumina splendere.

Dixi dignissimum,

Vena cui larga fluat & Pactolus & Hermes,
Quem foliis Arabes, quem grandibus India gemmis
Ditent - - - -

Nulla igitur opus est venia, apud assertorem tui honoris; nulla ei, qui nunquam

læsisse creditur. Et confidentiùs sanè ista scribo. Nam ξὺν τῷ δικαίῳ μέγ' ἔξεστι φρονεῖν, quam sententiam versus Sophoclei vertit olim CL. Rittershusius noster:

JUSTA CAUSA SPIRITUM JUBET ATTOLLERE.

Tu cogita illud Theocriti:

- - ἦ ῥα τότ' ἦσαν
Χρύσειοι πάλαι ἄνδρες, ὅκ' ἀντεφίλησ' ὁ φιληθείς.

In Apologia illa ad D. Reinesium πάντα καλῶς ἔχει: Atq; hanc recipies sartam tectam, comite libello Epistolarum Melanchthoniarum, quem boni consulas, oro. Sæpè hactenus ad vos visere volui, sed mihi non licuit esse tàm beato: Quàmvis votum Archilochi ex Plutarcho ad T. E. & Dnn. Collegas, meum fecerim: Ὄφελον γένοιτο χεῖρα προσβάλλειν θιγεῖν. Utinam & vestras manus ante obitum meum liceat tangere! Sed de hoc Deus viderit! Ego, si Tuæ Excellentiæ, & toti familiæ tuæ gratificari posse videar, PARATISSIMUS SUM. Occasionem, fac sciam; & vale ex meis ad DEUM precibus. Dabam postrid. S. Sebaldi, A. cIↃIↃcXL.

Elias Ehingerus Eidem.

S. P. in Domino, *CL. & Exc. Dn. Doctor, amice plurimùm colende.* Vir quondam Macedo, deprecans D. Paulum dixit, profectus in Macedoniam, *βοήθησον ἡμῖν, succurre nobis! (Act. XVI. v. 9.)* idem ego ingemino, *βοήθησον τῷ υἱῷ, succurre filio.* D. Remus noster Calendis Majis promisit, se data occasione laboraturum. Tot sunt, ait, Candidati mensæ illius beneficii, quot ostia Nili, sive etiam Istri. Videbo quid possim, certi autem nihil habeo polliceri. In hac miseria hominum, civium Noribergensium frequentia, qui filios suos illo mensæ beneficio frui discupiunt, res omninò difficilis, extraneis impetrare. Videbo, & in omnes intentus occasiones ero. Ceterùm, quæ Georgius Salmuth D. super Quæstione: *An jure Galenus Germanos reprehendat, infantulos aquis mergentes?* hæc pauca sunt:

II. ὑγιεινῶν.

Recens nati cutis (nec aërem enim, nec durius corpus attigit) mollior est, quàm ut externis injuriis innoxiè exponi possit; præparandam hanc ergò censet Galenus. *Hinc sale vult fascias, imò totum corpus inspergendum.* Avicenna, *aqua salita abluendum.* Averroës, *oleo ex glandibus. Aptius multi Germani frigida abluisse (*Strabo *enim non placet nobis) vel etiam mersisse (est tamen in Græco τὸ βάπτειν) nemo, ut opinor, qui dictorum noverit facultates, negabit. Ergò immeritò à Galeno Germani reprehenduntur.*

Corollariè: *Frigidæ post balneum affusio, obest.* Tantum D. Salmuth. Vale

Vale in Domino, Vir Excell. me ama, & natum data occasione juva. Postridiè Ascensionis, M. DC. XXIV. Augustâ.

Jo. Kirchmannus Eidem.

CL. & Excell. Vir, Domine & amice observande: Quòd solito diutiùs literarum officio defuerim, candor tuus, partim grassanti apud nos superiori anno pestilentiæ adscribet, partim eam subsecutis turbis bellicis; per quas factum, ut mercatores nostri, prius itineri Lipsiensi se commiserint, quàm de profectione illorum aliquid intelligerem. Hospitibus, quos vocas, ingratis, nihil hujus imputabis; neq; enim, quos intelligas, scio; nec quisquam eorum unquam, vel verbo, parùm honorificam mentionem fecit. Malam tamen gratiam, à quibusdam nostratium relatam, intelligere possum ex eo, quod sanè graviter molesteq; fero. Ex D. Remi obitu, cujus tu primus mihi indicium fecisti, magnum dolorem cœpi. Is V. Cal. Junii postremas litteras ad me dedit, quibus querebatur, se cogi doloribus, & asthmate conflictari. Rogo diem ejus emortualem, & utrùm morbo isto perierit, significes verbo. Galenum te, at quantum opus! jam ad finem perduxisse eum, magna voluptate intellexi. Immortalitatem pariet tibi labor hic, in communem, non unius Civitatis aut Reipublicæ, sed totius Orbis utilitatem impensus. De transmissis ingenii tui monumentis, plurimùm te amo: Illis reponere erat animus, alteram editionem nostram *de Funeribus*; sed non audebam Hollanderum nostrum, tanto fasce onerare. Dabitur tamen à me opera, ut primo quoq; tempore, beneficio mercatorum nostrorum, Mortualia illa nostra, ad te perferantur. De *antiquitate annulorum, à Medicis usurpatorum*, à te non dissentio. Asclepiadarum familiam, hac prærogativâ usam, facilè tibi largior; cùm sciam, & ipsum *Aristotelem*, qui paternum genus *ab Æsculapio* duxisse fertur, annulos gestasse, teste *Laërtio*. Sed nosti, aliam fuisse rationem Medicorum Romanorum, inter quos, cui ante Musam, jus gestandi annuli aurei fuerit, non memini me legere. Locus ille Aristotelis, quo meminit τῶν φλεγματιῶν illorum, οἷς οἱ ἰατροὶ οἱ ἀρχαῖοι τοὺς δακτύλους ἐνέβαλον, fuit mihi incognitus; aliàs illum non prætermisissem. Gratias verò tibi pro indicio habeo, & μήνυτρα persolvam in altera editione; si modò eam aliquando adornare Deus mihi concesserit. Ceterum sententia illa tua, quam affers, planè mihi probatur; nec fortè commodior excogitari potest. De statu Saxoniæ nostræ cognosces ex eo, qui tibi has litteras reddet. Sueciæ quoq; Rex aliquid magni contra Polonos denuò molitur: Omnes peregrinæ naves, in illo regno detinentur, ad milites & tormenta bellica in Livoniam, an Borussiam? deportandæ. DEUS O. M. consilia horum Regum ità dirigat, ut tandem certa & fida pax in hisce locis fundetur. Vale. Dab. Lubecæ 12. Junii, A. cIↄ Iↄc XXVI.

Christianus Becmannus Eidem.

GRati mihi acciderunt libri Variarum Lectionum VI. quas tua manus expoliit, & nuper Gottfriedus Hegenitius, consolaneus vester, tuo nomine reddidit; atq; eò illi gratiores, quò magis mihi prosunt, hodiè, inter strepitus militum revidenti, &, quantum opus, locupletanti librum meum *de Originibus Linguæ Latinæ*. Benè factum: Et grates propterea debitas tibi ago, atq; ut suo tempore referre aliquà possim, operam dabo. Jam si vacat, & melli est, paucula tecum, Viro undequaq; litteratissimo, libeat conferre, & ità sententiam tuam exquirere. De *nardo pistica* opiniones doctorum natæ sunt, quas etiam ipse attingis *lib. 3. c. 12.* Quò Beza, Causabonus, alii tendant, neminem latet. At ipso hoc anno fluctus dubitationum sedare voluit *Abraamus Scultetus*, in Deliciis Evangelicis. *Hardungum* laudat, qui πιστικὴν ab *Opis* (qui vicus propè Babylonem) dici pertendit, & quidem certissimè ex *Athenæo*. Consuluimus Athenæum; at ne verbum de nardo pistica in eo, aut etiam Opi. *Strabo l. 7. & 16. Geogr.* meminit Opis, non item *Athenæus*, licet *lib. ult. Dipnosoph. c. 13. & seqq.* prolixè agat de variis unguentorum generibus. Anne σφάλμα μνημονικὸν sit? Et Hardungus posuerit Athenæum, cùm vel Strabonem, vel alium ejus notæ allegare voluerit? Quæso, *Vir Præstantissime*, quid hîc tibi videatur, & an fortè in correctiore exemplari Athenæi fiat mentio Opis, fac sciam. Deinde illud in Virgilio,

> *Dic, quibus in terris inscripti nomine Regum*
> *Nascuntur flores* - - -

etiam Imperatores exercuit titubantes, quinam flores exhibeant litteras aliquot nominis, quo Reges fuerint insigniti. Ipse in Originibus, in voce, AIAX, asserui, florem illum esse *consolidam Regalem*, quæ maximè *purpurea*, non obscurè ingerit literas AI, AI, si folium corniculo adhærens modò explicetur. Ἀυτοψία hîc testis est. At obstat, quòd *Ovidius* istum florem appellet *lilia*; & *Theocritus hyacinthum*. Quomodo jam consolida Regalis inter lilia referatur, & quî inscriptio Ovidiana eidem conveniat, equidem non video. Hic judicium tuum expeto, limatissimi Viri, qui ex professo botanicis operam suam impendit, & qui multa, beneficio Critices, in hisce VI. libb. Variarum Lectionum eruit. Vale, *Vir Præstantissime*, & meis verbis D. Hegenitio salutem imperti. Ambergæ cIↄ IↄcXXII. Cal. Nov.

Matthias Berneggerus Eidem.

VIr Excellentissime: Quantò minus mea me tenuitas sperare sinebat, tecum tali viro alloquii litterarii, vel & amicitiæ copiam futuram; tantò mihi gratiores

tiores tuæ fuerunt litteræ, quibus ità benevolè atq; humaniter ad utrumq; invitas, ut vel supinè negligens, vel stolidè superbus meritò videri queam habendus, si non & amplectar obviis ulnis oblatam ultrò benevolentiam; & omni officiorum genere fovere coner. Ac de Galeno quidem utinam ante quadriennium, vel quod excurrit, constare mihi potuisset! Tùm enim comparavi mihi Bibliothecam D. Spachii, p. m. quæ magnam quidem partem Medica, majorem tamen Philologica fuit. Ac Medicos libros, utpote nulli usui mihi futuros, dudum distraxi; nisi quod ipsum Galenum ex editione Basiliensi Græcâ, anni 1538. mihi retinui, ut & Epistolas medicinales Langii, sanè quàm elegantes, omnigenaq; doctrina, non dico Medica, de qua non judico, sed Philologica, ad quam adspiro, refertas; in quibus Galenus pereruditè passim explicatur, ut ex commendatione D. Sebizii didici. Prætereà ex Bibliotheca Dasipodii Mathematici habeo adhuc ex editione Parisiensi, A. 1529. Græcos hosce Galeni libros, uno volumine compactos (& in fine *Artemidorum de Insomniis* additum, Græca itidem ex editione Aldina, ob quem postremum ceteros etiam, etsi mihi inutiles, retinui) videlicet, *Introductorium de Pulsibus: Ad Patrophilum de constitutione Medicinæ: De urinis librum: De* εὐχυμίᾳ & κακοχυμίᾳ: *De elementis secundùm Hippocratem: De optima Corporis Constitutione: De bono habitu: De Remediis, paratu facilibus.* Hi si tibi utiles esse poterunt, mittam lubentissimè. Quod si de instituto tuo clarius aliquid cognoscerem, etsi res medicas tractare meum non sit, tamen vel ex Historicis, ac Philologicis auctoribus, quos quotidiè verso, possem fortassè non inutilem tibi operam, (eam promitto, nisi aspernaris) navare. Ecce, in manu jam mihi *Casauboni animat versiones in Suetonium*, sunt; & *in Augustam Historiam Salmasii Commentarius.* At uterq; plurima loca Galenica, ὡς ἐν παρόδῳ, quà emendant, quà explicant. Quod ipsum faciunt alii, quos quidem habeam, Philologi, commentatoresq;. Sed ea de re, nisi molestum tibi fuerit, aliàs plura. Virum Clarissimum, Michaelem Virdungum, verbis meis, velim, quàm officiosissimè salutes. Suspicor interceptas binas meas ad ipsum litteras, ad quas nihil dum responsi accepi, quarum in prioribus significavi de infortunio quædam meo, quod mihi παῤῥησία mea, τῶν δημαγωγούντων quorundam intemperie, conciliavit: Quæ tempestas tamen sic satis jam deſævit: In alteris oravi, mitteret orationem, ante complures annos à se habitam *de concilianda inter Protestantes concordia*; itemq; cogitaret de aliqua προσθήκῃ ad Commentarium suum in Agr. Taciti, quæ exemplaribus adjecta, innovato tantùm titulo, ut nova editio videatur, librum vendibiliorem reddat. Id enim ita fieri, typographus etiam atq; etiam orat. Et velim magnum illum virum, ea de re abs te, nisi grave est, submoneri. Orationem D. Dinneri (pro qua

ingentes gratias) ingenti cum voluptate, nec utilitate minore perlegi. Est adhuc, ut video, vestrum Altdorffium tenacissimum antiquæ laudis, quâ nulli Academiæ Germanicæ, Doctorum virorum copia cedere, semper fuit existimatum. Litteras ad D. Bauhinum & ad D. Sebizium (is brevi se responsurum promittit) rectè curavi. Vale, *Vir Excellentissime*, quodq; facere cœpisti, porrò me benevolentia tua dignare. Argentorati $\frac{5}{15}$. Januarii, Anno, quem tibi tuisq; faustissimum precor, cIↄ Iↄc XXII.

Idem Eidem.

PRopè bimestre effluxit ab eo tempore, quo litteras tuas, *Vir Excellentissime*, misit ad me Gruterus noster. Ita dico noster, qui & ipse magno isti viro cœpi per litteras innotescere; & in ejus amicitiæ propylæum (non enim adytum, quo me minimè dignor equidem) admitti. Ad eas litteras dudum respondissem, nisi publica calamitas, ac temporum atrocitas, quæ Germaniam pervagata, uno in nos impetu nunc incumbit, à scribendo hactenus avocasset: Cum præsertim existimarem, obsessa passim à latronibusné dicam, an militibus, itinera, Galeno nostro minùs propitia futura: Quæ etsi ne nunc quidem multò tutiora sunt, ausus tamen hosce duos libellos extrudere; quorum, etsi fortè pereant in via, esse jactura non magna potest. Superiori semestri confeci meorum librorum Catalogum, ac Medicos plures, quàm ipse sciveram, in illa lustratione deprehendi. Ecce tibi auctorum nomina, ut inde seligas, si qui sunt usui futuri. Nam etsi κτῆσιν meam esse volo, tamen si χρῆσις tecum tanto viro communicetur, nihil aut mihi gratius accidere potest, aut ad bonum publicum promovendum opportunius.

FOLIO.

Hippocrates Græcè, Venetiis in ædibus Aldi. 1526.
Galenus, Græcè, tribus voluminibus Basil. 1538.
Galeni Methodus therapeutica, Græcè, Venet. 1500.
Alexander Trallianus & Rhaze, Græcè, Lutet. 1548.
Paulus Ægineta, Græcè, Venetiis apud Aldum. 1528.
Foësii Lexicon Hippocrateum, Francofurt. 1588.
Gorrai Definitiones Medicæ, ibid. 1578.
Brunfelsii Onomasticon Medicinæ, Argent. 1534.

QUARTO.

Mercurialis de arte Gymnastica.
Leonicerus de Plinii, & aliorum Medicorum erroribus. Fuchsius de iisdem.

Bran-

Brunfelsii Catalogus Illustrium Medicorum.

OCTAVO.

Langii Epistolæ Medicinales, &c.

Atque hos quidem in Catalogum retuli; itaq; tanquam scriptos jam milites, sacramento non solvo, nisi quod usibus tuis servire, quando voles, & quoad usq; voles, jubebo. Sequentes verò *manu* vetere *scriptos*, aut omnes, aut certè, quos habere dignaberis, offerre dono decrevi, ut primùm erit occasio mittendi; quod jam non potuit; Sunt enim grandiusculi, & mercator vix duos illos parvos admisit.

I. *Glossæ Magistri Tadei, super aphorismos Hippocratis, & Commentarios Galeni.*

Ejusdem Tadei glossæ, super artem Galeni. (liber membranaceus.)

II. *Practica Medica Arnoldi de Villa-nova; cum tractatu de venis, Ejusdem.*

III. *Comment. in Aphorism. Hippocr.*

IV. *Quodlibetum de morbis totius corporis, scriptum per Fratrem Maurum, Anno 1440. Tractatus de causis & cura Podagræ.*

V. *Liber* membranaceus, *in quo varia opuscula Medica.*

De missa Psalmi 90. paraphrasi, cum primis autem habito dedicandæ egregiæ disputationis honore, gratias ingentes ago. Si mihi vitam viresq; DEUS propagaverit, curabo, ut publicè & de animo grato, & quanti mihi tua in me benevolentia sit, constare possit. Vale, *Vir summe*, & bono publico vive diutissimè, prosperrimeq;. Dab. Argentorati 8. Julij, A. C. cIɔ IɔcXXII.

Idem Eidem.

ETsi, *Vir Excellentissime*, nunquam minùs sum otiosus, quàm cùm per nundinas ab Academicis operis otium agere licèt; tamen observantia, ac studium in te meum, non est passum, ut Mercatores vestrates, è nundinis hisce, sine meis ad te litteris, discederent. Quæ ne vacuæ prorsus essent, à puero meo describi curavi Galenica quædam loca, à *Brodæo*, *Cagnato*, & *Mercuriali* explicata, prout Benedictus *Blancucius* ea retulit in *Indicem* suum *Philologicum*, è 27. *Scriptoribus collectum*, excusum *Romæ*, *A. 1597*. Forsan alicui usui hæc esse possunt, certè majori, quàm ea, quæ superiori anno, M. Bartschius è Fabro coll po-tiùs, quàm selegit. Nullum inter *nostros Medicinæ studiosos* invenire possum, qui Galenica loca è meis, quos complures habeo, Philologicis autoribus, etiam oblata mercede eruere, & cum judicio enodare velit; quia nullus est (audeo dicere) qui possit. *Pauci sunt ex iis, qui Galenum saltem Latinum legant; multò paucissimi, qui Græca norint.* Interim moritur seria studiorum tractatio,

etiam

etiam vestrorum. Mihi ipsi verò jam non suppetit otium, ut ne necessariis quidem & ordinariis officii mei laboribus sufficiam. Oravi nuper Academiæ nostræ Curatores, ut per trimestre solùm ferias agere, ac domi meæ abdito unicè in *Historiam Byzantinam Pachymerii, Latinè vertendam, ac notis illustrandam*, incumbere liceret; sed non exoravi. Quare, quicquid possum temporis, occupationibus aliis suffurari cogor. Urget enim typographus, qui id laboris mihi commisit; & quem jam aliquot annis, spe melioris otii, sum frustratus. Misi nuper exemplum Græci Pachymeræ Parisios, ad Rigaltium, Bibliothecarium Regium; qui promisit, se lacunas auctoris ex Codice Regio expleturum. Si quid ad eundem Galeni causa voles, libenter curabo: Est enim mirè humanus, mihi per H. Grotium, & Theod. Gothofredum conciliatus; & quod caput est, Græcè, si quis alius, hoc nostro seculo doctissimus. Quæ pridem in schedulâ consignata misisti, Philologica (nuper, cùm disjectas amicorum litteras colligerem, uno fasciculo compingendas, in eam incidi, amissam hactenus) pleraq; sic satis expedivisse mihi videor: Hæreo adhuc in anulis bigarum, & χαλωμένῳ κατὰ τοῖς αὐλίσκοις γ. Quæ ut primùm eruero, junctim omnia mittam. Scripturus eram CL. Virdungo, sed nunc exclusus angustia temporis, id faciam proximè. Eidem interea cum officiosissimâ salute, mitto meas *Diatribas*, seu nugas veriùs, *Suetonianas* reliquas; priores enim, ut puto, jam accepit. Vale, *Vir Summe, fautorum meorum eximie.* Dab. Argent. $\frac{15}{25}$. Jan. cIↃ IↃc XXIV. quem tibi tuisq; fluere faustissimum opto.

Idem Eidem.

JUstus annus abest (quod vel meminisse putet) ex quo fui cessator in officio litterarum; quod à me tamen eò diligentiùs colendum fuerat, quò pretiosiorem semper duxi tuam, tanti viri in me benevolentiam; non alio, quàm hoc epistolico commercio fovendam, aut retinendam. Sed non potest me, hujus neutiquam excusandi silentii, pudere, quin simul pœniteat pigeatq; fortunæ tàm iniquæ studiis meis, ut ab iis ferè penitus abstractum, & curarum domesticarum fluctibus involvat, & ad amusa negotia varia detrudat; vix tantillum otii relinquens, quod ad officium Scholasticum, qualitercunq; faciendum, sufficiat. Æstatis proximæ nundinis, cum usurus occasione per vestrates ad te scribendi, calamo manum admovissem, ac in Quæstionibus illis tuis Galenicis expediendis plus, quàm primo intuitu putabam, inesse difficultatis, animadverterem, quòd non vacabat inquirere diligentius, attentiusq;; statim abjecto calamo, solitas ad occupationes alias me recepi. Ac ne nunc quidem (ingenuè fateor) eram scripturus, ni superveniens epistolium tuum officii monuisset. Itaq;, quando ita

vis,

vis, in hanc chartam conjiciam, quæ Galenum Græcum inspicienti, de locis illis obiter in mentem venient, levicula illa & frivola, meo ipsius judicio: Et quantò magis, limatissimo illi tuo? nimirum ea est observantia in Te mea, ut prostituere me malim, quàm tuæ voluntati non obsecutus videri. Nec despero tamen, si meditari, si Latini etiam Interpretis, quem ad manum non habeo, sententiam inspicere, appendere & examinare daretur, (quod faciam, ut primùm vacabit) quin multò rectiùs & accuratiùs ista possint explicari. In *Exhort. ad art. fol. 5, 3.* ait Galenus: (οἱ ἀθληταὶ) ῥοδοδάφναις ἐνίοτε τὰ νῶτα διαχναίονται. Quo loco τὰ νῶτα synechdochicè, & in accusandi casu poni manifestum, ut in illo Lucani:

Pluribus ille notis variatam tingitur alvum.

Hoc dici putem: Terga eorum, qui athleticè in gymnasiis exercentur, rhododaphne, seu nerio frutice interdum lacerari, lancinari, cædi, scindi, (quomodo *flagello scindere* dicit *Martial, 3. epigr. 94.*) cur ita? ut ad capiendum cibum, & injucundum illum, ferè & copiosissimum adigantur. Series orationis Galenicæ hoc arguit. *Athletæ,* inquit, *vita victusq; rationem illam inordinatam, quodammodo cum porcis communem habens: Nisi quòd porci, nec immodico labore fatigantur, nec vi ad saginam adiguntur, ut illi.* Qua causa etiam *Aristoteles 8. Polit.* βίαιον τροφὴν, & ἀναγκοφαγίαν, athletis tribuit. Cur autem *Rhododaphne*, non alio verberum genere cæsi, nescio: Nisi quòd ex hoc unico Galeni loco (cui similem alium vix licet invenire) colligitur. Quemadmodum milites Romani, extra ordinem deprehensi, cædebantur *vitibus (Liv. Epit. 57. Plin. 14, 1. &c.)* & quidam etiam, τὰ νῶτα, in tergo, ut disertè scribit *Tac. I. Annal. 23.* sic rhododaphnen athlethicæ disciplinæ destinatam ac propriam fuisse. Qui naturam plantæ, mihi quidem incognitæ nôrit, cum hæc rectiùs enodabit; tum fortassis etiam illud explicare poterit, qua causa ad *Lucianum in Pseudologista*, cuidam homini in Syria, per ludibrium, nómine *Rhododaphnes*, impositum fuerit? Rationem aliquam obscœnam subesse oportet, cùm ipsum Lucianum pudeat eam indicare. Dubium & illud, an virgis ex rhododaphne, an verò baculis seu bacillis, cæsi athletæ? De virgis verisimile; quia frutex utiq; est, & alioquin etiam athletæ nudi, *Nudis* autem *flagella* ac *virgæ*, ut *vestitis fustes* inferebantur. Nec tamen etiam de baculis, seu fustibus vero absimile. Nam ex eo *rhododaphnen* etiam *rhododendron*, quasi *rosam arborescentem* dixerunt, quòd in altitudinem arbusculæ crescat; adeò, ut in Creta Insula, lignum illud ad ædicularum trabes conficiendas, quàmvis alibi ferè minus sit, aptum nascatur. Id quod, ex *Bellonio*, *Bauhinus* (nuper vita functus, quod fortè non nescis:) in πίνακι theatri anatomici docet: Quem librum, auctoris munere, possideo. Utut sit, illud quidem

Mmmmm certum

certum est, & à *Mercuriali lib. I de Arte Gymnastica c. 15.* veterum autoritate probatum, athletas, cùm in gymnasiis exercentur, non solùm multas plagas à prædotribis pertulisse; sed & immodica saturitate, immodico jejunio, fatigationeq;, ac cetera strictiore disciplina cruciatos, & excarnificatos fuisse. Ex quo Galenus non multò post locum illum nostrum, rem potius ac nominis allusionem spectans, quàm veram secutus originationem, athletas, quasi ἀθλίους ab ærumnis illis, quas perferebant, ita dictos, asseverabat.

In altero loco, qui περὶ ἐγχειρ. ἀνατομ. 3 c. 1. f. 138, 45. τοὺς καλουμένους μονομάχους, non dubitârim vertere *gladiatores*, quos Græci *monomachos* appellant. Additur autem, οἱ καλούμενοι, quia τῶν μονομάχων vox hoc loco non in illa notione, nec Græcis aliàs recepta, pro gladiatoribus, quales apud Romanos tùm erant, accipitur. Par gladiatorum in arena congredientium *Plut. in Cæs.* & alibi vocat ζεῦγος μονομάχων: (*Cicero* de optimo genere dicendi: *Gladiatorum par nobilissimum.* Item *Suetonius* in Cæs. c. 10: *Cæsar gladiatorium munus edidit, aliquando paucioribus, quàm destinaverat, partibus.* Hinc & proprium arenæ verbum, *comparare*, hoc est, gladiatorum paria inter se committere) ἡ μονομαχία, gladiatorum certamen. Lanista, qui iis præfectus dicebatur ἐπιστάτης μονομάχων, μονομαχοτρόφος, & Græco-Latina voce λουδοτρόφος. *Ludus* ipse *gladiatorius*, in quo juvenes usum armorum condiscebant. *Isidor. 18. c. 52.* μονομαχοτροφεῖον apud *Suidam*, & ab *Herodiano lib. I.* καταγώγιον μονομάχων, quasi dicas, diversorium, domiciliumq; gladiatorum. Videndus & *Meursius*, in *Glossario Græco-barbaro*, voce λοῦδος, ubi quandam Græcam habet inscriptionem, in qua memoratur: T. ÆLIUS ASCLEPIADES, AUGUSTI LIBERTUS, MEDICUS LUDI MATUTINI CHIRURGUS. Sed & *Lipsius Saturn. lib. I. c. 14.* similem quandam inscriptionem Latinam produxit, ex qua demonstratur, gladiatoriis illis ludis, peculiares quoq; *medicos* (in latiore significatione, ut *Chirurgos* quoq; complectatur) fuisse. [Observat ibidem Lipsius, Romæ fuisse ludos hisce nominibus: Ludum *matutinum*, ludum *Gallicum, Dacicum, magnum Mamertinum, Æmilium.*] Istuc quodammodò pertinet, hic ipse locus Galenicus, ex quo patet, Galenum non quidem ordinarium, alicujus ludi medicum fuisse; sed tamen in iis ipsis ludis Romæ multa observasse chirurgica, anatomica, medica; quæ cùm alii Medici ignorarent, sese
,, turpiter sæpè dederint. Gladiatores autem in arenâ luxati, vulnerati, cæsi,
,, deferebantur in spoliarium. Ita vocabant ludi quasi appendicem, ubi sese
,, exuebant, & ad pugnam parabant; quale in balneis ἀποδυτήριον est. (viden-
,, dus Lips. *lib. I. Sat. c. 18.*) Isthîc Galenum hasce suas observationes instituisse,
,, dubitandum non est. In tertio loco, nihil præter Nihil, aut saltem conjectu-

ram

ram aliquam leviculam adferre possum. Quæritur περὶ ἐγχειρ. ἀνατομ. *lib. 5. c. 2. f. 160, 4.* quid sit, τὸ γραφόμενον κατὰ τὰς ἁμίλλας Γ. Ad verbum ita quis reddiderit: *Descripta*, (vel depicta) *in certaminibus litera*, Γ. Lacedæmoniis fuisse morem, scutis *Lambda* gestare, εἰς παράσημον, id est, notæ insignioris gratia, & Principe nominis sui litera, velut charactere, se ipsos præmonstrantibus. Itemq; vicinos eorum Messenios, *M. litera nota*, se cognobiles præbuisse, *Cælius Rhodiginus Ant. Lect. 18. c. 1.* scribit, *non nominato tamen*, unde hæc desumserit, *auctore; ut fere solet iste racemator & rhapsodus optimorum autorum: Scilicet, ut nobis sui ipsius nominandi necessitatem imponat.* Sum autem rimatus, hoc traditum ab *Eustathio, ad Iliad. β. p. 222. 20. edit. Basil.* qui simul adducit hunc versum *Eupolidis*: ἐξεπλάγη ἰδὼν στίλβοντα τὰ λάμβδα. Ubi ad rem nostram facit, quod illa *lambda* fuerint στίλβοντα *coruscantia*; & proinde *illustri* aliquo *colore depicta*, quorum fulgor adeò perstrinxit illius, quisquis fuit, oculos, ut solummodo conspectis illis litteris, virorum fortium indicibus, mens ei in pedes deciderit; prout, in omnibus præliis, primi oculi vincuntur, asserente *Tac. in Germ. c. 43.* Cum autem Romani, pleramq; rem gymnasticam à Græcis mutuati fuerint, in hanc opinionem, aut fortè somnium adducor, ut credam, quidam Lacedæmonii τὸ λ. primam nominis gentici literam, in scutis depictam, gesserunt: Ità quoq; gymnicos illos exercitatores Romanos, (de quibus loqui puto Galenum) initialem ertis suæ literam, eamq; Græcam, scilicet in memoriam originis, & cum alioquin, etiam Græca lingua, Romæ non inusitata, seu clypeis, seu aliis suis instrumentis γραφομένην, pictam, & *majore ductu, illustriore colore* descriptam, habuisse. *Gammadias*, & *Sammadiones* dixerunt vestes, γαμμαδίας, hoc est, *gammis litteris distinctas*, ut habet *Salmasius, in Hist. Augusta. & Meursius Gloss.* in Θυμίον, & γαμμάδιον. Sed id huc non pertinet. An verò dicemus, cùm hoc loco Galenus, illum humeralium musculorum concursum, non solùm cum Γ. sed etiam paullò ante, cum Λ. conferat, quæ duæ litteræ solo situ differunt, illas librariorum vitio permutatas, ac transpositas fuisse? Unde restituendum fortè, τὸ γραφόμενον κατὰ τὰς ἁμίλλας Λ. ut Galenus ad *Lacedæmoniorum*, illum, quem dixi, morem respexerit. In summa, mihi ex veteri formula NON LIQUET. De ceteris proximè. Jam enim cùm charta, tempus, me deficit. Interim vale, *Vir Summe*, summosq; iterum viros, Dinnerum & Virdungum, per occasionem, ex me quàm officiosissimè saluta. Argentorati, 15/25. Januar. 1625.

Idem Eidem.

ABsente me, domesticis meis, nescio quis hæc inclusa reddidit, ad te mittenda; quibus addo *contra Pennalisticas furias edictum Academiæ nostræ*, "

,, quod doceat, etiam apud nos, istud mali serperei atq; adeò studiosos ipsos, in ,, studiorum perniciem, ac honestatis exitium conspirare. Mecum nunc est *Metrophanes* ille Vester, nunc planè meus. Nam & utitur hospitio meo, (post enim multos dies Basileam, indè Genevam, Venetias, domum abiturus) & me quotidiè plurima docet, *in Lexico Meursii Græco-barbaro* præcipuè, cujus tenebras, umbram quidem certè dici vix possit, quanta luce, qua felicitate dispellat. Doleo, non æquè diu hîc, quàm isthic, eum substiturum. Operam daremus, ut humanitatis, quæ à vobis sibi præstita, mirificè prædicat, vobis non nimium cederemus. Sed ille causas habet, cur se *Constantinopolim* maturè recipiat. *Succedet ibi* olim *in Patriarchatu*, si *Cyrillus* iste moritur. Jacobum Esslingerum & patriæ communione, & autoritate tua mihi commendatissimum, quacunq; potero ratione, juvabo. Vale Argent. 3. Julii. cIↃ IↃcXXVII.

Idem Eidem.

GAlenica tua, ego, & quibus destinasti, rectè accepimus. D. Sebizius, nunc Rector Magnificus, itemq; D. Saltzmannus, gratias cum officiosa salute agunt. Ego de referenda quoq; & ἀντιδώρῳ aliquo mittendo, cogitabam; sed nihil te dignum jam occurebat. Nam pagellæ istæ, quotquot in *Justinum* hactenus excusæ sunt, nec minimam partem tui muneris æquare possunt. Mitto tamen propterea, submittamq; sequentes etiam, ut Censore & Judice te, (modò dignaberis illa, qualiacunq; inspicere :) vel urgeam propositum hoc meum, vel ,, mutem vel etiam omninò deponam. Est autem hoc mihi propositum, historicos nonnullos minores, quoad fieri potest, emaculatissimos edere, & notas, ,, cum ex professo in eos pridem confectas, tùm sparsim in Philologorum Adversariis, Variis Lectionibus, & aliis monumentis inventas, in compendium ,, contrahere; non, ut alienis me plurimis ornem, sed suum cuiq; tribuam, ac ,, mihi judicium liberum servem. Ejusmodi notarum silvam contractam, jam habeo in *Suetonium*, *Curtium*, *Sallustium*, *Vellejum*, *Florum*; qui, si vixero, si tuo & aliorum judicio confirmatus fuero, prodibunt ordine, dissimulato tamen nomine meo. Sic enim à Censoribus impunè, sineq; dolore vapulabo.

Novi quidem, altioribus studiis intentum, & hæc minutiora non esse detrahendum: Si tamen jam olim ad autores illos, quos dixi, notasses aliqua; rogo mecum communicare digneris; inserturo illa meis, & hac occasione, meum in te studium observantiamq; publicè professuro. Quo ipso fine, velim exemplar hoc ad nostrum optimum Virdungum quoq; transmittas: Nam præter hoc, ad manum aliud jàm non erat. Vale, *Vir summe*, & me porrò, quod facis ama. Scr. Argent, 10. Julii Juliani. A. C. cIↃ IↃcXXX.

Idem Eidem.

HEri redditis suavissimis tuis hodiè statim respondendi præbuit exoptatam occasionem is, à quo has recipies. De *Galilæo* non valdè me perculisti, qui sciam, *ipsum simulatè, non seriò dixisse, quæ dixit*. Anni sunt viginti, & quod excurrit, cùm amicorum rogatu, & Italico converti *tractatum* ipsius *de Instrumentis proportionum*. Ea versio cùm non displicuisset, internuncio *Deodato J Cto Parisiensi* rogavit me, ut item *Systema* suum *Copernicanum* vertendum suscipe-
„ rem; ex alto tàmen dissimularem, me hoc precibus suis dedisse. Feci, & in
„ id comparata ad lectorem præfatio est, ut editionis crimen ab autore depul-
„ sum, in alios conferatur. Nam quæ de *Engelko*, & ceteris scripsi, *fictitia ple-*
„ *raq;* sunt. *Engelke* librum ne per somnium quidem vidit. Habeo binas ab autore litteras, unas Latino, alteras Hetrusco idiomate scriptas; elegantissimas utrasq; & humanissimas, in quibus magnas pro navata opera gratias agit: Et ne ante carcerem scriptas existimes, istum squalorem, & persecutionem illam (quæ potissimùm à Schreinero, Jesuita quodam autore & instinctore proficiscitur) patienter se ferri ostendit. Velim ad manum sit epistola (nec enim jam vacat inquirere) describerem verba mascula profectò, & verè Philosophica: *Videreris tibi, Socratem quendam, in carcere concionantem,* audire. Quin etiam *Telescopio,* gratissimo non minus ac pretioso munere transmisso, suam in me benevolentiam testatam reddidit.

Deodatus, quem dixi, scripsit ad me nuper ista: *Galilæus noster, qui nuper Lynceus, visu nunc orbatus, & penitus cœcus, perpetuisq́, tenebris immersus, vitam ducit, satis ceteroquin pro ætate, obfirmata valetudine; animo invicto, corpori vires ministrante.* Plura scripturit calamus; sed servanda sequentibus litteris materia est: Et abitum festinat is, quem iterum iterumq; tibi, & per te, Academiæ vestræ commendo. Vale, Scr. Argent. 21. Julii, cIↄ Iↄc XXXVIII.

Idem Eidem.

E*Pistola Galilæi*, non deposui memoriam, & quidem haberes Apographum, si ea in promtu mihi esset. Abscondita latet in indigesto illo cumulo litterarum, qui in hoc biennali morbo, ut omnia alia mea, redditus multò confusior: Nunc constitui disponere, & in tomos distributos concinnare: Nec immemor ero, ut par est, officii, promissiq;. Si mortuus est, ut scribis, Galilæus, (nuper admodum id factum oportuit. Nam proximo mercatu nostro, id est, sub exordium hujus anni, per Deodatum Parisiensem Advocatum, & salutem mihi nunciavit, & librum suum, Leydæ ab Elzeviriis excusum, dono misit; quem aliis suis operibus omnibus anteponit. Ejus libri

præcipua, si cognoscere placet, ista sunt. I. *Scientia nuova prima, intorno alla resistenza de i corpi solidi, all' essere spezzati.* II. *Qual potesse esser la causa di tal coerenza?* III. *Scientia nouva altra de i movimenti locali ciò è, dell' equabile: del naturalmente accelerato.* IV. *Del violento, overo de i projetti.* V. *Appendice di alcune propositioni & dimonstrazioni attenential centro di gravità de i solidi, &c.* Sanè, credo, imposuisse Tibi, quisquis est ille, qui de morte, atq; etiam de carcere retulit. Nunquam audivi de carcere, stricto illo quidem. Nam ἀδεσμὸν illam φυλακὴν, qua *prædioli* cujusdam sui finibus, Cardinalium Collegii mandato, circumscriptus est, propriè carcerem non dixeris. Id autem est *Arcetri*; quippe Florentiam, quo loco prælationem, sanè quàm elegantem in librum,
„ quem dixi, uno ab hinc anno nono fecit. A quo tempore, cùm oculorum
„ defluxionibus laborare cœpisset, eam purgando depulsuri Medici, virum pe-
„ nitus excæcarunt; ut idem Deodatus, ipsi familiarissimus, ad me scripsit. Perculisti me tristi nuncio, de obitu filiæ moratissimæ. Novi, expertus ipse, quàm altum pectori vulnus istiusmodi casus imprimere soleat. Verùm præter illa solida, Sacræ Scripturæ solatia, quæ pietas tibi tua suggerit, me pridem nihil magis erexit, quàm præsentium contemplatio temporum, adeò deploratorum; ut nostra nostrorumq; mors, in lucro potiùs numeranda videatur. Valdè placuit elogium optimæ virginis, hoc etiam nomine profectò beatæ, quòd tàm disertum, virtutum suarum præconem invenerit. Quod superest, rogari quæso te patere, ne deinceps litteras tuas, vestrati tabellario ferendas, committere velis. Vale, *Virorum Eximie*, & à Freinshemio, genero, (cujus Commentarius Curtianus ad umbilicum properat) Salve plurimùm. Scr. Argent. 10. Martii ꟾↄIↄcXXXIX.

Georgius Remus JC. Mich. Virdungo.

LOcum in carcere esse, quod *Tullianum* appellatur, vetus ac tralaticium meû nôsti, *Vir Clarissime, Domine Virdunge, amice honorande.* At in Pannonia (seu Pannoniis) locum regioni cognominem, non me scire, profiteor. Et Thesaurum Geographicum Ortelii tecum desidero millies. Pœnituit, & pœnitet, non emisse me illo tempore, cùm prodiret. Insunt tamen in illo ipso opere, quæ τῆς ἐπανορθώσεως remedio indigent. *Bononiam in Pannonia* esse, probè mones. At *Bon-Monstor* ad ripas *Danubii* est sinistras, non dextras, qua Savus & Dravus in Isthrum
„ exonerant; teste mappa, quam recens emi, optimæ notæ. Facilis error est in
„ rebus exoticis: Et contigit labi Thuano in rebus Germanicis non semel; quam-
„ vis diligentissimus fuerit in conscribenda Historia, quam nocturna, diuturnâq; manu versamus. De donario nôn mihi gratias agas; DEO agas, & Senatui Amplissi-

plissimo. Institisse me, & tuam egisse causam multis precibus, non diffiteor. Gaudeo plurimùm, vobis subventum. Agite, cristas jam tollite: Universitas audiet Academica, quod benè vortat! Vale, vir, nunquam satis mihi laudate; & me redama tui amantissimum. Noribergæ, postridiè Id. Maji Anno cIↃ IↃc XXIII.

Idem Eidem.

AJo Tibi, *Vir Clarissime, & Eruditissime Domine Virdunge, Amice candidissime*, maximè me affectum mœrore tuarum, quæ mihi morbos ac symptomata difficillima ob oculos ponebant; qaibus Te excruciari, præsertim tussi pertinacissima, nunciasti, lectione. Siccine nobis Te fata invida subducere moliuntur? Ne fiat! Cura itaq; (suadeo) teneram valetudinem tuam, atq; Medicorum consilio ne dedigneris uti. Res pretiosissima rerum pretiosissimarum est, benè recteq; valere. Theophania tua, singularem ergà me favorem tuum, ad posteros testabuntur, ut spero, quod mearum erit partium, Te venerari, Te in oculis ferre. *Scioppius*, (pestis hum ani generis) ne quid publicis deforet malis, *Classicum belli Sacri*, Ticini, (puto Mediolani) edidit. Scioppius (infamia sæcli) consilium Regium ità inscripsit, ad Hispaniarum Regem evulgavit, quo exstirpandos hæreticos, radicitùs suadet. Vænit exemplar floreno: Ego non teruntium pro libro dedero. Classicum canit Scioppius, & calcar addit Pontificiorum Fœderi (*Ligam sanctam* appellant) exhortans, uti crudeliter agat Papa, Iberus, cetera turba: Et restituant monasteria, collegia Sacrificulorum. Hoc est caput rei: Ne verò ostendat universos, quos vocant hæreticos, *Germanos excipit Protestantes*, ob Pacem Religionis, Anno M. D. LV. erectam. Ludit nebulo, non seriò agit. Vale & Salve. Jehova DEUS Te restituat valetudini pristinæ, *ἂν γένοιτο*. Norib. Non. Junii. A. C. cIↃ IↃc XXIV.

Idem Eidem.

ETἴδια γεν. *Clarissime Vir, Domine Virdunge, amicorum optime.* Tuas accepi, quas mihi gratissimas fuisse, scias. Gratias verò tibi ago pro labore tuo, quem mei causâ insumsisti: *Carnotenses Carniotanos* hodiè sic dictos, facilè assentior. *Carcutionos* esse *Carinthios* hodiè, liquidò credo. At de *Ruzzenorum Rege*, addubito adhuc. Nam *Magnum Ruthenorum ducem*, hodiè, illum ordine Regem fuisse, (seu *Moscorum Ducem*, ut vulgus ait) vix ausim admittere; cùm nimis longè regio illa distet à nostra Germania, ex qua auxilia petantur à Cæsare. *Dux Polonorum* quidem, ab Henrico IV. oppugnatus, & in ordinem redactus: *Luiticos* sic dictos, planè deletos putaverim. De *Triburia* laboro. Porro Dominus *Johannes Heringius* à Te carmen petit in libellum, seu *tractatum*, quem *de*

Molen-

Molendinis scripsit; edetq; propediem Lipsiæ. Gratum facies, si dederis versus. Vale, *Vir præclarissime*, meq; ama. Norib. 10. Cal. Jan. Anno cIↄ IↄcXXII.

Mich. Virdungus Jano Grutero.

SIc est profectò, *Jane Grutere*, Vir Clarissime: *Eruditio absq; virtute*, ut verbis Augustini utar, *nullius est ponderis fumus. At quàm miserè hodiè pleriq; moliuntur, quò eruditi audiant! Nemo ferè, ut probus, ut sincerus, ut constans.*
„ Harum enim virtutum, velut maxima messis debebat meti apud doctos: Sed
„ quid? Nimis antiqua ac pœnè stulta isthæc ducimus. Fraus, simulatio, levi-
„ tas, nequitia, condecorant suis cognominibus, non tam fæcem vulgi, quàm
„ florem literatorum. Quin imò ea est nonnullis parvitas, dicam, an pravitas
„ animorum, ità livent: Ità deniq; non nemo non ad elogium illud Cornelia-
„ num de Egnatio. Quid dicam? Pudet me pœnè literarum: Sed vos earum
„ Antitistes videritis. Etenim literatos, plurimumq; linguarum homines (&
„ interdum ne cum uno quidem corde) passim invenies at non ità Brutum, vel
Bruti avunculum, ut ille ait. Quò magis, *Grutere præstantissime*, permaneo in sententia inscribendæ hujus libri Tragœdiæ, vel proprio nomine. Non enim, ut tu nuper mecum deambulans jocabâre, *Brutum fore reapse brutum*, si tuum nomen præscriberet: Cæterùm si ipse Brutus reviviscat, *vix reperturum credum pectus, quod magis amet, & in quo Atticum suum recognoscat veriùs.* Me quidem ab hoc scribendi genere, modò non deterruit visa nuper, *Heinsii* vestri,
„ *Auriacus*, Tragædia, ità me Musæ, vel super ipsum antiquorum Cothurnum.
„ Friget & jacet apud me Euripides, non satis assurgit Sophocles, nec spirat ac
„ tonat Seneca, quoties illam lego. Is est enim dictionis cultus, nitor, ubertas,
„ ea inventionis felicitas, tanta lux, tanta amœnitas, tanta majestas Orationis,
„ tantùm sententiarum acumen, tantum pondus, ita pleraq; omnia ex his sibi,
„ quàm antiquis debent, ut nihil simile in hoc genere, hoc ævo viderim; nihil
„ visurus, nisi ab ipso credam. Ut ille quatit, pellitq; animum! O Dii immor-
„ tales, quas hactenus Larvas pro Phœbis venerati sumus! Etiamne ex his nugi-
„ vendulis, Poëtarum simiis, quisquam præter hac frontem perfricabit, ut in
„ publicum prodire audeat? Etiam. Ecce ego princeps, meo exemplo, ad similem impudentiam aliis præeo. Veruntamen chartæ pereuntis miserari nefas sit, consuetudine adversus illam, vicem legis hodiè obtinente. Vale, *Grutere doctissime, Amice venerande*; ac Virdungum tuum, quod facis, ama.

Idem Joh. Fred. Gronovio.

NOli, sodes, frigusculum, aut nescio, quid tale interpretari meum istoc, aliquot septimanarum silentium. Quidvis enim potius causæ fuit, quàm quod tu suspi-

tu suspicaris. Sed & qui ὑγίειαν modò mihi fautricem, οὐδὲν ὑγιὲς, ut res est, tibi nunciarunt. Enim valetudo me, quo solet, genere, rursus ante complures dies invasit: Nec adhuc è natura satis fluit spiritus; & tussis insuper satis sæva ac pertinax vexat, noctu præsertim; quæ res interdiu quoq;, ob vigilias, crucesq; nocturnas, valdè me dat in languorem. Cæterum, de *loco Nazaris* priore, subscribo correctioni *Acidalii*: De posteriore, nihil *Beati Rhenani* editio mutat ab aliis recentioribus; & *locus* non solùm *corruptus*, sed & *mutilus* mihi videtur. In loco *Firmici* illud, *Ille occasionem patitur illæsus*, interpretor: Ille, quamvis non læsus seu vulneratus, serpentis venenati ictu; nihilò seciùs mortem oppetit, solo scilicet afflatu, vel etiam visu (ut basilisci) peremptus. In *Taciti Agricola*, si mihi paullulum modò auxilii à libris, libenter legerim: *Alterius manus, cades, rapinas, (vel cædes, direptiones) alterius vim & contumelias miscere* Alterius, id est, *legati manus militares*, seu *centuriones & milites*: Alterius, id est, *procuratoris Cæsaris* servos. Vide ejus rei exemplum *XIV. Annalium*, ibi: *Adeò ut regnum per centuriones, domus per servos, veluti capta, vastarentur.* De novis pendeo equidem animi, quorsum hæc tandem sint eruptura; & possem ad quosdam, quos veneror, quædam; nisi *Ammianus* mihi aurem pervelleret, *in Tagetis Tuscis libris legi, Vejovis fulmine mox tangendos, adeò hebetari, ut nec tonitru, nec majores aliquos possint audire fragores.* Etenim certè duos maximos fragores, « paullò post initium hujus anni, in somnis audivi, & totidem immanissimis fulgetris perstrictus, seu potiùs perculsus fui: Sed in quos fulmen Vejovis vibret, etiamnum ignoro. Interim rumores horribiles subindè aures mihi verberant, seu potiùs animum sauciant, de summa alienatione animorum: Quæ, quid portendat, non opus est, ut consulatur in Politicis Aristoteles, nec ut Historici veteres excutiantur &c. Quæ, cùm ita sint, beatos existimo, qui incolumi dignitate, integraq; existimatione futura, exitum vitæ pium sortiti, effugerunt. Magnum tamen illius Reipublicæ Atlantis (quem & mihi, quamvis immerenti, favisse ex animo scio) occasum magnopore lugere, & veris ac spirantibus lacrymis deplorare cogor. Sed quæ de *Lucii Crassi*, itemq; *Hortensii* obitu, *Cicero*, eadem nunc de hujus summi viri morte, scribere me existimato. Benè ac feliciter Vale. Althorphi, 13. Cal. April. Anno clↄ Iↄc XXXIII.

Idem Nepoti suo.

NOli putare, *Charissime Nepos*, negligentia aut oblivione tui factum, quòd tam diu siluerim. Hæres enim mihi tùm in medullis; ac præsertim studia tua mihi cordi sunt, quorum egregium specimen dedisti binis jam ad me literis. Cæterùm, ex quo superiores illas ad Te dedi, vix ullum tempus vacuum & im-

mune mihi à morbis, quà meis, quà meorum (ut alias cruces taceam) præterfluxit: Quin imò ne nunc quidem. Hygeja mecum bona fide in gratiam rediit, permanet enim macror ille corporis dubii, & malè cogitantis. Sed & illo genere valetudinis adhuc itentidem tentor, quod *asthma* vulgò dicitur; antiqui verò Medici, testante Seneca, *meditationem mortis* vocabant. *Est enim illud animum potiùs agere, quàm ægrotare.* Vides igitur, *mi Cognate*, quàm non delicatæ causæ me à scribendo abstinuerint. Porrò studia tua in hac præclara occasione discendi calere, & opto & spero; quibus (quoad Historiam duntaxat) à me adjutandis, quod promissum meum flagitas, delegabo Tibi *Lipsium*; qui *Epistola LXI.* (quæ est *ad Nicolaum Hacquillium*) *Cent. Miscell.* sitim tuam hac in parte abundè explebit. Ceterùm omnes illos Historicos, quos ibi percenset, comparare, auctor tibi nequaquàm fuerim: Ea enim res vel divitum loculos exhauserit; his præsertim temporibus difficillimis. Ex Græcis igitur, ubi commodum erit, *Thucydidem, Polybium Causaboni, Dionysium Halicarnassensem, vitas parallelas Plutarchi,* & *Dionem Coccejum,* sive *Cassium*, ac deniq; *Herodianum*, comparare tibi poteris: E Latinis *Livium, Cæsarem, Æmilium Probum*, seu, *Cornelium Nepotem de viris Illustribus, Vellejum Paterculum, Florum, Eutropium, Tacitum, Ammianum Marcellinum*, cum commentario *Justi Lipsii. E* Recentioribus, *Paulum Æmilium de gestis Francorum, Guicciardinum, Sleidanum, Buchananum de Rebus Scoticis*; ac deniq; nostri ævi Historicorum facilè Principem, *Augustum Thuanum.* Ex his enim prudentiam politicam, nisi fallor, magis quàm ex aliis plerisq;, haurire poteris. Quo autem *ordine* Historici legendi, & *quæ* indè *excerpenda*, idem Lipsius in dicta Epistola præclarè te docebit; nec est,

„ cur scrinia ejus compilem. Tantùm illud submoneo, ut, quia *non Scho-*
„ *læ, sed Reipublicæ*, nisi fallor, *discitur*, in Ritualibus mino-
„ rem, seu leviorem operam ponas, quàm
„ ille requirit. Ita vale.

INDEX

INDEX AUTORUM.

 Bernecce-

Cuneus.

Livius.

INDEX AUTORUM.

Nic.

Sciop-

INDEX AUTORUM.

Ooooo *Virgi-*

AUTORES EPISTOLARUM,

earumq;, quid breviter in unaquaq; continetur, indicium.

A.

Joh. Albertus ad Eliam Ehingerum.

IPsius Quæstiones de Bibliis, de Sorbonica schola respondet, &, quàm suavissimâ pace fruantur significat. p.745

Christoph. Arnoldus D. Georgio Richtero.

I. Quo ab Amicis, cùm Amstelodami esset, ductus fuerit. Monumenta rei literariæ haud parcè innuens sæpiùs nonnulla scitu digna immiscet. Tandem, à quibus salutetur ille, notificat; & Filio pro Commendatitiis gratias agit. 470

II. Se de literis missis gaudere, &, gaudere salutatione magnos Viros, scribit. De Gronovio, de statu Academiæ Lugduni Batavorum, & de publicis egregiâ refert, ad petita respondens. Linguis operam se jam dare, concludit. 479

III. Itinere confecto per Brabantiam & limites aliquot Flandriæ in Angliam vectus, quid ubiq; sibi

Joh. Henric. Blendinger Adamo Ruperto.

Joh. Henricus Bæclerus Casp. Hofmanno.

Jac. Bruno Georgio Richtero.

Augnst.

AUTORUM EPISTOLARUM.

D.

Joh. Mich. Dilherrus Georg. Richtero.

Andreas Dinnerus Affini suo.

Idem Andlero, J. V. L.

Idem Avunculo suo.

Idem Præposito Bambergensi.

Idem Michaëli Virdungo.

Idem Lud. Camerario.

Idem Guliel. Harvejo.

Idem Guid. Patino.

Idem Joh. Rhodio.

Idem Georg. Richtero.

XIV. Re-

P.

Mart. Pfinzing. Andr. Dinnero.

Mich. Piccartus Casp. Hofmanno.

Idem Georg. Richtero.

Vopisc. Fort. Plempius Casp. Hofmanno.

Joh. Lud. Pönlein Georg. Richtero.

Præpositus Bamb. Episcopo Atrebatensi, Ortenbergio.

Idem Cardin. Baravicino.

Idem Jo. Bapt. Fenzonio.

Idem Cardinali Milino.

R.

Georg. Remus Casp. Hofmanno.

Idem Michaëli Meisnero.

Idem Mich. Virdungo.

Mich.

Idem Georg. Calixto.

Idem Phil. Carolo.

Idem Joh. Mich. Dilherro.

Idem Caſp. Hofmanno.

Idem Conr. Hornejo.

VII. De

Idem Nic. Rittershusio.

Idem Adam. Ruperto.

Joh. Rhodius Casp. Hofmanno.

X. De

XXVI. Scali-

Petr.

INDEX RERUM.

Calv-

Echini

L.

Hollan-

M.

Mündig.

Praxeos

F I N I S.

ERRATA.

Quis, quæso, mortalium ſine nævo, Humane Lector! ecquis ille liber ſine ſphalmate? Quamobrem & Tu, quia mortalis es, de his Epiſtolis haud aliter judices, velim. Omiſſis autem minutiis, quas Viri docti non curant, (ut ſi fortè *redundet* literula, aut ſaltim *trajecta* ſit, vel *inverſa*; aut ubi *ſimilis* pro ſimili poſita; aut vox etiam *diviſa*, vel cum alia quadam *connexa*; aut ſi *diſtinctio* deniq;, vel *accentus* non rectè ſe habeat) fideliter hîc Tibi innuimus, ubi adeò in illis aberratum, ut *ſenſus* lectionis ſit *difficilior*. Lege igitur

Pag.	lin.
11,	12. Virtute me.
24,	27. *an.*
26,	27. *qua.*
30,	17. *ominibus.*
34,	15. *ſufflaminare.*
antep.	*pecuniâ.* ib. *eloquentia.*
35,	27. *providentiâ.*
-	29. *innumero.*
47,	12. *amare.*
72,	23. *pejores.*
75,	5. *odere.*
88,	18. addetis.
90,	ult. Zinzerlingi.
94,	17. teſtatum.
103,	20. viſus.
104,	7. deſpicientia.
122,	7. eum.
-	8. noſtri.
130,	4. ergò.
131,	19. hæc ſacra aliter.
133,	18. χαλκείων.
139,	13. ἀρχομένοις.
141,	24. efficiat.
-	25. vinitoris.
145,	33. εἶδος ἐπιστήμης.
147,	19. niſi quòd nonn.
149,	3. quas ille.
150,	18. Poſſeſſor ejus.
159,	13. ſolere.
160,	4. brevi lites iſtæ.
167,	20. *ovillus.*
187,	3. per omnia.
189,	15. Ulpianus.
201,	11. E re.
206,	26. evomit.
217,	10. debita.
221,	antep. ἴαρ.
224,	5. eum.
229,	21. moleſtâ.
233,	20. λιτουργίαν.
241,	33. Tranſiſalaniæ.
242,	11. Petavianis.
251,	33. abs Te.
252,	15. in Italiam.
-	20. ad normam.
261,	32. viſcera.
264,	13. Medicina.
265,	6. eſſet. [ſub.
266,	24. cõmendesei
267,	22. ſuffenus.
269,	28. res comparata.
-	36. quantum.
270,	28. in cenſu horũ.
-	33. *tenvior.*
272,	penult. noluit.
279,	29. flecti.
280,	24. experiri.
285,	26. *quos uſu.*
287,	10. reliquis.
288,	10. ſuffenus.
-	24. comparare.
290,	16. glycyrrhiza.
292,	24. Tum.
297,	10. Viadrum.
298,	2. εἰπεῖν, ſt.
315,	28. Harpages.
316,	23. ἐὰν ὁ Κύριος. antep. &
317,	5. cladibus novis.
319,	12. εἰπεῖν.
321,	ult. Gofredum.
324,	5. ἠλπικέναι.
324,	6. πλούτου.
330,	24. ſtrygibus.
339,	17. λειποθυμία.
345,	11. ὑπακούουσι.
-	16. ἐστ'.
-	ult. exploratiora.
347,	25. δωρῆσιν. ib. μειλιχίοισι.
358,	30. quâ fortaſſis.
-	34. Quam quidem.
360,	15. nec tempus aliud.
-	32. me tuebitur.
363,	7. ὀλιγοκαλάμῳ.

Pag.

Pag. lin.
364, 11. rotam.
366, 14. Aſcræum.
367, 31. mendicitatem.
370, 14. ἀδίκαςον.
372, 31. ὑπερδεχμὑ-
μενον.
373, 4. ſopiat.
- 27. ἐνειληθεὶς.
377, 21. χεῖρε.
- 21. quarum δὸσι.
379, 23. Ex facili.
- antep. rubor.
381, 21. poſſis.
382, 15. emortuali.
394, 11, proclamare.
402, 16. quōdāmodo.
403, 13. repentè,
408, 30. STRADA.
413, 18. σαίνοντος.
- 21. δόλος δὲ δόλοιο
κρατεῖται.
418, 17. Rupertus
Richtero.
419, 21. Richterus
Ruperto.
420, 6. ἀθρόως, ſed
χολῆ.
422, 3. foveri.
440, 11. Semonum.
- 24. ἀλγεῖ.

Pag. lin.
443, 31. pertexas.
454, 10. Krebſii.
469, 22. D. Eremitæ.
472, 5. *Liſtrii.*
473, 30. Retaliationis.
474, 21. rotundam.
478, 13. ne tantus.
480, 31. Fœderatos.
489, 17. parieti.
492, 3. *Provincialia.*
503, 20. Saxonem.
505, 3. probabilitati.
506, 29 & 30. *lucus.*
507, ult. nos docet.
512, 7. Æolicum.
518, 3. diſpanſæ.
520, 8. Duo autem.
538, 29. *Montium.*
541, 35. veſtri aſſelli.
545, 4. 5. reſtituendo.
546, 24. *Conſus.*
- 27. *fruſtra quit.*
549, 26. *Mercuriali.*
- 28. ſi tua cauſa.
551, 6. πεποιθότων.
- 28. Ὑποθῆκαι.
552, 3. παροξυνομένον.
558, 24. præ mœrore.
567, 30. etiam de Ga-
leni.
574, 12. ו.ש.א.ם.ה

Pag. lin.
578, ult. adoro.
582, 4. ἐβουλήθη.
- pen. cura eſto.
592, 28. Vidi, qui ex.
595, 26. *fidit.*
598, 1. Agnoëtarum.
599, 31. ſupereſt.
- 32. quà mſſ. q. t.
excuſos.
600. 15. ex f. emanat.
- 18. Aqua vitæ.
- 26. Die, quæ.
603. 4. avi ſui MSStum.
605. 5. quod concernit.
- 18. tui eſto.
606, 5. Pacem ſemper.
607, 29. conſenui.
608, 10. ἑαυτὸς.
610, 16. fuliginem.
613, 23. *dele*, unde.
- 33. nobis.
614, 6. *Creedelane.*
725, ult. clades.
806, 15. gratias ago.
- 21. primum in
conſeſſu.
809. 2. *fineret.*
811, 12. ſi iterem.
812, 3. Excrementati-
tios.
826, 1. ſerpere.